













SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANC

# SVRIVS

# HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM



VOL. XII.

DECEMBER

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXX

# DECEMBER

---

## VITA S. ELIGII NOVIOMENSIS EPISC.

A BEATO AUDOENO [*] ROTHOMAGENSI PRAESULE, EJUS AEQUALI, CONSCRIPTA [**]

**Ad coelestem patriam migravit anno 659 — Nat. Gallus.**

### LIBER PRIMUS

§ 1. Igitur Eligius Lemovice [***] Galliarum urbe, quae ab Oceano Britannico fere ducentorum millium spatio sejungitur, in villa Catalacensi [****], quae a praedicta urbe sex circiter millibus ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. In hac ergo regione parentibus ingenuis, atque ex longa prosapia Christianis, Eligius natus atque alitus est. Cujus pater Eucherius, mater vero Terrigia vocitata est. Ipse autem gratia divina praesciente, congruum sibi ac veluti speculum mentis suae, Eligius [*****] nomen accepit. Ergo cum propositum sit de his, quae gessit, immo quae Dominus per eum operari dignatus est, sicut gesta constat, narrare: tamen id, quod, priusquam nasceretur, ad indicium sanctitatis ejus ostensum est, quodque magnorum virorum testimonio didici, omittere non debeo.

§ 2. Cum adhuc vir beatus matris esset alvo inditus, vidit genitrix ejus visionem, quae hujusmodi habet ordinem. Videbat quasi aquilam valde pulcram super suum volitantem stratum, ac se tertio inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cumque ex reciproca voce evigilasset, perterrita nimis, coepit mirari, quaenam esset haec visio. Interea venit tempus pariendi, et prae magnitudine doloris coepit mater periclitari. Vocaverunt autem quemdam religiosum presbyterum boni testimonii virum, ut pro eadem orare deberet. Qui cum venisset ad eam, quasi propheticum mox usurpans verbum, ait ad illam: « Noli, inquiens, mater, timere: quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri. Erit

[*] S. Audoënus (gallice *Ouen*), die 24 augusti colitur. Ejusdem Vita in Vol. VIII, p. 584 etc. habetur
[**] Haec Historia, quam S. Audoënus edidit, valde est prolixa. Praeter Prologum, quem Suriu jam omiserat, quaedam alia passim nos quoque ex ea resecabimus.
[***] Gallice *Limoges*, urbs perantiqua, Summorum Pontificum Clementis VI (1342-52) et Gregorii XI (1370-78) patria.
[****] Vulgo *Cadillac*.
[*****] Vulgo *Eloi*.

etenim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Christi sacerdos. »

§ 3. Igitur Eligius nutritus est in fide recta, atque imbutus a parentibus Christianis religione catholica. Exinde igitur pueritiae annos excedens, aevum adolescentiae cum industria gerebat, et quicquid operis aetati suae congruum arripuisset, mira agilitate perficiebat. Cum ergo videret pater ejus tantum filii ingenium tradidit eum ad imbuendum honorabili viro, Abboni vocabulo, fabro aurifici probatissimo: qui eo tempore in urbe Lemovicina publicam fiscalis monetae officinam gerebat. A quo in brevi hujus officii usu plenissime doctus, coepit inter vicinos et propinquos in Domino laudabiliter honorari. Gerebat enim simplicitatem columbae, ne cuiquam machineretur dolos. Habebat et serpentis astutiam, ne aliorum supplantaretur insidiis. Dignumque in cunctis habens ingenium, et facile loquebatur, et pure. Ecclesiarum etiam conventiculis frequenter intererat, et quaecumque ibi ex divinis Scripturis recitabantur, aurem libenter accommodans, avidissime hauriebat, atque ita in corde suo memoria recondebat, ut etiam cum absens esset, ea quae didicerat, meditatione intentissima ruminaret.

§ 4. Interea post aliquot annos extitit quaedam causa, divina (credo) gubernante providentia, ut, relicta patria et parentibus, Francorum adiret solum; ubi paucis degens diebus, factus est notus cuidam Regis thesaurario, Bobboni vocabulo, viro honesto et mansueto. Cujus se patrocinio committens, sub ejus ditione degebat. Strenue enim ad omne opus se aptabat, et omnes, cum quibus colloqui potuisset, suo amore annectebat.

§ 5. Post aliquod autem temporis intervallum, pervenit ad notitiam Clotarii * Francorum Regis, hujusmodi ex causa. Volebat enim idem Rex sellam urbane auro gemmisque fabricare: sed non inveniebatur in ejus palatio, qui hujusmodi opus, sicut mente conceperat, posset opere perficere. Cum sciret ergo praefatus Regis thesaurarius Eligii industriam, coepit explorare eum, si quo minus opus optatum posset perficere. Et cum facile id apud eum fieri intellexisset, ingressus ad principem, indicavit ei invenisse se artificem industrium, qui dispositum sine cunctamine aggrederetur ejus opus. Tunc Rex mente gratissima tradidit ei copiosam auri impensam: sed et ipse nihilominus tradidit Eligio. At ille acceptum opus cum celeritate inchoavit, atque cum diligentia celeriter consummavit. Denique quod ad unius opificii acceperat usum, ita ex eo duo composuit, ut incredibile foret, omnia ex eodem pondere fieri potuisse. Nam absque ulla fraude, vel unius etiam siliquae imminutione, commissum sibi paravit opus: non caeterorum fraudulentiam sectans, non mordacis limae fragmina culpans, non foci edacem flammam incusans: sed omnia fideliter complens, geminam meruit felix remunerationem. Opus ergo perfectum defert

* Hujus nominis II, qui ab anno 584 usque ad annum 628 regnum tenuit.

protinus ad palatium, tradiditque Regi quam donaverat sellam, altera penes se, quam fecerat, gratuito reservata. Coepit tunc eum princeps mirari, simul et efferre tantam operis elegantiam : jussitque illico fabro tribuere mercedem laboris dignam. Tunc Eligius altera ex occulto in medio prolata : « Quod superfuit, inquit, ex auro, ne negligens perderem, huic operi aptavi. » Confestim stupefactus Clotarius, et majori admiratione detentus, sciscitabatur opificem, si cuncta ex eodem penso facere potuisset. Et cum consequenter juxta id, quod fuerat sciscitatus, responsum accepisset, ingenium ejus sublimi favore attollens : « Ex hoc jam, inquit, etiam in maximis credi poteris. » Porro hoc fuit initium, nec non et testimonium in palatio Regis honorandi, immoque credendi * Eligium. Ex hoc nempe adauctius consurgens, factus est aurifex peritissimus, atque in omni fabricandi arte doctissimus. Invenitque gratiam in oculis Regis, et coram omnibus optimatibus ejus. Domino ergo juvante, roboratur in fide, ac a Rege provocatus, crescebat quotidie in melius.

§ 6. Me igitur praesente, nescio quam ob causam, nisi quod facile datur intelligi, fidelitatis obtentu, dum apud Regem puerulus habitarem, quodam die Rotoilo in agro accito Rex Eligio, coram reliquiis sanctorum praecipiebat ei, ut impositione manuum sacris pignoribus daret sacramentum. Sed ille divinum intuitum verens, excusare humiliter omni nisu tentabat. Cumque instantius id facere compelleretur, anxius valde, coepit mox ubertim lacrymas profundere, metuens scilicet Regem offendere, septuplumque pavens sanctis pignoribus manus imponere. Intuens itaque Rex ejus timorem, simulque mirans tantam viri devotionem, desiit ultra eum cogere : sed magis blande leniterque demulcens, laetissimo illum vultu dimisit, pollicens se plus eum ex hoc jam crediturum, quam si multimoda tunc dedisset juramenta.

§ 7. Non post longum spatium, cum jam Eligius virilem ageret aetatem, cupiens se vas exhibere Deo sanctificatum, ac metuens ne aliqua suum delicta pectus fuscarent, omnia ab adolescentia sua coram sacerdote confessus est acta : sicque sibi austeram imponens poenitentiam, coepit fortiter colluctationi carnis, spiritus fervore resistere, *in laboribus* scilicet, secundum Apostolum, *in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in patientia multa, atque in charitate non ficta* (*2. ad Cor.* VI). Proponebat namque sibi adversus praesentes carnis ardores, futuri supplicii ignes : ac memoriâ ardoris gehennae, ardorem excludebat luxuriae. Orabat jugiter pro donis coelestibus, precabatur Deum diebus ac noctibus, illud ex libro Job crebro revolvens : *Ego*, inquit, *deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum : qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Qui ponit humiles in sublimi*,

* Fidem, videlicet, S. Eligii valde spectatam fore.

*et moerentes erigit sospitate* (*Job* v). Adimebat sibi saturitatem panis, ut coelestem posset promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpus aridum marcebat, sed mens acrius semper aeternae patriae amore aestuabat: et unde graviora recordabatur, inde patientius leviora portabat. Semper enim praesentis vitae terminum intuens, futuram Dei sententiam ac metuenda judicia formidabat, sciens scriptum: *Beatus homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* xxviii). Et illud Apostoli: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini* (*Philip.* ii). Ad Domini vero pedes noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis irrigans, moderatoque suspirio oculis ad coelum levatis, illum semper respiciebat, quem fortasse delinquendo offendisse timebat, ac lamentabili voce haec crebrius verba geminabat: *Tibi soli peccavi, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam* (*Ps.* 50); et illud beati Job: *Memento*, inquiens, *quia ventus est vita mea*. Et, *Parce mihi: nihil enim sunt dies mei* (*Job* vii). Et ex se quodammodo egrediens, illud ante suam pingebat mentem: quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Ideo ista jugiter meditando, quanto plus proficiebat, tanto plus humiliabatur: ut quanto plus humiliatus esset, tanto amplius proficeret. Cujus quanta fuit moestitia, tanta fuit et venia; et quantum se humiliter afflixit, tantum clementer a Domino meruit sublimari. O profunda benignitas Dei! Fit velocior venia, quam culpa. O felix poenitentia, quae tam velociter ad se Christi traxit misericordiam, quaeque non prius assiduo fletu delictorum flammas extinguendo, frequentique jejunio peccatorum virus excludendo destitit, quam misericordiam, quam poscebat a Domino, impetraret! De talibus quippe per Malachiam prophetam Dominus dicit: *Dedi ei timorem meum, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat* (*Malac.* ii).

§ 8. Denique quodam tempore interpellans Dominum, fide pleno pectore exigebat, ut si, accepta Deo poenitentia ejus esset, quoquo modo dignaretur ei dare notitiam. Habebat itaque in cubiculo, ubi assidue cubitare solitus erat, multorum pignora Sanctorum in supremis dependentia, sub quorum sacro velamine, reclinato in cilicio capite, orare consueverat nocte. Quo nimirum in loco cum ex more quadam nocte in oratione prostratus, super cilicium incumberet, somno ingruente oppressus, veluti transeundo in momento obdormivit, visumque est ei adstitisse repente quemdam, atque dixisse: « Ecce, Eligi, exauditae sunt preces tuae, indiciaque olim quaesita nunc tibi concessa. » Mox ille excitatus, odorem hausit gratissimum. Sensit etiam ex gerulo reliquiarum guttas suavissimas super suum lenissime defluere caput. Ex quo nimis attonitus, surrexit velociter, et sollicite conspiciens, vidit quasi balsamum distillare de chrismario, et pallio, quo erat opertus. Tanta quippe fragrantia odoris suavissimi totum illud

impleverat cubiculum, ut etiam ipse vix ibi subsistere quivisset. Tunc memor suae petitionis, nimiumque largitatem bonitatis Dei miratus, altius ingemiscens, fidelem retributorem ex intimo corde benedicebat Christum, qui nunquam derelinquit sperantes in se. Hoc ergo fuit initium virtutum ejus, immo omnipotentis Dei, per quem omnes omnia possunt. Quod cum vir sanctus sodali suo Audoëno, cognomento Dadoni, quem sicut animam suam diligebat, secretius enarrasset, vicissim ab eo exegit, ne, usquequo ipse in corpore maneret, eadem cuiquam indicaret. At ille haec audiens, coepit continuo animo compungi, coepitque secreta arcanorum ejus vis quaedam interni amoris accendere. Jamque ex hoc, spretis seculi blandimentis, cupiebat ex studio Eligium aemulari ad bonum. Et accito etiam germano suo Adone in consilio communi (erant enim viri inclyti, optimates aulae, filii scilicet Antharii); hi ergo, communi habito consilio, coeperunt imitari, quae ab Eligio gerebantur: eratque eis familiare consortium, et cor unum in Domino, atque anima una.

§ 9. Invenit ergo Eligius gratiam coram Deo, et coram Regibus Francorum, et ferebatur ei ab omnibus testimonium, intantum ut copiosam molem argenti et auri et gemmarum absque ulla pensa a Rege acciperet: crescebatque ei honor cum magno favore de die in diem, et omni ex parte probatus, vernabat in aula devotus. Mortuo interea Clotario Rege Francorum, Dagobertus filius ejus monarchiam regni solus obtinuit. A quo Eligius tanta familiaritate habitus est, ut plurimorum ejus felicitas ingens gigneret odium. Siquidem oderant eum pravi, quippe quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem; et cum esset strenuus, jugis ei erat contra eorum vesaniam pugna, perpetuumque certamen. Sed plane omnes boni illum admirabantur et diligebant, quia noverant catholicam hominis scientiam, ac patriae coelesti mentem jugiter intentam, semperque actibus bonis praeparatam. Sectabatur igitur jugiter charitatem, mansuetudinem et longanimitatem. Diligebat Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute. Erat quoque tranquillus moribus, et serenus adspectu. Gerebat vultum planum, moderatam speciem, ornatum adspectum, quietum sensum, animum laetum, humilem sapientiam. Semper opera bona factis amplius, quam verbis ostendebat: corpus fame castigans, jejunium potius quam epulas amans, dolentem consolans, spem suam Deo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi praeponens: quod credebat, docens: quod docebat, imitans. Semper enim ante oculos ejus dies ultimus versabatur, semperque mens ejus praecepta coelestia meditabatur. Orabat autem frequenter, quia didicerat, quod oportet sine cessatione Dominum rogare. Satagebat magnopere, ne secundus cuiquam in operibus bonis inveniretur. Erat etiam erga famulos Dei valde humanus atque benignus. Charitatem vero super omnia et

ipse diligebat, et omnibus servare mandabat. Existebat utique in cunctis casibus firmus, omniaque adversa patienter ferebat. Pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus, suos esse laqueos judicabat. Finem quoque vitae suae sollicitus considerabat, metuens ne se tamquam fur hora illa inermem comprehenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, sciens quod lectione sensus augentur, et intellectus tribuitur: et quod lectio doceat, quid caveatur. Erat vero erga omnes humilis, nimiumque in humilitate fundatus: nulli se praeponens, nulli superiorem se deputans: sciens et illud, quia si quis perfecta contentus fuerit humilitate, habebit ex illa gloriam: et quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriae sequetur. Habebat enim temperamentum in prosperis, patientiam in adversis, mentemque nec gaudio nec moerore a Christi unquam amore revocabat. Irascentem quoque patientiâ deliniebat, et blandimento iracundiam furentis temperabat, ac sic alienam miseriam tamquam suam lugebat. Eratque ei in gressu simplicitas, in gestu gravitas, in motu puritas, in incessu honestas, in jejunio hilaritas. Animus enim ejus in modestissimo corporis habitu apparebat. Erat etiam parcus in sermone, blandus in eloquio. Tristem, immoque dolentem, dulci consolabatur affatu. Hoc proferebat ex labiis, quod mentem aedificaret audientis, fiebatque ejus sermo exspectationi Ecclesiae utilis. Nihil enim ex omnibus quae egisset bonis, meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis unquam praesumebat: sed omne opus suum ad Deum semper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat. Bonum quod didicerat, docebat: verba tamen operibus praecedebat: sciens non esse laude dignum quod docet quis, nisi dictis facta conjunxerit; sed potius si quod docet, et facit, tunc habebitur gloriosus. Unde et Apostolus dicit: *Ne, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. *ad Cor.* IX). Hostem praeterea invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio: orationibus, non telo: precibus, non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat praesidium, ut dignus post mundi lucem posset pervenire ad bravium. Res temporarias tribuebat egenis, ut pro eisdem mercaretur paradisi delicias. Devitabat quidem superbiam, amplectebatur humilitatem: Dei semper auxilium rogans, finem jugiter felicem postulans. Quis enim illo tempore humilitatem ejus cernens, non protinus compungeretur? Aut quis amator pecuniae, ejus humanitatem ac parsimoniam, devotionem quoque et studium adspiciens, non admirando confestim obstupesceret? Nam quicquid bonorum in principio arripuit, usque ad finem vitae nullis negotiis passus est implicari: sed integrum et sanctum propositum servans, in nullo coeptam regulam commutavit. Sub babitu alterius semper alteri militavit: et quicquid habere potuit in mundo, Christo tradidit ex toto.

§ 10. Pollebat itaque magis ac magis in vigiliis, in jejuniis, atque in charitate. Fabricabat in usum Regis utensilia quamplurima ex auro et gemmis. Sedebat fabricans indefessus, et contra illum Tyllo vernaculus ejus ex genere Saxonico: qui magistri vestigia sequens, et ipse postmodum venerabilem vitam duxit. Sedens ergo Eligius ad opus praedictum, codicem sibimet prae oculis praeparabat apertum: ut quoquo genere laborans, divinum perciperet mandatum. Sic igitur duplum gerens officium, manus usibus hominum, mentem usui mancipabat divino. Fragrabat ejus ubique fama intantum, ut si qui ex Romana, vel Italica, aut Gothica, vel qualicumque provincia, legationis foedere, aut alia quacumque ex causa palatium Regis Francorum adire pararent, non prius Regi occurrerent, quam Eligium aggrederentur, vel juvamen alimoniae ab eo poscentes, vel certe consilium salubre quaerentes. Confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenae quoque et monachi: et quicquid militare poterat, aut eis in eleemosynam dabat, aut certe captivorum in pretia distrahebat. Habebat maximum in hujusmodi opere studium. Sane ubicumque venundandum intellexisset mancipium, magna cum misericordia et festinatione occurrens, mox dato pretio liberabat captivum. Interdum etiam usque ad viginti aut triginta, seu et quinquaginta numero simul a captivitate redimebat. Nonnunquam vero agmen integrum, et usque ad centum animas, cum navi egrederentur, utriusque sexus ex diversis gentibus venientes, pariter liberabat, Romanorum scilicet, Gallorum atque Britannorum, necnon et Maurorum: sed praecipue ex genere Saxonum, qui abunde eo tempore veluti greges a sedibus propriis evulsi, in diversa distrahebantur. Quod si contigisset, ut copiosus venditorum numerus mensuram pretii excederet, cuncta praeter corpus proprium, quae habere poterat, usque ad cingulum et amphibalum, necnon et victum necessarium, sed et usque ad calceamenta cuncta se exspoliabat, tantummodo ut captivis subveniret. Id etiam et in peregrinos Christi saepissime faciebat. O quoties debitor esse voluit, ut debitoribus subveniret! Quoties brachile aureum, pungam quoque auro gemmisque comptam sibi subripuit, tantum ut miseris succurreret! Ut autem breviter comprehendam, tantam captivorum multitudinem per succedentia temporum spatia a duro dominorum absolvit jugo, tantas eleemosynas diverso hominum generi utriusque sexus, diversis ecclesiis ac monasteriis distribuit, ut nullus ea orator, quantumvis studiosus, quamvis sit eloquens, ad plenum narrare sufficiat. Redemptos enim captivos protinus coram Rege statuens, jactatis ante eum denariis, chartas eis libertatis tribuebat. Deinde trinam ipsis optionis proponebat electionem, id est, ut si qui velint jam liberi ad propriam remeare patriam, ipse eis inquantum suppetebat, praeberet subsidium. Si qui autem cum ipso velint permanere, libens valde accommodabat assensum.

ita dumtaxat, non jam ut servi, sed potius ut fratres cum eo degerent. Porro si quos suadere poterat, ut venerabilem monachorum vitam arripientes, claustra coenobii expeterent, hos tamquam dominos insigniter honorans, vestimenta etiam et quaeque necessaria tribuens, illico archisteriis cum exultatione destinatos, cum grandi demum sollicitudine eorum gerebat curam. Habebat praeterea secum plures vernaculos, in suo contubernio degentes, sibique necessario jugiter obtemperantes. Ex quibus erat Baudericus, ejusdem libertus comprovincialis, qui in omnibus honeste valde ejus curam gerebat. Erat etiam Tituenus, genere Suevus, fidelis cubicularius laicus, qui postea ad mercedis cumulum pervènit interemptus. Necnon et Buchinus, ex gentili conversus: qui et ipse postea venerabilis extitit, ac Ferrariensi coenobio praefuit. Andreas quoque et Martinus, atque Joannes, qui eo etiam procurante ad clericatum pervenire meruerunt. Sed et alii quamplures, quos enumerare perlongum est: qui diu noctuque in ejus camera cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum.

§ **11**. Multitudo praeterea pauperum, sicut apes ad alvearium, undique quotidie ad eum confluebant, intantum ut si quis ignotus aut peregrinus Eligii inquirens domicilium, cum de eo interrogaret quempiam, id ab eo acciperet responsum: « Vade in illam platèam, et ubi pauperum coetum conspexeris, illic utique et Eligium reperies. » Sicut enim, ut dictum est, apes circumdant favum, ita assidue turbis pauperum constipatus incedebat Eligius, quibus aut per se, aut per famulum alimoniam pariter et eleemosynam tribuens, benignissime quotidie refovebat. Habebat autem et loculos, ubi aurum distribuendum secum portare jugiter consueverat, ne sicubi pauperem fortuitu obvium habuisset, dilatio vel parva porrigendi intercederet. Quid plura? Quicquid habuit, excepto tegumento et victu, totum egenis et monasteriis dispersit sciens Apostoli esse praeceptum: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* VI). Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Nam cum vespertinis horis saepe post biduum, nonnunquam post triduum paratum accederet sumere cibum, destinatis in diversa famulis, omnes quos invenire potuisset egenos et peregrinos, seu mendicos ac languidos, sibimet adduci praecipiebat. Hoc etiam cunctis diebus, exceptis his, quibus et ipse reficiebatur, faciebat. Raro enim, aut certe nunquam contingebat, ut cum eo pauperes minime convivarentur. Quibus adductis, ipse proprie famulorum incipiens officium, eorum necessitatibus hilariter valde serviebat, avellens ab humeris sarcinas, dorsa mantilibus levians, aquam manibus fundens, merumque scypho refundens, ipse potum porrigens, buccellam ipse praebens,

omnes postremo per ordinem faciens in mensa discumbere, ipse panem frangens, cibumque illis inferens. Denique, his peractis, omnium jam fame refecta, sic ipse aut ante eos stans, aut certe ad cornu mensae vili sellula utens, valde exiguum, atque ex comedentium fragmentis relictum sumebat cibum. Plerumque vero egenis ad mensam juxta morem vocatis, cum et ipsi esset congrua cibi sumendi hora, mensa allata atque composita, manibus etiam lotis, nec unus quidem supererat panis, qui invitatis posset apponi, omnibus, ut saepe contingebat, eodem die usque ad victum aut in eleemosynas redactis, aut in pretia captivorum absumptis. Sed cum ex famulis circumstantibus quidam istud saepius irridèrent, nonnulli etiam humiliter inopiae ejus compaterentur, universos simul beatus vir coërcens atque rèfovens, ajebat: « Quid molesti estis, modicae fidei? Nunquid qui Eliam et Joannem in deserto pavit, nos modo in medio coetu hominum suo fraudabit beneficio? Credo, inquit, in Creatorem meum, quoniam etsi nos non meremur, hi tamen pauperes Christi, refocillati hodie ipsius dono, ab hoc recedent domicilio. » Nec mora, aliquando priusquam verba compleret, pulsabant viri vestibulum domus, panes caeteraque necessaria affluenter deferentes: quos aut Rex, ut saepe consueverat, aut dives quidam, aut devota mittebat persona. Omnes enim jam compertum habebant, et quibus Eligius indigèret, et quibus sui juris substantiam dispergeret. Undecumque autem veniret, Eligii tamen fides eum nunquam fefellit: quoniam veraciter dicit Scriptura: *Hilarem datorem diligit Deus* (2. *ad Cor.* IX). Et hoc sane non transitorie, aut ad momentum fecit: sed omni pene vitae suae tempore id agens, tale Galliae reliquit exemplum.

§ 12. Sed cum viderim hominem, cur non et formam ejus depingam? Erat sane statura procerus, facie rubicundus. Formosam habebat caesariem, et quasi crispantes capillos, manus honestas et oblongos digitos, Angelicum vultum, simplicem et prudentem adspectum. Utebatur quidem in primordio auro et gemmis in habitu; habebat quoque zonas ex auro et gemmis comptas, necnon et crumenas eleganter gemmatas; lineas vero metallo rutilas, oras sarcarum auro opertas; cuncta quidem vestimenta pretiosissima; nonnulla etiam holoserica. Sed his omnibus ob ostentationem fugiendam primo tempore utebatur palam: intrinsecus vero ad carnem cilicium gestabat ex consuetudine. Postea vero cum adauctius profecit, cuncta ornamenta in egentium necessitatibus consumpsit. Videres plerumque ire funiculo cinctum, vilibus vestibus tectum, quem videbas dudum radiantis auri et gemmarum mole opertum. Nonnunquam vero cum videret eum Rex ob devotionem amoremque Christi exspoliatum, subripiens sibi ipsi, dabat ei proprium indumentum et cingulum. Dicebat enim, non esse dignum, eos, qui seculo militarent, incedere

# DECEMBER

## VITA S. ELIGII NOVIOMENSIS EPISC.

A BEATO AUDOENO * ROTHOMAGENSI PRAESULE, EJUS AEQUALI, CONSCRIPTA **

**Ad coelestem patriam migravit anno 659 — Nat. Gallus.**

### LIBER PRIMUS

§ 1. Igitur Eligius Lemovice *** Galliarum urbe, quae ab Oceano Britannico fere ducentorum millium spatio sejungitur, in villa Catalacensi ****, quae a praedicta urbe sex circiter millibus ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. In hac ergo regione parentibus ingenuis, atque ex longa prosapia Christianis, Eligius natus atque alitus est. Cujus pater Eucherius, mater vero Terrigia vocitata est. Ipse autem gratia divina praesciente, congruum sibi ac veluti speculum mentis suae, Eligius ***** nomen accepit. Ergo cum propositum sit de his, quae gessit, immo quae Dominus per eum operari dignatus est, sicut gesta constat, narrare: tamen id, quod, priusquam nasceretur, ad indicium sanctitatis ejus ostensum est, quodque magnorum virorum testimonio didici, omittere non debeo.

§ 2. Cum adhuc vir beatus matris esset alvo inditus, vidit genitrix ejus visionem, quae hujusmodi habet ordinem. Videbat quasi aquilam valde pulcram super suum volitantem stratum, ac se tertio inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cumque ex reciproca voce evigilasset, perterrita nimis, coepit mirari, quaenam esset haec visio. Interea venit tempus pariendi, et prae magnitudine doloris coepit mater periclitari. Vocaverunt autem quemdam religiosum presbyterum boni testimonii virum, ut pro eadem orare deberet. Qui cum venisset ad eam, quasi propheticum mox usurpans verbum, ait ad illam : « Noli, inquiens, mater, timere : quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri. Erit

* S. Audoënus (gallice *Ouen*), die 24 augusti colitur. Ejusdem Vita in Vol. VIII, p. 584 etc. habetur

** Haec Historia, quam S. Audoënus edidit, valde est prolixa. Praeter Prologum, quem Suriu jam omiserat, quaedam alia passim nos quoque ex ea resecabimus.

*** Gallice *Limoges*, urbs perantiqua, Summorum Pontificum Clementis VI (1342-52) et Gregorii XI (1370-78) patria.

**** Vulgo *Cadillac*.

***** Vulgo *Eloi*.

etenim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Christi sacerdos. »

§ 3. Igitur Eligius nutritus est in fide recta, atque imbutus a parentibus Christianis religione catholica. Exinde igitur pueritiae annos excedens, aevum adolescentiae cum industria gerebat, et quicquid operis aetati suae congruum arripuisset, mira agilitate perficiebat. Cum ergo videret pater ejus tantum filii ingenium tradidit eum ad imbuendum honorabili viro, Abboni vocabulo, fabro aurifici probatissimo: qui eo tempore in urbe Lemovicina publicam fiscalis monetae officinam gerebat. A quo in brevi hujus officii usu plenissime doctus, coepit inter vicinos et propinquos in Domino laudabiliter honorari. Gerebat enim simplicitatem columbae, ne cuiquam machineretur dolos. Habebat et serpentis astutiam, ne aliorum supplantaretur insidiis. Dignumque in cunctis habens ingenium, et facile loquebatur, et pure. Ecclesiarum etiam conventiculis frequenter intererat, et quaecumque ibi ex divinis Scripturis recitabantur, aurem libenter accommodans, avidissime hauriebat, atque ita in corde suo memoria recondebat, ut etiam cum absens esset, ea quae didicerat, meditatione intentissima ruminaret.

§ 4. Interea post aliquot annos extitit quaedam causa, divina (credo) gubernante providentia, ut, relicta patria et parentibus, Francorum adiret solum; ubi paucis degens diebus, factus est notus cuidam Regis thesaurario, Bobboni vocabulo, viro honesto et mansueto. Cujus se patrocinio committens, sub ejus ditione degebat. Strenue enim ad omne opus se aptabat, et omnes, cum quibus colloqui potuisset, suo amore annectebat.

§ 5. Post aliquod autem temporis intervallum, pervenit ad notitiam Clotarii * Francorum Regis, hujusmodi ex causa. Volebat enim idem Rex sellam urbane auro gemmisque fabricare: sed non inveniebatur in ejus palatio, qui hujusmodi opus, sicut mente conceperat, posset opere perficere. Cum sciret ergo praefatus Regis thesaurarius Eligii industriam, coepit explorare eum, si quo minus opus optatum posset perficere. Et cum facile id apud eum fieri intellexisset, ingressus ad principem, indicavit ei invenisse se artificem industrium, qui dispositum sine cunctamine aggrederetur ejus opus. Tunc Rex mente gratissima tradidit ei copiosam auri impensam: sed et ipse nihilominus tradidit Eligio. At ille acceptum opus cum celeritate inchoavit, atque cum diligentia celeriter consummavit. Denique quod ad unius opificii acceperat usum, ita ex eo duo composuit, ut incredibile foret, omnia ex eodem pondere fieri potuisse. Nam absque ulla fraude, vel unius etiam siliquae imminutione, commissum sibi paravit opus: non caeterorum fraudulentiam sectans, non mordacis limae fragmina culpans, non foci edacem flammam incusans: sed omnia fideliter complens, geminam meruit felix remunerationem. Opus ergo perfectum defert

* Hujus nominis II, qui ab anno 584 usque ad annum 628 regnum tenuit.

protinus ad palatium, tradiditque Regi quam donaverat sellam, altera penes se, quam fecerat, gratuito reservata. Coepit tunc eum princeps mirari, simul et efferre tantam operis elegantiam: jussitque illico fabro tribuere mercedem laboris dignam. Tunc Eligius altera ex occulto in medio prolata: « Quod superfuit, inquit, ex auro, ne negligens perderem, huic operi aptavi. » Confestim stupefactus Clotarius, et majori admiratione detentus, sciscitabatur opificem, si cuncta ex eodem penso facere potuisset. Et cum consequenter juxta id, quod fuerat sciscitatus, responsum accepisset, ingenium ejus sublimi favore attollens: « Ex hoc jam, inquit, etiam in maximis credi poteris. » Porro hoc fuit initium, nec non et testimonium in palatio Regis honorandi, immoque credendi * Eligium. Ex hoc nempe adauctius consurgens, factus est aurifex peritissimus, atque in omni fabricandi arte doctissimus. Invenitque gratiam in oculis Regis, et coram omnibus optimatibus ejus. Domino ergo juvante, roboratur in fide, ac a Rege provocatus, crescebat quotidie in melius.

§ 6. Me igitur praesente, nescio quam ob causam, nisi quod facile datur intelligi, fidelitatis obtentu, dum apud Regem puerulus habitarem, quodam die Rotoilo in agro accito Rex Eligio, coram reliquiis sanctorum praecipiebat ei, ut impositione manuum sacris pignoribus daret sacramentum. Sed ille divinum intuitum verens, excusare humiliter omni nisu tentabat. Cumque instantius id facere compelleretur, anxius valde, coepit mox ubertim lacrymas profundere, metuens scilicet Regem offendere, septuplumque pavens sanctis pignoribus manus imponere. Intuens itaque Rex ejus timorem, simulque mirans tantam viri devotionem, desiit ultra eum cogere: sed magis blande leniterque demulcens, laetissimo illum vultu dimisit, pollicens se plus eum ex hoc jam crediturum, quam si multimoda tunc dedisset juramenta.

§ 7. Non post longum spatium, cum jam Eligius virilem ageret aetatem, cupiens se vas exhibere Deo sanctificatum, ac metuens ne aliqua suum delicta pectus fuscarent, omnia ab adolescentia sua coram sacerdote confessus est acta: sicque sibi austeram imponens poenitentiam, coepit fortiter colluctationi carnis, spiritus fervore resistere, *in laboribus* scilicet, secundum Apostolum, *in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in patientia multa, atque in charitate non ficta* (*2. ad Cor.* VI). Proponebat namque sibi adversus praesentes carnis ardores, futuri supplicii ignes: ac memoriâ ardoris gehennae, ardorem excludebat luxuriae. Orabat jugiter pro donis coelestibus, precabatur Deum diebus ac noctibus, illud ex libro Job crebro revolvens: *Ego*, inquit, *deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum: qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Qui ponit humiles in sublimi,*

* Fidem, videlicet, S. Eligii valde spectatam fore.

*et moerentes erigit sospitate* (*Job* v). Adimebat sibi saturitatem panis, ut coelestem posset promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpus aridum marcebat, sed mens acrius semper aeternae patriae amore aestuabat: et unde graviora recordabatur, inde patientius leviora portabat. Semper enim praesentis vitae terminum intuens, futuram Dei sententiam ac metuenda judicia formidabat, sciens scriptum: *Beatus homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* xxviii). Et illud Apostoli: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini* (*Philip.* ii). Ad Domini vero pedes noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis irrigans, moderatoque suspirio oculis ad coelum levatis, illum semper respiciebat, quem fortasse delinquendo offendisse timebat, ac lamentabili voce haec crebrius verba geminabat: *Tibi soli peccavi, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam* (*Ps.* 50); et illud beati Job: *Memento*, inquiens, *quia ventus est vita mea*. Et, *Parce mihi: nihil enim sunt dies mei* (*Job* vii). Et ex se quodammodo egrediens, illud ante suam pingebat mentem: quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Ideo ista jugiter meditando, quanto plus proficiebat, tanto plus humiliabatur: ut quanto plus humiliatus esset, tanto amplius proficeret. Cujus quanta fuit moestitia, tanta fuit et venia; et quantum se humiliter afflixit, tantum clementer a Domino meruit sublimari. O profunda benignitas Dei! Fit velocior venia, quam culpa. O felix poenitentia, quae tam velociter ad se Christi traxit misericordiam, quaeque non prius assiduo fletu delictorum flammas extinguendo, frequentique jejunio peccatorum virus excludendo destitit, quam misericordiam, quam poscebat a Domino, impetraret! De talibus quippe per Malachiam prophetam Dominus dicit: *Dedi ei timorem meum, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat* (*Malac.* ii).

§ 8. Denique quodam tempore interpellans Dominum, fide pleno pectore exigebat, ut si, accepta Deo poenitentia ejus esset, quoquo modo dignaretur ei dare notitiam. Habebat itaque in cubiculo, ubi assidue cubitare solitus erat, multorum pignora Sanctorum in supremis dependentia, sub quorum sacro velamine, reclinato in cilicio capite, orare consueverat nocte. Quo nimirum in loco cum ex more quadam nocte in oratione prostratus, super cilicium incumberet, somno ingruente oppressus, veluti transeundo in momento obdormivit, visumque est ei adstitisse repente quemdam, atque dixisse: « Ecce, Eligi, exauditae sunt preces tuae, indiciaque olim quaesita nunc tibi concessa. » Mox ille excitatus, odorem hausit gratissimum. Sensit etiam ex gerulo reliquiarum guttas suavissimas super suum lenissime defluere caput. Ex quo nimis attonitus, surrexit velociter, et sollicite conspiciens, vidit quasi balsamum distillare de chrismario, et pallio, quo erat opertus. Tanta quippe fragrantia odoris suavissimi totum illud

impleverat cubiculum, ut etiam ipse vix ibi subsistere quivisset. Tunc memor suae petitionis, nimiumque largitatem bonitatis Dei miratus, altius ingemiscens, fidelem retributorem ex intimo corde benedicebat Christum, qui nunquam derelinquit sperantes in se. Hoc ergo fuit initium virtutum ejus, immo omnipotentis Dei, per quem omnes omnia possunt. Quod cum vir sanctus sodali suo Audoëno, cognomento Dadoni, quem sicut animam suam diligebat, secretius enarrasset, vicissim ab eo exegit, ne, usquequo ipse in corpore maneret, eadem cuiquam indicaret. At ille haec audiens, coepit continuo animo compungi, coepitque secreta arcanorum ejus vis quaedam interni amoris accendere. Jamque ex hoc, spretis seculi blandimentis, cupiebat ex studio Eligium aemulari ad bonum. Et accito etiam germano suo Adone in consilio communi (erant enim viri inclyti, optimates aulae, filii scilicet Antharii); hi ergo, communi habito consilio, coeperunt imitari, quae ab Eligio gerebantur: eratque eis familiare consortium, et cor unum in Domino, atque anima una.

§ 9. Invenit ergo Eligius gratiam coram Deo, et coram Regibus Francorum, et ferebatur ei ab omnibus testimonium, intantum ut copiosam molem argenti et auri et gemmarum absque ulla pensa a Rege acciperet: crescebatque ei honor cum magno favore de die in diem, et omni ex parte probatus, vernabat in aula devotus. Mortuo interea Clotario Rege Francorum, Dagobertus filius ejus monarchiam regni solus obtinuit. A quo Eligius tanta familiaritate habitus est, ut plurimorum ejus felicitas ingens gigneret odium. Siquidem oderant eum pravi, quippe quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem; et cum esset strenuus, jugis ei erat contra eorum vesaniam pugna, perpetuumque certamen. Sed plane omnes boni illum admirabantur et diligebant, quia noverant catholicam hominis scientiam, ac patriae coelesti mentem jugiter intentam, semperque actibus bonis praeparatam. Sectabatur igitur jugiter charitatem, mansuetudinem et longanimitatem. Diligebat Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute. Erat quoque tranquillus moribus, et serenus adspectu. Gerebat vultum planum, moderatam speciem, ornatum adspectum, quietum sensum, animum laetum, humilem sapientiam. Semper opera bona factis amplius, quam verbis ostendebat: corpus fame castigans, jejunium potius quam epulas amans, dolentem consolans, spem suam Deo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi praeponens: quod credebat, docens: quod docebat, imitans. Semper enim ante oculos ejus dies ultimus versabatur, semperque mens ejus praecepta coelestia meditabatur. Orabat autem frequenter, quia didicerat, quod oportet sine cessatione Dominum rogare. Satagebat magnopere, ne secundus cuiquam in operibus bonis inveniretur. Erat etiam erga famulos Dei valde humanus atque benignus. Charitatem vero super omnia et

ipse diligebat, et omnibus servare mandabat. Existebat utique in cunctis casibus firmus, omniaque adversa patienter ferebat. Pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus, suos esse laqueos judicabat. Finem quoque vitae suae sollicitus considerabat, metuens ne se tamquam fur hora illa inermem comprehenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, sciens quod lectione sensus augentur, et intellectus tribuitur: et quod lectio doceat, quid caveatur. Erat vero erga omnes humilis, nimiumque in humilitate fundatus: nulli se praeponens, nulli superiorem se deputans: sciens et illud, quia si quis perfecta contentus fuerit humilitate, habebit ex illa gloriam: et quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriae sequetur. Habebat enim temperamentum in prosperis, patientiam in adversis, mentemque nec gaudio nec moerore a Christi unquam amore revocabat. Irascentem quoque patientiâ deliniebat, et blandimento iracundiam furentis temperabat, ac sic alienam miseriam tamquam suam lugebat. Eratque ei in gressu simplicitas, in gestu gravitas, in motu puritas, in incessu honestas, in jejunio hilaritas. Animus enim ejus in modestissimo corporis habitu apparebat. Erat etiam parcus in sermone, blandus in eloquio. Tristem, immoque dolentem, dulci consolabatur affatu. Hoc proferebat ex labiis, quod mentem aedificaret audientis, fiebatque ejus sermo exspectationi Ecclesiae utilis. Nihil enim ex omnibus quae egisset bonis, meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis unquam praesumebat: sed omne opus suum ad Deum semper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat. Bonum quod didicerat, docebat: verba tamen operibus praecedebat: sciens non esse laude dignum quod docet quis, nisi dictis facta conjunxerit; sed potius si quod docet, et facit, tunc habebitur gloriosus. Unde et Apostolus dicit: *Ne, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. *ad Cor.* IX). Hostem praeterea invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio: orationibus, non telo: precibus, non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat praesidium, ut dignus post mundi lucem posset pervenire ad bravium. Res temporarias tribuebat egenis, ut pro eisdem mercaretur paradisi delicias. Devitabat quidem superbiam, amplectebatur humilitatem: Dei semper auxilium rogans, finem jugiter felicem postulans. Quis enim illo tempore humilitatem ejus cernens, non protinus compungeretur? Aut quis amator pecuniae, ejus humanitatem ac parsimoniam, devotionem quoque et studium adspiciens, non admirando confestim obstupesceret? Nam quicquid bonorum in principio arripuit, usque ad finem vitae nullis negotiis passus est implicari: sed integrum et sanctum propositum servans, in nullo coeptam regulam commutavit. Sub habitu alterius semper alteri militavit: et quicquid habere potuit in mundo, Christo tradidit ex toto.

§ 10. Pollebat itaque magis ac magis in vigiliis, in jejuniis, atque in charitate. Fabricabat in usum Regis utensilia quamplurima ex auro et gemmis. Sedebat fabricans indefessus, et contra illum Tyllo vernaculus ejus ex genere Saxonico: qui magistri vestigia sequens, et ipse postmodum venerabilem vitam duxit. Sedens ergo Eligius ad opus praedictum, codicem sibimet prae oculis praeparabat apertum: ut quoquo genere laborans, divinum perciperet mandatum. Sic igitur duplum gerens officium, manus usibus hominum, mentem usui mancipabat divino. Fragrabat ejus ubique fama intantum, ut si qui ex Romana, vel Italica, aut Gotthica, vel qualicumque provincia, legationis foedere, aut alia quacumque ex causa palatium Regis Francorum adire pararent, non prius Regi occurrerent, quam Eligium aggrederentur, vel juvamen alimoniae ab eo poscentes, vel certe consilium salubre quaerentes. Confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenae quoque et monachi: et quicquid militare poterat, aut eis in eleemosynam dabat, aut certe captivorum in pretia distrahebat. Habebat maximum in hujusmodi opere studium. Sane ubicumque venundandum intellexisset mancipium, magna cum misericordia et festinatione occurrens, mox dato pretio liberabat captivum. Interdum etiam usque ad viginti aut triginta, seu et quinquaginta numero simul a captivitate redimebat. Nonnunquam vero agmen integrum, et usque ad centum animas, cum navi egrederentur, utriusque sexus ex diversis gentibus venientes, pariter liberabat, Romanorum scilicet, Gallorum atque Britannorum, necnon et Maurorum: sed praecipue ex genere Saxonum, qui abunde eo tempore veluti greges a sedibus propriis evulsi, in diversa distrahebantur. Quod si contigisset, ut copiosus venditorum numerus mensuram pretii excederet, cuncta praeter corpus proprium, quae habere poterat, usque ad cingulum et amphibalum, necnon et victum necessarium, sed et usque ad calceamenta cuncta se exspoliabat, tantummodo ut captivis subveniret. Id etiam et in peregrinos Christi saepissime faciebat. O quoties debitor esse voluit, ut debitoribus subveniret! Quoties brachile aureum, pungam quoque auro gemmisque comptam sibi subripuit, tantum ut miseris succurreret! Ut autem breviter comprehendam, tantam captivorum multitudinem per succedentia temporum spatia a duro dominorum absolvit jugo, tantas eleemosynas diverso hominum generi utriusque sexus, diversis ecclesiis ac monasteriis distribuit, ut nullus ea orator, quantumvis studiosus, quamvis sit eloquens, ad plenum narrare sufficiat. Redemptos enim captivos protinus coram Rege statuens, jactatis ante eum denariis, chartas eis libertatis tribuebat. Deinde trinam ipsis optionis proponebat electionem, id est, ut si qui velint jam liberi ad propriam remeare patriam, ipse eis inquantum suppetebat, praeberet subsidium. Si qui autem cum ipso velint permanere, libens valde accommodabat assensum,

ita dumtaxat, non jam ut servi, sed potius ut fratres cum eo degerent. Porro si quos suadere poterat, ut venerabilem monachorum vitam arripientes, claustra coenobii expeterent, hos tamquam dominos insigniter honorans, vestimenta etiam et quaeque necessaria tribuens, illico archisteriis cum exultatione destinatos, cum grandi demum sollicitudine eorum gerebat curam. Habebat praeterea secum plures vernaculos, in suo contubernio degentes, sibique necessario jugiter obtemperantes. Ex quibus erat Baudericus, ejusdem libertus comprovincialis, qui in omnibus honeste valde ejus curam gerebat. Erat etiam Tituenus, genere Suevus, fidelis cubicularius laicus, qui postea ad mercedis cumulum pervènit interemptus. Necnon et Buchinus, ex gentili conversus: qui et ipse postea venerabilis extitit, ac Ferrariensi coenobio praefuit. Andreas quoque et Martinus, atque Joannes, qui eo etiam procurante ad clericatum pervenire meruerunt. Sed et alii quamplures, quos enumerare perlongum est: qui diu noctuque in ejus camera cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum.

§ **11**. Multitudo praeterea pauperum, sicut apes ad alvearium, undique quotidie ad eum confluebant, intantum ut si quis ignotus aut peregrinus Eligii inquirens domicilium, cum de eo interrogaret quempiam, id ab eo acciperet responsum: « Vade in illam platèam, et ubi pauperum coetum conspexeris, illic utique et Eligium reperies. » Sicut enim, ut dictum est, apes circumdant favum, ita assidue turbis pauperum constipatus incedebat Eligius, quibus aut per se, aut per famulum alimoniam pariter et eleemosynam tribuens, benignissime quotidie refovebat. Habebat autem et loculos, ubi aurum distribuendum secum portare jugiter consueverat, ne sicubi pauperem fortuitu obvium habuisset, dilatio vel parva porrigendi intercederet. Quid plura? Quicquid habuit, excepto tegumento et victu, totum egenis et monasteriis dispersit sciens Apostoli esse praeceptum: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* VI). Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Nam cum vespertinis horis saepe post biduum, nonnunquam post triduum paratum accederet sumere cibum, destinatis in diversa famulis, omnes quos invenire potuisset egenos et peregrinos, seu mendicos ac languidos, sibimet adduci praecipiebat. Hoc etiam cunctis diebus, exceptis his, quibus et ipse reficiebatur, faciebat. Raro enim, aut certe nunquam contingebat, ut cum eo pauperes minime convivarentur. Quibus adductis, ipse proprie famulorum incipiens officium, eorum necessitatibus hilariter valde serviebat, avellens ab humeris sarcinas, dorsa mantilibus levians, aquam manibus fundens, merumque scypho refundens, ipse potum porrigens, buccellam ipse praebens,

omnes postremo per ordinem faciens in mensa discumbere, ipse panem frangens, cibumque illis inferens. Denique, his peractis, omnium jam fame refecta, sic ipse aut ante eos stans, aut certe ad cornu mensae vili sellula utens, valde exiguum, atque ex comedentium fragmentis relictum sumebat cibum. Plerumque vero egenis ad mensam juxta morem vocatis, cum et ipsi esset congrua cibi sumendi hora, mensa allata atque composita, manibus etiam lotis, nec unus quidem supererat panis, qui invitatis posset apponi, omnibus, ut saepe contingebat, eodem die usque ad victum aut in eleemosynas redactis, aut in pretia captivorum absumptis. Sed cum ex famulis circumstantibus quidam istud saepius irridèrent, nonnulli etiam humiliter inopiae ejus compaterentur, universos simul beatus vir coërcens atque rèfovens, ajebat: « Quid molesti estis, modicae fidei? Nunquid qui Eliam et Joannem in deserto pavit, nos modo in medio coetu hominum suo fraudabit beneficio? Credo, inquit, in Creatorem meum, quoniam etsi nos non meremur, hi tamen pauperes Christi, refocillati hodie ipsius dono, ab hoc recedent domicilio. » Nec mora, aliquando priusquam verba compleret, pulsabant viri vestibulum domus, panes caeteraque necessaria affluenter deferentes: quos aut Rex, ut saepe consueverat, aut dives quidam, aut devota mittebat persona. Omnes enim jam compertum habebant, et quibus Eligius indigèret, et quibus sui juris substantiam dispergeret. Undecumque autem veniret, Eligii tamen fides eum nunquam fefellit: quoniam veraciter dicit Scriptura: *Hilarem datorem diligit Deus* (2. *ad Cor.* IX). Et hoc sane non transitorie, aut ad momentum fecit: sed omni pene vitae suae tempore id agens, tale Galliae reliquit exemplum.

§ **12**. Sed cum viderim hominem, cur non et formam ejus depingam? Erat sane statura procerus, facie rubicundus. Formosam habebat caesariem, et quasi crispantes capillos, manus honestas et oblongos digitos, Angelicum vultum, simplicem et prudentem adspectum. Utebatur quidem in primordio auro et gemmis in habitu; habebat quoque zonas ex auro et gemmis comptas, necnon et crumenas eleganter gemmatas; lineas vero metallo rutilas, oras sarcarum auro opertas; cuncta quidem vestimenta pretiosissima; nonnulla etiam holoserica. Sed his omnibus ob ostentationem fugiendam primo tempore utebatur palam: intrinsecus vero ad carnem cilicium gestabat ex consuetudine. Postea vero cum adauctius profecit, cuncta ornamenta in egentium necessitatibus consumpsit. Videres plerumque ire funiculo cinctum, vilibus vestibus tectum, quem videbas dudum radiantis auri et gemmarum mole opertum. Nonnunquam vero cum videret eum Rex ob devotionem amoremque Christi exspoliatum, subripiens sibi ipsi, dabat ei proprium indumentum et cingulum. Dicebat enim, non esse dignum, eos, qui seculo militarent, incedere

ornatos; eos vero, qui ob Christum cuncta sibi auferrent, esse inglorios. Denique apud Regem habitans, habebat mansionem assidue conjunctam cum Dadone. Sicut enim animam suam, ita diligebat eum. De cujus quidem exemplis multa sumpsimus, quae nec a longe utique narrare sufficimus. Habebat autem in cubiculo suo multa Sanctorum dependentia pignora, necnon et sacros libros in gyro per axem plurimos: quos post psalmodiam et orationem revolvens, et quasi apis prudentissima diversos ex diversis flores legens, in alvearium sui pectoris optima quaeque recondebat. Erat ei consuetudo noctibus cilicium ante lectum sternere, seque aut a primo crepusculo, aut post paululum quietis e lectulo excutere, et super eo submisso capite orare prostratum. Sicque plerumque noctem totam, excubiis insistendo, cum lacrymis ducere. Grandis enim ei collata erat gratia lacrymarum. Diversis autem modis, quantum humana posset natura permittere, semper in id incumbebat, ut omne noctis tempus in Dei servitio consumeret. Cum enim prolixe oraret, pro quodam levamine intermittens orationem, psalmos concinebat ex ordine. Quibus diu cantatis, ad lectionem accedebat: cumque sacra verba percurreret, videres repente suppliciter oculos ad coelum levare, suspiria suspiriis jungere, fletum lectioni miscere, singultibus pectus quatere, atque ora lacrymis uberrime perfundere. Et cum plerumque inter ipsa verba divina somno vehementer ingruente gravaretur, ex ipsis quodammodo lectionis verbis etiam per somnum meditabatur. Cumque subito èxcitus lectionem expleret, rursus se secundum morem conferebat ad orationem. In quo opere tanto studebat silentio, nusquam caput reflectens, nihilque aliud intendens, ut vix aliquis spirantem eum audire posset. Non raro quidem diversas ob causas et noctu, et maturius in Regis conclave vocatus, nullatenus eo ire volebat, etiamsi nuncii alii super alios mitterentur, priusquam propositum et institutum suum in Christi servitio complesset. Egrediens domum, oratione et Crucis muniebatur signo. Regredienti vero domum oratio occurrebat prius, quam sessio. Eum in modum ille se gessit omnibus diebus vitae suae et his exercitiis ad aeternam patriam jugiter anhelabat. Denique erat modis omnibus affabilis et subtilis, corde pius, atque etiam animo ad belligerandum fortis.

§ **13**. Denique aliquando rogatus a Rege legatione fungi in partibus Britanniae *, nihil ille cunctatus, perrexit non minus festinus, quam Christi charitate securus. Quo cum pervenisset, Britannorum principem adiit, causas pacti indicavit, pacis obsidem recepit: et cum nonnulli lites vel bella sibi mutuo eos indicere aestimarent, tanta illum principem comitate, mansuetudine et dexteritate attraxit, ut etiam facile illi persuaderet secum ut

* Britanniae videlicet Minoris, cujus princeps, nomine Judicaël, Dagoberti potestati se subtrahere tentaverat.

proficisceretur. Itaque commoratus ibidem aliquamdiu, rediens domum illum Regem secum adduxit cum multo exercitu gentis ejus, eumque in Priulo * villa Regi Francorum praesentans, pacis foedere illos conjunxit. Et ille quidem Britanniae Rex copiosa munera attulit, sed uberius muneratus, ad propria rediit **. Quis vero ad plenum sufficiat enarrare, quantas in eo itinere Eligius eleemosynas fecerit? Nam praeter aurum, caeterasque opes, quas distribuit, etiam cingulum suum aureum, elegantissime aptatum, pauperibus et necessitatem patientibus dispersit, ut apte ei Psalmistae vox posset congruere: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi* (*Ps.* 111). Semper enim ubicumque esset, sententiam illam Apostoli meditabatur: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli* (1. *Tim.* VI). Et haec jugiter considerans, faciebat amicos de Mammona iniquitatis, qui ipsum reciperent in aeterna tabernacula. Atque ita satagebat, ut cum haec omnia faceret, ostentationem penitus fugeret, ne in hoc seculo laudes humanas suo pro opere reciperet. Nam nunquam ille propter excellentiam suam inflatus est superbia: nunquam servos suos adducta fronte contempsit: sed cunctis ipse amabilis, principes diligebat ut fratres, venerabatur ut dominos. Eorum etiam ministros, ac universum palatii ordinem, quo regalis frequentatur ambitio, concordissimo sibi charitatis Christi conglutinaverat vinculo.

§ **14**. Porro Rex Dagobertus, torrens pulcher et inclytus, ita ut nullus ei similis fuerit in cunctis retro Francorum Regibus, intantum diligebat eum, ut frequenter catervis principum, optimatum, ducum atque Episcoporum se subtrahens, Eligii secreta expeteret colloquia. Quicquid autem Eligius ab eo petiisset, id absque ulla dilatione impetrabat: idque totum, quod ab illo adipisci poterat, in eleemosynas egentium, in pretia captivorum, in remedia debilium expendebat. Unde et ipse princeps libentissime praestabat, quod sciebat non uni. sed pluribus, prodesse.

§ **15**. Denique inter caetera petiit ab eo villam quamdam in rure Lemovicino, quam Solemniacum *** vocabant: « Hanc mihi, inquiens, domine mi Rex, serenitas tua concedat, quo possim ibi, et tibi et mihi scalam construere, per quam mereamur ad coelestia regna uterque conscendere. » Quam ejus petitionem libenter Rex, sicut solebat, admisit; et quod ille poposcerat, sine mora, dato praecepto, concessit. Erat autem tempus, quo census publicus ex eodem pago in Regis thesaurum inferendus exigebatur; cumque omnis ille census, in unum collectus, Regi pararetur afferendus, velletque tum domesticus, tum monetarius aurum ipsum prius fornacis coctione purgare, ut pro more

* Villa haec *Clichy* videtur esse. ** Anno 636.
*** Vulgo *Solognac*.

purissimum atque rutilum aulae Regis praesentaretur metallum (nesciebant enim Eligio praedium esse concessum), totis viribus triduo vel quatriduo labori insistentes, nulla poterant, Deo id praepediente, arte efficere, donec ab Eligio praeveniens nuntius, opus coeptum interciperet, ejusque id dominio revocaret. Mox ergo ut hoc nunciatum est, cunctis loci illius accolis exultantibus, et opus perfectum est, et ejus ditioni commissum. Quo in loco primum ac potissimum virorum Dei construxit monasterium *: ubi etiam Abbate constituto, multos ex suis vernaculis mancipavit. Plures quoque ex diversis provinciis usque ad centum et quinquaginta monachos congregavit, redditusque terrae, qui affluenter possent sufficere, delegavit. Ipse vero tanta se devotione, tantoque amore eidem loco impendit, ut quicquid habere potuisset, quicquid a Rege adipisci, quicquid digne comparare, illi destinaret, additis etiam illis, quicquid magnates sua sponte ei largiti essent. Videres plaustris vehi onera, copiosa vascula, tum aenea, tum lignea, usibus illorum necessaria. Tum quoque vestimenta, ad lectum attinentia, et linteamina atque mappas: sed et sacrarum volumina scripturarum plurima. Denique omnia, monasterii usibus necessaria, intantum, ut improbi quidam ea causa, ingenti invidia inflammarentur. Cogitabat autem ille seipsum demum illi mancipare monasterio, nisi eum divina dispensatio alteri loco destinasset.

§ **16**. Quem ad locum etiam ipse accessi, et tantam illic sacrae regulae observantiam vidi, ut pene sit vita singularis eisdem monachis prae caeteris Galliae monasteriis. Est autem congregatio etiam nunc magna, diversis gratiarum floribus ornata. Habentur ibi et artifices plurimi, diversarum artium periti: qui in Christi timore perfecti, semper ad obedientiam sunt parati. Nullus ibi quicquam proprium sibi vindicat: sed, ut in Actibus legitur Apostolorum, sunt omnino omnibus omnia communia. Est vero locus ipse tam fertilis, tamque amoenus, ut cum quis eo divertit, inter pomorum nemora, et hortorum amoenitate virentia, in haec ei verba libeat protinus prorumpere: *Quam pulcra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israël: ut valles nemorosae, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quae fixit Dominus, quasi cedri prope aquas* (*Num.* XXIV). De talibus per Salomonem dicitur: *Habitacula justorum benedicentur* (*Prover.* III). Est autem idem coenobium haud procul a Lemovica urbe situm, sex circiter millibus ad plagam distans meridianam. Ambitur vero in rotundum muro non quidem lapideo, sed fossa sepe munita, decem fere stadiorum habente spatium in circuitu. Ex uno quidem làtere munitur optimo flumine, cui mons excelsus silva opertus, ac praerupta valde rupes imminet. Omne autem spatium monasterii, diversi generis arbores pomiferae occupant: sicque illic segnis

* Anno 631.

animus recreatur, acsi partem amoenitatis paradisi se occupasse gratuletur.

§ 17. Isto igitur coenobio in omni opere perfecto, omnique ex parte cum solertia stabilito, cogitabat in Parisiensi urbe fabricare xenodochium. Sed excellentiori consilio, Deo inspirante, concepto, coepit ex domo sua, quam in eadem urbe ex munere Regis acceperat, virginum Christi aedificare domicilium. In quo opere diu multumque instantissime desudans, dignum tandem sanctarum virginum construxit asceterium. Ubi districtam constituens disciplinam, usque ad trecentarum numerum puellarum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quam ex nobilibus Franciae matronis congregavit. Quibus et Abbatissam, dignam Deo puellam, nomine Auream, filiam scilicet Maurini et Quiriae, constituit. Terrae etiam redditus copiosos delegavit, atque ex integro omne suum studium eo convertit. Videres et ibi trahere undique velut utilissimam apem, cuncta monasterio necessaria, vasa simul et vestimenta, necnon et sacra volumina, aliaque quamplurima ornamenta. Nam quicquid huic sexui congruere et necessarium fore videretur, ut piissimus pater solerti satis in omnibus diligentia et cura sollicita providit. Cumque opera omnis, cunctaeque domus necessariae in eo loco completae essent atque perfectae, unum adhuc restabat, vile quidem, sed necessarium, aedificandum domicilium. Et cum non haberet terrae copiam, omnia etiam aedificiis occupata essent, adjacebat illic ad opus necessarium area quaedam fiscalis exigua. Praecepit ergo metiri terram, ut sciret quanta esset; confestimque abiit ad principem, suggessit de area, et sine mora obtinuit quod petebat. Cumque reversus ad aream, linea jactata amplitudinem habitaculi expendisset, invenit quasi pedem unum amplius spatium, quam ipsi Regi indicasset. Contristatus igitur, ut qui nemini vellet imponere, se Regi esse mentitum, relicto protinus opere, ad aulam moestus rediit, moxque ut ad principem venit, humi se stravit, mendacium indicavit, aut veniam, aut mortem poposcit. Sed cum Rex minutissimae rei causam cognovisset, magis in stuporem versus, ejus injuriae condoluit, atque ad circumstantium sese convertens frequentiam: « Ecce, inquit, quam praeclara et quam venerabilis Christi fides! Duces mihi et domestici spatiosas subripiunt villas, et Christi famulus propter fidem, quam habet in Domino, nec palmum quidem passus est nobis celari de humo. » Sic ergo, clementer Eligio consolato, duplicavit donum, quod dudum pusillum tribuerat. Ex quo facto liquido potest intelligi, quantum vir sanctus mendacii culpam pertimuit, qui vilissimae rei erratum in sua noluit haerere conscientia. Talis eum fides ad coelum evexit; haec illum fidelitas et Deo carum, et apud homines praeclarum fecit *.

* Coenobium hoc, anno 1107, Monachis Ordinis S. Benedicti traditum est. Cum autem sequen-

§ 18. Igitur cuncto opere monasterii peracto, atque omnibus aedificiis ancillarum Dei absolutis, pro quibus mercedem laboris adeptus est lucra animarum: aedificavit postremo basilicam in honore S. Pauli Apostoli, ad ancillarum Dei corpora sepelienda. Cujus tecta sublimia plumbo eleganter operuit. In ea basilica beatus Quintillanus Abbas humatus est. Aedificavit etiam, immo renovavit basilicam in honore S. Martialis Lemovicini pontificis et confessoris, eaque urbane stabilita, tecta ejus plumbo vestivit. Cumque ejusdem Sancti reliquias satis devotus cum magno triumpho, magnoque utriusque sexus comitatu, cum melodia psalmorum ac dulci modulamine antiphonarum chorus eo deferret psallentium, miraculum Dominus declaravit memoria dignum. Ob hoc enim et Eligius ea via deportari volebat sacra pignora, cum potuissent alia rectius et compendiosius. Erat haud procul a tramite illo claustrum tetri carceris, ubi septem viri sive noxii, sive innocentes, in tertia custodia tenebantur. Cum ergo Eligius, uti quondam David ante arcam exultans atque tripudians, cum reliquiis et praefato agmine in voce exultationis praeteriret, mox ut ad ergastulum propinquare coeperunt, repente gestator pignorum gravi pondere depressus, solo fixus restitit. Cumque omnes eum compellerent promovere gressum, ille se id nullatenus posse voce publica confessus est. Stantibus igitur cunctis, et ad rei eventum obstupescentibus, vincti in carcere, lenis tonitrui coeperunt audire vocem: statimque vis quaedam cum magno impetu adveniens, totum ab imis carcerem valide concussit; moxque effractis seris omnibus, nexibusque dissipatis, ostia obserata patuerunt inclusis. Illico vestigia depressa ferentium pignora, relevata sunt: et rei e carcere egressi, ecclesiam petierunt. Omnes igitur qui aderant, in stuporem versi, coeperunt attollere novitatem miraculi, ac merita duorum conjuncta simul sanctorum, Martialis laudem, Eligii favorem praedicare. Denique quicumque haec viderunt, Christo Domino uberes laudes, qui in suis operatus servis, continuis vocibus depromebant.

§ 19. Post aliqua temporis curricula, coeperat urbs Parisiaca saevissimo cremari incendio. Nam cum tota pene arderet civitas, usquequaque vis flammae edacis ferebat glomerantes quaque in parte favillas. Tunc Eligius moestus, cum videret jam supra suum monasterium flante vento, ad eamque, quam supra diximus, ecclesiam globos flammarum cum axibus et carbonibus ferri, graviter ingemuit. Jam enim invalescente igne, in promptu erat, ut etiam tegumentum basilicae funderetur vi vastantis incendii. Attollens ergo Eligius vocem, cum gemitu dixit: « O sancte Martialis, cur domui tuae modo non succurris? Certe enim noveris, quod si hodie te non curante crematur, nunquam jam ab Eligio in

tibus temporibus ipsum suppressum fuisset, ejusdem pars unà cum ecclesia, anno 1629, Clericis Regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabitis*, fuit concessa.

aerum restaurabitur. » Confestim vero adfuit Domini gratia, et aliam in partem vento flammas impellente, et ecclesia, et totum ejus monasterium remansit incolume.

§ 20. His itaque transactis, jugiter vir sanctus intentus manebat divinis officiis. Erat in eleemosynis praestandis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humilitate profusus, in doctrina praecipuus, in sermone parcus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, nulla mundi compede constrictus, ad praestanda servis Dei officia et obsequia accinctus, ad redimendos captivos sollicitus, ad largiendum egenis diffusus, in duris afflictionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate laetissimus, inter opprobria securus, inter odia beneficus, in prosperis et adversis coelo semper intentus. Non poterat in eo invenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Sinceritatem quidem mentis, vultus sinceritate monstrabat; et pietatem clementissimi cordis, sermonis lenitate prodebat. Nihil quippe ejus animo clementius, nihil illius severitate jucundius, jucunditate nihil severius, nihil risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius. Si pauperem vidisset, sustentabat; si divitem, ad benefaciendum cohortabatur: Deum testem invocans, pro ejus se nomine haec omnia facere. Nemo pauperum ab eo vacuus reversus est, illud Domini in Evangelio aliquando jugiter commemorante: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v); itemque illud: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum* (*Eccli.* III); et illud: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* II). Nam sicut de beato Job dicitur, januae ejus omni advenienti patebant, ut et ipse cum eodem posset voce libera proclamare: *Ostium meum viatori patuit* (*Job* XXXI). Erat pes claudorum, et oculus caecorum, orphanorum pater, ac viduarum consolator; non carcere clausis, non aegritudine fatigatis suum unquam, quatenus facultas suppeditavit, negavit auxilium; sed misericorditer consulens miseris, omne semper eis adminiculum praebuit. Quem enim caecum non suum vocavit haeredem? aut quem debilem non ejus sustentavit manus? Fores quippe ejus jugiter a ministris obsessae, expeditum ei ad bellum praeparabant solatium. Hoc jugiter comitatus incedebat exercitu: in his Christum adspiciens, se amplecti gestiebat: atque indumenta tribuens, sub inopis veste, Christi se membra tegere credebat. Hoc certe existimabat se perdere, quicquid eleemosyna non absumeret: id se tutissime gaudebat recondere, quod dura egentium necessitas ipsi auferret. Valde quippe devotus, in eorum usibus substantiae exaggerabat pondus: ut quo pauperior esset seculo, locupletior Deo fieret. Considerabat quidem, quia quotidie deesse non potest, quod peccetur: ideo nec quotidianas debere deesse eleemosynas, quibus peccata tergantur. Et ob hoc cum Domino

suo pecuniam dividens, laetabatur se substantiam suam partiri cum Christo, faciens eum possessionum terrestrium participem, ut et ipse faceret eum sibi regnorum coelestium cohaeredem. Illi scilicet assignabat facultates, ut ipse custos esset perpetuus: sciens quod patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. Sciens etiam scriptum esse, quod ea haereditas bene reconditur, quae Deo custode servatur. Ejus vero apud suos monita, non fuerunt aliud quam magisteria divina, fundamenta scilicet corroborandae fidei, nutrimenta fovendae animae, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis. Dignum ergo est, ut eum boni imitentur et diligant, plebs colat, noxii timeant: quem ita divina virtus illustravit, ut etiam in laici habitu habuerit a Deo collata dona, doctrinamque mellifluam, et Spiritu Sancto conditam, de desiderio Christi sallitam, de aeterna beatitudine semper sollicitam. Quique sic religiosus extitit ac timens Deum, ut seculi oblitus dignitates, omne consortium cum egenis haberet et monachis.

§ 21. Denique cum frequenter ad eum monachi quique religiosi confluerent, nec sic tamen eorum satiabatur alloquio: sed aliquando etiam nimis sanctae conversationis ardens desiderio, properabat ad monasteria, maximeque Lussedium *, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius. Neque enim tam crebra adhuc erant in Galliis monasteria: et sicubi essent, non sub regulari quidem disciplina, sed prorsus erant in malitia fermenti veteris secularia. Praeter Lussedium ergo, quod solum, ut dictum est, districtionem regulae solerter tenebat, Solemniacense monasterium in partibus occiduis hujus religionis extitit caput. Ex quo demum multi sumpserunt et initium et exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia divinitate, innumera per omnem Franciam et Galliam habeantur sub regulari disciplina, alma utriusque sexus coenobia. Itaque, ut dicere coeperam, quis valeat enarrare, cum quanta Eligius devotione, quantaque humilitate praedictum monasterium adiens, inter fratres incederet? Videres eum cum januam ingrederetur monasterii, dejecto in terram vultu, depressis luminibus, capite in humeros submisso, toto extenuato corpore, cum magna gravitate inter fratres versari, et coram singulis monachis se prope humi prosternere, atque ab omnibus devotissime benedictiones haurire. Cumque ab eis recederet, pro larga illis data eleemosyna, vilissimam panis tortam, ut vocant, pro benedictione sibi vindicabat; eamque pro magno amplectens munere, diebus singulis quousque durare incorrupta potuisset, eulogias ex ea veluti sacram communionem, jejunus sumebat.

§ 22. Habebat vero et hanc consuetudinem, ut ubicumque iter ageret, si sciret eadem se nocte vel ad monasterium, vel ad qualemcumque ecclesiam, sive etiam ad religiosum quempiam

* Lussedium pro Luxovio, nisi fallor.

virum posse attingere, nullatenus cibum sumeret, etiamsi biduanum vel triduanum jejunium expleret, priusquam ad locum destinatum quamvis defessus pertingeret. Sed et si nosset venerabilem, ad quem pergebat, locum esse, illico ab equo descendens, per tria vel quatuor millia pedestri labore conficiebat iter, donec ad sancta illa posset limina pertingere. Cumque eo ventum esset, priusquam in domum ingrederetur, mittebat pueros fideles, qui omnia late vagantes scrutarentur loca mansionis, et sicubi possent mendicos, egenos vel peregrinos invenire, omnes, quos reperissent, ad se aut adduci, aut certe deportari jubebat. Quibus ipse occurrens, si morbidum videret, medebatur; si putridas habentem carnes, ipse saniem radebat: ut cum Job dicere valeret: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi* (*Job* xxx). Porro si horrentia conspiceret ora, proprio palato perfricans, digito dolorem leniter mulcebat morbidum. Sic nimirum omnia cum cura et diligentia perficiens, jubebat cunctos suos sedere per ordines; et priusquam ipse quicquam sumeret ex cibo, omnibus manu propria et escam praebebat, et merum. Postremo ipse Deo gratias actitans, una cum eis sumebat cibum, sed parcius multo, quam illi. Cum enim illi carnibus uterentur et vino, ipse panem pro cibo, et pauxillum aceti aqua mixti pro potu sumebat. Octo namque vel decem fluxere anni, quibus nunquam vinum hausit. De carnibus vero melius tacere puto, quam aliquid dicere: quandoquidem eas post propositum nec edere, nec attingere sustinuit. Intra illos autem, quos dixi, annos, non nisi semel memini eum propter hospites, charitate exigente, ex volatilibus parum aliquid gustasse. Porro autem peracta refectione, cum singulorum prius abluisset capita, manus demum abluens, et pedes abstergens deosculabatur. Ad extremum in lectos eos reponens, diligenter ad eorum capita pulvillos componebat. Deinde seipsum spolians indumentis, cubitum se collocare simulabat: sed cum omnes alto sopore pressos adverteret, adhibitis secum paucis fidissimis famulis, si esset in civitate, castro, vel vico omnia orationum loca profunda jam nocte circuibat pene invisus: et si modis omnibus redire posset ante lucem, ad stratum suum defessus revertebatur. Quod si ecclesia in loco hospitii non haberetur, completo, ut dictum est, vesperi omni officio, simulabat se in strato quiescere. Mox autem ut ejus cubicularii obdormissent, exsiliens e lectulo, totum se prosternebat in pavimento, ibique omni noctis spatio exacto; cum aurora diei daret initium, iterum se in lectulo reponebat. Haec autem ita faciebat ob vitandam ostentationem, illi soli cupiens ea perspecta esse et cognita, qui dicit: *Ora patrem tuum in absconso, et pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi* (*Matth.* VI). Sic nimirum se comparabat, sicque faciebat Eligius et in itinere, et in propria domo, et hic perpetuus ei mos fuit cunctis diebus

vitae suae. Atque his beatis actibus intentum, intantum divina provexit clementia, ut adhuc in laico habitu, Domino largiente, miraculis coruscaret.

§ 23. Denique quodam tempore, cum anniversaria Parisiis sancti Dionysii martyris celebraretur passio, dum vigilia a Clero caneretur in choro, egressus Eligius e templo, ad atrium se conferebat: viditque eminus virum cunctis membris contractum, contra Sancti sepulcrum jacere in pavimento. A Deo forte inspiratus, accessit ad hominem, blandeque eum compellans, coepit ab eo inquirere et tempora claudicationis, et causam aegritudinis: simul ex eo sciscitans, num spem haberet in Christo, crederetque se quandoque sanandum, itemque post mortem resurrecturum, et vel praemia, vel poenas, pro meritorum qualitate, recepturum. Cumque ille ejus secutus verba, cuncta haec se credere fateretur, rursus Eligius: « Si ergo haec, inquit, ut adstruis, credis, quid ita inaniter hic jaces? Roga potius hunc Sanctum, ut intercedens apud Dominum, reddat te protinus sanum. » Dicente autem illo, se ea causa ibi excubare, Eligius eum intuens: « Credis, inquit, posse hunc Sanctum isthuc tibi apud Deum obtinere? » Illo respondente, se sic credere: rursus ad eum Eligius: « Si sic credis, ait, promitte jam te deinceps Deo serviturum, et vide ne vacillet fides tua, et absque mora sanabit te Dominus. » Illo per omnia fidem dante, fixit Eligius genua in terra, et prolixe oravit. Deinde oculos pariter et palmas ad coelum attollens, Dominum Jesum fide plenus, promissionis suae fideliter admonuit, qua dicit: *Omnia quaecumque orantes petitis, crèdite quia accipietis, et evenient vobis* (*Marc.* II). Cumque pleno pectore ac fida devotione deposceret, conversus ad aegrum, apprehensâ ejus dexterâ, ait: « Si indubitanter credis, sicut promittis, in nomine Domini Jesu Christi surge, et sta super pedes tuos. » Atque haec dicens, attraxit eum ad se fortiter, et illico nexibus artuum resolutis, elevatus aeger stetit, moxque consolidati sunt pedes ejus et membra, et sanatus est ex ipsa hora. Comminans autem ei Eligius et contestans, praecepit, ut si nollet rursus talia pati, nullum aliud de reddita ipsi sanitate verbum ediceret, nisi quod Dominus Jesus per sanctum Dionysium eum sanasset.

§ 24. Quodam iterum tempore, cum, praetereunte Eligio, copiosa pauperum turba eminus consedèret, accedens ille ad eos, singulisque propinquans, ut solebat, sanctis digitis eleemosynam in singulorum includebat pugnos. Cumque ad quemdam ventum esset, qui contractam aridamque habebat manum, illamque non valens extendere, alteram ad stipem extendebat. Non hanc, inquit, Eligius, sed alteram quantocyus porrige. Illo, ut aridam ostenderet, eam proferre volente, apprehensa ea, Eligius animo coepit rogare Christum. Cumque brachium hominis palparet a cubito, simul atque extraxit manum, confestim remissis nervis, curvos

digitos direxit. Deinde oleo allato manum perungens, quamprimum eam ita solidam sanamque effecit, ut erat altera. Cum autem illi, qui id videbant, ei id adscriberent, ille gratia humilitatis contentus, caute satis occultare tentavit, ita dicens: Ego putavi ideo illum fingere, ut a me facilius eleemosynam posset percipere...

§ **25**. Inter alia bonorum operum insignia, multas sanctorum ex auro, argento atque gemmis fabricavit thecas sive tumbas: puta Germani Parisiensis Episcopi, Severini Abbatis Agaunensis, Piatonis presbyteri et martyris, Quintini, Luciani Bellovacensis Apostoli, Genovefae, Columbae, Maximiani, Juliani, multorumque aliorum: sed praecipue beati Martini apud Turones, Dagoberto Rege impensas praebente, miro opificio ex auro et gemmis thecam confecit. Sancti quoque Brictii fecit tumbam, itemque aliam, in qua corpus beati Martini antea jacuerat, eleganter composuit. Magnum praeterea beneficium eidem ecclesiae apud Regem obtinuit. Nam pro reverentia sancti confessoris Martini, Eligio rogante, censum omnem, qui reipublicae solvebatur, Dagobertus Rex illi ecclesiae ex toto condonavit, scriptoque confirmavit. Atque ab eo tempore omne jus fiscalis census ecclesia sibi vindicat, ut usque in praesens, in eadem urbe per pontificis litteras Comes constituitur. Fabricavit etiam Eligius mausoleum sancti martyris Dionysii in Parisiensi civitate, et super illud tectum marmoreum mirifico opere auro et gemmis ornatum, itemque cristam et species de fronte magnifice composuit: nec non et axes in circuitu throni altaris auro operuit, et posuit in eis poma aurea atque gemmata. Lectorium quoque et ostia diligenter argento vestivit. Sed et tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoque repam in loco anterioris tumuli, et altare extrinsecus ad pedes sancti martyris fabricavit: tantumque illic, suppeditante Rege, suam exercuit industriam, atque ita suum declaravit ingenium et artificium, ut pene singulare sit in Galliis ornamentum, et in magna omnium admiratione usque in hodiernum diem.

§ **26**. His operibus mirifice perfectis, atque omnibus circumquaque gentibus sedatis, ferocissimis etiam Vacceis * ditioni suae hostili gladio subactis, mortuus est Rex magnus et inclytus Dagobertus **, et sepultus est in eâdem sancti Dionysii basilica sub arcu in làtere dextero. Cui successit in regno filius ejus juvenculus aetate, nomine Clodoveus ***. Sub hujus regni principio nefanda haeresis **** in partibus Orientis coeperat pullulare, Constantio tunc Romani Imperii apicem gubernante. Ii ergo haeresiarchae nequiter Ecclesiasticam ausi sunt violare regulam, et peregrina quaedam a veritate docere ac praedicare, asserentes Dominum et

* Iidem sunt, quos *Gascons* gallice appellamus. Ipsi enim, anno 636, a Dagoberto I debellati fuere.

** Anno 638. Ejus corpus in Ecclesia S. Dionysii conditum est.

*** Hujus nominis II.

**** Hanc haeresim excitaverat Paulus, patriarcha Constantinopolitanus, qui ab haeretico imperatore, Constante, ad illam sedem promotus fuerat.

Salvatorem nostrum Jesum Christum minime habere formam servi, neque eum ex Maria veram assumpsisse carnem, profanis vocibus garriebant. Quae res plurimos in Ecclesia Dei perturbabat, et plerosque jam contagium hujus pestiferae assertionis infecerat: nec solum urbes, in quibus morabantur, sed et urbem, quae est caput omnium, Romam paulatim jam eorum pravitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romae praesul beatissimus Papa Martinus *: qui sollicite ac viriliter pro hac causa invigilans, adeoque pugnans, multa probra et adversa ab haereticis sustinebat. Unde tandem permotus, cum et Imperatorem, et plures alios cerneret eorum assertionibus intento satis animo obsecundare, congregavit concilium sacerdotum causâ compescendi, immo delendi hujus dogmatis pravitatem. In quo concilio, omnibus orthodoxis consentientibus, edidit contra haereticos fidem magnifice valde atque accurate. Quam etiam cum subjuncta Epistola, Galliarum partibus destinavit, mandans et obtestans Regem Francorum, ut, si essent ei viri catholici eruditi, eos ipsi adminiculum ad haeresim comprimendam faceret destinari. Quo tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissime perrexisset, nisi ei res quaedam impedimento fuisset.

§ **27**. Sed interim, dilatione intercedente, inimicus humani generis acrius incitatus, pulsabat fortiter murum Ecclesiae per homines perditos, ac turrim validissimam omni oppugnationis genere infestabat Martinum, perpetuis afflictionibus illum Episcopum ad se inflectere cupiens. Sed quamvis impurus spiritus omni nisu pugnaret armatus, attamen resistebat Martinus, Christi gratiâ et virtute repletus: ac veluti si saxo immobili undarum fluctus illidantur, ita virili animo dicta respuebat haereticorum garrientium. Jubebant decreta imperialia, ut fidem ederet Patribus contrariam: sed ille, cui sacra fides venerabilis erat, constanter affirmabat se non posse impia contra Deum proferre verba, consultius fore existimans, temporalem ponere vitam, tantum ut ei conscientia fidei duraret illaesa. Novimus quemdam fratrem, a partibus Orientis venientem, qui ea, quae refero, se praesente gesta esse testabatur. Itaque cum nullo persuasionis genere Martinus a catholica abduceretur fide, multiplicibus injuriis affectus, diuque coram populo flagellatus, demum revinctis post tergum manibus, velut electus aries, cuncta Urbe lamentante, in exsilium protruditur, Constantinopolimque perductus, atque ibi in exsilium relegatus, sola oratione meruit caeco lumina reddere. Porro exsulans et delitescens, post multa tormenta, claram valde et nobilem vitam optimo et venerabili fine conclusit. Simulent nunc haeretici quantum volunt, confundantur et erubescant a se martyrem factum, quamvis eum in pace animam exhalasse clamitent, quamvis non a se interemptum, sed propria fingant morte defunctum:

* Hujus Papae Históriam lege in hujus Surianae editionis Vol. XI, pag. 421.

quasi non eum poena consumpserit, in quo poena consumpta est. Qui si in praesenti nunc adessent, haec a me pro martyre verba audirent: « Etsi imminente carnificis gladio mortuus non fuit, in confessione tamen catholicae fidei in exsilium relegatus, post continuam et indefessam professionem, gloriosum mortis exitum meruit, sicque ad Deum suum redeuntem coelestis aula martyrem suscepit. Neque enim virtus ejus aut honor minor est, quo minus beatis martyribus aggregetur: quia quantum in ipso fuit, aequanimiter toleravit, quicquid ei adversitatis oblatum est. Nam sicut quidam testatur, non est inferior gloria, sed potius excellentior, sustinere martyrium pro eo, ne scindatur Ecclesia fallaciis haereticorum, quam est illa, ne immoletur idòlis impulsu paganorum. In paganorum namque persecutione, unusquisque tantum pro sua anima, in haereticorum vero, pro universali patitur Ecclesia. Et idcirco potiorem eum dixerim, quia proculdubio excellentior magisque eximius comprobatur. » Haec pauca de tanti viri memoria, Eligii vita sibi inserta habeat: loquanturque ea, ubicumque Eligii vita legetur per secula, quantum Martinus fidei dogmate claruerit. Quae quidem nos, dilectionis gratiâ, hactenus narrasse sufficiat, ut tam eximii viri memoria, qui utique collegis meis in urbe Romana multa impendit bona, quamvis in Oriente frequentetur, non usquequaque in Occidente oblivioni tradatur.

§ 28. Per idem fere tempus, quo apud urbem Romam haec gesta sunt, quidam haereticus pulsus a partibus transmarinis, in Gallias venit; moxque se conferens ad civitatem, quae olim Hedua, nunc autem Augustodunum * vocatur, coepit tam caute, quam fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cum in palatio ad aures Eligii pervenisset, coepit vigilanter (uti semper in ejusmodi rebus sollicitus erat) cum Audoëno et caeteris catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palam omnibus manifestatam detegerent. Nec destitit Episcopos commonere et optimates, quousque jussu principis sacerdotale concilium apud urbem Aurelianensem ** congregaretur. Ubi eo, quem diximus, haeretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diversis modis interpellare, sed nullo poterant genere concludere. Tanta quippe dicendi arte objectis quaestionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorum se fronti opponeret. Cumque nullo genere a quoquam posset concludi aut superari, extitit quidam ex nostris pro Dei providentia doctissimus Episcopus, nomine Salvius, qui ita ei in omnibus obviavit, ut ingens ea causa nostris fieret gaudium et exspectatio. Omnes enim ejus versutias et artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palam funditus detexit. Sicque

* Gall. *Autun*.
** Concilium hoc anno circiter 638, celebratum fuit.

adversus eum omnium Episcoporum sententia prolata, et per singulas civitates super ejus nomine decretis constitutis, cum ea, qua par erat, ignominia et dedecore e finibus Galliae eliminatus est.

§ **29**. Sed et alium nihilominus apostatam cum comperisset Eligius evertere plebem Parisiis, multâ affectum ignominiâ exterminavit ab urbe. Itemque alium, qui Episcopum se simulans, circuibat villas et plateas, decipiendo populum, diu carceri mancipatum, ejecit a finibus regni Francorum. Nec non alios atque alios, diversis artibus populum subvertentes, grandi est semper auctoritate persecutus. Valde enim oderat omnia haereticorum et schismaticorum, cunctorum catholicam doctrinam non afferentium figmenta, jugique instantia eorum insectabatur vesaniam. Erat enim eloquentiâ affluentissimus, et in studio Scripturarum subtilissimus; cumque ipse sufficienter esset instructus, populum quocumque pergeret. Evangelicis cohortationibus docebat in fide Christi constantissime persistere, atque ab haereticorum contagiis solerti cura sibi cavere.

§ **30**. Sed inter caetera, semper foeminarum, viduarum et pupillorum consolator fuit, viduamque illam Sareptanam imitans, ipse plerumque esuriens, facultates in Christi viscera erogabat. Si infirmum vidisset, clementer consolabatur; si quempiam in Dei amore ferventem, cohortabatur ad studium. Si quis aeger ad eum accessisset, ita ejus fovebatur ministerio, ut nec delicias urbium, nec matris desideraret affectum. Denique in tantum erga debiles ex devotione obsequiosus et officiosus fuit, ut multi pauperes sani languentibus inviderent. Atque ita ob Christi amorem eorum assidue gerebat curam, ut pauperes omnes eum patris loco se habere laetarentur. Sciebat enim, quid Lazaro quandoque dives purpuratus non praestiterit, et qua retributione superba illius mens damnata sit. Idcirco magis ac magis erga omnes misericordem se exhibens, benigne miseris jugiter succurrebat. Quo enim dolente etiam ipse non doluit? Vel quo pereunte non ingemuit? Quem nudum ejus vestimenta non texerunt? Quod vero coenobium non ejus largitate sustentatum est? Denique pro spe aeternae vitae quas ille non pertulit angustias, puta famem, sitim, vigilias? Porro in tali proposito persevèrans, praebuit se in futurum vas electionis et utile Deo, ad omne opus bonum paratum.

§ **31**. Cum sic autem totum se Dei servitio mancipasset, bona principum jussa praeclare exequebatur: contraria vero praeclarius contemnebat. Multâque libertate arguebat eos, iisdemque humiliter obediebat: subjectus Regibus, Christo devotus. Sic autem sese exercebat, ac si semper inciperet: ita se praeparabat, tamquam quotidie moriturus. Itaque repugnantem carnem inediâ subjugabat, et ultricis gehennae saeva tormenta praeveniens, ipse

sibi persecutor et tortor extitit. Et si quidem sors temporis ita tulisset, cupiebat martyr pro nomine conditoris fieri. Sed quamvis eum gladius persecutoris non confodit, libens ipse sibi quotidianum martyrium indixit: fuitque ei fames pro ungula, sitis pro flamma, mundi calamitates pro bestiis, abstinentia pro craticula. Atque sub quadam martyrii specie, ceu catenâ rigentis ferri, sic dura lege constrictus, semetipsum sibi abnegavit ut Christum sequi posset: illum semper diligens, illum desiderans, illum ingenti aviditate sitiens, qui pro amore hominum homo factus est: ut nos ad coelum traheret, de sinu Patris in terram descendit: eique omnem laborem suum, omnemque dilectionem impendens, bonam terram sui cordis jugi cultu et indeficientibus exercitiis excolebat. Et perinde ut esuriens quispiam aut sitiens, sic ille magno quodam ardens desiderio, illud Psalmistae voce flebili crebro repetebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?* (*Ps.* 54). Itemque illud: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ps.* 41). Atque etiam illud Salomonis: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Porro sectabatur in omnibus mansuetudinem, fidem et charitatem perfectam, quae spiritualis aedificationis vinculum est. Studebat se vas sanctificatum exhibere, ut habitatorem Deum in mentis suae hospitio posset recipere. Salutaribus erat actibus perpetuo occupatus, ut quotiescumque tentator accederet, quotiescumque hostis callidus aditum quaereret, clausum semper adversum se pectoris ostium inveniret. Orabat frequenter, secundum Apostolum, pro omnibus hominibus, pro Regibus et iis qui in sublimitate constituti erant, ut quietam et tranquillam vitam agerent in omni pietate et charitate, sciens secundum eundem ipsum Apostolum, hoc bonum et acceptum esse coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

§ **32**. Quid vero pluribus commemorandis immorer? In omni conversatione sua quasi Lucifer inter astra refulgens, instar magnae lampadis micabat. Semper perfectos aemulabatur ad bonum: semper aliorum virtutes sibi proponebat ad imitandum. Tardus erat ad loquendum, secundum Apostolum, et velox ad audiendum. Sermone subtilis, humilitate sublimis erat, eleemosynis dives, charitate longanimis, vigil in jejuniis, eloquio promptus, studio flagrans, utile vas in Christi magna domo, ad miseris praestanda officia impiger, ad orationem paratus, ad tribuendum largissimus, studiosus mansuetudinis, paupertate valde gaudens, bonitatis tenax, puritatem cordis semper amplectens, animum suum Ecclesiasticae regulae adeo tradens informandum, ut tametsi adhuc laicus esset, Episcopi jam gratiam abunde adeptus videretur: ita denique seipsum privata disciplina necdum tonsus exercens, ut jam praeclarum de se specimen praeberet, quam esset quandoque

in Christi templo sacerdos irreprehensibilis futurus. O laicum perfectissimum, cujus imitatores esse etiam Episcopi desiderabant! O mentem ab omnibus praedicandam, cui non fuit aliud vivere, nisi Christum cum dilectione timere, et cum timore diligere! O vere felicem seculi inimicum, cui mundus tantopere fuit crucifixus, et ipse mundo; qui ita sapientia fuit pervigil, lenitate placabilis, ut et serpentis astutiam cum discretione obtineret, et columbae simplicem animum non amitteret! Cujus quidem in mente, virtutum omnium decorem obtinente, collocavit valde sobrium sapientia domicilium. Vere dignissimum, in quo Dominus habitaret, templum, jejuniis mundatum, orationibus ornatum, puritate conspicuum, vigiliis exercitatum, tum nomine, tum meritis electum. Denique dum ille nominis sui dignitatem tuetur, sic se quotidie exerit, ut nequeat amittere, quod vocatur, in Christo Jesu Domino nostro.

§ **33**. Sed longum nimis est, virtutum ejus insignia singillatim commemorare, praesertim cum liber jam modum excesserit, finemque postulans, plura non admittat: et ariditas quoque sermonis nostri attenuata, et veluti longo tramite pene defessa succumbat: non quod omnia, quae de Eligio narranda erant, expleverit: quippe quae nec ad centesimam eorum, ut ita dixerim, attingere potuit, bonorum et ornamentorum partem, quae in eum supernae remunerationis praerogativa contulit: sed quod tamquam eminens quidam in sublimi scopulus, magna jam ex parte transmissus, ipsa sua arduitate et longitudine fronti se narrantis opponat. Nunc ergo interim illa solummodo, quae in laico habitu gessit, praesenti libello percurrere voluimus: cui etiam finem jam libenter imponimus, ne ejus prolixitate audientibus fastidium ingeramus. Caeterum ea, quae adhuc restant, quaeque in Episcopatu gessit, quove ordine de hoc seculo migrarit, quasque etiam post obitum virtutes operatus sit, si vita comes fuerit, et facultatem Dominus tribuerit, intercessionibus ejus sanctitatis adjuti, alio libello explere desideramus. Confidimus enim, non nostris, sed ipsius meritis opus coeptum feliciter atque fideliter ad finem usque perducere, si ipse dignetur pro nobis Christum Dominum interpellare in coelis, qui ejus munere meruit tanta mirabilia operari in terris.



## LIBER SECUNDUS.

§ **1**. Eligius itaque jam ante in palatio militaverat sub habitu seculari, aeterno omnium principi Christo, idque temporibus Clotarii mansueti Francorum Regis, et Dagoberti inclyti principis, ejusque filii Clodovei, atque usque ad initium regni junioris Clotarii mansit in corpore. Sed illis diebus immaniter Simoniaca haeresis pullulabat in urbibus, et cunctis finibus regni Francorum,

maximeque a temporibus Brunechildis infelicissimae Reginae, usque ad tempora Dagoberti Regis violabat hoc contagium fidem catholicam. Solliciti tamen contra hoc invigilabant sancti viri Eligius et Audoënus: et communi cum caeteris catholicis viris habito consilio, suggesserunt principi et optimatibus ejus, ut hoc mortiferum virus cito extirparetur a corpore Christi, quae est universalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio, et libenter obtinuerunt, quod devote rogaverunt. Tunc ergo placuit omnibus, uno in Spiritu Sancto accepto consilio, simul cum Regis imperio, ut nullus, pretio dato, ad sacerdotale officium admitteretur: neque eos, qui ut lupi rapaces dando munera, mercanda censebant dona Spiritus Sancti: sed illos potius, qui essent boni testimonii viri, et irreprehensibilis vitae, ad pontificatus ministerium eligerent.

§ 2. Exinde igitur elegerunt ob meritum sanctitatis ad sacerdotale officium cunctis bonis operibus praeditum sanctum Eligium *, jam lumine Spiritus Sancti irradiatum, ut praeesset Ecclesiae Noviomensi **. Decesserant enim eo anno Acharius, ejus urbis antistes. Elegerunt autem cum eo et Audoënum sodalem ejus, qui vocabatur Dado, ut praeesset Ecclesiae Rothomagensi. Hoc ergo modo aurificem invitum detonsum, constituerunt custodem urbium seu municipiorum, quorum haec sunt vocabula, Veromanduensis *** scilicet, quae est metropolis urbs; Tornacensis ****, quae quondam regalis fuit civitas; Noviomensis et Flandrensis, Gandensis atque Corturiacensis *****. Ob hoc autem vel maxime eum his locis dederunt pastorem, quod ejus regionis incolae magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur, vanisque superstitionibus satis dediti essent, et tamquam agrestes ferae nullius salutarem sermonem admitterent. Itaque vir beatus, cum se nullo modo ab imposito munere excutere posset, ne in ullo a catholica regula deviare videretur, non se permisit prius sacerdotem consecrari, quam sub clericatus normula, aliqua temporis curricula exegisset. Eo igitur tempore transacto, et Audoëno a partibus transligeritanis reverso, jamque eo presbytero a domino Deodato Matascensis ****** urbis Episcopo ordinato, inito consilio, pariter sub unius diei articulo Apostolicam benedictionem gratuito meruerunt eo tempore, quo apud Gallias a cuncto populo Rogationes celebrabantur. Convenientes igitur simul in civitate Rothomagensi quartodecimo die mensis tertii, anno tertio Clodovei *******, juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter catervas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego

* Anno 639. ** Gall. *Noyon*.

*** Regionis, quae gallice *Vermandois* appellatur, urbs principalis est ea, quam *Saint-Quintin* vulgo nominamus.

**** Gall. *Tournay*. ***** Gall. *Gand* et *Courtray*.

****** Fortasse legendum est *Matisconensis*, vulgo *Mâcon*.

******* Anno scilicet Christi 640.

Rothomago, ille vero Noviomo. Atque ita Episcopatu suscepto, ad sedem suam remeans, qualem se deinceps, quantumque praestiterit, quis digne valeat explicare? Aut quis tantâ verborum copiâ instructus existat, vel quae oratio tantae affluentiae ubertate redundet, quae recte facta ejus ita, ut par est, prosequi possit? Idemipse semper robustus, ad virtutis instantiam se exercens, constantissime in coepto proposito perseverabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vultu gravitas erat. Eadem erga pauperes cura, eadem, quae prius, sollicitudo cernebatur. Eadem dilectio fraterna, eadem mentis constantia ei permanebat: nisi quod Episcopalis dignitas, quae aliis pompae fomentum subministrare solet, ei majus abjectionis studium attulit: et unde alii ad tempus videntur extolli, inde amplius ille humiliari studuit. Erat Christo semper subjectus, devotione armatus, doctrina praecipuus, pontificatu dignus, humilis in honore recusando, subditus in suscipiendo, exsul spontaneus, fide plenissimus, obediens Dei praeceptis, credens ejus promissis, peregre locuples, industria solers, in opere docilis, spe longanimis, in colloquio sapiens, prudens in consilio, in corrigendis vitiis vehemens, diligendo ardens, patiens in adversis, fortis in periculis, in disciplinis mansuetus, in eleemosynis largus, in studiis assiduus, metu mortis sollicitus, in timore Dei eximius, in religione magnificus, in exequiis devotus, misericordia illustris, in disciplina strenuus, excellenti ingenio praeditus, justitia insignis, severitate terribilis, promptus ad humanitatem et clementiam, ad ignoscendum paratus, humilitate summus, hospitalitate praecipuus, nutritor gregis piissimus, pastor Ecclesiae providens, dispensator fidelis, moderator insignis, delicta propria cavens, aliena ut sua lugens, plebi salutaria monita adhibens, eamque Christi praecepta docens, protervos non armis, sed patientia vincens, superbos Christi jugo suavissimo subdens. Semper in obsequiis pauperum, in adhibenda erga peregrinos diligentia infatigabiliter perdurabat, iisque adeo officiose inserviebat, ut nisi quis fundatam in Christo haberet mentem, proculdubio ignominiosum putaret talia vel aequalibus exhibere, qualia ille perpetim luridis, infirmis et despicabilibus praestabat. Denique omni Episcopali pompâ posthabitâ, populi neglecto agmine, clericorum postposita frequentia, famulantium relictis obsequiis, pauperum semper et captivorum consuetudine et familiaritate delectabatur. Itaque habebat certum quendam, eumque secretum locum, in quem certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens, ipse ut antea consueverat, famulorum more satagens, devote eis inserviebat, squalentia lavans capita, concretam deformemque caesariem propria manu radens, potum ac cibum singulis praebens. Denique collato cuilibet munere, et nudis etiam vestitis, humaniter eos dimittebat; illisque ab una parte exeuntibus, alios, si adessent, ex altera parte intromitti

jubebat; iisque eodem modo serviens, illos humanissime refovebat. Nonnunquam etiamsi turba plurima conflueret, similiter omnibus faciebat. At tamen singulis diebus certo, id est, duodenario, numero comprehensos reficiebat, ipse plerumque cum eis hora congrua ad unam mensam pariter convivans, ita tamen, ut prius singularum manibus aquam funderet, vinumque et panes suis manibus praeberet. Sed quid his narrandis diutius immoror? Equidem fateor, nunquam me sic vidisse cujusquam studia fervere: nusquam ego in Galliis ejusmodi opera sic a quoquam actitari audivi. Potest quilibet quodlibet Dei opus arripere, sed aut vix, aut difficile perpetuo retinere. Hic vero quod semel proposuit, perpetuo retinuit: quod Deo primum vovit, nullis mundi negotiis impediri passus est: quod initio arripuit, ad finem usque perduxit.

§ 3. Porro autem pastoris cura sollicitus, lustrabat urbes et municipia, circumquaque sibi commissa. Sed Flandrenses atque Andovorpenses *, Frisones quoque et Svevi **, et barbari quique, circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc praedicationis vomere exararat, principio eum hostili animo et aversa mente exceperunt. Postmodum vero, cum paulatim per gratiam Christi eis verbum Dei insinuare coepisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conversa est ad verum Deum, et Christo subjecta. Sicque demum factum est, ut quasi coelitus lumen ostensum, aut radius quidam solis erumpens, totam regionis illius barbariem illustraret. Nam et illi, qui cum primo ceu ferocissimae bestiae discerpere cupierant, postea attendentes ejus bonitatem et mansuetudinem, imitatores ejus fieri cupiebant. Quis enim ita esset obstinatus, qui ejus modestiam intuens, non confestim admirando obstupesceret? Aut quis tam arrogans, qui sobriam ejus vitam considerans, non illico ad justitiam sese converteret? Crescebat nimirum in eo quotidie opinio, virtutis pedisequa. Seminabat in plebem verba veritatis, fructu fidei redundantia, sufficienti sale condita, et velut aromaticis unguentis infusa. Nec erat contenta ejus fama circumjectas dumtaxat illustrare Gallias: sed exteras etiam provincias complebat, meritorum ejus gratia praecurrente. Inter barbarorum enim fremitus, quasi egregius signifer, corporis formidine nudus, sed fidei fervore vestitus, sese ingerebat, Christi charitate securus: adversantesque sibi fortiter superabat, non lorica corporea amictus, sed fidei virtute indutus. O quoties ob veritatis assertionem, paratam habuit mortem; fecissetque satis votis, si sors tulisset temporis! Sed licet ei ratio temporis non potuerit praestare martyrium, gloriam tamen martyris non amisit: quandoquidem pro spe aeternitatis jugiter laboravit. Quod si ei Neronianis

* Incolas intellige illius provinciae, cujus *Anvers* (flandrice *Antwerpen*) est metropolis.
** Saxones hic intellige.

aut Decianis temporibus in illa, quae tunc extitit, congressione pugnare licuisset, securus dixerim, sponte sua eculeum ascendisset, et ultro se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupasset. Sed quamquam ista non pertulit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium, dum fortitudine roboratus, in vigiliis sedulus, in jejuniis assiduus, fidem servando, cursum consummando repositam sibi a Christo justitiae coronam, quotidie reddendam exspectavit. Tamquam speculator a Domino constitutus, praedicabat verbum cum multa auctoritate: instabat secundum Apostolum, opportune, importune, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina: suaviter semper de iis, quae Dei sunt, vel populum instituens et alloquens, vel cum fratribus et familiaribus conferens: in doctrina sua perpetim Apostolicam retinens auctoritatem: eaque fretus, inter gentiles ita versatus est, ut et ferocissimae gentis paratos haberet animos, et copiosum exercitum ex iis ad Christi fidem traduceret, et fidei catholicae intemerata consortia custodiret.

§ 4. Sane si quem vidisset peccatis noxiis vulneratum, et sagittis diaboli confixum, mox adhibebat dignas sermonum curationes, et verbi Dei salutaria medicamenta: ostendens contra vulnera tentatoris, salubre malagma confessionis. Si qui inter suos essent incompositis moribus, et a recta atque honesta vivendi regula deflecterent, eos et arguebat clementer, et tolerabat patienter. Erat vero mira ejus in cunctis operibus discretio, et imitanda erga omnes dilectio. Erat Eligius opere castus, fide catholicus, charitate diffusus, in tentationibus cautus, in fide firmissimus, in bonis operibus promptus, sermone verissimus, consilio providus, bonitate conspicuus, charitate praeclarus, Deo sedule serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obstinatos spernens, humiles semper diligens. Exuberabat in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis, amor charitatis. Ad aeternam capessendam vitam filios suos, quos doctrina sua in Christo genuerat, perpetim incitabat. Quos autem sermone erudiebat, eos exemplo antevertebat, quae docebat faciens, et quae faciebat docens; nec aliud ore promens, aliud animo vovens: sed quod ore docebat, opere confirmabat. Qualis ejus sermo erat, talis et vita: et qualis vita, talis quoque sermo. Summa bonitate regebat subditos, summa severitate seipsum damnabat. Non erat terribilis erga subjectos, sed valde severus in vitia et piacula. In se censuram servabat, erga alios prae se justitiam ferebat. Rigore utebatur in justitiae discussione; misericordia, in justitiae definitione. Ipsam autem districtionis censuram semper temperabat misericordia, sciens scriptum, quia in eo quod quis judicat, judicandus sit, et quod potentes potenter tormenta patientur, et quod judicium fiet durissimum in his, qui praesunt. Haec ergo sedula mente pertractans, in omni actione discretionem tenuit,

nec in ullo penitus immoderate se gessit: sed omnia diligenter dispiciens atque distinguens, et in disciplina, et in misericordia modum semper atque temperamentum servavit.

§ 5. Extruxit quoque in oppido Noviomensi ancillarum Christi monasterium, cui magnam congregationem, et vitae severam institutionem adhibuit. Terrae quoque redditus sufficienter delegavit, et omnia, quae essent illi necessaria, solerti satis cura providit. Sed et alia multa monasteria, partim ejus opere, partim institutione a discipulis ejus constructa, hodie intra Gallias nota sunt. Multi enim ex discipulis ejus ecclesias condiderunt, multi monasteria salubriter rexerunt: non pauci etiam ad Episcopale regimen sublimati, Ecclesiis praefuerunt.

§ 6. Huic viro sanctissimo inter caetera virtutum suarum miracula id etiam a Domino concessum fuit, ut sanctorum martyrum corpora, quae per tot secula hactenus a populo ignorabantur, eo ingenti fidei ardore investigante, reperta sunt. Nonnulla enim plebes antea venerabatur iis in locis, in quibus non erant, et tamen quo loco humata essent, prorsus incompertum habebatur. Ex eo autem tempore, quo Eligius pontifex consecratus, et pastor datus est, quaedam ab illo inventa, et populo declarata sunt. E quibus primum ac summum martyrem sanctum Quintinum *, in principio Episcopatus sui grandi instantia quaesitum, jam olim latentem, in lucem produxit. Denique priusquam Eligius illi loco datus esset Episcopus, vir quidam improbus, Maurinus nomine, habitu quidem, ut populis videbatur, religiosus, cantor etiam in Regis palatio celebris, atque ex hoc, ut rei docuit exitus, mente tumidus, corde protervus atque actione dissipatus. Qui audacia suae praesumptionis deceptus, coepit verbis extollere et jactitare, a se martyris Quintini corpus et inquiri posse, et inveniri. Sed ut et ejus proterviam illico, et Eligii demum merita Dominus declararet, mox ut terram sarculo fodere coepit, manubrium fossorii manibus ejus inhaesit. Sicque miser opus praesumptum relinquens, sequenti die in manibus ejus vermibus ebullientibus, miserabiliter exspiravit. Ex quo factus tantus timor extitit in populo, ut nullus deinceps, quamvis probabilis vitae, praeter Eligium hujusmodi negotium auderet appetere. Eligius ergo, curâ pastorali susceptâ, statim in exordio suae ordinationis coepit assiduus esse in loco illo. Est enim haud procul ab urbe Veromandensi, in eo scilicet loco, ubi quondam martyr ex fluvio elevatus ab Eusebia, in monte fuerat tumulatus. Eligius itaque divino nutu instigatus, volvebat in animo, sed et libere proclamabat in populo, non illic haberi corpus, quo in loco illud venerabantur homines, sed esse potius in parte ulteriori. Cumque diu hujusmodi conditio ** mentem ejus stimularet, coepit tandem sagaci

* Natalis ejus die ultima octobris celebratur.
** Forte legendum est *cogitatio*.

inquisitione per basilicae pavimentum huc illucque tentare, sicubi sacratum tumulum posset deprehendere. Sed cum nullatenus indicium tumuli reperiret, coepit a fratribus destitui, prosequentibus cum timore interitum illius, qui dudum hujusmodi investigationem superba mente concipiens, lugubri morte vitam finisset. Necnon et antiquitatem corporis, longinquitate jam temporis consumpti, atque ad nihilum in pulverem redacti objicientes, conabantur eum a coepto mentis proposito revocare. Cumque ei ejusmodi impedimenta a fratribus objicerentur, altius ille ingemiscens, ajebat: « Nolite, fratres, quaeso, nolite impedire devotionem meam. Nam ego credo in Creatorem meum, quod tanto thesauro, tantumque mihi desiderato, haudquaquam me fraudabit. » Tunc ergo attentius persistens, suscepit triduanum jejunium, atque enixius Christi Domini divinitatem cum lacrymis exorans, vovit non se prius quicquam alimoniae sumpturum, quam mereretur voto potiri suo. Tanta namque erat ei fides, tantaque constantia, ut plerumque sic facienda praeveniret, tamquam jam facta crederet, et nonnunquam ita cum Deo, quemadmodum cum terreno suo loqueretur domino; quodque ipse proposuisset, id a Deo completum iri crederet indubitanter. Unde etiam multis eum dehortantibus, dicebat: « Tu, Domine Jesu, qui omnia nosti, priusquam fiant, tu scis, quod nisi manifestum mihi ostenderis corpus hujus testis tui, qui propter nomen sanctum tuum passus est, quamquam sum indignus, nunquam tamen deinceps plebis hujus Episcopatum geram: sed exsul potius ab hac provincia procul secedam, ubi, ut dignum est, inter bestias moriar. » Quid multa? In coepto opere persistens, cum adjutores ejus per diversa ecclesiae loca tentando discurrerent, nullamque inveniendi spem caperent, leniter ille omnes compescens, unum eis locum, de quo nulla esse suspicio poterat, in posteriori ecclesiae parte effodiendum designat. Tunc omnium labore eo converso, libenter jussis cuncti obtemperant. Defossaque jam in altum ad pedes decem vel eo amplius terra, iterum spe inveniendi corporis destituuntur. Et cum tertia jam nox media fluxisset, arrepto Eligius sarculo, rejectoque amphibalo, coepit totis viribus cum cereis et lampadibus terram sanctis fodere manibus. Cumque paululum ima fossae declinans, in latus cavernae humum fodere coepisset, mox reperit tumbam sane veterrimam, tegentem corpus sacratum. Tum vero gaudio magno repletus, cum sarculo, quod manu gestabat, avidissime latus ferisset sepulcri, confestim forata tumba, tanta odoris fragrantia cum immenso lumine ex eo manavit, ut etiam ipse sanctus Eligius fulgore luminis, odoreque inenarrabili perculsus, vix subsistere posset. Nam et globus splendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim sparsit claritatis suae, ut cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutaret. Unde omnes,

quos eadem hora vigilare contigerat, quique rei causam ignorabant, magnum quoddam coelitus datum signum existimabant. Erat enim transacta media nox, et nox quidem obscura valde et caliginosa; sed procedente fulgore, quasi lux diei ad tempus resplenduit, et in tempore claritas recessit. Tunc ergo sacrum inventum corpus Eligius cum gaudio lacrymans exosculatur, ac de profunda tellure eodem elevato, reliquias sibi, undecumque concupivit, segregavit. Dentes etiam pro languentium medela ex maxilla sancta abstulit, atque ex radice dentis gutta sanguinis exivit. Clavos quoque mirae magnitudinis, quos tempore passionis ejus persecutores corpori infixerant, ex cerebro caeterisque artubus abstractos, sibi pro reliquiis sequestravit. Capillos etiam pulcherrimos in reliquias separatos delegavit. Deinde holoserico pretiosissimo obvolutum, compositumque honestissime corpus summa cum diligentia retro altare transposuit. Tumbam denique ex auro argentoque et gemmis miro opere desuper fabricavit: ecclesiam quoque, quae exigua conventibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decoravit. Ipse demum ex reliquiis, quas a sancto corpore sequestraverat, multa loca condivit, multimodamque medelam diversis aegritudinum incommodis easdem impertiendo praebuit.

§ 7. Post haec simili modo grandi labore atque instantia invenit in territorio Medenatensi, vico Siclinio, sanctum martyrem Piatonem *. Cui similiter clavos oblongos ex corpore ablatos, populis in argumentum monstravit. Corpus denique, sicut martyrem decuit, accurate composuit, atque mausoleum desuper eleganter fabricavit. In Suessionum quoque civitate, sanctos martyres et germanos Crispinum et Crispinianum **, ex quadam crypta prolatos, mirifice composuit, eorumque memoriam insigni ornamento decoravit. Nec non et in Bellovacensi municipio beatum martyrem Lucianum ***, collegam quondam S. Quintini, inventum similiter composuit et fabricavit. Sed et aliis permultis Sanctorum memoriis impendit diligentiam, quae nunc non sufficit narrantis explicare lingua.

§ 8. Multum praeterea in Flandris laboravit, jugi instantia Andoverpis decertavit, multos erroribus implicatos Svevos convertit, sana aliquot profana, Christi clypeo protectus, Apostolica auctoritate destruxit; idololatriam quoque diversi generis ubicumque comperit, funditus evertit. Inter haec autem cum sobriam semper religiosis viribus teneret disciplinam, frequenter ab ingrato ac perfido populo lacessitus, et pene usque ad contumeliam provocatus, nullatenus a coepta doctrina retardatus est, sed magis etiam lenis, patiens, humilis et mitis, pro eis Dominum deprecabatur.

* Festum ejus die prima octobris agitur.
** Eorum memoria die 25 octobris colitur.
*** S. Luciani natalis celebratur die 8 januarii.

Cumque circumquaque rura lustraret, inenarrabili subtilitate desides barbarorum animos, et minus de se sollicitos, solerti sane studio verbis blandis nitebatur stimulare, atque ad amorem supernae patriae accendere, praedicans infestis pacem, ferocibus lenitatem : docens eos pariter debere ad ecclesiam convenire, monasteria construere, atque in bonis actibus Deo sedule servire. Ad quas ejus adhortationes ita plerique barbari mutati sunt, ut subito in arido et squalenti agro videretur foecunda seges et uberrima messis existere. Videres complures ad poenitentiam currere, opes pauperibus elargiri, libertate familiam donare, aliaque plurima bonorum operum studia sectari. O quam multi, Eligii industria ab errore gentilitatis retracti, Christi venerabili conjuncti sunt gregi! Quam multi, ejus exempla secuti, omnes mundi illecebras respuentes, beatam monachorum vitam adepti sunt! Quam multae puellae, eo suadente, carnales nuptias spreverunt, ut in matris Ecclesiae gremium receptae, Christi dignae sponsae haberentur! Quam copiosum etiam agmen utriusque sexus, quod toto anno acquirere poterat, annis singulis in Paschali solemnitate manibus propriis baptizans, sacro fonte abluebat! Extrahebat enim non minus suaviter, quam utiliter, e faucibus inimici viros et mulieres, senes cum junioribus, salubriaque monita assidue tradens, innumeros ad viam salutis traducebat. Videres plerumque inter multas infantium turbas, anus decrepita valde aetate, membris omnibus trementes, cano jam capite, rugata fronte; necnon viros aeque grandaevos, sub ejus manibus in sacro fonte renasci, et subito albis indutos, quodammodo renovari. Videres etiam nonnullos ad piam confessionem concurrentes, et sagittis inimici saucios, ita ab Eligio, veluti aptissimo medico, redire sanos, ut nulla jam in eis vulnera remanerent, nullaque prioris culpae eos delectatio comitaretur. Sed quid diutius immoror? Manifeste ei et evidenter aderat divina gratia, qua innumeros ad imitationem sui provocavit. Porro resplendebant in eo virtutes eximiae, modestia cum verecundia, sapientia cum simplicitate, severitas cum mansuetudine, doctrina cum humilitate, humilitas cum rigore. Cum esset autem aliis misericors, sibi ipsi erat durissimus: caeteris humanus, sibi abstinendo severus: omnibus largus, sibi soli parcus. Inter ejus colloquia, sacra semper resonabant verba: de pace sollicitus, de salute patriae curiosus, die noctuque pro quiete Ecclesiarum, quae ubique sunt, ac pro pace principum supplicabat. Denique cum vocabulo illius, et virtus animi, et coelestium gratiarum magnificentia concordabat.

§ 9. Quis vero abundantiam et copiam rigantis ingenii, aliaque ejus bona explicare queat? Quam fuerit in timore Dei fundatus, in disserendo providus, consilio profundus, in rebus seculi sive politicis eloquens, in virtute humilitatis mirabilis, astutus juxta prophetam, et prudens, columbae simplicitatem non

amittens? O venerabilem Christi sacerdotem! O imitandum virum pietate, misericordia et charitate: quae cum quotidie etiam in perfectis frigescat, in eo tamen usque ad finem aucta, in dies perseveravit! Quis ejus mansuetudinem, quis puritatem, quis spiritus fervorem, quis discretionem, quis benignitatem, quis jugem in praeceptis Domini die ac nocte meditationem verbis consequi possit? Quis illo, in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in sobrietate parcior, in lacrymarum copia redundantior, in corpore honestior, in corde sincerior, in mansuetudine moderatior, in compunctione ardentior, in charitate jucundior facile potuit inveniri?

§ **10**. Praecipuas denique virtutes, quae possunt hominem ad verae celsitudinis honorem evehere, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, inter se aptas atque connexas, sibique mutuo cohaerentes ita excoluit, ut pene in singulis excelleret. Habuit prudentiam in discernendo, justitiam in judicando, in arrepto proposito fortitudinem, in qualitate discretionis temperantiam. Quid enim eo prudentius, qui contempta mundi stultitia, Christum secutus est, Dei virtutem et Dei sapientiam? Quid justius, qui omni substantia sua in pauperes distributa, docuit divitias pro Christi amore penitus contemnendas? Quid fortius, qui in Francorum proterva gente, et inter barbaras nationes, arrogantiumque probrosas contumelias, spiritu semper et animo invicto fuit? Quid temperantius, qui nobilium spreta felicitate, maluit in humilioribus tuto gressu pergere, quam pendulo gradu in sublimibus fluctuare? Magnopere enim concupivit inter homines esse inglorius, ut coram Deo appareret gloriosus: menteque in Christo bene fundata, coelestia potius, quam terrena desiderans, humana studiose contempsit oblectamenta, ut posset divinam in coelestibus obtinere consolationem. Inter hujusmodi itaque institutionis exercitia, vir beatus ex dono Sancti Spiritus virtutum insignia operabatur.....

§ **11**. Post haec Eligius ad urbem propriam regressus, institutionis suae normam in dies in melius provehebat: diligens in primis Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute sua; deinde proximum sicut seipsum. In lege Domini sine lassitudine permanens, mores bonos nulla noxia conversatione inquinabat. Vitam temporalem pro exsilio ducens, vitam aeternam toto mentis desiderio suspirabat. Actus vitae suae omni hora custodiens, oculum mentis suae semper in Deum defixum habebat. Ab omnibus, quae lex vetat, solerti cura abstinens, a cogitationibus quoque noxiis animum revocabat, sciens hominem etiam cogitationum suarum rationem redditurum. Nihil de se praesumens, nihilque boni sibi tribuens, bona a se facta divino muneri adscribebat. Odientes ad pacem, discordes ad concordiam revocabat. Consilium et opus suum semper ad Deum referens, in omni

conatu suo Christi auxilium flagitabat. Pedes ejus semper directi ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona. Honesta specie, animo benigno incedebat, et sicut fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum tempore opportuno, populum sibi commissum modis omnibus curabat spiritali reficere alimonia, comiter docens, optime instruens, a peccandi consuetudine tota virtute omnes retrahere nitens. Erat fervens spiritus, sollicitudine non piger, spectatis moribus, ornatus operibus, omnique suavitate conspicuus. In oratione assiduus, in jejuniis strenuus, in eleemosynis largus. Porro inter divites et pauperes ita se medium gerebat, ut pauperes eum patris, divites superioris loco haberent. Ille vero non personae potentiam, sed morum elegantiam attendebat: tantoque unicuique plus habebat honoris, quanto eum sanctius vivere didicisset. Erga egenos et advenas adeo se sollicitum exhibebat, ut vere Christum in eis esse, fide integra crederet: atque ita non tam illis, quam ipsi Christo, quicquid in eos conferret, se praestitisse laetaretur. Ipsis quidem praebebat cibum, sed oculis coelum suspiciebat. Ipsis dabat alimenta, sed Christum cum fiducia invocabat. Manus et brachia porrigebat dando, at mercedem procul dubio e coelis exspectabat. Quantam ille facultatum vim et molem Christi amore ardens disperserit, non me unum necesse est dicere. Quod enim monasterium non ejus penetravit eleemosyna? aut quis clericus non ejus substantia refocillatus es? Quis peregrinus non ejus receptus hospitio est? quibus advenis non suum impendit obsequium? quos ille curiosissime locis omnibus perquirens, damnum suum putabat, si quisquam debilis aut esuriens, alterius beneficio sustentaretur. Ardentissima quippe fide Salvatori toto animo conjunctus, reddebat ei quod ab illo acceperat: atque in singulis ejus famulis Christum se videre credens, quicquid in illos contulisset, Deo se praestitisse gratulabatur: illud semper animo revolvens, quod Dominus in Evangelio ait: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Hujusmodi ergo studiis intentum Eligium, divina gratia uberius comitabatur.

§ **12**. Venit ei aliquando in mentem affectu pietatis et cura pastorali sollicito, solum paternae possessionis in civitate Lemovicina *, revisere. Audiens enim sanctam famam monasteriorum, ipsius jam exemplo in ea urbe conditorum, desiderabat magnopere suis ea oculis intueri, maxime vero monasterii sui venerabilem atque omnibus imitandam institutionem. Cum autem in ipso itinere Biturigum ** civitati propinquaret, comitibus suis antecedere jussis, ipse cum paucis statuit apud memoriam S. Sulpitii confessoris adorare. Quo cum pervenisset, oratione facta, audit complures nuper mortis sententia damnatos, in fiscali carcere

* Gallice *Limoges*. ** Gall. *Bourges*.

vinctos teneri. Interfecerant enim quemdam fiscalem judicem, et ea causa in vinculis habebantur. Eligius ergo memor Christi dicentis: *In carcere eram, et venistis ad me;* et, *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv); rogat se duci ad eos. Sed cum appropinquasset custodiis, milites confestim exsurgentes, valde ei obstiterunt, nec permiserunt eum propius accedere. Tunc ille moestus admodum, indignatusque animo recessit, et coeptum peregit iter. Ubi autem ad destinatum pervenit locum, commoratus est aliquandiu apud Lemovices, invisensque omnia monasteria, tam intra urbem, quam in suburbanis sita devotissime omnium benedictiones hauriebat. Visitatis etiam in suo monasterio fratribus, et secundo ejus Abbatem (primus enim ad Episcopatum raptus erat), paterna singulos sollicitudine admonebat, hortans omnes servire Deo in veritate et simplicitate cordis, quotidieque in melius perficere, arreptum propositum omni instantia ad finem usque perducere. Venit autem et ad praedium parentum suorum. Nam et ibi habebatur jam monasterium, a germano ejus Alitio in ipsa paterna domo constructum. Ibique similiter salutatis fratribus, et comiter consolatis, ad civitatem suam reditum parat: cumque haud procul Biturigibus iter carperet, voluit iterum divertere ad civitatem. Stimulabat enim animum ejus, quod reos, qui tenebantur in carcere, nihil antea juvisset, nec eos liberare potuisset. Itaque iter agens, precabatur Dominum, ut adito carcere, non pateretur laborem suum frustra consumi. Qua autem die ingressurus erat civitatem, cum valde diluculo levasset oculos ad coelum, facta est caligo et nebula tenebrosa nimis, ita ut habitatores civitatis ad spatium jacti lapidis cernere non possent. Sic ergo Eligius urbem ingressus, cum appropinquasset januis carceris, confestim ceu magno ferientis impulsu, divino nutu confractae sunt serae, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, omniaque compeditorum vincula soluta. Tunc Eligius concessam sibi virtutem quasi nihil ad se pertinere simulans, cito a carcere recedit: dat tamen reis consilium, ut mox inde exeuntes, ad ecclesiam confugiant. Tum illi egressi sine mora, celeri cursu ad basilicam beati Sulpitii properant. Ubi cum omnia essent ecclesiae ostia obserata, et rei hinc inde circumspicientes, nusquam invenirent introitum, subito fracta est fenestra vitrea, una ex maximis, quae erant in fronte basilicae: simulque ostium unum in ecclesiae làtere patefactum est: atque ita illi in basilicam ingressi, altaris thronum petierunt. Cumque sanctus Eligius omnia sanctorum loca invisens, eo pervenisset, invenit eos omnes circa altare, seu apud sepulcrum jam dicti antistitis consistentes. Porro milites ut viderunt carcerem dissipatum, statim persecuti sunt eos usque ad locum memoratum; ingressique basilicam, injecerunt eis manus, ac ferro vinctos, foras trahere conabantur. Quos beatus Eligius blande compellans:

« Nolite, inquit, homines Dei, nolite sic in loco sacro agere. Cur eos perdere nitimini, quos jam pius Dominus liberavit? Quare facitis tam impie in domo Dei? Cur non pertimescitis tanti sceleris culpam? Domus haec, non mortis, sed vitae domus est. Refugium est delinquentium, non damnatio evadentium. Orationis est locus, non latronum specus. » Sed cum nihil apud eos sermo ejus proficeret, iterum ait: « Dominus Deus videat id quod facitis. Vos quidem me audire non vultis, sed audiet (credo) ille, qui nunquam derelinquit sperantes in se. » Mox ergo ad solita praesidia se convertens, prostravit se in terram inter altare et confessoris memoriam, atque enixius Domino supplicavit. Et cum ab oratione caput elevasset, statim confractae catenae in terram ceciderunt, cunctaque quae eis imposita erant ligamina, omnibus adstantibus magno sunt impetu dirupta ac dissoluta. Quod milites videntes, ingenti metu perculsi, moxque ad pedes sancti Eligii provoluti, veniam facti sui precabant, dicentes: « Peccavimus, domine pater, inique egimus, stulte gessimus, quod contra te contendere ausi sumus. Agnoscimus modo culpam nostram: impietati nostrae petimus ut ignoscas. » Tum ille: « Et ego, inquit, ignoranter vos fecisse novi. Dominus autem fecit, sicut ipse voluit. Et ille ergo, qui hos eripuit, vobis (oro) tribuat indulgentiam, et a cunctis vos peccatis propitiatus absolvat. Non enim ego, sicut vos putatis, sed sanctus Sulpitius ad se fugientes defendit reos. » Hoc ergo modo Eligius, immo Dominus per Eligium, absolvit reos a dirae mortis periculo.

§ **13**. Inde autem digressus, coepto tramite pergens, pervenit tandem ad suos: ubi diebus singulis plebem sibi commissam admonens, indefessus salutares eis adhortationes adhibebat. Nimirum zelo veritatis accensus, volebat populis pandere, quid ipse intemerata fide teneret, mandans omnibus servire Deo in veritate, facere justitiam in omni tempore, memores esse beneficiorum Christi, et benedicere nomen ejus cunctis diebus vitae suae. Collectis autem undique ad ecclesiam turbis, multa quidem et magna brevi sermone comprehensa, sed spiritali aedificatione copiosa, cum prophetica fiducia exaltans vocem, hunc in modum proponere solebat: « Rogo vos, fratres carissimi et cum grandi humilitate admoneo, ut intentis animis auscultare velitis, quae vobis pro salute vestra suggere volo. Scit enim omnipotens Dominus, quod prompta erga vos charitate ista vobis profero: quod si non fecero, procul dubio reus debiti tenebor. Vos ergo non pro mea parvitate, sed pro vestra, quae dico, salute libenter suscipite: ita dumtaxat, ut quae aure percipitis, opere compleatis: ut et ego de meo obsequio, et de vestro profectu merear vobiscum gaudere in coelesti regno. Si cui forte displicet, quod tam frequenter vobis praedico: rogo, non mihi ille molestus existat, sed magis periculum meum consideret, et audiat Dominum, per

prophetam terribiliter sacerdoti comminantem : *Si, dicente me, inquit, ad impium, Morte morieris: non annunciaveris ei, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III *et* XXXIII); itemque illud : *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isa.* LVIII). Considerate ergo, fratres, quia oportet me sine cessatione vestros animos ad timendum Dei judicium, et ad desideranda coelestia praemia excitare: ut vobiscum pariter merear in Angelorum consortio perpetua pace gaudere. Ideoque rogo, ut diem judicii semper pertimescatis, diem mortis suspectum quotidie ante oculos habeatis. Cogitate quales eritis praesentandi conspectibus Angelorum, vel qualem pro meritis vicem recepturi: an possitis in illo die illibatum referre, quod in baptismo promisistis. Meminisse enim debetis, quia tunc pactum cum Deo fecistis, atque diabolo et omnibus operibus ejus abrenunciastis. Qui tunc potuit, per se ipsum et pro se ipso sic respondit. Qui vero non potuit, fidejussor pro eo ejus vice haec Deo promisit, ille videlicet, qui eum de sacro fonte suscepit. Considerate jam, quale cum Deo pactum iniistis, et vos ipsos explorate, num post hanc promissionem opera maligni daemonis, cui abrenunciastis, secuti sitis. Abrenunciastis diabolo, et omnibus operibus et pompis ejus, id est, idòlis, sortibus, auguriis, furtis, fraudibus, fornicationibus, ebrietatibus et mendaciis : quae plane sunt opera et pompae illius. Contra vero dixistis, credere vos in Deum patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, qui tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos. Dixistis quoque credere vos in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam. Haec proculdubio cautio et confessio vestra semper manet apud Deum. Quapropter moneo vos, carissimi, ut haec confessio et promissio vestra semper memoria retineatur, ut hoc quod Christiani vocamini, non ad judicium vobis sit, sed ad remedium. Nam idcirco Christiani facti estis, ut semper Christiani opera faciatis, id est, ut castitatem ametis, luxuriam et ebrietatem fugiatis, humilitatem secternini, superbiam detestemini: quia Dominus Christus humilitatem et exemplis ostendit, et verbis docuit, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* II). Invidiam respuatis, charitatem mutuam conservetis, semper de futuro seculo et aeterna beatitudine cogitetis, ac plus pro anima, quam pro corpore laboretis. Caro enim brevi tempore erit in hoc mundo: anima vero, si bene egerit, sine fine

regnabit in coelo: si male egerit, sine misericordia ardebit in inferno. Quisquis autem non cogitat, nisi de hac vita, brutis animalibus et bestiis similis est.

§ **14**. «Non sufficit vobis, carissimi, quod Christiani appellamini, si opera Christiani non facitis. Illi enim prodest Christianum nomen, qui semper Christi praecepta et mente et corpore perficit, qui furtum non facit, qui falsum testimonium non dicit, qui nec mentitur, nec pejerat, qui adulterium non committit, qui nullum hominem odit, sed omnes sicut se ipsum diligit, qui inimicis suis malum non reddit, sed magis pro eis orat: qui lites non concitat, sed discordes revocat ad concordiam. Haec enim praecepta ipse Dominus Christus per semetipsum dignatus est in Evangeliis tradere, ita dicens: *Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, non perjurabis, et fraudem ne feceris: honora patrem tuum et matrem, et dilige proximum tuum sicut te ipsum (Matth.* XIX); et, *Quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite eis. Haec est enim lex et prophetae (Matth.* VII). Et adhuc his majora, sed valde fortia atque fructifera dedit mandata, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Ecce forte et arduum mandatum, quod hominibus quidem durum videtur, sed magnum habet praemium. Audite quale: *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui in coelis est (Matth.* V). O quanta gratia! Per nos servi digni non sumus, et per inimicorum dilectionem filii Dei efficimur. Itaque fratres et amicos diligite in Deo, et inimicos propter Deum. Qui enim diligit proximum, sicut dicit Apostolus, legem implevit. Qui ergo vult esse vere et germane Christianus, is necessario haec debet praecepta custodire. Quae si non observat, ipse se decipit et circumvenit. Ille bonus Christianus est, qui nullis phylacteriis vel adinventionibus daemonum credit, sed omnem spem suam in solo Christo ponit: qui peregrinos tamquam Christum ipsum cum gaudio excipit, quia ipse dicit: *Hospes fui, et suscepistis me;* et *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (Matth.* XXV). Ille, inquam, bonus Christianus est, qui hospitibus pedes lavat, et eos tamquam parentes carissimos diligit, qui juxta quod habet, pauperibus eleemosynam tribuit, qui ad ecclesiam crebro venit, et oblationem, quae Deo in altari offeratur, exhibet; qui de fructibus non gustat, nisi prius Deo aliquid offerat; qui stateras dolosas et mensuras duplices non habet, qui pecuniam suam non dat ad usuram, qui et ipse caste vivit, et filios vel vicinos suos docet, ut caste et cum timore Dei vivant; et quoties sanctae solemnitates adveniunt, plures dies ante etiam a propria uxore se continet, ut secura conscientia ad Domini altare possit accedere. Denique qui symbolum Apostolicum et orationem Dominicam memoriter tenet, et filios atque familiam suam ea docet. Qui talis est, is proculdubio revera

Christianus est, et Christus habitat in eo, qui dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV); item per Prophetam : *Ego inhabitabo in eis, et inter illos ambulabo, et ero illorum Deus* (*Levit.* XXVI).

§ **15.** « Ecce audistis, fratres, qui sint boni Christiani. Quantum igitur potestis, cum adjutorio Dei laborate, ne nomen Christianum falso habeatis : sed ut veri Christiani esse possitis, praecepta Christi semper animo cogitate, et opere exequimini. Redimite animas vestras a poenis, dum habetis in potestate remedia. Eleemosynas pro viribus praestate, et charitati studete, discordes revocate ad concordiam, mendacium fugite, perjurium horrescite, falsum testimonium nolite dicere, furto abstinete, oblationes et decimas ecclesiis reddite, luminaria sanctis locis pro facultate exhibete, symbolum et orationem Dominicam memoria tenete, et filiis vestris tradite. Illos quoque, quos ex baptismo suscepistis, docete et castigate, ut semper in timore Dei vivant. Noveritis vos apud Deum pro illis fidejussores teneri. Ad ecclesiam saepius convenite, sanctorum patrocinia humiliter expetite : diem Dominicum pro reverentia resurrectionis Christi, absque ullo servili opere colite, sanctorum solemnitates pio affectu celebrate. Proximos vestros sicut vos ipsos diligite; quod vobis vultis ab aliis fieri, hoc et vos aliis facite. Quod vobis fieri non vultis, nulli faciatis. Ante omnia charitatem habete; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Estote hospitales, humiles, omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum : quoniam ipsi cura est de vobis. Infirmos visitate, in carcerem conjectos invisite, peregrinos suscipite, esurientes pascite. Sit vobis aequum pondus, et aequa mensura, sit statera justa, justus modius, aequusque sextarius : Nec plus, quam dedistis, repetatis : neque usuras ex pecunia mutuo data, a quoquam exigatis. Quae si observaveritis, securi in die judicii ad tribunal aeterni Judicis venientes, dicetis : « Da, Domine, quia dedimus : miserere, quia misericordiam fecimus. Nos implevimus quod jussisti : tu redde quod promisisti. »

§ **16.** « Ante omnia autem illud denuncio atque contestor, ne ullas paganorum sacrilegas consuetudines observetis, non divinos, non sortilegos, non incantatores pro ulla re aut infirmitate consulere ausi sitis. Qui enim id facit, ille mox perdit baptismi gratiam. Neque etiam auguria vel sternutationes observetis, nec in itinere constituti aves cantantes curiose attendatis : sed sive iter, seu quodlibet opus suscipitis, signate vos in nomine Christi, symbolumque et orationem Dominicam cum fide et devotione dicite, nec quicquam vobis nocere poterit inimicus. Nullus Christianus observet, qua die domum vel exeat, vel revertatur ; omnes enim dies Dominus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem vel lunam attendat. Nemo in Calendis Januarii nefanda et ridicula, vetulas

aut cervolos vel jocticos * faciat, neque mensas per noctem componat, neque strenas aut potationes superfluas exerceat. Non coelum, non terram, non sidera, nec ullam omnino creaturam, praeter Deum, ullus adorandam credat: quia omnia ipse solus condidit atque disposuit. Altum quidem est coelum, ingens terra, immensum mare, pulcra sidera : sed longe major et pulcrior sit necesse est, qui haec creavit. Si enim haec, quae videntur, tam incomprehensibilia sunt, puta, varii terrae fructus, pulcritudo florum, diversa pomorum genera et animantium in terra, in aëre, in aquis, apum sedula prudentia, ventorum flatus, nubium rores, tonitruorum fragores, temporum vices, dierum atque noctium vicissitudines variique recursus: quae omnia nullatenus mens humana comprehendere potest: si ergo haec talia sunt, quae videmus, et haudquaquam comprehendimus: qualia aestimanda sunt illa coelestia, quae non videmus? vel qualis horum omnium opifex, cujus nutu cuncta creata sunt, cujus et arbitrio omnia gubernantur? Illum ergo, fratres, super omnia timete, illum adorate, illum prae omnibus amate, illius misericordiae inhaerete, de ejus clementia nunquam desperate.

§ **17**. « Quos bonos videtis, illos imitamini ; quos malos conspicitis, castigate et corripite, ut duplicem mercedem habere possitis. Qui hactenus immunis a supradictis malis fuit, gaudeat, et Deo gratias agat, et deinceps quoque ab illis sibi caveat, studeatque perseverare in operibus bonis. Qui vero usque in praesens male vixit, cito se corrigat, et toto corde agat poenitentiam, antequam de hac luce decedat; si enim sine poenitentia obierit, non ibit ad requiem, sed praecipitabitur in gehennam ignis, unde nunquam exire poterit, sed ardebit ille in secula seculorum. Omnes igitur vos, quibus loquor, viri et foeminae, corrigite vitam vestram ; unusquisque, dum potest, vitia sua profliget : mala quae fecit, poenitentia expiet. Nemo se inebriet, nemo in conviviis cogat alium plus bibere, quam par sit: quando quidem vino multo deditos Apostolus acriter objurgat, ubi ait : *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (*1. ad Cor.* vi). Nemo vel in ulla re minima diaboli sequatur adinventiones : nullus sive exiens, sive egrediens domum, observet quid sibi occurrat, vel num qua vox reciproca seu echo audiatur, aut quid aves garriant, vel quid sit quod portat ei factus obviam. Qui enim haec observat, partim adhuc paganum se esse declarat. Qui vero haec contemnit, Prophetam sibi clamare gratuletur : *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Ps.* 39). Unde et Apostolus monet : *Omne quodcumque facitis, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite* (*Coloss.* III). Prorsus recedendum est a cunctis

* *Vetulae, cervoli* et *joctici*, ludi erant apud Ethnicos, qui, kalendis januarii, larvati in pecudum, cervorum, vel foeminarum vetularum morem, huc et illuc discursare et petulantius se gerere solebant. Hos ludos Ecclesia Catholica omnibus suis viribus abolère conata est.

hujusmodi observationibus: mathematici spernendi, auguria horrescenda, somnia contemnenda: quoniam, sicut Scriptura testatur, vana sunt. Unde et per Moysen praecipitur: *Non augurabimini, nec observabitis somnia, neque ad magos declinabitis* (*Levit.* XIX). Oportet igitur, ut haec tota mente observetis: et si quos cognoscitis vel occulte aliqua phylacteria exercere, expedit cum eis nec cibum sumere, nec quicquam habere commercii. Ista ergo omnia spernentes, ad Dei vos auxilium conferte, de ejus misericordia nunquam desperate.

§ 18. « Omni die Dominico ad ecclesiam convenite, et ibi non negotia, non lites aut rixas, vel otiosas fabulas tractetis: sed lectiones divinas cum silentio auscultate, et pro pace Ecclesiae et pro peccatis vestris orate. Qui enim in ecclesia fabulari non timet, et pro se, et pro aliis redditurus est rationem, dum nec ipse verbum Dei audit, nec alios audire permittit. De talibus quippe Dominus in Evangelio dicit: *Vae vobis hypocritae, quia clauditis regnum coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare* (*Matth.* XXIII). Qui aliorum judices estis, justissime judicate. Nihil in judicio inique agatis, nec munera super innocentes accipiatis: non personam attendatis, nec res alienas vi rapaci tollatis, quando quidem, quid vel nocte proxima vestris accidere possit, ignoratis. Pauperem et advenam nullatenus in judicio opprimatis, timentes illud, quod Veritas in Evangelio dicit: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII). Videte ne in vos quadret illud propheticum: *Vae qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum. Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. Facta est veritas in oblivionem, et justitia longe stetit* (*Isa.* V *et* LIX). Haec, fratres, considerate, et vos, et illos quibus praeestis, pariter in Dei timore confirmate. Retinete quae dicta sunt: facite quae praecepta sunt. Habete semper Christum in mente, et signum ejus in fronte. Memineritis multos vos habere adversarios, qui cursum vestrum impedire conentur. Idcirco in omni loco, horis omnibus Crucis signaculo vos armate, Crucis vexillo vos communite. Hoc enim vel maxime illi timent et expavescunt. Hoc vobis datum est scutum, quo possitis ignitas omnes maligni sagittas extinguere. Profecto magna res est signum Christi, et crux Christi: sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. Ut ergo etiam vobis prosit, praecepta ejus totis viribus implere contendite: et sive sedeatis, sive ambuletis, sive comedatis, sive lectum ascendatis, sive a lecto surgatis, semper Christi signum muniat frontem vestram: ut vos semper memoria Dei et vigilantes protegat, et custodiat dormientes: et quoties nocte evigilatis, et somnus ab oculis recedit, mox labiis signum Crucis imprimatur, mens orationibus occupetur, Dei praecepta animo volvantur, ne

stupido pectori repente subrèpat inimicus, vel per stultam oscitantiam et incuriam serpat in animam avidus adversarius. Cum turpem ille vestris sensibus cogitationem suggerit, proponite vobis futurum Dei judicium, inferni supplicia, gehennae flammas, tartari tenebras, quae impii patiuntur. Si sic feceris, mox turpis cogitatio evanescet: nec vos deseret virtus Christi: quia verum est, quod Propheta canit: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit* (*Isa.* XXXI).

§ **19.** « Cum autem haec omnia, Domino auxiliante, feceritis, certum habere debetis, moleste id laturum diabolum, quod videat vos a sua societate discedere, et ob hoc fortassis aliquam in vos nequitiam exercebit, aut infirmitates vobis immittet. Sed id minime vos frangat: ad probandos enim vos permittit id Deus, ut exploret, num toto corde ejus misericordiae innitamini, et si vere in eum credatis. Cuncta ergo patienter ferte, et Deum in omnibus benedicite, ut in vobis impleatur quod scriptum est: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae* (*Jacob.* I). Consolari vos debet id, quod Apostolus ait: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (1. *ad Cor.* XI); et illud: *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII). Quod si semel atque iterum nequitiis daemonis viriliter atque fideliter pro Dei timore restiteritis, ita eum postea a vestri infestatione Deus repellet, ut deinceps nunquam vobis nocere queat. Sic nimirum, si vere, non falso, Christiani estis, omnes diabolicas fraudes et circumventiones fugere et despicere debebitis, totoque pectore Deo adhaerere et inniti: ut quaecumque vobis adversa ab inimico illata fuerint, patienter et fortiter toleretis. Quod si per sortilegos aut divinos aliqua praedixerit, et ita evenerint, nolite mirari. Spiritus enim illi per aëra volitantes, facile possunt quaedam futura praevidere. De his sic habet Scriptura divina: *Si surrexerit in medio tui prophetes, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos: non audies verba prophetae illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non* (*Deut.* XIII). Illud autem scitote, quod ne vos, nec quicquam vestrum laedere poterit inimicus, nisi quatenus permiserit Deus. Permittit autem id Deus, quod peccata hominum mereantur. Permittit, inquam, duas ob causas, ut aut probet vos, si boni estis: aut castiget, si peccatores. Sed qui patienter Domini dispensationem sustinet, si quid perdiderit, sic dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Pro ista patientia aut coronam accipiet, si justus est: aut indulgentiam, si peccator. Quod si murmuraverit, vel desperaverit, rei pariter illius atque animae suae jacturam faciet. Sed mihi credite, fratres, si ex toto corde in Dei semper timore permanseritis,

et praecepta ejus custodieritis ita, ut nihil gentili consuetudine observetis, nihil vobis jam inimicus nocere poterit, sed omnia vobis prospere cedent. Probe enim Christiano nec auguria, nec alia quaelibet figmenta possunt officere; quia ubi signum Crucis cum fide et timore Dei praecesserit, nihil ibi inimicus nocère poterit. Tepidis vero et negligentibus ideo nocere possunt, quod relinquentes Dei praecepta, per vitae suae negligentiam prava exercendo opera, ipsi se daemonum potestati sponte tradunt: qui si in Christi servitio perseverarent, et ejus niterentur auxilio, nihil prorsus mali paterentur.

§ **20**. « Haec ergo scientes, totis viribus divinae inhaerete misericordiae, opera bona semper agite, et de substantia vestra pauperibus erogate. Qui plus habet, plus tribuat; qui vero minus, ex ipso largiatur beatus et hilaris. Unusquisque det pro viribus, est enim, unde gaudeat, sciens se pro paucis, quae largitur, plurima recepturum. Dat enim nummum, et comparat coeleste regnum: dat parvam pecuniam, et emit vitam aeternam. Sitis ergo studiosi praestandae eleemosynae: *Ea*, enim, ut scriptum est, *a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras* (*Tob.* IV). Qui habet aurum, det aurum; qui habet argentum, det argentum. Qui vero pecuniâ caret, bono animo det pauperi fragmen panis: quod si neċ illud integrum habet, frangat, et partem tribuat pauperi: nec dubitet, quamvis parum bono animo obtulerit, gratum et acceptum Deo fore. Dominus enim non tam copia munerum, quam largientis bona voluntate et devotione pascitur ac delectatur. Ut autem nullus pauper ab eleemosyna se excusare possit, ipse Dominus pro calice aquae frigidae mercedem se redditurum promittit. Qui autem majores a Deo facultates accepit, majus utique judicii periculum sustinebit. Potuit quidem Deus omnes homines divites facere: sed idcirco in hoc mundo pauperes esse voluit, ut divitibus suppeteret occasio redimendi peccata sua. Redimite ergo vos, carissimi, dum pretium suppetit. Date eleemosynam ex justo et bono labore, non de rapina. Audite jam ad fores vestras orantes pauperes, ut ipsi pro vobis in die judicii orent. Sapientem attendite, ita dicentem: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur* (*Prov.* XXI). Date ergo Deo, quod vobis ille dedit. Ipse enim accipit, quicquid pauperi tribuitis. Et illi quidem datis, sed vobis in futurum transmittitis, non unde ventrem farciatis, sed unde flammas extinguatis: quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccata. Date ergo, dum licet, in redemptionem animarum vestrarum: redimite vos ipsos, dum vivitis: quia post mortem nemo redimere vos potest de gehenna. Unusquisque de arte sua, unde vivit, decimas det Deo in pauperibus vel ecclesiis. Consideret omnia esse Dei, unde vivit, puta terram, semina, flumina, et omnia quae sub coelo sunt et supra

coelos: et si ille non dedisset, nihil utique haberet. Deus autem noster, qui dignatur totum dare, decimas de suo dignatur a nobis repetere, non sibi utique, sed nobis, profuturas. Sic enim per prophetam promisit, dicens: *Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas coeli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam* (*Malac.* III). Reddite ergo libenter ex omnibus, quae possidetis super terram, quod Deo gratum cognoscitis. Nolite de omni substantia vestra fraudare decimas, ne vobis novem partes auferantur, et sola decima remaneat. Si voluntarie dederitis, plus semper vobis Dominus dabit. Si non dederitis, quot pauperes in locis, quibus habitatis, fame mortui fuerint, tot homicidiorum rei eritis. Atque insuper immittet in vos Dominus pestilentiam et famem, et perdetis totum quod habetis, immo ipsas etiam animas vestras. Quod ne vobis eveniat, libenter bono animo detis, quo animas vestras possitis redimere. Nec eligatis, cui misericordiam praestetis, ne forte praetereatis eum qui meretur accipere: quia nescitis in quo Christus dignetur eleemosynam accipere.

§ **21**. « In his autem omnibus, quae Dominus exerceri jubet, benignitatis operibus nihil ille quaerit aliud, nisi salutem animarum vestrarum, et ut timeatis illum semper, et custodiatis mandata ejus. Quod si feceritis, dabit vobis, sicut per sanctum Moysen pollicitus est, pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, et omnibus bonis abundabitis. Dabit pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat, et ipse habitabit inter vos. Contra vero, si non custodieritis praecepta ejus, venient in vos plagae, ab eodem Moyse praedictae, pestilentiae, fames, gladius, eritque coelum vobis ferreum, et terra aenea: terra non proferet germen, segetes peribunt, et labor vester omnis inanis erit. Et super haec infestabunt vos hostes, et gladius devorabit vos, et erit terra vestra deserta atque desolata. Et tunc prae angustia clamabitis, nec exaudiet vos Dominus, sicut per prophetam minatur, dicens: *Et factum est, sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus* (*Zach.* VII). Et per alium prophetam, sic dicentem: *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est naris ejus, ut non exaudiat: sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret* (*Isa.* LIX). Ut igitur ista vobis non contingant, custodite quae praecepta sunt: implete Dei mandata, ut vivatis, et bene sit vobis, nullaque vobis calamitas accidat. Omnipotens enim Deus consolatur per prophetam, ita dicens: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei* (*Jerem.* XVIII). Haec, fratres, semper animo

retinete, haec filiis et vicinis vestris narrate, haec commemorate vobiscum, cum sedetis in domibus vestris, et cum ambulatis: nec obliviscamini eorum in rebus prosperis, sed Deum semper timete, illi soli servite, ne irascatur contra vos furor ejus. Noveritis, eum custodire pactum et misericordiam illis, qui eum diligunt, et custodiunt mandata ejus, omnesque eis auferre languores. Audiatis beatum Joannem Apostolum, dicentem : *Novissima hora est. Nolite diligere mundum : cito enim transit, et omnis concupiscentia ejus. Facite voluntatem Dei, ut maneatis in aeternum, et habeatis fiduciam, cum apparuerit, ne confundamini in adventu ejus. Nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est* (1. *Jo.* II *et* III). Et revera peccatum omne, sive furtum, sive adulterium, sive mendacium, sine daemonis operatione non fit. Pensate, quaeso, quam perniciosum sit, diaboli opera exercère, ejusque participem fieri, non quidem in requie, sed in poenis gehennae. Itaque quotiescumque in peccatum incIditis, nolite mortifera securitate exspectare, donec vulnera ipsa putrescant: nec alia addatis peccata: sed continuo per poenitentiae confessionem remedium vobis adhibere festinetis. In magnis virtutum exercitiis semper crescere nitamini: ut qui fuit hactenus superbus, sit jam humilis: qui erat scortator et adulter, sit castus : qui solebat furari et tollere res alienas, incipiat proprias dare pauperibus et ecclesiis: qui fuit invidus, sit benignus: qui fuit ebriosus, sit sobrius : qui iracundus, patiens sit. Si quis alteri faciat injuriam, cito veniam petat: cui injuria irrogata est, absque mora remittat, ut etiam illi remittatur. Et quidni fratri parum remittat, ut illi Deus totum remittere dignetur? Nam et hoc eleemosynae genus est, ut ignoscat quis ex animo ei a quo laesus est. Quod si quis adeo pauper est, ut nihil habeat, unde corporalem praestet eleemosynam: quandoquidem fieri vix potest, ut non ab aliquo afficiatur injuria, si ex animo omnibus in ipsum peccantibus remittat, nec contra ullum in corde odium retineat, sed omnes diligat ut seipsum: id ei procul dubio maximae eleemosynae loco imputabitur. Ut autem peccantibus in nos libentius ignoscamus, audiamus quid Christus dicat in Evangelio: *Si dimiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI).

§ **22**. « Nemo ergo se fallat, nemo se decipiat : quia quisquis vel unum hominem odit in hoc mundo, quicquid interim Deo boni operis offert, totum perdit. Non enim mentitur Apostolus terribiliter clamans: *Qui fratrem suum odit, homicida est, et mendax est, et in tenebris ambulat* (1. *Jo.* III). Quo loco fratrem oportet omnem hominem intelligi : omnes enim in Christo fratres sumus. Ego autem, fratres, ad inimicorum dilectionem idcirco tantopere vos adhorto, quod ad sananda peccatorum vulnera, vix

ullum sciam efficacius remedium. Et quamvis grandis est labor, inimicos diligere in hoc seculo, at in futuro ingens erit praemium. Qui hic inimicos diligit, amicus erit Dei: nec solum amicus, sed etiam filius: sicut ipse promisit, ubi ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestris qui in coelis est* (*Matth.* v). Qui ergo diligit, requie perfruetur. *Qui non diligit*, sicut Apostolus ait, *manet in morte* (1. *Jo.* III). Cum haec ergo ita se habeant, carissimi, non falsa, sed vera invicem dilectione vos prosequimini: actiones vestras ad Deum semper dirigite, et quicquid potestis, pro studio et amore vitae aeternae laborate. Currite, dum lucem habetis, priusquam vos tenebrae comprehendant. Si laborem pro carne suscipitis, etiam pro anima laborem ne recusetis. Si curritis carnis causa, quam paulo post vermes devoraturi sunt: multo alacrius pro anima currite, ut ornata illa bonis operibus, sine fine laetetur in coelis. Quando jejunatis, quod in prandio sumpturi eratis, pauperibus erogate: nec tunc, ut Dominus admonet, instar hypocritarum tristes esse debetis, ut videamini ab hominibus: sed ab illo solo, qui videt in abscondito. Semper autem majori vobis curae sit cibus animae, quam corporis: dumque in mundo versamini, bene vivendo aeternam vobis vitam comparate. Lectiones divinas in ecclesia libenter auscultate, et quae illic auditis, jugiter in domibus vestris commemorate: ut quomodo corpus cibo, ita anima Dei verbo reficiatur. Certum est enim, quale est corpus, quod post moltos demum dies percipit cibum, talem esse animam, quae raro pascitur verbo Dei. Sive ergo ambulatis, carissimi, sive sedetis, sive quippiam agitis, semper ad mentem reducite ea, quae in ecclesia ex sacra lectione audistis, semperque Evangelica praecepta in corde ruminate.

§ **23**. « Ante omnia luxuriam fugite, pravam concupiscentiam vitate, timentes illud quod Dominus in Evangelio dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). Uxores vestras absque ulla simulatione diligite, sicut Apostolus praecipit, ubi ait: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam* (*Ephes.* v). Mulieres autem, ut idem Apostolus docet, viris suis subditae sint sicut domino, et timeant viros suos. Nec quisquam legitimam uxorem suam quacumque ex causa dimittere ausus sit, cum ipse Dominus dicat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, eum facere illam moechari* (*Matth.* v). Concubinas sive ante nuptias, sive post nuptias habere prohibemus, quandoquidem omnino illicitum est. Qui enim legitimam uxorem ducere constituit, aequum est, ut virginitatem usque ad nuptias conservet, et post nuptias nullam aliam, praeter unam legitimam conjugem, cognoscat, sicut et Apostolus Paulus praecepit: cui etiam fidem servet, quemadmodum ab illa sibi servari vult: nec peccet cum

alia, sicut nec illam vult cum alio peccare, timens illud, quod idem Apostolus terribiliter clamat: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr*. III). Quicquid enim conjugii jure foeminis non licet, nec viris licet. Quamobrem, o Christiane, fuge fornicationem; erubesce jam sub oculis Dei et Angelorum peccare. Capitalia crimina modis omnibus detestare, ut sunt sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, iracundia et ebrietas. Haec enim sunt crimina, quae mergunt hominem in supplicium aeternum. Ex quibus si quis vel unum admittat, nisi agat poenitentiam, sine ullo remedio in gehennae igne ardebit. Et idcirco, anima Christiana, vigila, ora, cave semper ista crimina, et quicquid boni potes, age pro vita aeterna. Aperi pauperibus manum tuam, ut Christus tibi aperiat januam suam, per quam intres in gaudia paradisi.

§ 24. « Noli ipse te tradere in perditionem, pro quo Christus fudit sanguinem suum. Satis superque te dilexit, quem tanto pretio comparavit. Terreant te gehennae supplicia, quo vel sic possis a pravis operibus abstinere. Omni hora existimes adfuturam mortem, et eventura tibi judicia Dei semper reformides, ut illud Scripturae tibi possit aptari: *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Quod male admisisti, dum potes, emenda, dum adhuc licet poenitere. Veniam non desperes, si velis resipiscere, desperatio enim peccatis omnibus deterior est. Nequaquam igitur de Dei misericordia desperes unquam, nec si vel centum, vel etiam mille perpetres crimina. Nulla enim tam gravis est culpa, quae per poenitentiam non possit obtinere veniam. Si quis te lacessat et irritet, si convicietur, si injuriam irroget, tu patiens esto, nec reddas contumeliam: melius tacendo vinces. Cum tibi maledicitur, tu benedic: magnam consequèris gratiam, si non laedas eum, a quo laesus es. Nullum despicias, non egenum, non servum: quia fortassis apud Deum te melior est; et *omnes*, secundum Apostolum, *unum sumus in Christo Jesu*, *nec est personarum acceptor Deus* (*Gal.* III *et Act.* X); sed sicut scriptum: *Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber* (*Ephes.* VI). Non detrahas fratri tuo, nec calumniam facias, neque vi opprimas eum: sed sicut per Moysen dicitur, si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum: sed cum timore Dei agas erga illum. Memineris te quoque servum esse. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Si peccaverit in te frater tuus,* ait in Evangelio Dominus, *corripe eum inter te et ipsum solum*. Et alibi: *Si offers,* inquit, *munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V).

§ 25. « Haec te, Christiane, praecepta revocent ad concordiam:

haec suavia Christi medicamenta curent odii vulnera. Quod si contempseris, terribilem illam in te sententiam retorques, qua dicitur: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit in judicio: et qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis* (*Matth.* v). En audisti, Christiane, quid timeas, quid observes. Stude ergo charitati, serva patientiam, fuge discordiam, impone frenos linguae tuae, ne trahat in gehennam animam tuam: quia secundum Scripturam, *mors et vita in manibus linguae, et vir linguosus non dirigetur in terra.* Quae quidem sollicita consideratione pensantes, carissimi, verba simul moresque corrigite. Sectamini semper justitiam, amate Christi praecepta. Derelinquat impius viam suam, et revertatur ad Dominum, clamat propheta, et miserebitur ejus: quia multus est ad ignoscendum. Audite eum dicentem: *Convertimini, filii, revertentes, et sanabo aversiones vestras* (*Jer.* III). Et rursus: *Quaerite bonum, et non malum, ut vivatis, et erit Dominus exercituum vobiscum. Odite malum, et diligite bonum, ut misereatur vestri Dominus* (*Amos* v). Ecce hoc ipse Dominus per prophetam clamat: *Si me audire contemnitis, saltem illum audite.* Consolatur ille in Evangelio peccatores, dum ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam* (*Luc.* v). Rursusque admonet: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Et iterum: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis* (*Luc.* XI). Et certe pro ineffabili pietate sua Dominus non solum admonet, sed etiam rogat nos, ut convertamur ad ipsum. Audiamus rogantem, ne, si negligamus, non audiat ille nos judicaturus. Dicit in Scriptura: Miserere animae tuae, placens Deo. Quid ad haec respondes humana fragilitas? Deus rogat, ut tui miserearis, et non vis. Quomodo igitur ille te audiet in die necessitatis supplicantem, quando tu illum non audis pro te rogantem? Si jam haec negligitis, fratres, quid acturi estis in judicii die, et ad cujus confugietis auxilium? Certe si vos nunc negligitis tales Dei adhortationes, non effugietis tunc inferorum tormenta: nec liberare vos poterit aurum et argentum, neque opes et divitiae, quas nunc in arcis absconditis, et quibus inflati, salutis vestrae obliviscimini. Audite, quaeso, comminantem Dominum: *Visitabo super orbem mala, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.* Audite etiam admonentem: *Redite praevaricatores ad cor. Quiescite agere perverse, discite benefacere: subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*, etc. (*Isa.* XIII, XLVI, *etc.*). Haec, fratres, magnopere observare nitamini. Date operam, ut separati a diabolo, conjungamini Deo, qui vos redemit. Admirentur gentes conversationem vestram. Quod si detrahant vobis, aut irrideant vos, Christianismi opera vos sectari, nihil conturbemini. Reddent enim Deo rationem. Totam spem vestram in Christi misericordia collocate, et non solum ab actu impudico, sed etiam a cogitationibus

sordidis animas vestras custodite: quia Deus justus judex etiam cogitationes malas judicabit... »

§ 16. Haec summatim de sancti viri concionibus narrasse sufficiat: quae ille quidem non hoc ordine, ut a nobis commemorata sunt, in singulis concionibus proponere solebat, sed diversis temporibus. Tandem autem haec inferebat: « Haec vos, fratres, si servaveritis, habebitis praemium : si neglexeritis, supplicia perferetis. Nam quod ad me attinet, ego meam coram Deo liberavi conscientiam, testesque invoco coelum et terram, exhibuisse me vobis debitum ministerium, vitamque et mortem annunciasse. Id autem vobis nunc affirmo, si quidem spreveritis verba mea, et per contemptum ea audire nolueritis, ubi venero ad Redemptorem meum, accusaturum me pertinaciam et pervicaciam vestram, palamque testaturum, vos semper voluntati maligni daemonis potius, quam Christi, obedivisse. Et tunc revera indignante judice, exactori trademini, dabitisque poenas sine fine, donec novissimum quadrantem persolvatis. » Haec igitur sunt, quae beatus Eligius summo studio ex locupletissimo pectoris sui thesauro plebi depromere solebat. Interim nihilominus alia multa his similia quotidie exhortans, populo evangelizabat. O vere copiosum vas, quod tam affluenter ministrabat plebi adipem frumenti Christi, laetitiam olei et sobriam vini ebrietatem ! O vere gloriosum virum, eximium Dei amatorem, qui ut pastor bonus satagebat strenue vagabundos revocare, confractos alligare, errantes ad paradisi caulas reducere ! Cujus bona et simplex doctrina rèdolet proculdubio prophetas, sapit Apostolos, imitatur Evangelistas. Cujus sermo non alius apud suos fuit, quam de regno Dei, de deliciis paradisi, de gehennae suppliciis, de justitia, fide et charitate, de contemnendis mundi illecebris et oblectamentis, et ut soli Deo totis viribus serviendum sit. Dicere autem solebat illud Apostoli: *Non quaero quae vestra sunt, sed vos* (2. *ad Cor*. XII). Sciebat dictum a Jacobo Apostolo: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jacob*. V). Sed nunc tandem ad vitae ejus ordinem revertamur.

§ 17. Vir quidam in Parisiensi suburbio haud procul a basilica beati Petri Apostolorum principis morabatur, quem et Eligius ob fidem et devotionem ejus amaret familiariter, quique Eligium pro sanctitatis ejus reverentia unice diligeret. Contigit autem, ut quandoque Eligius praedia monasterii sui inviseret, ac deinde Lutetiam redire volens, eminus ab hoc viro conspiceretur. Ut ergo advertit ille, Eligium non longe a domo sua habere iter, accurrit obviam, osculatur ejus genua, orat ut cum comitibus velit divertere ad domum ipsius, et bibere pauxillum vini, quod in vase remanserat. Recusat Eligius: sed tandem vix precibus suorum victus, abit ad domum illius. Habebat autem

is in cellario suo vas vinarium, in quo parum vini relictum erat. Quod offerens beato viro, orat obnixe, ut inde vel parum bibat. Satisfacit ille homini, et perparum bibit: sed comites ejus omnes bene largiter biberunt. Deinde cum bene precatus esset domui illius, valedixit ei, et recessit ad monasterium suum, quod intra urbem Parisiensem erat. Eo abeunte, vas illud pene exhaustum, divino munere totum impletum est vino. Altera luce vir ille casu ingressus cellarium, cernit vas omnino plenum. Obstupescit igitur ad rei novitatem: sed mox recordatus sanctitatis Eligii, ocyus se confert ad eum, indicat quid beneficii propter eum Dominus sibi contulerit. Eligius id audiens, agit gratias Deo, orat hominem, ne rem cuiquam aperiat, sed cum gratiarum actione utatur Dei beneficio. Ille autem orat virum sanctum, ut veniat secum, et benedictionem suam impertiat vino illi, et utendum ex vase proferat. Quod ni faciat, protestatur se ne unam quidem guttam ejus vini unquam hausturum. Sanctus Eligius videns hominis devotionem, ivit cum illo, veniensque in aedes ejus, humi se prostravit, orans diutissime. Inde surgens, ut vidit vas plenum, jubet vinum ex illo promi: ex quo parum ille gustavit, caeteri largissimos accepere haustus. Tum ille oculis manibusque in coelum porrectis, gratias agens et laudans Deum, abscessit.

§ 28. Non mihi silendum videtur illud, quod possit multis afferre metum, ne sint ausi procacibus verbis in sanctos viros incurrere, nisi velint similia experiri. Quidam e familiaribus Ebroini, homo infaustus, nimiumque protervus, multo tempore conabatur silvam longe optimam Ecclesiae beati Eligii eripere, et in suum jus transferre: crebro ea causa veniens ad illum, et procaciter eum lacessens. Quodam autem die in multa hominum frequentia etiam violenter silvam illam ab eo extorquere voluit. Eligio autem modeste et comiter respondente, ille magis etiam petulanter coepit virum Dei infestare. Sed neque sic Eligius quicquam de sua patientia remittens, blandis verbis ait ad eum: « Amice, injice frenos cupiditati tuae. Cur non erubescis tam caeca mente rem alienam appetere? Si peteres quae mea sunt, darem forsitan tibi. At nunc quando non meam, sed Ecclesiae rem expetis, prorsus noveris me minime tibi donaturum, quod pauperum necessariis usibus delegatum est. » His ille acrius stimulatus, minitabundus ait ad eum: « Si mihi ultro non dederis, ego vi tollam. » Tum Eligius commotus, severo vultu dixit ei: « Novit Creator meus, nisi cito mutaveris sententiam, dignam meritis tuis excommunicationem in te prolatum iri. » Ille id audiens, mire cachinnari coepit, multaque in virum Dei probra conviciaque jactare. Cernens ergo Eligius eum nulla ratione posse compesci, dexterâ manu extensâ, excommunicationis fulmen in eum terribiliter vibravit. Mox praepotentis Dei ira ejus sententiam prosequens, ita perculit virum, ut viribus omnino destitutus, mortuo

similis videretur; et simul atque Eligius ore protulit verba, humi collaberetur, cunctique eum animam exspirasse putarent. Mirabantur omnes Eligii injuriam tam cito vindicasse Deum, orabantque sanctum virum, ut pro misero Dominum deprecaretur. Quod utrum fecerit, incompertum habemus. Id sane admiramur, tantam vim habuisse sermonem ejus, ut sine ullo ictu repente superbum dejiceret. Simul advertimus, quam carus fuerit Deo, ut qui sententiam ejus tam perspicue sua ultione confirmarit.....

§ **29**. Rogavit eum aliquando Erchonoaldus, praefectus palatio, ut cum ipso longius proficisceretur. At ille multa secum reputans, nolebat ire cum eo: sed tamen coactus a senioribus et Abbatibus civitatis suae, verentibus ne tanti viri animum offenderet, ita palam dixit: « Quid necesse est, fratres, ut tantâ nos afficiatis molestiâ? Equidem novi, quod vos ignoratis, si cum illo ierimus, male id cessurum. Ille enim hinc quidem exit, sed ibi morietur. » Ivit tamen cum illo: ventum est ad locum destinatum. Cumque illic nocte quadam, aliis dormientibus, casu beatus Eligius foras egressus obambularet, et de psalmis nescio quid secum volveret, subito vidit columnam ignis e coelo descendere, et magna vi cubiculum Erchonoaldi penetrare. Rei itaque eventum tacite secum considerans, interitum bestiae illius diacono suo, qui forte solus tum ei aderat, indicavit. Mox autem divinitus percussus Erchonoaldus, sentiens magno ardore cruciari viscera sua, jubet ocyus ad se introduci Eligium. Venit Eligius, videt hominem magnis correptum angoribus, hortatur eum, ut quando jam desperat se victurum, vel moriturus faciat quod vivens sponte noluisset: videlicet ut loculos multos auro tumentes, quos equi vehebant, pauperibus quamprimum eroget pro refrigerio animae suae: Id solum profuturum ei asserens: nocitura vero, quae in thesauris esset relicturus. Sed ille ut rapax, ita etiam tenax, dum moras nectit, repente extremum efflat anhelitum. Corpus ejus, misericordiâ motus, Eligius secum absportavit, et tradidit sepulturae....

§ **30**. Inter alia divina charismata, sermo quoque sapientiae et scientiae atque consolationis multus ei collatus erat. Humilitas autem et charitas admirabilis et plane eximia ei inerat. In honore non praeferebat divitem pauperi, aut nobiles et potentes abjectis et vilibus: sed illis severiorem, istis blandiorem se exhibebat. Famulos suos non affligebat, ut solent domini servos, sed tamquam fratres humaniter diligebat. Jam vero in tolerandis barbaris quanta comitas, patientia quanta! Non cessabat infideles suadendo ad fidem traducere; ingratos officiis lenire, contradicentibus leniter respondere, superbos humiliter tolerare. Ad quaevis dura et adversa perferenda fortis, ad injuriam omnem placidus, ad misericordiam facilis erat. Dicere solebat, res suas non suas esse, sed pauperum: quorum sane procurator egregius fuit, omnia sua liberaliter illis impertiens, in coelis condens thesauros, ubi se

sperabat feliciter sine fine victurum. Erat fide firmus, opere justus, judicio circumspectus, devotione praecipuus, moribus suavissimus, sensu doctissimus, animo tranquillus, corde piissimus. Semper servabat in factis sinceritatem, in corde puritatem, in actione virtutem, in moribus disciplinam. Exhibebat in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in adhortatione diligentiam, in adjuvandis laborantibus vigilantiam, in fovendis pauperibus misericordiam, in defendendis Catholicae Ecclesiae dogmatibus constantiam. Sermo ejus semper comitate et charitate conditus erat, quo mentes audientium tamquam luminare radiantissimum illustrabat. O vere imitandum virum! O semen Abrahae benedictum! O proponenda omnibus Eligii exempla! Sed hactenus quidem, etsi parum eleganter, tamen prolixe, de beati viri vita diximus, quamquam longe minus, quam pro meritis et dignitate illius. Superest nunc, ut pro aedificatione multorum, ejus e vita decessum commemoremus.

§ **31**. Cum ergo beatus Eligius omnia mundi hujus adversa multiplicesque labores diu fortiter tolerasset, innumera misericordiae et benignitatis officia praestitisset, optima vivendi exempla de se praebuisset, captivos plurimos et prope innumerabiles redemisset, magnos monachorum et monacharum greges Domino collegisset, incredibilem eleemosynarum copiam in pauperes contulisset, et ingentes sibi meritorum thesauros coacervasset, annos jam natus amplius septuaginta, sentiens imminere dissolutionem corporis sui, quodam die cum discipulis suis in Noviomensi oppido deambulabat, atque interim casu eminus conspiciens in fronte basilicae beati Medardi parietem nonnihil diruptum, ruinam minari, ocyus jussit acciri artificem, qui parietem communiret. Dicentibus autem discipulis, ut opportunum tempus sustineret, quo et facilius et durabilius reparari posset, ille respondit: « Immo jam fiat: nam alioqui, Eligio superstite, non fiet. » Illo vero sermone mire omnes consternati, gemebundi dixerunt ad eum: « Non contingat, domine, nobis famulis tuis videre quod dicis: sed potius ad Ecclesiae suae ornamentum et pauperum levamentum, Christus tuam beatitudinem in multos annos florere velit. » Tum ille, sublatis suppliciter in coelum oculis, ab imo pectore longa trahens suspiria: « Non nostra, inquit, sed Domini voluntas fiat de me. Exigit sane ipsa naturae conditio, ut post longa vitae hujus oblectamenta tandem eamus ad veniam. Sed et vobis expedit, ut a divina voluntate, quam impedire non potestis, minime discrepetis: sine dubio enim praefinitum tempus nunc adest. » Omnibus igitur valde moerentibus, rursus ait: « Nolite, filioli, dolere hoc nomine, sed potius gratulamini mihi. Hoc tempus enim jam olim ego desiderabam, jampridem hanc mihi missionem post longas vitae hujus aerumnas fieri peroptavi. » Verum illis gementibus, et tamen quadam adhuc ambiguitate haerentibus, illa

tum colloquia intermissa sunt. Sed statim levi beatus vir febre laborare coepit, certiusque jam edoctus de obitu suo, jubet convocari omnes ministros suos, quos ipse multo tempore et aluerat et instituerat, iisque denunciat finem vitae suae jam impendere, atque uti semper consueverat, inter caetera hortatur eos ad servandam pacem mutuam, ad charitatem vel maxime colendam, ut quae sit unitatis et concordiae vinculum. Deinde, evocato Baldredo Tornacensis Ecclesiae Abbate, sic ait: « Ego, frater, quod certissime futurum scio, te celatum nolo. Equidem jam sum abiturus a vita: te vero admoneo, ne unquam velis Turones redire: sed mane hic apud fratres tuos. Quod si secus feceris, jam ante tibi praedico, vivum te inde non rediturum. » Quod quidem sic accidit. Baldredus enim post obitum beati viri sine dilatione Turones petiit: sed post dies non multos, turbâ in eum irruente, valde caesus, et tandem interfectus est. Cum sic autem, ut dicere coepi, vir beatus aegrotaret, et morbus ad quinque vel sex dies ita eum infestaret ut ipse tamen interim scipioni innixus obambularet, morbumque dissimularet: non cessabat ab opere Dei, bonam eam virtutum suarum coronidem fore sperans, si ad extrema usque perduceret id, quod per longa vitae spatia constanter retinuisset. Pernox enim in vigiliis et orationibus, membra lassescentia spiritui servire cogebat, et jam mente quodammodo in coelis degens, optatum iter laetissimus exspectabat. Sentiens autem jam appropinquare felicissimae migrationis diem, pridie Calendas Decembris congregatis undique famulis et discipulis suis, sic locutus est: « Ultimam, dilectissimi, parvitatis meae audite sententiam, et vos amantis suprema verba gratis animis accipite. Si mihi amoris vicem rependitis, mandata praepotentis Dei servate; Jesum semper suspirate, praecepta ejus vestris animis affigite, ejus nomen, ita ut ego, amate; incertum vitae lubricae occasum ob oculos perpetim habete, Dei tremenda judicia nunquam non formidate. Ego jam ingredior viam universae carnis. Itaque me posthac habituri hic non estis. Ego autem certe cupio dissolvi, et, si Domino sic visum est, ire ad requiem. » His dictis, cum omnes flerent et ejularent, singulatim evocatis ille vernaculis suis indicavit praestantissima monasteria, ad quae ipso defuncto conferre se deberent, aitque eis: « Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum. Mementote admonitionum mearum, et jam singuli de vobis ipsis cogitate. Eligius enim migrat, nec deinceps in hoc seculo erit vobiscum. » Tum vero omnes, qui aderant, cum ingenti rugitu, singultibus vocem interrumpentibus, ita dixerunt: « Cui nos, pater, relinquis? quid ita cito a nobis recedis? Cui orbatos tradis alumnos tuos, aut cui, pastor optime, gregem, quem ex gentibus congregasti, fovendum committis? Scimus quidem jam olim flagrare te Christi desiderio, sed salva tibi manent praemia tua: nec si diutius hic er

illa minuentur, immo aucta potius in dies cumulabuntur. Si igitur fieri potest, differ exitum: ne ille nobis omnibus afferat exitium. Non te cogit migrare aetas: nostri, pater, miserere, quos deseris. Aut si omnino placet exire, nos habeto itineris comites. Nobis enim praestabilius est tecum mori, quam sine te vivere. Absentiam tuam ferre non possumus. Neque enim habebimus similem tui. » Haec atque alia illis dicentibus, vir piissimus ubertim flebat, lacrymis clementissimum ejus animum satis testantibus. Gaudebat se vocari a Domino, dolebat illos destitui. Incitabat pietas, ne eos desereret: Christi desiderium impellebat, ne diutius ab illo se separari pateretur, quem ardentissime sitiebat, et oculis interioribus tota mente complectebatur. Tandem inter ipsas lacrymas ita rursus eos compellat: « Facessat moeror, nec mihi, quaeso, fletu vestro molestiam afferatis. De recessu meo, si sapitis, gaudere vos potius convenit, quam lugere, etsi enim corpore absens ero, spiritu tamen melius vobis adero: atque etiamsi ego nullibi essem, Deus tamen semper ubique est. Illi equidem vos commendo: ego vero si quid boni facere potui, vestris profectibus servire volui. Scietis hoc in illa die, cum judicabit Deus occulta hominum, et dabit unicuique secundum opera ejus. Scio quidem me ceu inutilem servum non fecisse ut debui, sed tamen Dominus novit, quid voluerim. Vos ergo moneo, et per gloriosum Christi adventum obtestor, ut si qua in vobis erga me charitas est, instituta et jussa mea servetis, et monasteriolis meis, quae Christo auspice condidi, ubi poteritis, sollicitudinem adhibeatis: Valete viscera mea. » Haec cum dixisset, die jam advesperascente, fixis humi genibus, cum multo gemitu oravit Dominum, ut benignissima pietate sua daret pastorem commodum et humanum plebi suae: « Ne fiat, inquit, aeterne Pastor, haec plebs sicut oves non habentes pastorem. Commendo tibi oves, quas mihi credidisti: et familiam omnem, quam per ministerium officii mei tuo sancto servitio mancipasti. Tuo, quaeso, semper auxilio protegantur, tuo nutu gubernentur. » O praestantem Eligii charitatem, et eximiam bonitatem! Jamjamque abiturus e mundo, sui quodammodo curâ neglectâ, aliorum, uti semper consueverat, tam sollicite memor est.

§ **22**. Deinde in extremis positus, cum modicus calor teperet in pectore, nec praeter sensum quicquam vivi hominis superesset, osculatus est discipulos suos, et per singulos plorans: « Jam non ultra, inquit, loquar vobiscum. Valete jam in pace, et me deinceps sinite quiescere. Redeat terra in terram. » Quae ejus verba omnium animos incredibili conficiebant dolore, ita ut lacrymas nulla ratione reprimere possent, et vox faucibus haereret, conantesque linguas in verba prorumpere, singultus et suspiria interpellarent. Sed haec tamen utcumque depromebant: « Dolemus quidem acerrime nos tua praesentia orbari: sed tua causa, pater

optime, consolamur nos, quod post vitae hujus labores ad requiem aeternam proficisceris. » Tum ille oculis manibusque in coelum erectis, diu mente precabatur. Deinde in vocem prorumpens: « Nunc dimittis, inquit, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me: et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Memento mei, qui solus sine peccato es, Christe mundi redemptor, et educens me de morte corporis hujus, salvum me fac in regnum tuum coeleste. Tu semper fuisti protector meus: in manus tuas commendo spiritum meum. Scio me non mereri conspectum tuum: tamen tu scis, quia semper spes mea fuit in misericordia tua, et fides mea in tua credulitate permansit. Et nunc quoque in confessione sancti nominis tui moriens, extremum, Christe, anhelitum efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, et non confundas me ab exspectatione mea. Aperi mihi properanti januam vitae, et principes tenebrarum non occurrant mihi, nec conturbent me potestates aëris hujus: sed clemens dextera tua protegat me, et tua potentia me defendat, manusque tua deducat me in locum refrigerii, et vel in ultimam mansionem ex iis, quas praeparasti servis tuis timentibus te. » Sub his verbis reddit spiritum. Erat tum prima noctis hora: et ecce confestim visa est ex illis aedibus lux ingens et valde corusca sursum ascendere, atque inter mirantium obtutus sphaera ignea, crucis in se effigiem praeferens, perniciter admodum per densas nubes in coelum penetrare. Atque hunc in modum sancta illa anima, depositâ carnis sarcinâ, et a vitae hujus angoribus liberata, ad suum jucundissima revolavit Auctorem, et in antiquam possessionem post longam exsilii hujus peregrinationem, coelo gaudente, terra plorante, Angelis plaudentibus, ovans ascendit. Quam vero sanctus ille vir carus fuerit plebi, mox ab ejus obitu declaratum est. Vix enim spiritum exhalaverat, et jam tota urbs luctu omnia complebat, ut tamquam communis parentis obitu, omnes orbitatis vulnere confecti viderentur. Compositum autem ex more corpus, in ecclesiam deportatum est, ibique pariter clerus in hymnis, populus in lamentis, noctem duxere pervigilem.

§ **33**. Mane ingens utriusque sexus multitudo ad oppidum advolavit, itemque regina Bathildis * cum filiis et proceribus, multoque exercitu. Et ipsa quidem regina propere ad corpus beati viri accurrens, magnam illic fudit lacrymarum vim, valde dolens, quod eum vivum non reperisset. Interim jubet praeparari omnia, ut possit corpus ad Calam ** monasterium ejus transferri. Sed cum loco moveri non posset, magno animi dolore affecta est,

* Clodovei II uxor. Ipsa Sanctorum catalogo est adscripta, ac ejus festum die 26 januarii celebratur. Vide Surium, vol. I.
** Vulgo *Chelles*, in Parisiensi dioecesi.

curavitque triduanum indicendum jejunium : quod etiam ipsa cum optimatibus suis et clero servavit, jejunio etiam cum illis pariter perpetuas adjungens vigilias. Quae cum fierent, intantum illa moerebat et lugebat, ut nullo pacto lacrymas froenare posset. Cumque prae nimio dolore desiderium ejus ferre non sustineret, tandem ut animo suo satisfaceret, detecto ejus vultu, cum multis lacrymis osculata est eum, itemque pectus et manus. Ecce autem dum sic palpat sacrum corpus, tametsi erat hibernum tempus, et jamdiu illud fuisset exanime, prorsusque frigidum, copiosus sanguis ex ejus naribus manavit. Id ubi viderunt Episcopi et regina Christianissima, confestim admoverunt lintea, summo studio sanguinem colligentes, eum pro magno munere in reliquiis servandum sposituri. Interim, expleto jejunio, modis omnibus satagebat regina, ut corpus beati viri in Calam monasterium ejus transferretur. Sed ediverso alii Parisios illud transferre volebant. Quibus utrisque se opponebant cives Noviomenses, justissimam haereditatem corpus antistitis sui sibi vindicantes. Sub ea pia contentione, cum Episcopi et praestantiores quique faverent reginae partibus, decernerentque ad monasterium beati viri corpus ejus transferendum, magnus clamor et tumultus ortus est in universo populo Noviomensi. Tum regina prudenti usa consilio, omnipotentis Dei judicio rem totam committens : « Facessant, inquit, verborum contentiones. Si placet Deo et sancto ejus, ut perducatur corpus, quo ego volo, illico se levari sinat. Sin aliter, jam experiamur. » Mox accedunt ad corpus, ut illud tollant, sed nulla vi moveri potest. Tentatur id subinde ab aliis atque aliis, et tandem ab ipsa regina, totis viribus in id incumbente, sed nihil efficiunt. Tum regina ad proceres se vertens : « Jam perspicue, ait, animadvertimus, nolle eum alio absportari. Permittamus igitur huic populo vel inviti, quod hactenus sponte noluimus. » Assenserunt omnes, et simul atque feretrum levare coeperunt, tanta facilitate motum est, ut commode jam a duobus portaretur, quod paulo ante plurimi nec movere leviter poterant. Id miraculum cum vidisset regina et cives omnes, in Dei laudes eruperunt. dixeruntque: *Mirabilis es Deus in sanctis tuis* (*Psal.* 67). Cum autem ad sepulcrum deduceretur, tota pene civitas praesto fuit ad funeris obsequia, multum lugens decessum pastoris sui. Ipsa quoque regina, licet hiemis tempore palus valde excrevisset, adduci non potuit, ut equo veheretur : sed pedestri gravique labore sequens feretrum per paludem, cum omni familia lamentabatur. O quantus ibi tunc erat luctus omnium, in primis autem monachorum et pauperum, quorum planctus per plateas omnes audiebatur ! Cantabat clerus voce lacrymabili, et agmina plorantium miserabiles in aethera dabant voces. Et ut in pauca conferam, plena erant omnia luctu incredibili : flebilibusque vagas implebant vocibus auras, clamabantque passim omnes, patrem se et nutritium

perdidisse: nec facile poterat psallentis cleri cantus a lamentantis populi planctu internosci. Et quis illo die tam saxeus aut plane ferreus esse poterat, ut cum videret reginam et proceres, pauperes et divites, plebem universam tam misere plorare, non ipse pariter acerbe fleret? Jam vero quis satis explicare queat, aut siccis etiamnum recordari oculis, cum perventum est ad sepulturae locum, quo ardoris desiderio, quo amoris affectu, qua doloris vi et impetu retentum, compressum, retractum sit feretrum a populo, ut, quoad fieri posset, maneret oculis expositum corpus, quo vel sic utcumque suo satisfacerent desiderio? Omnes studiose quasdam injiciebant moras, ne sepulcrum clauderetur: non enim ferre poterant ejus absentiam. Aegre tandem ab Episcopis populo ereptum, monumento traditum est: celeriterque advoluto saxo, in primis reverenter et honorifice illic habetur, aliquando in gloria surrecturum. Ad extremum Regina venerabilis cum plebe valde fessa, postquam illud reverenter venerata est, jejuna recessit, luctuque eam non sinente cibum sumere, sic triduanum lacrymabunda jejunium explevit.....

§ 31. Cum sic autem beati viri corpus ad latus altaris sepultum esset, Episcopo et Reginae in primis consultum visum est, ultra altare ei condere mausoleum, atque eo honorifice illud transferre. Eunt igitur, et diligenter inspiciunt locum, et ecce subito in pariete vident instar arcus quandam apparere rupturam. Inde ergo colligunt, divinitus significari parietem illum eo loco demoliendum. Cumque id magna fiducia facere instituunt, ita paries ille absque ullo hominis conatu sponte collapsus est, ut nec hominem ullum, nec thecam ei propinquam vel tenuiter laederet. Mox itaque coeptum est egregium construi mausoleum. Adventante autem anniversario migrationis ejus die, jam se praeparabant cives ad corpus ejus honorifice transferendum. Regina quoque vestes holosericas maximi pretii apparabat, exutura illud alias, in quibus curarat antea sepeliendum, et has novas indutura. Ad ipsum autem anniversarium diem convenit in oppidum valde frequens populus. Interim canente clero, populo in vigilias incumbente, theca diligenter ablata est a monumento. Deinde, sublato tumuli opertorio, suavissimus e corpore sancti Viri manavit odor: quod quidem tam adhuc integrum planeque incorruptum cernebatur, ut vivere putaretur; quodque admirabilius est, barba et capilli ejus, qui ex more abrasi erant vita functo, in sepulcro rursus creverant, cunctis ad novum et inauditum miraculum obstupescentibus. At Episcopi cum multo timore levantes illud e tumulo, exutis prioribus indumentis, pretiosissimis, quae Regina paraverat, induunt, magnoque studio sigillis munitum reponunt: atque ita demum choro psallente, modulantibusque organis, inde in primis reverenter et studiose translatum, in praeparato mausoleo accurate condunt et componunt, in dies majori honore et veneratione prosequendum...

curavitque triduanum indicendum jejunium : quod etiam ipsa cum optimatibus suis et clero servavit, jejunio etiam cum illis pariter perpetuas adjungens vigilias. Quae cum fierent, intantum illa moerebat et lugebat, ut nullo pacto lacrymas froenare posset. Cumque prae nimio dolore desiderium ejus ferre non sustineret, tandem ut animo suo satisfaceret, detecto ejus vultu, cum multis lacrymis osculata est eum, itemque pectus et manus. Ecce autem dum sic palpat sacrum corpus, tametsi erat hibernum tempus, et jamdiu illud fuisset exanime, prorsusque frigidum, copiosus sanguis ex ejus naribus manavit. Id ubi viderunt Episcopi et regina Christianissima, confestim admoverunt lintea, summo studio sanguinem colligentes, eum pro magno munere in reliquiis servandum sposituri. Interim, expleto jejunio, modis omnibus satagebat regina, ut corpus beati viri in Calam monasterium ejus transferretur. Sed ediverso alii Parisios illud transferre volebant. Quibus utrisque se opponebant cives Noviomenses, justissimam haereditatem corpus antistitis sui sibi vindicantes. Sub ea pia contentione, cum Episcopi et praestantiores quique faverent reginae partibus, decernerentque ad monasterium beati viri corpus ejus transferendum, magnus clamor et tumultus ortus est in universo populo Noviomensi. Tum regina prudenti usa consilio, omnipotentis Dei judicio rem totam committens : « Facessant, inquit, verborum contentiones. Si placet Deo et sancto ejus, ut perducatur corpus, quo ego volo, illico se levari sinat. Sin aliter, jam experiamur. » Mox accedunt ad corpus, ut illud tollant, sed nulla vi moveri potest. Tentatur id subinde ab aliis atque aliis, et tandem ab ipsa regina, totis viribus in id incumbente, sed nihil efficiunt. Tum regina ad proceres se vertens : « Jam perspicue, ait, animadvertimus, nolle eum alio absportari. Permittamus igitur huic populo vel inviti, quod hactenus sponte noluimus. » Assenserunt omnes, et simul atque feretrum levare coeperunt, tanta facilitate motum est, ut commode jam a duobus portaretur, quod paulo ante plurimi nec movere leviter poterant. Id miraculum cum vidisset regina et cives omnes, in Dei laudes eruperunt. dixeruntque: *Mirabilis es Deus in sanctis tuis* (*Psal.* 67). Cum autem ad sepulcrum deduceretur, tota pene civitas praesto fuit ad funeris obsequia, multum lugens decessum pastoris sui. Ipsa quoque regina, licet hiemis tempore palus valde excrevisset, adduci non potuit, ut equo veheretur : sed pedestri gravique labore sequens feretrum per paludem, cum omni familia lamentabatur. O quantus ibi tunc erat luctus omnium, in primis autem monachorum et pauperum, quorum planctus per plateas omnes audiebatur ! Cantabat clerus voce lacrymabili, et agmina plorantium miserabiles in aethera dabant voces. Et ut in pauca conferam, plena erant omnia luctu incredibili : flebilibusque vagas implebant vocibus auras, clamabantque passim omnes, patrem se et nutritium

perdidisse: nec facile poterat psallentis cleri cantus a lamentantis populi planctu internosci. Et quis illo die tam saxeus aut plane ferreus esse poterat, ut cum videret reginam et proceres, pauperes et divites, plebem universam tam misere plorare, non ipse pariter acerbe fleret? Jam vero quis satis explicare queat, aut siccis etiamnum recordari oculis, cum perventum est ad sepulturae locum, quo ardoris desiderio, quo amoris affectu, qua doloris vi et impetu retentum, compressum, retractum sit feretrum a populo, ut, quoad fieri posset, maneret oculis expositum corpus, quo vel sic utcumque suo satisfacerent desiderio? Omnes studiose quasdam injiciebant moras, ne sepulcrum clauderetur: non enim ferre poterant ejus absentiam. Aegre tandem ab Episcopis populo ereptum, monumento traditum est: celeriterque advoluto saxo, in primis reverenter et honorifice illic habetur, aliquando in gloria surrecturum. Ad extremum Regina venerabilis cum plebe valde fessa, postquam illud reverenter venerata est, jejuna recessit, luctuque eam non sinente cibum sumere, sic triduanum lacrymabunda jejunium explevit.....

§ 34. Cum sic autem beati viri corpus ad latus altaris sepultum esset, Episcopo et Reginae in primis consultum visum est, ultra altare ei condere mausoleum, atque eo honorifice illud transferre. Eunt igitur, et diligenter inspiciunt locum, et ecce subito in pariete vident instar arcus quandam apparere rupturam. Inde ergo colligunt, divinitus significari parietem illum eo loco demoliendum. Cumque id magna fiducia facere instituunt, ita paries ille absque ullo hominis conatu sponte collapsus est, ut nec hominem ullum, nec thecam ei propinquam vel tenuiter laederet. Mox itaque coeptum est egregium construi mausoleum. Adventante autem anniversario migrationis ejus die, jam se praeparabant cives ad corpus ejus honorifice transferendum. Regina quoque vestes holosericas maximi pretii apparabat, exutura illud alias, in quibus curarat antea sepeliendum, et has novas indutura. Ad ipsum autem anniversarium diem convenit in oppidum valde frequens populus. Interim canente clero, populo in vigilias incumbente, theca diligenter ablata est a monumento. Deinde, sublato tumuli opertorio, suavissimus e corpore sancti Viri manavit odor: quod quidem tam adhuc integrum planeque incorruptum cernebatur, ut vivere putaretur; quodque admirabilius est, barba et capilli ejus, qui ex more abrasi erant vita functo, in sepulcro rursus creverant, cunctis ad novum et inauditum miraculum obstupescentibus. At Episcopi cum multo timore levantes illud e tumulo, exutis prioribus indumentis, pretiosissimis, quae Regina paraverat, induunt, magnoque studio sigillis munitum reponunt: atque ita demum choro psallente, modulantibusque organis, inde in primis reverenter et studiose translatum, in praeparato mausoleo accurate condunt et componunt, in dies majori honore et veneratione prosequendum...

§ 35. Ad sepulcrum beati viri multae catenae disruptae, multae compedes fractae, cippi dissipati, multaque alia visuntur certissima argumenta miraculorum, quae illic facta sunt et fiunt: e quibus tamen nos vel pauca, vel potius nulla retulimus, quod omnium oculis exposita sint. Neque vero, ut in plerisque solet, haec miracula illic fieri cessant, sed quotidie undique adventant morbidi, et sanantur, ferro vincti absolvuntur, claudi carrucis advecti, suis pedibus recedunt: perjuri aut arripiuntur a daemone, aut moriuntur, daemoniaci liberantur, caeci illuminantur. Multi quoque sanantur morbi oleo illic succrescente: immo quisquis eo perungitur, quacumque laborat infirmitate, statim fugiente morbo, curari potest. Sed quia jam utcumque absolvimus optatum opus, lectorem rogamus, ne vilitatem sermonis nostri plane despiciat. Fortassis potuissent dici a nobis pleraque elegantius: sed studio sic stylum temperavimus, ut res potius, quam verba, lectori commendaremus. Maxime vero ab hoc opere cothurnus tumentis eloquii removeri debuit, quod de tanti Antistitis humilitate manavit. Me quoque devotum potius, quam temerarium fuisse, praesens pagina testabitur. Neque enim confidentia virium mearum, tantam in me provinciam recepi, cum scirem absurdum esse, tantae historiae tantillum adhibere auctorem: sed cum sim debitor decem millium talentorum, vel parum aliquid ei, a quo accepi, reddere volui: plane dignum et justum arbitratus, ut exiguum talentum in laudem sancti viri et gloriam omnipotentis Dei expenderem: et quod ab illo indignus percepi, eidem subjectus impenderem. Tibi nunc, Christe, librum hunc contra aemulos omnes defendendum commendo: tibi devotionis meae dicta supplex committo: tibi in his omnibus et per haec omnia pio, ut possum, affectu persolvo laudem et praeconium, qui tulisti adjutorium, quo posset confici opus optatum. Tibi ergo laus, tibi gloria, tibi honor Creatori et Recreatori hominum, Jesu Christe, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per infinita secula seculorum, Amen *.

* Ex Operibus, a S. Eligio in lucem editis, extant: 1. *Sermo de Certitudine catholicae conversionis*; 2. *Epistola ad Desiderium Cadurcensem*; 3. *Charta fundationis Coenobii Solenniacensis*.

# ACTA *

# SS. HIPPOLYTI, EUSEBII, MARCELLI, MAXIMI, ADRIAE, PAULINAE ET MARIAE MM. **

QUAE EX MS. ANTIQUO CODICE VETUSTATE PROPE CONSUMPTO, A TEMPORIS EDACITATE VINDICAVIT CARD. BARONIUS.

**Martyrio decorati sec. III.**

§ 1. Valerio et Acilio *** Consulibus, Hippolytus civis Romanus Christianus vitam solitariam agebat in cryptis : ad quem, ob Apostolicam eruditionem, quamplures confluebant Gentilium, qui, dantes nomen Christo, baptizabantur. Veniebat frequenter idem Hippolytus ad pedes Stephani Episcopi, ducens secum conversos Christianos, ut baptizarentur; cumque id crebrius fieret, delatores ad Mummium **** Urbis Praefectum deferunt: is detulit Valeriano Imperatori. Id cum rescisset Hippolytus, retulit sancto Stephano Episcopo. Tunc beatus Stephanus, collecta multitudine Christianorum, coepit monitionibus sanctis et eruditione Scripturarum omnes imbuere, inter alia dicens : « Filioli mei, audite me peccatorem. Dum tempus habemus, operemur bonum, et nobis ipsis: tamen primum moneo, ut unusquisque tollat crucem suam, et sequatur Dominum nostrum Jesum Christum, qui dignatus est nobis dicere: *Qui amat animam suam, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam in aeternum* (*Joan.* XII, 25). Unde etiam rogo vos omnes, ut non nostri tantum, sed etiam nostrorum solliciti simus, ut si quis vestrum habet amicum, aut propinquum Gentilem adhuc, non moretur eum ducere ad me, ut baptizetur. » Tunc Hippolytus misit se ad pedes beati Stephani Episcopi, dicens : « Pater bone, rogo te, habeo nepotem meum, et germanam ejus, adhuc Gentiles, quos enutrivi : est autem hic parvulus annorum plus minus decem, puella autem, annorum tredecim : horum mater, Paulina dicta, et ipsa Gentilis; pater itidem nomine Adrias, qui aliquando praedictos ad me mittit. » Tunc beatus Stephanus ei suasit, ut, cum iterum mitteret, eos retineret, ut, ea occasione, etiam parentes veniant, quos simul hortetur.

* Acta haec fuerunt a nobis transcripta e *posteriore* Suriana editione, quum in *priore*, ad hanc diem, omnino desint Sanctorum Vitae.

** Horum omnium Martyrum anniversaria dies, licet diversis passi sint diebus, quarto Nonas Dec. Ecclesiasticis tabulis consignata habetur.

*** Alii, *Lucillum*. **** Alii, *Maximum*.

§ 2. Transacto biduo, praedicti pueri venerunt ad Hippolytum, cibaria quaedam ferentes: quos ille retinuit, et id annunciavit beato Stephano Episcopo: qui veniens, amplexatus est parvulos, demulcens eos. Accurrerunt parentes solliciti pro filiis: quos allocutus est Stephanus de horrore futuri tremendi judicii et de gloria beatorum, hortans pluribus eos idòla relinquere. Id ipsum etiam fecit Hippolytus. Quibus Adrias pater, se spoliari bonis, et caedi gladio (quae omnia parata erant iis qui se Christianos dicerent) timere se ait: id ipsum inculcavit soror Hippolyti, Paulina, invehens in Hippolytum, qui haec suadèret. Erat soror Hippolyti Paulina religionem Christianorum abhorrens. Cumque illos alloquentes audissent, re tamen infecta, sed non prorsus desperata, recesserant.

§ 3. Tunc beatus Stephanus, vocans ad se virum doctissimum Eusebium presbyterum, et Marcellum diaconum, misit eos ad Adriam et Paulinam: quos in Arenarium vocavit, ubi erat Hippolytus: quos advenientes, hisce verbis compellat Eusebius: « Exspectat vos Christus, ut cum ipso introëatis in regnum coelorum. » Contradicente autem Paulina, objiciens gloriam mundi hujus, pluribus insinuavit illi gloriam regni coelestis, quam non essent assecuturi, nisi per fidem, in qua etiam baptizarentur. Paulina autem in sequentem diem responsum distulit. Eâdem nocte, parentes quidam fideles adduxerunt ad Eusebium in Arenarium Pontianum filium suum paralyticum, petentes ut baptizarent eum: qui orans in eumdem baptizavit: qui etiam una cum baptismate sanatus est; et, soluto etiam vinculo linguae, laudabat Deum. Tunc Eusebius obtulit sacrificium, et participati sunt omnes corpore et sanguine Christi. Quod cum cognovisset Stephanus Episcopus, venit ad eos, et gavisi sunt simul.

§ 4. Mane autem facto, redierunt Adrias et Paulina; qui cum ea accepissent de sanitate pueri, mirati sunt admodum, et corde compuncti sternentes se, petierunt et ipsi se baptizari. Haec videns Hippolytus, gratias agens Deo, dixit: « Compleantur solemnia, et interrogatio celebretur: si vere credant, et nulla trepidatio in corde eorum remaneat, ut baptizentur. » Facta autem interrogatione, indixit eis jejunium, et catechizavit omnes, et baptizavit eos in nomine Trinitatis, et, posito signaculo Christi, vocavit puerum Neomen, puellam Mariam: et obtulit pro eis sacrificium, et participati sunt omnes; et discessit beatus Stephanus. Tunc iidem recenter baptizati, coepêre habitare in eodem Arenario cum Hippolyto, Eusebio presbytero, et Marcello diacono: bona autem, quae in Urbe habebant, erogavêre pauperibus.

§ 5. Cumque jam res vulgaretur, delataque esset ad Valerianum Imperatorem, statim jussit illos inquiri, spondens eis, qui eos invenirent, dimidium bonorum ipsorum. Tunc Maximus Commentariensis hac usus est arte, ut eos invenire posset. Finxit se

Christianum esse ac stipe egentem; et veniens in Coelium montem ad Aream Carbonariam, mansit ibi mendicans. Cum autem transiens cum sociis Adrias eleemosynas erogaret, Maximus volens experiri an ille esset, quem quaereret, ait: « Per Christum, quem credo, rogo ut faciatis misericordiam super egestatem meam. » Tunc Adrias misertus illius, jussit se illum sequi. At dum intraret domum, Maximus corripitur a daemone, et clamavit: « Viri Dei, ego divulgator sum vestri: video super me ignem densissimum: orate pro me, quia crucior igne. » Mox, illis orantibus cum lacrymis et sternentibus se, Maximus curatus est. Cumque elevarent eum de terra, clamare coepit: « Pereant deorum cultores; ego baptismum peto. » Duxerunt eum ad beatum Stephanum, qui illum erudiens, demum baptizavit; factusque Christianus habitare voluit una cum Stephano Episcopo aliquot diebus. Post multos autem dies requisitus Maximus Commentariensis et non inventus, nunciatur Valeriano, ipsum factum esse Christianum: qui, missis aliis ex Scrinio in domum ejus, invenerunt eum prostratum orantem: tenentesque duxerunt ad Valerianum, cui ille: « Sic, inquit, caecatus es pecuniis, ut promissionibus tuis me falleres? » At Maximus: « Hactenus, inquit, caecus fui: modo illuminatus video. » — « Quo lumine? » inquit ille. Respondit Maximus: « In fide Domini nostri Jesu Christi. » Tunc iratus Valerianus jussit eum praecipitari per pontem. Postea autem corpus inventum Eusebius sepelivit in coemeterio Callisti, via Appia, decimo tertio Kalendas Februarii *.

§ 6. Post haec Valerianus, magnâ adhibitâ diligentiâ, misit septuaginta milites: qui inventos Eusebium, Adriam, Paulinam et filios, tentosque adduxerunt ad Forum Trajanum. Marcellus vero diaconus occurrens exprobravit Valeriano, quod amici veritatis ab illo jussi sint teneri. Tunc Secundianus Togatus dixit: « Hic est Christianus, sicut et isti. » Intromissus primum Eusebius presbyter: interrogavit eum Judex: « Tu es qui conturbas Urbem? Tamen declara nomen tuum. » Tum ipse: « Eusebius dicor et presbyter. » Tunc Judex praecepit eum segregari, et intromitti Adriam: qui ingressus, rogatus de nomine suo, dixit: « Adrias: quae requiris, vel tardius pervenerunt ad te. » Tunc Judex: « Ex quo, inquit, jure tibi abundantia divitiarum et pecuniarum affluentia, ut seducas populum? » Respondit Adrias: « In nomine Domini mei Jesu Christi, de labore parentum meorum. » Judex dixit: « Ergo si parentum tibi haereditates relictae sunt, tu ipsis utere; et non ad subversionem aliorum uti debes. » Adrias dixit: « Ad meam et filiorum meorum utilitatem expendo, et integre et sine fraude utor. » Judex dixit: « Habes filios vel

* Intra Catacumbas invisitur etiam hodie locus Maximi, sublato corpore, titulo tantum superstite, ut adnotabat Baronius, ad annum 259.

conjugem ?» Respondit : « Hi sunt mecum catenati.» Judex ait : « Introducantur. »

§ 7. Introducta est intra velum Paulina cum filiis Neone et Maria; sequebantur eos Marcellus et Hippolytus. Judex dixit: « Ista est conjux tua, et hi filii tui ? » Respondit Adrias : « Hi sunt. » Tunc judex ad illos conversus, dixit : « Dicite ex ore vestro, quo nomine vocamini ? » Respondit Marcellus : « Dicor Marcellus diaconus. » Judex dixit ad Hippolytum : « Dic tu nomen tuum. » Hippolytus dixit : « Hippolytus servus servorum Christi. » Tunc Judex jussit Paulinam et filios segregari, et dixit ad Adriam : « Divulga thesauros ; et cum iis quibus intromissus es, sacrificate et vivite ; alias citius exhalabitis animam, amittendo vitam vestram. » Respondit Hippolytus : « Nos amisimus vana consilia, et invenimus veritatem. » Dixit Judex : « Quae consensio fuit amissionis ? » Respondit : « Ut projiceremus vana idòla, et inveniremus Dominum coeli, terrae, et maris abyssi, Christum Filium Dei, quem credimus. » Tunc Judex jussit eum in custodia publica poni, et non separari ; ductique sunt in custodiam Mamertini.

§ 8. Post triduum, adhibito in consilio Secundiano et Probo, in Tellude sibi tribunal parari fecit ; ibique omnia genera tormentorum afferri. Et introducto Aria, iterum quaestio habita est de pecuniis. Et non inventis, ara jussa est incendi ante Palladem; jussitque eos thus offerre. Qui omnes respuentes, Judicem deridebant. Tunc jussi exspoliari, nudi extensi, fustibus caedebantur. Tunc beata Paulina, cum acrius caederetur, reddidit Deo spiritum. Hoc videns Judex, sententiam capitis dixit in Eusebium et Marcellum : qui ducti sunt ad Petram sceleratam, juxta amphitheatrum, ad lacum Pastoris, ibidem decollati sunt beatus Eusebius presbyter, et Marcellus diaconus, decimo tertio Kalendas Novembris. Corpora illorum relicta sunt canibus ; corpus Paulinae foras jactatum est : quae cuncta alius Hippolytus, qui et diaconus, collegit, et sepelivit in via Appia, milliario ab urbe, in Arenario, ubi frequenter conveniebant.

§ 9. Secundianus post haec suscepit Adriam et filios in domum suam cum Hippolyto, sollicite perquirens de pecunia. Responderunt illi : « Quod habuimus in pauperes expendimus : thesauri nostri animae nostrae sunt : quas perdere nullatenus volumus. Fac quod tibi praeceptum est. » Tunc Secundianus fecit torqueri filios. Ad quos pater inquit : « Constantes estote, filii. » Qui dum caederentur, dicebant tantum : « Christe, adjuva nos. » Post haec praecepit subjici tormentis Adriam et Hippolytum ; eosque lampadibus praecepit inuri lateribus. Hippolytus dicebat : « Fac quod facis. » Secundianus dixit : « Sacrificate, consensum praebete, dicentes, Facimus. » Ille dicebat : « Ecce epulae sine corruptione. » Cumque multa passi essent, dixit Secundianus : « Cito leventur

e terra, et ducantur ad Petram sceleratam Neon filius, et Maria soror, et necentur in conspectu parentis. » Quo ducti, gladio caesi sunt, jactataque ibi sunt corpora eorum. Quae collecta a fidelibus, sepulta postea sunt in Arenario eodem ubi consueverant convenire, via Appia, milliario ab urbe, sexto Kalendas Novembris.

§ **10**. Secundianus autem cum omnia nunciasset Valeriano, post dies octo jussit parari sibi tribùnal in Circo Flaminio *, atque adduci ad se Hippolytum et Adriam vinctos catenis, et voce praeconis clamari : « Isti sunt sacrilegi, qui evertunt Urbem. » Et cum introducti fuissent, Judex de pecuniis rursus habuit quaestionem, dicens : « Date pecunias, per quas vulgus ducebatis in errorem. » Respondit Adrias : « Nos Christum praedicamus, qui nos de errore dignatus est liberare, non ut homines occidamus, sed vivificemus. » Cum videret Secundianus Togatus se nihil proficere, jussit maxillas eorum plumbatis durissime caedi, ac sub voce praeconis dici : « Sacrificate diis, thura incendentes. » Tripodem enim cum thura illuc fecerat Secundianus portari, Hippolytus cruentatus clamabat : « Fac, miser, quod facis; noli cessare. » Tunc Secundianus caedentibus parci jussit, dixitque ad eos : « Jam consulite vobis ipsis ; ecce parco stultitiae vestrae. » Responderunt *illi* : « Nos parati sumus omnia tormenta sustinere ; et quod tu, vel Princeps jubet, facturi non sumus. » Retulit Secundianus ad Valerianum : qui jussit eos consumi citius in conspectu populi.

§ **11**. Tunc Secundianus jussit eos adduci ad pontem Antonini, et plumbatis caedi diutissime usque ad consummationem eorum ; cumque diutius caederentur, emiserunt spiritum. Et relicta sunt corpora eodem loco, juxta insulam Lycaoniam **. Noctu venit Hippolytus diaconus Romanae Ecclesiae, atque sublata corpora Via Appia, milliario ad Urbe, in Arenario, juxta corpora Sanctorum, sepelivit quinto Idus Decembris. Post menses novem, Romam venit foemina, Martha *** nomine, Graeca genere, una cum filia Valeria, ambae Christianae, Adriae et Paulinae consanguineae ; cumque eos quaererent, nec invenirent, audientes eos martyrio coronatos esse, gavisae sunt vehementer. Et inquirentibus de corporibus illorum, cum invenissent, ibidem diebus ac noctibus vigilantes in orationibus permanserunt usque ad annos tredecim ; reddentes in pace spiritum Deo. Sepultae ibidem sunt quarto idus Decembris in honorem Christi Jesu, Domini nostri, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen ****.

* Arbitrio Principis, diversis locis Senatum cogi, jus dici, causas agi, sententias ferri consuevisse innumera habentur exempla.

** *Lycaonia*, insula inter duos pontes sita, sic appellata fuit, quod ibi Jovis quoque Lycaonis templum esset.

*** Alii, *Martana*.

**** Sacra pignora SS. Hippolyti, Adriae, Mariae, Neonis et Paulinae asservantur in Ecclesia S. Agathae in Suburra, ut ejus Ecclesiae antiqua monumenta demonstrant, teste Baronio in *Notis* ad Martyr. Rom., die secunda decembris.

# VITA S. BIRINI

## EPISCOPI DORCESTRIENSIS ET CONFESSORIS

### INCERTO QUIDEM AUCTORE, SED FIDE DIGNA.

**Floruit sec. VII — Probab. Italus.**

§ **1**. Sanctus Birinus a Papa Honorio * ad praedicandum verba salutis genti Anglorum directus est. In praesentia autem ejusdem Pontificis Honorii, in intimis ultra Anglorum partibus, quo nullus doctor praecessisset, sanctae fidei semina se sparsurum promisit. Unde etiam jussu ejusdem Pontificis per Asterium Genuensem Episcopum in Episcopatus consecratus est gradum. Porro ad littus Britannici freti arrepto itinere perveniens, ascensurus navem, divina celebrat mysteria; sibi suisque viaticum parans, salutaris hostiae pia libamina Deo obtulit. Urgente vero navigationis articulo, ad navem festinans introducitur: et insurgente vento, dum alta sulcarent pelagi, reminiscitur Birinus se rem praecipue caram amisisse, et nautis urgentibus impeditum, in littore, unde ascenderat, reliquisse. Dederat enim ei Honorius Papa pallam, super quam corpus Christi consecrabat, et in qua corpus Dominicum involutum, et ad collum suspensum, semper secum ferebat, atque inter sacranda sacrosancta mysteria super sanctum altare ponere consuevit.

§ **2**. Fide igitur armatus, in mare descendit; Deum auctorem habens, per mare securus incedit; et recepto quod reliquerat, ad navem regreditur. Offendit autem illam quasi immobilem stantem, cum paulo ante per undas maris velociter currentem reliquisset. Ut autem in eam ingressus est, nec una quidem in vestimento ejus aquae gutta deprehensa est. Id nautae videntes, flexis genibus, tamquam Deum eum adoraverunt, et complures ex eis ad fidem Christi, praedicante illo verbum Dei, conversi sunt. Intrante porro illo in portum apud Occidentalium Saxonum gentem **, qui antiquitus Gevissae vocabantur, cum omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est ibi potius verbum Dei praedicare, quam ultra progrediendo, eos, quibus Christum annunciaret, inquirere: maxime cum populi catervatim irruerent, audire cupientes beatum antistitem, et tum corporis, tum cordis auribus, quae ab illo dicebantur, humiliter complectentes.

§ **3**. Erat vero in ea provincia mulier quaedam annosa, quae

* Hujus nominis I. Is Pontificatum gessit ab anno 625 usque ad annum 638.
** In regione, quae *Wessex* nuncupabatur.

longo tempore nec videre, nec audire poterat. Ei per visionem dictum est, ut ad beatum antistitem, receptura sanitatem, ire festinaret. Surgens igitur mulier, ducem parat, qui gressus ejus regat. Episcopus autem visa illa motus pietate, auribus et oculis ejus signum Crucis impressit : et mox depulsa caecitate, visus redditur, et surditatis excluso vitio, auditus reparatur.

§ 4. Evangelizante porro illo in ea provincia, cum Rex Cinigilsus * cateohesi instructus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, sanctus Nordanhumbrorum Rex Oswaldus eum de lavacro exeuntem suscepit : sicque pulcherrimo prorsus Deoque digno consortio, cujus erat filiam habiturus conjugem, eum prius secunda regeneratione Deo dedicatum, sibi filium accepit **. Donaverunt autem ambo Reges eidem Episcopo civitatem, quae vocatur Dorcic. id est, Dorcestra ***, ad constituendam illic sedem Episcopalem. Anno autem tricesimo octavo ab ingressu S. Augustini in Angliam, praedicare coepit S. Birinus Westsaxonibus, et eos baptizare. Porro anno Domini sexcentesimo tricesimo quinto, tempore Regis Cinigilsi, canonicos regulares instituit apud Dorcestram, ab Oxonia milliaribus septem distantem : ubi ipse et successores ejus viginti et septem Episcopi, annis circiter quadringentis et quinquaginta septem , fuere : sed Wilhelmo Conquaestore regnante ****, Remigius Episcopus eam sedem in Lincolniam transtulit. Stephano autem regni gubernacula moderante, Alexander Episcopus canonicos regulares Dorcestrae instituit.

§ 5. Beda venerabilis de gestis Anglorum libro 3, cap. 7, scribit, beatum Birinum factis dedicatisque ecclesiis, multisque ad Dominum pio ejus labore populis advocatis, migrasse ad Dominum, et in eadem civitate sepultum esse: et post multos annos, Hedda Episcopatum agente, eum inde in Wentam civitatem, id est, Wintoniam *****, translatum, et in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli honorifice collocatum. Sed Dorcestrenses canonici in hoc Bedae non assentientes, ad Honorium Pontificem scripserunt, quibus ille hunc in modum respondit : « Honorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Cantuariensi , sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, et dilectis filiis Archidiacono et Officiali Cantuariens. salutem et Apostolicam benedictionem: Ex parte dilectorum filiorum Abbatis et conventus de Dorcestria, fuit nobis humiliter supplicatum, ut corpus sancti Birini, qui olim a felicis recordationis Honorio Papa praedecessore nostro in Angliam destinatus, clarae memoriae Regem Angliae ab idololatria cum gente sua conversum baptizavit, et multis coruscans virtutibus, feliciter officio legationis impleto, defunctus et sepultus in suo monasterio in loco humili extitit, cum nomen ejus in sanctorum catalogo habeatur, faceremus in loco magis

* Vulgo, *Kynegil.*
** Anno 635.
*** Vulgo, *Dorchester.*
**** Qui in Anglia regnare coepit anno 1066.
***** Vulgo, *Winchester.*

idoneo collocari. Nos igitur de vestra discretione plenam fiduciam obtinentes, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si rem inveneritis ita esse, praefatis Abbatis et conventui, ut corpus sancti praedicti ad locum transferant digniorem, auctoritate nostra licentiam concedatis. Datum Lateran. septimo Idus Martii, Pontificatus nostri anno octavo. »

§ 6. Archiepiscopo autem Stephano praedictis Archidiacono et Officiali vices suas committente, pluribus convocatis anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto, inter multos testes, quidam canonicus juratus dixit crebro se audiisse Wilhelmum canonicum dicentem, quemdam ipsi in visu saepius apparuisse, jussisseque sepulcrum quoddam inquirere in Ecclesia Dorcestrensi ante altare sanctae Crucis, ubi inventurus esset corpus S. Birini: factaque ab Abbate potestate, quaesito sepulcro et aperto, praesentibus Abbate et canonicis, invenisse corpus Episcopi integrum cum duplici stola, et infula rubra e panno serico, atque cum Cruce e metallo confecta, pectori ejus imposita: denique cum calice ad umbilicum ejus posito. Post hanc autem corporis inventionem, quidam septennii caecitate laborans eo venit, et visum recepit. Adolescens a nativitate surdus et mutus, et audiendi et loquendi sibi sensit redditam facultatem: qui quidem ait, in visu jussum se ire Dorcestram, sanitatem illic consecuturum. Cum autem respondisset nescire se locum, eum qui apparuit, dixisse, se ipsum velle ducere. Atque ita expergefactum se ab eodem perductum esse ad locum. Ubi cum curatus esset, et Anglice loqueretur, canonicum quemdam joco dixisse ipsi: Qui te loqui docuit, non fuit aulicus: nam alioqui potuisset docere te aliud idioma. Tum vero intra triduum ita perfecte Gallice, ut Anglice, se loqui coepisse. Est illic etiam quidam excitatus mortuus, leprosus mundatus, rursusque duo alii a morte ad vitam revocati, et ab ipso ortu mutus, loquendi beneficio donatus.

§ 7. Quae quidem omnia, et plura alia cum ab Abbate et conventu proposita fuissent, quaesitum est ex eis, num qua scriptura cum corpore reperta esset. Abbate id negante, cunctis consentientibus, apertum est sepulcrum: inventaque sunt ossa omnia naturali situ et ordine collocata, sed carne in cineres redacta. Inventus quoque est annulus, itemque Crux plumbea super pectus ejus, calix parvus, particulae vestimentorum ejus, duae stolae, sed non integrae. Inventa est etiam crumena quaedam serica super pectus ejus, itemque pera ex una parte auro contexta: in qua omnes asserebant pallam supra memoratam, cum Christi corpore fuisse, cujus causa, ut dictum est, supra mare siccis pedibus ambulavit. Exclamavit autem Abbas quidam: « Certus equidem sum, isthuc corpus esse sancti Bertini. Audivi enim hac nocte quasi cujusdam magnae personae vocem ejusmodi: Ne dubitetis de inventione corporis beati Birini. Totum corpus reperietis, sed

redactum in cinerem. » Quaesitum deinde est ex Abbate, quid responderet ad id, quod Beda scriptum reliquit, beatum Birinum sepultum quidem fuisse in Ecclesia Dorcestrensi, sed post multos annos ad Ecclesiam Wentanam translatum. Ille vero non negavit ita scriptum esse, sed addebat, in Chronicis non solum visa, sed etiam audita annotari. Tum praeterea ajebat, corpus cujusdam Episcopi, in angulo retro ostium ecclesiae sepultum, Wentanam sive Wintoniam translatum fuisse, ossibus quibusdam in ea ecclesia relictis: nec credendum esse talem Episcopum atque Legatum, tam vili loco humatum esse. Denique addebat, post primam beati Birini inventionem quemdam sanctae vitae virum, inclusum apud Haliwelle extra Oxoniam, Matthaeum nomine, audivisse vocem dicentem sibi: « Birinus in pavimento, Bertinus retro ostium: » qui quidem Bertinus decimus a Birino Episcopus fuit. Ad extremum affirmabat, multa Dorcestrae miracula fieri, Wintoniae nulla.

§ 8. De iis autem certior redditus summus Pontifex, ita rescripsit: « Honorius Episcopus, etc. Venerabili fratri Stephano Cantuarien. Archiepiscopo, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, et dilecto filio magistro Othoni subdiacono nostro, salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectis filiis Abbate et conventu de Dorcestre olim nobis insinuantibus, quod corpus beati Birini Episcopi in eorum Ecclesia in loco humili requiescit: et humiliter supplicantibus, ut illud faceremus in loco magis idoneo collocari: tibi frater Archiepiscope, ac dilectis filiis Archidiacono et Officiali Cantuar. per nostras dedimus litteras in mandatis, ut si inveneritis rem taliter se habere, concederetis ipsi Abbati et conventui auctoritate nostra licentiam corpus ipsum ad locum magis idoneum transferendi. Nuper autem recepimus tuas, et eorum Archidiaconi et Officialis litteras, continentes quod ipse Archidiaconus vice tua et Officialis praedicti, personaliter ad locum ipsum accessit, et accitis viris vita et fama conspicuis, super hoc veritatem quanta potuit diligentia inquisivit. Licet autem per ea, quae invenit super inventione sepulcri, ubi praedicti sancti corpus requiescere dicitur, ac super miraculis, quibus divina dignatio locum ipsum ad invocationem nominis praefati gloriosissimi Sancti, tam misericorditer, quam mirabiliter modernis temporibus illustravit, necnon per indicia in sepulcro ipso, quod fecit aperiri, reperta, vobis fuit verisimile visum, quod ejusdem sancti corpus in loco requiescit eodem: quia tamen in libro Bedae de Gestis Anglorum, legitur, corpus ipsum apud Wintoniensem ecclesiam olim fuisse translatum: verentes procedere in negotio, contra tanti viri dicta ne argueremini aliquid praesumpsisse, negotium ipsum ad Apostolicum judicium remisistis, processum ipsius Archidiaconi nobis sub sigillis vestris fideliter transmittendo. Quamquam igitur ex ipso processu appareat evidenter, locum ipsum tot et tantis, tamque claris per

saepedicti sancti merita gloriosa coruscare miraculis, ac verisimile sit, et merito credi possit, quod ipse gloriosissimus sanctus locum ipsum sua praesentia corporali nobilitat, quem ad invocationem nominis ejus divina potentia tot et tantorum miraculorum attestatione illustravit: ne tamen in tali negotio aliquid de contingentibus omittatur, processum ipsum vobis sub bulla nostra duximus remittendum, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad Wintoniensem ecclesiam personaliter accedatis, et inquiratis sollicite, si per miracula facta in ipsa Wintoniensi ecclesia mirificavit Dominus sanctum suum. Et si vobis constiterit, miracula paria vel majora his, quae continentur in processu praedicto, ad invocationem nominis dicti sancti facta esse in ipsa Wintoniensi ecclesia, negotio supersedeatis eodem, nobis, quod inveneritis, litteris vestris fideliter intimantes. Alioquin cum verisimile sit, immo dubitari non debeat, quin ipse Beda in Anglorum historia multa retulerit de auditu: et etiam esse potuerit, ut cum duorum sanctorum pontificum, Birini scilicet et Bertini, corpora in praefata ecclesia de Dorcestre, sicut ex ipso processu colligitur, fuerunt tumulata, quod Beda de Bertino scripsit, fuerit de Birino receptum, nomine Scriptorum negligentia vitiato: saepedicti sancti gloriosissimum corpus pronuncietis requiescere in saepedicta Dorcestre ecclesia, quae ipsius sancti meritis tot tantorumque miraculorum fulgore noscitur illustrata, ipsi Abbati et conventui tribuatis auctoritate nostra licentiam ipsum corpus in locum magis idoneum transferendi. Datum Reatine Nonis Augusti, Pontificatus nostri anno decimo. »

§ 9. Executionem hujus Bullae nusquam reperire potui: novi tamen, sicut in illo loco didici, corpus S. Birini gloriosum de loco, ubi in memorata ecclesia antiquitus fuerat sepultum, cum magno honore, sicut intuentibus liquet, esse translatum. Obiit autem tertio Nonas Decembris.

---

# S. BARBARAE VIRGINIS ET MARTYRIS
# VITA

A PETRO GALESINIO, PROTONOTARIO APOST.,
CONTEXTA EX GRAECIS AUCTORIBUS JOANNE DAMASCENO ET ARSENIO.

**Passa est probab. sec. III — Anno incerto.**

§ 1. Barbara virgo et martyr, Maximiano * Imperatore, Christiani nominis infensissimo hoste, multis et virtutibus et miraculis insignis fuit. Patrem habuit Dioscorum, Graecum hominem, nobilem quidem virum, divitiisque affluentem: at impium, et idolorum cultui vel maxime deditum. Huic patri filia plane dissimilis, aeternae salutis appetens, in assidua Dei divinarumque rerum contemplatione versabatur. Nam ab ineunte aetate ita se a rerum humilium et caducarum cogitatione abduxit, ut cum mundi fabricam saepe intentoque animo consideraret, tum magnitudine ejus et pulcritudine animadversa, perpetuam constantiam, et certum rerum ordinem admiraretur: facile inde perspexit, tanti operis laudem fortunae ac falsis idolis non esse tribuendam: sed aliquem praeesse, qui haec omnia fabricatus, summa sapientia moderetur atque conservet. Hacque contemplatione summum rerum opificem colligens, in idolorum, quae pater venerabatur, os conspuit, ac dixit praeterea: « Vestri similes sunt, et qui vos fingunt, et qui vos colunt. » Atque ita quidem puella Barbara, Spiritus Sancti lumine duce, progrediebatur in fide, et sapientia, et aetate, et gratia.

§ 2. Eam unicam filiam pater Dioscorus habuit, egregiâ formâ et morum sanctitate praestantem: quae ne ab hominibus videretur, turrim altam aedificavit, in qua virginem inclusit. Qua in turri cum illa, utpote quae initio aetatis contemplationi rerum coelestium dedita fuit, vitam traduceret, multa secum pie et religiose meditabatur: saepeque idolorum nefarium cultum detestata, Christianae religionis fidem non modo intimis animi sensibus, sed aperte colens, zelo Dei accensa, cum de divinis caeteris rebus, tum de animae immortalitate, de coelestibus praemiis, de supplicio aeterno, ac de caducis hujus mundi rebus sermonem habebat: in iisque solis animi exercitationibus virgo conquiescebat: cujus voluntas in lege Dei fuit, et in ejus praeceptis meditabatur die ac nocte. Quibus meditationibus cum animum virgo excoleret,

* Quisnam hic fuerit, an Maximianus Herculius, vel Galerius Maximianus cognomento Armentarius, vel Galerius Maximinus, incertum est.

pater impulsus a multis, iisque nobilibus et potentibus viris, qui sibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei suadere conatur. At illa praecise negat se velle nubere. Stultum enim fore duxit, se jam semel coelesti sponso dicatam, terrenas nuptias inire, hocque pacto a contemplatione rerum divinarum abduci: qua una suavissima cogitatione, tamquam saluberrimo cibo, ejus anima alebatur ad aeternitatem.

§ 3. Itaque pater cum id impetrare nulla ratione potuerit, perspecta constanti filiae voluntate, ab ejus oculis longe peregrinari statuit, id certe sperans, ut patris desiderio victa filia, ejus voluntati cederet. Sed ex coelestibus illis deliciis, quas pura mentis cogitatione virgo concipiebat, tantum roboris accepit, ut nullis minis perterrita, nuptiis unquam consenserit, quas terrenas pater appetebat. Iste porro cum peregrinari statuisset, hoc ab eo filia petit, ut balneum sibi aedificetur. Consentit pater, fenestrasque duas, quibus lumen exciperetur, in eo fieri jubet. Hoc aedificium, pater absente, contemplata virgo Barbara, ut fidei, quam religiose colebat, posteris monimentum relinqueret, sanctae Trinitatis exemplar in eo exprimendum curavit. Itaque pro duabus fenestris, quas pater praescripserat, tres fieri, et fabri pavimentum Crucis imagine ornari jussit: sicque magna cum fidei suae significatione, aedificium illud obscurum et antri simile, sanctimoniae et spiritus plenum demonstravit. Pater reversus, aedificii rationem mutatam dolet, isque propterea furenter irascitur. Fabri culpam in filiam rejiciunt: quae opportunam hanc nacta occasionem, aperte de sacrosanctae Trinitatis gloria divinitus multa dixit. Deinde pluribus verbis ad salutarem Christi Jesu fidem cohortata est patrem: qui gravi filiae oratione iratior factus, ut is, qui omni impietate imbutus erat, e charitatis finibus egressus, stricto ense unicam filiam aggreditur.

§ 4. At ea scelerati patris impetum cum potius miseraretur, quam timeret, ob eam causam, ne ille se filiae caede nefaria inquinaret, ut irruentis in se patris crudelem conatum animadvertit, statim fuga salutem quaesivit; Deique ope tunc e periculo liberata, quod ingens saxum mirabiliter se patefaciens, fugienti viam aperuit, in summum montem se recepit, ubi in specu occultata, patri latèret. O rem vere omni admiratione dignam! saxum discinditur, ut suo complexu virginem tueatur. Pater, ea re admirabili conspecta, non commotus, filiam insequitur, ut occidat. Itaque illam diligenter dum investigat, in duos pastores incidit: quorum alter se puellam vidisse negavit, alter digito ostendit, quo loco latèret. Pater inhumanus filiam ubi invenit, ejus latera pedibus, dorsum pugnis foede percutit, crinibus raptatam, via aspera ac difficili illam trahit. His cruciatibus virgo, tamquam domus in saxo fundata, quae neque fluminum, neque ventorum vi concutitur, a fidei Christianae proposito non

removetur: immo firmior et constantior facta, in tetrum carcerem includitur: ubi ab omnibus destituta, fame et siti afflicta, passis ad coelum manibus, a Christo sponso, cujus desiderio tenebatur, auxilium implorat, clamitans: *Demonstra mihi, quem dilexit anima mea, ubi gregem pascis, ubi meridie recubas.* Rursus: *Unguentum est effusum nomen tuum, propterea dilexerunt te puellae, te prosecutae sunt, dicentes: Curramus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I).

§ 5. Barbarae virginis constantiam pater aegre ferens, vehementiori ira exardescit: eamque propterea Praesidi provinciae Martiano tradit: a quo id magnopere petit, ut nisi Barbara filia, Christiana repudiata fide, patrium deorum cultum suscipere velit, exquisitis torqueatur suppliciis. Praeses autem, ne ira aut perturbatione ulla commotus videretur, primum verborum blanditiis, et laudum illecebris, quibus armis ad fallendum satanas utitur, virginem attentat: cumque de ejus pulcritudine, generis splendore, paternisque opibus, tum de aliis rebus, quibus illa facile allectari posset, multa admodum dixisset, postremo ostendit, se, ut ejus statui consuleret, deposita magistratus, quem gerebat, severitate, leniter ac benigne secum egisse. Proinde ipsa daret operam, ut bene monenti parèret, paternamque religionem amplecteretur, tempore et legibus confirmatam. Ubi ea, quae Praeses locutus est, virgo audivit, gravi ac pia oratione declaravit, se, quae terrena sunt, quaeque caduca, aliaque ejusmodi, contemnere, ac pro nihilo putare: eaque toto animo solum appetere, quae coelestia sunt, et quae sempiterna. Propterea non esse dixit, cur ejus consilio parèret: immo vero voce, vultu et animo constanti ac libero sanctam Jesu Christi fidem confessa, Praesidem, qui idolorum impietatem malitiosis blanditiis suadere ei conabatur, vehementer reprehendit iis verbis: « Ego, inquit, sacrificare parata sum Domino meo Jesu Christo, qui creavit coelum et terram, et omnia quaecumque coeli et terrae ambitu continentur. Vestros autem deos detestor, quos Propheta optime sic descripsit: *Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt: manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non erit vox in gutture eorum. Similes illis sunt, qui faciunt, et omnes qui confidunt in eis* (*Ps.* 113 *et* 134). »

§ 6. Praeses igitur cum allicere blanditiis virginem non potuisset ad falsum idolorum cultum, tum etiam ejus oratione gravius commotus, deposita omni simulatione, vultu tristi ac severo tormenta, quibus illa crucietur, apparari jubet, id aliquando sperans fore, ut hac via sibi succederet, quod assequi vehementer conabatur. Itaque virgini vestimenta primum eripiuntur: deinde nuda nervis bubulis caeditur: et quo acrior ei dolor inureretur, praeacutis testulis vulnera perfricantur. His tamen cruciamentis virgo et martyr Barbara non fracta, neque

pater impulsus a multis, iisque nobilibus et potentibus viris, qui sibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei suadere conatur. At illa praecise negat se velle nubere. Stultum enim fore duxit, se jam semel coelesti sponso dicatam, terrenas nuptias inire, hocque pacto a contemplatione rerum divinarum abduci: qua una suavissima cogitatione, tamquam saluberrimo cibo, ejus anima alebatur ad aeternitatem.

§ 3. Itaque pater cum id impetrare nulla ratione potuerit, perspecta constanti filiae voluntate, ab ejus oculis longe peregrinari statuit, id certe sperans, ut patris desiderio victa filia, ejus voluntati cederet. Sed ex coelestibus illis deliciis, quas pura mentis cogitatione virgo concipiebat, tantum roboris accepit, ut nullis minis perterrita, nuptiis unquam consenserit, quas terrenas pater appetebat. Iste porro cum peregrinari statuisset, hoc ab eo filia petit, ut balneum sibi aedificetur. Consentit pater, fenestrasque duas, quibus lumen exciperetur, in eo fieri jubet. Hoc aedificium, pater absente, contemplata virgo Barbara, ut fidei, quam religiose colebat, posteris monimentum relinqueret, sanctae Trinitatis exemplar in eo exprimendum curavit. Itaque pro duabus fenestris, quas pater praescripserat, tres fieri, et fabri pavimentum Crucis imagine ornari jussit: sicque magna cum fidei suae significatione, aedificium illud obscurum et antri simile, sanctimoniae et spiritus plenum demonstravit. Pater reversus, aedificii rationem mutatam dolet, isque propterea furenter irascitur. Fabri culpam in filiam rejiciunt: quae opportunam hanc nacta occasionem, aperte de sacrosanctae Trinitatis gloria divinitus multa dixit. Deinde pluribus verbis ad salutarem Christi Jesu fidem cohortata est patrem: qui gravi filiae oratione iratior factus, ut is, qui omni impietate imbutus erat, e charitatis finibus egressus, stricto ense unicam filiam aggreditur.

§ 4. At ea scelerati patris impetum cum potius miseraretur, quam timeret, ob eam causam, ne ille se filiae caede nefaria inquinaret, ut irruentis in se patris crudelem conatum animadvertit, statim fuga salutem quaesivit; Deique ope tunc e periculo liberata, quod ingens saxum mirabiliter se patefaciens, fugienti viam aperuit, in summum montem se recepit, ubi in specu occultata, patri latèret. O rem vere omni admiratione dignam! saxum discinditur, ut suo complexu virginem tueatur. Pater, ea re admirabili conspecta, non commotus, filiam insequitur, ut occidat. Itaque illam diligenter dum investigat, in duos pastores incidit: quorum alter se puellam vidisse negavit, alter digito ostendit, quo loco latèret. Pater inhumanus filiam ubi invenit, ejus latera pedibus, dorsum pugnis foede percutit, crinibus raptatam, via aspera ac difficili illam trahit. His cruciatibus virgo, tamquam domus in saxo fundata, quae neque fluminum, neque ventorum vi concutitur, a fidei Christianae proposito non

removetur: immo firmior et constantior facta, in tetrum carcerem includitur: ubi ab omnibus destituta, fame et siti afflicta, passis ad coelum manibus, a Christo sponso, cujus desiderio tenebatur, auxilium implorat, clamitans: *Demonstra mihi, quem dilexit anima mea, ubi gregem pascis, ubi meridie recubas.* Rursus: *Unguentum est effusum nomen tuum, propterea dilexerunt te puellae, te prosecutae sunt, dicentes: Curramus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I).

§ 5. Barbarae virginis constantiam pater aegre ferens, vehementiori ira exardescit: eamque propterea Praesidi provinciae Martiano tradit: a quo id magnopere petit, ut nisi Barbara filia, Christiana repudiata fide, patrium deorum cultum suscipere velit, exquisitis torqueatur suppliciis. Praeses autem, ne ira aut perturbatione ulla commotus videretur, primum verborum blanditiis, et laudum illecebris, quibus armis ad fallendum satanas utitur, virginem attentat: cumque de ejus pulcritudine, generis splendore, paternisque opibus, tum de aliis rebus, quibus illa facile allectari posset, multa admodum dixisset, postremo ostendit, se, ut ejus statui consuleret, deposita magistratus, quem gerebat, severitate, leniter ac benigne secum egisse. Proinde ipsa daret operam, ut bene monenti parèret, paternamque religionem amplecteretur, tempore et legibus confirmatam. Ubi ea, quae Praeses locutus est, virgo audivit, gravi ac pia oratione declaravit, se, quae terrena sunt, quaeque caduca, aliaque ejusmodi, contemnere, ac pro nihilo putare: eaque toto animo solum appetere, quae coelestia sunt, et quae sempiterna. Propterea non esse dixit, cur ejus consilio parèret: immo vero voce, vultu et animo constanti ac libero sanctam Jesu Christi fidem confessa, Praesidem, qui idolorum impietatem malitiosis blanditiis suadere ei conabatur, vehementer reprehendit iis verbis: « Ego, inquit, sacrificare parata sum Domino meo Jesu Christo, qui creavit coelum et terram, et omnia quaecumque coeli et terrae ambitu continentur. Vestros autem deos detestor, quos Propheta optime sic descripsit: *Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt: manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non erit vox in gutture eorum. Similes illis sunt, qui faciunt, et omnes qui confidunt in eis* (*Ps.* 113 *et* 134). »

§ 6. Praeses igitur cum allicere blanditiis virginem non potuisset ad falsum idolorum cultum, tum etiam ejus oratione gravius commotus, deposita omni simulatione, vultu tristi ac severo tormenta, quibus illa crucietur, apparari jubet, id aliquando sperans fore, ut hac via sibi succederet, quod assequi vehementer conabatur. Itaque virgini vestimenta primum eripiuntur: deinde nuda nervis bubulis caeditur: et quo acrior ei dolor inureretur, praeacutis testulis vulnera perfricantur. His tamen cruciamentis virgo et martyr Barbara non fracta, neque

debilitata, a Christiana religione abduci non potest. Quam animi constantiam in ea Praeses expertus, in carcerem tandiu illam includi jubet, quoad statueret, quae graviora ei in posterum adhiberet supplicia. In custodia cum illa esset, media nocte carcer, ubi erat, clarissima luce collustratur, in conspectumque ei se gloriae Dominus dedit: qui et praesentem dolorem consolatus est, et ad reliquas pugnas atque poenas cohortatione confirmavit: tum vulnera, quae ei gravia injusta erant, sanavit.

§ 7. Quae miracula cernens Juliana religiosa foemina, secum ipsa mirata est, quo modo in ipso aetatis flore illa prae paterno timore et observantia antiquius duxerit se per tormenta Deo conciliari, quam paternas, quae ab Praeside ei propositae erant, delicias persequi. Haec igitur non sine summa admiratione animo illa reputans, in idem certamen, quod forti invictoque animo Barbara virgo sustinebat, se sponte conjecit. Sic admirabiliter sanata virgo, maxima fiducia esse coepit, ita ut tormenta vel gravissima non timeret. Itaque postridie ejus diei mane in judicium cum ducta esset, neque ullum plagarum, quas acceperat, signum apparèret: Praeses admirabili ea curatione perspecta. « Vides, inquit, puella, quantam tui curam dii gerant, qui te verberibus graviter caesam, sanaverunt? Est igitur, cur illis et gratiam habeas, et cultum tribuas, quorum singulari beneficio incolumis et salva es. » At illa, quae a Christo sponso, non ullis verborum insidiis, non minis, non caede, non suppliciis divelli poterat, summa vocis et orationis gravitate in hanc, quae sequitur, sententiam respondit: « Dii tui sunt tui similes, muti, caeci, et sensus omnis expertes, qui caecis non videndi, claudis non ambulandi, mutis non loquendi facultatem tribuere queunt, non aegros sanare, non mortuos ad vitam revocare possunt. Qui haec omnia praestitit, et praestare potest, is Christus est Jesus filius Dei vivi. Hic ipse est, qui me sanavit, quem tu profanis oculis, et mente tenebris obducta videre non potes; neque enim tanta dignus es gratia. »

§ 8. Hac oratione Praeses vehementius commotus, virginem ferreis unguibus dilaniari, ejus lateribus faces accensas admoveri, tum demum caput malleolis quibusdam pertundi jubet. Illa vero, conjectis in coelum oculis: « Domine, inquit, qui scrutator es cordium, nosti quanto tui desiderio tenear: ne me derelinquas, quaeso, usque in finem. » Strenua Christi martyr Barbara iterum gravissimis suppliciis cum torqueretur, ea fortius tulit, quam non solum mulieris imbecillitas, sed humana natura postularet. At Juliana, religiosa et pia mulier, cum teterrima, quibus illa afficiebatur, supplicia cerneret, non potuit lacrymas et gemitus continere; non destitit tamen in his lamentis eam ad fidei constantiam cohortari.

§ 9. Quod cum Praeses animadverteret, iisdem tormentis ipsam

cruciari imperat. Itaque uni, et item alteri ubera praeciduntur, idque ad inurendam sexui graviorem contumeliam. Hoc autem ipso in cruciatu beata Barbara ita precabatur: *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me* (*Ps.* 50). Uberibus praecisis, tum utraque nuda, direptis vestibus, per loca publica passim perducitur. Num ullum aliud commentum hoc scelere foedius excogitari potuit? Num aliud contumeliae genus tam insigne ad muliebris sexus infamiam? At illae Deo gratias agebant. Nam quo plures impius Praeses et injurias et cruciatus adhibuit, eo plures coronas utrique imposuit: sibi autem plus dedecoris accessit: ideoque graviores poenas, et plures carbones ardentes capiti suo congessit.

§ **10.** Posteaquam vero ita foede in omnes urbis partes ambae perductae sunt, fertur sententia: capitis damnatae, gladio feriri jubentur. Tum vero laetae incedunt, non tamquam ad necem, sed sicut athletae ad ludorum magistrum, victoriae palma proposita, quam a Domino accepturae erant in coelis. Caedis minister non aliquis alius fuit, sed pater ipse martyris et virginis Barbarae: qui omnis humanitatis expers, et in filiae nece nullum sentiens dolorem, triste explevit ministerium. Cujus feram crudelitatem non diu tulit impunem divina justitia; nam statim eo ipso loco, quo filiae caput àbscidit, fulminibus de coelo jactis comburitur. Atque hoc quidem victricis Barbarae virginis fuit stadium, hoc novum certamen, quod illa forti invictoque animo, et summa fidei constantia confecit. Haec est victoria, quam vicit in Christo, et redimita est non oleastro, sed illustri corona gloriae: quam laudaverunt Angeli, quam Dominus descripsit in coelis, quam admirati sunt homines, et admirantur, plaudentesque praedicant in Ecclesiis. In memoriam enim sempiternam erit justus, et justitia ejus manet in seculum seculi, Amen.

# VITA S. PETRI

## COGNOMENTO CHRYSOLOGI, RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI

EX HIERONYMI RUBEI *Lib. 2 Histor. Ravennatum* COLLECTA.

**Obiit circa annum 450 * — Italus.**

§ 1. Successor Joannis Ravennatum Archiepiscopi qui vidit Angelum **, numeratur Petrus Ravennas vocatus, cognomento Chrysologus, quod ea fuerit suavitate sermonis, ut aureum orationis flumen funderet. Blondus hunc patria Ravennatem fuisse scribit, et Fori Cornelii Episcopum, sed fallitur cum ex Foro Cornelii, ubi natus erat, in Archiepiscopum Ravennatem fuerit electus. Nam Ravennates, ut moris erat, cum Archiepiscopum ab eis creatum, Romam ad Xystum III Pontificem, qui Coelestino successerat, una cum Cornelio, Fori Cornelii Episcopo misissent, ut confirmaretur electio, Xysto ferunt per quietem Petrum Apostolum atque Apollinarem se ostendisse, qui medium sibi adolescentem haberent, praedicerentque illum Archiepiscopum Ravennatem ut crearet: ab Ravennatibus electum non confirmaret. Quapropter cum postridie Ravennates adessent, primo rejicit quem elegerant; jubet deinde omnes ad se accedere qui illic essent, ut eum Archiepiscopum faceret, quem Petrus et Apollinaris praemonstrassent. Sed cum ex Ravennatibus neminem illius similem fuisset conspicatus, Cornelio Episcopo mandat, uti suos in medium proferat. Eminebat inter caeteros, vitae innocentiâ ac doctrinâ Petrus, Cornelii Diaconus. Hunc cum illius similem cognovisset Xystus quem in somno viderat, Archiepiscopum Ravennatibus praeficit. Ravennatibus autem id aegre ferentibus, rem omnem aperit: unde maxima reverentia apud omnes Petro conflata est. Petrus invitus et non absque ingenti molestia Archiepiscopus factus, Ravennam reversus, summa gratulatione ab Valentiniano primum et Galla Placidia, mox ab omnibus Ravennatibus excipitur. Ille ab eis id unum petere dixit, ut, quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare: praeceptisque divinis non obsisterent.

§ 2. Interea Galla Placidia S. Joanni Baptistae egregiam aedem, juxta domum suam, extruendam curavit, universae aedificationis negotio demandato Baduario Patricio Ravennati. In eo templo

* Ut constat ex Epistola 37 Leonis Papae ad Neonem Episcopum Ravennatem Chrysologi successorem. Quapropter errant qui eum supervixisse usque ad annum 502, atque Concilio Romano a Symmacho coacto interfuisse asserunt.

** Quapropter hic Praesul *Angeloptes* vocatur.

Barbatianus Deo serviens, multis prodigiis innotescebat in dies magis ac magis: ex quibus illud maxime commendatur, quo Juliani Ravennatis nobilissimi viri filium, strumis ita laborantem, ut ab omnibus jam esset desperatus, sanavit: cum, sacris peractis, cubiculum ingressus, mox ex cera emplastrum, imminutumque panem cum oleo mixtum, ulceribus imposuisset, signoque Crucis obsignasset, repente enim disruptis illis vermes egressi sunt, et puer ingenti miraculo in sanitatem restitutus.

§ 3. Pari felicitate ac prodigio, Theodoram primariam mulierem, refractario sanguinis fluxu ad desperationem laborantem, sanavit. Cum enim vir sanctus, deductus ad eam, in qua expressa mortis effigies videbatur, eam intuens dixisset: « Christus, qui hoc morbi genere laborantem liberavit mulierem, te sanet; quamobrem ejus nomine tibi praedico, surge et ambula; » Theodora statim ad sanitatem reducta est, cujus beneficii magnitudine commota, frequens deinde virum sanctum conveniebat, ab eoque de Christi religione docebatur. Verum Ursicius, Theodorae maritus, intantum ob id zelotypiae caeco furore exarsit, ut quadam die sub auroram in Barbatianum, qui orabat in templo Deum, districto ense, impetum fecerit: sed continuo aruit manus, immobilisque permanens, viro sancto orante, Deus illi restituit sanitatem.

§ 4. Per idem tempus Petrus Archiepiscopus, ad Ecclesiae administrationem conversus, Tricollim aggressus est, quod aedificium, ad trium collium simulacrum extructum, sacerdotibus Ursiani templi, stationem tutam assiduamque praebebat. Id a successoribus admirabili aedificatione absolutum, nunc non extat. Ejus vicem reddunt horti, qui circa Ursianam aedem conspiciuntur. Templum praeterea sacravit, quod sancto Joanni Baptistae Baduarius jussu Placidiae aedificaverat. Cumque Placidia Ariminum se contulisset, incumbens in aedificationem templi S. Stephano, haud procul ab urbis moenibus, dedicati, incidissetque Barbatianus in levem quidem morbum, sed pertinacem qui illi postremus fuit, Petrus certiorem fecit Placidiam, quae omnibus repente relictis, Ravennam convolavit, ubi non multo post Barbatianus tranquille et placide animam exhalavit. Ab Petro Archiepiscopo ablatus, et aromate conditus, sepultus est in monumento juxta aram maximam S. Joannis Baptistae. Temporum successu, cum ejus nomini erectum fuisset templum, haud procul ab S. Zachariae, illuc cadaver importatum fuit. Caeterum tandem corruente templo, ac potius aedicula, in Ursianam aedem est translatum.

§ 5. Interea cum Eutyches Byzantius Abbas, factiosorum ope, disseminaret falsam doctrinam, asseverans in Christo divinam naturam cum humana in idem recidisse. Leoque Pontifex, qui Xysto successerat, tricentorum et sexaginta Episcoporum ad Chalcedonem convocato Concilio, eam pestem restinguendam summa

ope niteretur, Petrum Chrysologum jussit ad Concilium adversus Eutychen quae viderentur scribere. Quod et Petrus fecit adeo luculenter, graviterque et pie, ut ad hanc usque aetatem eas litteras quae extant, viri omnes docti mirentur, et primo loco habeant.

§ 6. Accessit Ravennam hoc tempore, ad Valentinianum, Germanus Antissiodorensis * Antistes, eximia vir sanctitate, ab eo, Placidiaque matre honorifice exceptus, ubi cum in argenteo vase ad eum misisset aliquando Placidia lautissimos cibos, quibus coenaret, ita munus accepit, ut servis praebuerit cibos: vas autem argenteum voluerit apud se esse, egenis viris distribuendum. Ipse Placidiae panem ex hordeo in scutella lignea remisit, quod illa viri sancti munus venerabunda acceptum, summa semper apud se veneratione habuit, scutellamque ligneam argento circumdedit. Cum vero semel ad coenam Germanum invitasset, ille benigne assensus, vectus asello ob id quod vix pedem movere posset, confectus inediâ et castigatione corporis, contigit uti asellus, qui nihilo, quam Germanus, firmiori valetudine erat, inter coenandum moreretur. Quod cum rescivisset Placidia, jussit generosum equum maximae mansuetudinis afferri. Sed Germanus, cum suum se velle asinum diceret, peteretque, uti sibi locus in quo cadaver esset indicaretur, ad illum productus, Surge, inquit, revertamur ad hospitium: statimque et asellus redivivus surrexit, et Germanum revexit unde discesserat. Verum non multo post, Germanus multo ante ab se praevisam atque praenunciatam mortem Ravennae cum vita commutavit, septimo postquam laborare ex febre coeperat die. Ejus cadaver a Petro Chrysologo Ravennatum Archiepiscopo ita conditum, ut in Galliam importari, quemadmodum moriens Germanus petierat, posset: quod et Valentinianus curavit faciendum. Petrus sancti viri cucullam et cilicium sibi habuit, ac ne quid pius haeres ex intestati bonis non possideret, sibi vindicavit.

§ 7. Aedificationi postea intentus, in Classe extruxit mirabilis magnitudinis fontem, duplici alto muro extructo. Sancto etiam Andreae Apostoli juxta Ursianam aedem haud procul a Postèrula quam Vincilionis appellant, aedificavit egregium templum. Cum vero hoc tempore Ravennates ad deorum commentitiorum simulacrum, quos antiquitas, ante partum Virginis, errore delusa, coluerat, personati kalendis Januarii, tota urbe per ludum discurrere consuessent, ipse, multis habitis concionibus, eam perniciosam consuetudinem tollere conatus est. His absolutis, Chrysologus cum imminère sibi extremum vitae diem divinitus intelligeret, decimumque jam annum Ravennati Ecclesiae praefuisset, contulit se ad Forum Cornelii **, ubi S. Cassiani martyris templum ingressus, muneribus tributis, Deum precatus ac ipsum S. Cassianum,

* Hujus S. Antistitis Vita in Vol. VII, pag. 577 etc., habetur.
** Ital. *Imola*, in Aemilia.

qui benigne suam animam exciperent; hortatusque Ravennates, qui illum fuerant insecuti, ut in deligendo optimo Pastore invigilarent, nec discederent a divinis mandatis, anno D. circiter CCCCXL placide ex hac vita migravit tertio Nonas Dec. Sepultus est ibidem juxta aram S. Cassiani. Ejus tamen brachium, auro et gemmis ornatum, in Ursiana Aede veneramur. Inter alia quae reliquit doctrinae monumenta *, ejus ad populum conciones, divino spiritu et eximia pietate religioneque illustres ab omnibus bonis et doctis judicantur. Communi omnium consensu in Divos relatus est, eique anniversarii honores decreti.

# VITA

# S. ANNONIS ARCHIEP. COLONIENSIS

SCRIPTA GRAVITER JUSSU REGINHARDI ** SIGEBERGENSIS COENOBII ABBATIS, A QUODAM, QUI TAMEN NOMEN SUPPRESSIT SUUM: SATIS AUTEM INDICAT, SE SIGEBERGENSIS COENOBII MONACHUM FUISSE ***.

**Ad coelum migravit anno 1075 — Alemannus.**

§ 1. Anno generis et patriae suae decus, sideribus ipsis meritis altior, ex Alemannorum populis duxit originem ****. Pater ejus Walterus, mater Engela dicebatur: ambo studio religionis insignes, illamque, qua secundum seculum non adeo celebrabantur, claritatem cum essent tamen ex ingenuis ingenui, nobilitate quae est ad Deum valde transcendentes. Horum in filios et filias fusa foecunditas, posteritatis suae satis inclytam produxit familiam, aliis eorum in Ecclesiasticas, aliis in seculares sublimiter transeuntibus disciplinas. Amplius autem bonae suae indolis generositatem Anno moribus, ingenio formaque commendans, cunctorum oculis gratiosus, omnium animis amabilis coepit haberi. Unde pater magnis exhilaratus gaudiis, licet admodum religiosus esset, dum tamen, ut vir secularis animi, pro terreno nomine sàtagit, eum per exercitia militaria mundo nutrire coepit. Datusque puer ad hujusmodi studía, didicit hinc interim fortitudinem moralium disciplinarum nobilissimam, dum crebras asperitates patitur

* S. Chrysologi Sermones (numero 176, inter quos tamen sunt aliqui apocryphi) saepe typis impressi fuere. At caeteris eorumdem editionibus longe praestantior est illa, quae Augustae Vind., anno 1750, facta est. S. Petrus Chrysologus praeterea Epistolam ad Eutychen conscripsit, quam Gerardus Vossius notis locupletavit.

** Reginhardus, Abbas Sigebergensis (vulgo *Siegberg*) aequalis et familiarissimus S. Annonis fuit.

*** Nos, consueta brevitatis lege coacti, quaedam, ex miraculis praesertim, ex hac Vita recidemus.

**** E nobili nempe familia *Steusslingen*.

algoris, dum inedia, sitique, super haec et vigiliis aestuat: quae cuncta in eo futurae constructioni necessario parabantur. Sed coelestis Pater, qui quos praedestinat, hos et vocat: quod ante tempora secularia misericorditer in Annone disposuit, in fine temporum immutabiliter adimplevit. De illo quippe veridica voce dicitur: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Eo* itaque adspirante, avunculus praefati pueri, Babinbergensis Ecclesiae canonicus, patriam, propinquos et notos invisere veniens, ubi conscius esse coepit erga Annonem deliberati patris consilii, protinus indoluit, aegre ferens tam egregiae indolis infantiam mundanis primitus conficiendam negotiis, ac non potius, quod futurum erat ob multorum profectum, Ecclesiasticis informandam disciplinis. Quapropter explorata opportunitate, secretius conveniens puerum, et blande complexans, sic interrogat: « Quibus studiis, quibusve occupationibus, Anno fili, inservis? » Eo dulciter et innocenter arridente, avunculus sermone tantillo satis congruo puerulo, de coelestis regni gloria, vel poenis inferorum, breviter praemisso, subsequenter intulit: « Placetne tibi servitus omnipotentis, et clericalis ordinis disciplina vel habitus? » Quod cum ille libenter annueret, avunculus ex abundanti laetitia gratiarum vota corde et ore Deo persolvens, sic demum conversus ad eum, ait: « En ego proxima luce recessurus, professionis et ordinis mei locum, Deo prosperante, quantocyus adibo: tu vero, fili, domesticis abjectis impedimentis, clam patre tuo discedens, in itinere me transeuntem praestolare, hoc certum mente habens, nunquam te ab illo deserendum, sub cujus protectionis alas nunc confugis, quoadusque in spem et gloriam totius generis tui, non modo temporalibus, sed et aeternis in coelo commodis et dignitatibus amplificeris. » Quid plura? Anno puer non pueriliter aufugiens, ut praemonitus fuerat, inter fruteta salicum delituit, donec a praetereunte furtim sublatus avunculo, in schola Babinbergensium, qui tunc temporis disciplinae, religionis ac studii fervore cunctis in Germania praepollebant, succiduis temporibus magnum Ecclesiae documentum futurus, ad litteras positus est. In quo studio per incrementa temporum, accrescente simul ardore discendi, ope et gratia comite illius intimi magistri, de quo veritas testatur, Spiritus ubi vult spirat: maximas humanorum divinorumque voluminum acris ingenii adolescens hausit divitias, unde postea suo tempore creditis sibi populis eructaret nova et vetera. Quicquid ad exercendum ingenium, quicquid ad nobilitandos mores competens, et jucundum auribus vel oculis sese offerebat, statim ut apis prudentissima ingeniose perlustrans, alveolo cordis intulit, et suis quandoque armis Goliath infandissimum jugulaturus, jugi meditatione torrentes eloquentiae secularis, quasi per naturam victor obtinuit.

§ 2. His et hujusmodi profectibus in altum velut cedrus

Libani succrescens, ubi robur virilis aetatis ingressus est, magister scholarum inibi effectus, probitatis suae et virtutum ramos longe lateque per ora multorum coepit extendere. Episcopos accersitus adiit, nec latuit principes: a quibus pro sua reverentia in amicitiam admissus, Henrico III * Romanorum Augusto facile innotuit. A quo in palatium assumptus, brevi apud eum prae omnibus clericis, qui in foribus palatii excubabant, primum gratiae et familiaritatis locum obtinuit: hoc praecipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod justi ac recti admodum tenax esset, atque in causis omnibus pro suo tum statu, non adulando, ut caeteri, sed cum magna libertate obloquendo, justitiae patrocinabatur. Erat autem praeter virtutes animi et morum gloriam, corporis quoque bonis ornatissimus, statura procerus, vultu venerandus, lingua promptus, vigiliarum et inediae patientissimus, postremo ad omne boni operis exercitium naturae muneribus affatim instructus. Cui de virtute in virtutem, instar aurorae in ascensu suo, procedenti, sicut apud Deum crevit sanctitas, sic item de gloria in gloriam, de honore ad honorem in dies proficienti, apud homines accessit auctoritas. Actum est hoc non humano arbitratu, sed consuetâ Dei providentiâ, qui sciens lucernam suam celeberrimo in candelabro ponendam, ut luceret omnibus Ecclesiae filiis, ne repentina exaltationis ejus novitas miraculum dumtaxat gigneret, non laetitiam, meritorum ejus lucem ante voluit mundo declarare, quatenus eo fructuosior ejus fieret promotio, quo et gratior: quod et factum est.

§ 3. Denique, exactis in palatio haud multis annis, magna Imperatoris, magna omnium, qui eum nòverant, exspectatione adeptus est Agrippinae, quae et Colonia, nobilem sedem, Hermanno nominis hujus praesule secundo, ante paucos dies ex hac luce subtracto. Ad quem in lecto mortis jacentem cum idem venerabilis vir Imperatoria legatione transmissus post salutationem mandata Regis absolvisset, et jam ad hospitium remeasset, restantibus qui aderant, idem pontifex dixisse fertur, et se ocyus mortis jura subiturum, et Annonem vice sua Coloniam suscepturum. Atque illo post haec verba obeunte, tametsi jam Annonem velocius regredi necessitas regalis negotii perurgeret, non immemor ille tamen bonae suae consuetudinis, funeri ejus, quousque terrae mandaretur, magna cordis contritione obsequebatur. Legerat enim, et opere, quoad vixit, semper implevit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII); laudabile satis, immo necessarium cunctis inculcans exemplum: quoniam, sicut illic scriptum est, *in illa finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurus sit (ibid.)*.

* Is *Niger* vocatur. Alemanniae regnum, anno 1002; romanum vero imperium, anno 1014, suscepit. E vita sublatus est anno 1024, filium et in imperio sibi successorem, Henricum IV, relinquens

§ 4. Per id tempus Imperator apud Confluentiam * morabatur, et ecce adsunt optimates et capita populi Coloniensis, baculum Episcopalem Regi restituentes, inque locum defuncti idoneum successorem supplici prece unanimiter postulantes. Tunc, ut in his rebus fieri certum est, aliis atque aliis hac vel illac pro libitu suo vel commodo, promissis, consiliis, seu precibus Regem sollicitantibus, Deus arbiter summus, in cujus manu cor Regis est, et quocumque voluerit, vertit illud, non in alium, quam in solum Annonem, sententiam Regis et voluntatem deduxit, laudantibus aliis, aliis non sine felle reclamantibus. Suscepit itaque regiis ex manibus virgam pastoralem, patris et magistri figuram praetendentem suscepit et annulum in dotem fidei, conservandae ad Deum et ad sponsam suam sanctam Ecclesiam. Nec mora, in similitudinem Moysi, dux salvandorum populorum Coloniam ingressus, protinus caninis rictibus oblatrantes audivit: « Quis iste est, vel quis eum constituit principem et judicem super nos? » Simulque pollutis et nefariis labiis clarum nomen sanctae memoriae Brunonis Archiepiscopi praeferentes, ejusque facta quasi in ipsius laudem, re autem vera in derogationem Annonis sinistro corde jactantes, iterum iterumque tumultuose vociferabantur: « Quis iste est, et ubi sunt illa, quibus amplificaturus est Coloniam? » Hoc illi dixerint, genimina et sequaces eorum, qui vipereâ linguâ Dominum Salvatorem fabri filium conviciabantur: nobis autem et cunctis deinceps seculis luce clarius constat, ex quo Colonia fundata est, unius nunquam Episcopi studio (salvo Brunonis, ut ita dixerim, privilegio) tantum opes et gloriam crevisse Coloniensis Ecclesiae. Sed his in locis suis plenius dicendis, nos historiae vestigia insequentes, coeptae narrationi operam demus.

§ 5. Igitur auctoritate simul et metu regiae majestatis pressi, qui quasi contra montem seu impetum fluminis niti frustra proposuerant, tandem necessitatem in voluntatem vertentes, in consecrationem electi pontificis communiter consenserunt. Fit conventus Episcoporum, ac totius Ecclesiastici ordinis virorum, procerum quoque frequentia cum ambitione nimia, diversi etiam sexus et aetatis ingens populositas: quos omnes sua benedictione, sua gratia per servum suum Annonem Christus Dominus ea di[e] relevaturus, cum Angelis advenerat sanctis omnibus pro concive coelitus destinato congaudentibus. Producitur interea ordinandus ante altare, vestibus sacris induitur, olei sacri liquore perfunditur, et vere larga Sancti Spiritus infusione repente mutatus in virum alium, anno Dominicae incarnationis millesimo quinquagesimo quinto, quinto Nonas Martii ponitur in cathedra Episcopali, ad regendam sanctam Ecclesiam et plebem universam. Jamque instabat hora sacrificii singularis, cum ecce pontificalibus insignitus ornamentis, accessit ad altare pontifex summus, ver[e]

* Vulgo *Coblentz*.

sacerdos et hostia Christi. Ubi quanta compunctione, quanta cordis contritione ministerium illud peregerit, quis sufficiat explicare? Totus enim in lacrymas fusus, tanti sacramenti vim in seipsum excepit, mirantibus nonnullis immensitatem lacrymarum, et cum gemitu quodam et suspirio, simulque pectoris tunsione, cordis illius secreta per hoc rimantibus. Ad cujus preces coelum tunc patuisse nulli dubium, cum et ob hoc ipsum misericors et miserator Dominus eum posuerit, ut pro sui gregis excessibus intercedens, in tempore iracundiae fieret reconciliatio. Postquam vero Missarum solemniis cum benedictione pontificali finitis, conventus ille solutus est, ipse deinceps in omnibus tam Ecclesiasticis, quam reipublicae negotiis haud imparem se acceptae dignitatis gerebat, et sicut editioris loci insignibus, ita cunctis virtutum generibus inter caeteros regni principes conspicuus incedebat. Reddebat sollicitus, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo: quia Coloniensis nominis majestatem et secularem pompam ambitiosus pene, quam aliquis ex praecessoribus ejus, ostentabat ad populum: nec propterea tamen invictum inter tantas occupationum procellas spiritum, unquam relaxabat a studio divinarum rerum. Jejuniis non adeo, quam legitimis, se macerabat, sciens scriptum: *Omnia munda mundis*, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Pernoctabat plerumque in orationibus, et per ecclesias, paucis ac certis comitibus, interdum uno tantum puero contentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquam etiam cilicio ad carnem indutus, flens procedebat. Et diem quidem in disponendis privatis seu publicis negotiis, noctem vero totam in Dei opere expendebat. Nam tunc poenitentiam agere, errata confiteri, commissa deflere, ob corporalis quoque flagelli castigationem inferioris personae manibus tantus pontifex humiliare se non erubuit. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam intra dioecesim suam congregationem praetermisit, quam non aut praediis, aut aedificiis, aut stipendiis sua specialiter donatione auctam vitâ decedens reliquerit. In judicandis causis subditorum nec odio, nec gratia cujusquam a vero abducebatur: sed semper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens aequitatis lineam, ad evertendum judicium nec considerabat personam pauperis, nec honorabat vultum potentis. Cujus rei idoneum satis et evidens subjicimus exemplum.

§ 6. Rex Henricus, Romanorum patritius, sceptra regalia moribus, prudentia et gloria regaliter obtinens, ac justissimis legibus tam in divinis, quam in humanis administrans, ita se exterius agebat ad populum, ut sui tamen non oblivisceretur interius. Considerans enim tanti nominis majestatem longe suis praecellere meritis, nunquam insignia regalia sibi praesumpsit imponere, nisi clam confessionis ac poenitentiae, verberum insuper satisfactione,

licentiam a quolibet sacerdotum suppliciter mereretur. Ergo tempore quodam magna imminente festivitate, cum pontifices, Duces ac Comites, et cujuscumque alius dignitatis seu ordinis viri, regiam undique properarent ad curiam, cum et ipsum mos et honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis et vitae probatissimi inter praesules Annonis, ut suae consuetudinis servaret institutum, supplex et poenitens eum coepit adire. Mox sacer antistes auctoritate plenus, tali in negotio Imperialem parvipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi et pauperi, sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia saevire coepit in Principem. Nam vehementissimis illum invadens correptionibus, quicquid animo pro justitia concitato se obtulit, libere et constanter effabatur, illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter ea die coronatum incedere consensit, quam prius manibus suis triginta tres argenti libras in pauperes expendisset. Nec abnuit Imperator, sed cuncta eo ordine, quo dicta sunt, superni judicis respectu et passus est, et fecit: sicque demum more suo indutus processit. Miranda sane constantia praesulis, nec minus laudanda humilitas principis: porro in utroque timoris Dei imitanda perfectio. Et quia se occasio praebuit, licet per digressionem, de ejusdem Regis morte, in qua omnis injustitiae frena laxata sunt, inferre libet mentionem, ob id praecipue, quoniam virtus non minima hic occurrit Annonis, quem prophetiae spiritu subinde floruisse veritas ipsa diffamavit.

§ 7. Quibusdam simultatibus inter ipsum et Regem fraude malignantium obortis, cum Rex mentem, quam conceperat in Archiepiscopum, mandatis solito durioribus detexisset: praesul ad audientiam veniens, ratione et justitia pro causa sua agere laboravit. Cui facultate erepta hac progrediendi via, tandem in haec verba prorupit: « Rex excellentissime, coelestis Regis intuitu, cujuscumque discordiae aut odii malum vel hoc anno non praevaleat inter nos, quandoquidem anno proximo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet. » Quae dicens, Regem, quem praesciebat hoc ipso anno moriturum, emendatioris vitae nisus est ad semitam reducere. Sed crescentibus per dies aliis atque aliis ex causis discordiarum spinis, iterum curiam adiit in Goslaria *, quo per idem tempus, magna totius regni principum exspectatione, venerabilis Papa Victor **, qui et Gebehardus, convenerat. Illic compositis utrorumque animis in prioris amicitiae statum, discessurus Archipraesul, sic sciscitatus est Regem: « Nunquid dilectionis et gratiae vestrae recedens amodo certus ero? » Id Rege haud aliter se habere testante, subjunxit atque ait: « Scio, scio non nos mutuis in hoc corpore deinceps fruituros adspectibus, quorum alter in mortem cito rapietur, alter adhuc

* Germ. *Goslar*, in Hanovria. ** Hujus nominis II (1055-57).

in certamine relinquetur. Idcirco valere vos optans, quia satis fructuose satisque salubriter animae vestrae Coloniam disposueritis, ipse qualiscumque pastor ejus hoc in Deo praesumens polliceor. » Rex protinus metum, quem conceperat, pallore vultus insinuans, in quem ista dicerentur, vehemens perquisitor fuit. « Vos, ait, haec tam tristis exspectatio manet. » Quod utique Rex ipse, velociter finiens vitam, verum fuisse declaravit. Eo autem viam universae carnis ingresso, fidei et devotionis affectu non minus defuncto, quam viventi, sacer praesul assistens, jejuniis, vigiliis, orationibus et eleemosynis, spiritualibus videlicet remediis, animam divinae bonitati reconciliare non cessavit. Instituit praeterea annualem ejus memoriam agi Coloniae, ipse quandiu vixit, nunquam illius specialiter immemor. Ejus quoque filium, nominis et regni haeredem, ad honorem Imperii et Ecclesiae profectum suscepit nutriendum, multorum propter hoc invidiam contra se accendens. Sed non destitit in laborando spe fructus percipiendi, regaliter puerum nutriens, sublimiter erudiens, adeo ut ipsius postea testimonio, vir in toto regno profundioris animi illo non inveniretur. Fecit et hoc olim Jojada pontifex sanctus in Rege Joas: sed non dissimilem bonitatis suae retributionem, ut ille, sic et hic proh dolor consecutus est. Verum, his sepositis, ad vitae ejus instituta describenda stylum vertamus.

§ 8. A primis ordinationis suae temporibus, congruum et vere dignum officio suo opus arripiens, juxta docentis Apostoli monita: *In omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple* (2. *Tim.* IV), omnem Episcopatus sui parochiam perlustravit, homines fidei ac pene totius religionis ignaros, solo autem nomine Christianos, assiduis praedicationibus ad catholicae pietatis cultum informans, breviter et aperte complexus, quid credi, quid sperari, quidve amari oporteat. Imperavit dein auctoritate pontificali, suasitque pietate paterna, singulos auditores haec eadem domi suae evangelizare, bonam illis pro hoc a Deo vicissitudinem pollicens. In quo eousque profecit, ut pueri quoque, teneros infantiae annos necdum egressi, fidem, ut asserunt, beati Annonis invicem discerent, invicem docerent, et ex ipsa boni studii assiduitate, singulis eorum eam mane vel vespere coram Deo pronunciandi quasi lex inoleverit. Habebat autem hoc insigne meritorum suorum apud homines indicium, quod quoties praedicaturus in publicum processisset, tantis subito lacrymis immaduit, ut omnium corda ad miserationem commovisset. Tum melliflua, et compunctione plena verba profundere, clementiam Dei proponere, justitiam non tacere; hortari bonos, ut ad meliora proficerent; malos, ut ad perpetrata cessarent, omnes in commune, ut se reos clamarent, ac pro totius mundi necessitatibus communem Dominum invocarent. Quis unquam vel saxei cordis Annonem in ecclesia loquentem audiens, a lacrymis valuit

temperare? Denique ab exteris etiam et remotioribus provinciis, ob solam indulgentiae et doctrinae ejus famam, plurimi confluxerunt, omnibus deliciis praeferentes Annonem audire, divitias incomparabiles aestimantes, ejus indulgentia relaxari, ejus benedictione praemuniri. Praeterea pietatis et misericordiae operibus nullo erat inferior. Nam agricolas et debitores reddituum, antecessorum suorum nimietate vel superfluitate gravatos et prope nudatos intelligens, exactoribus ut parcerent jussit, singulis vel totum, vel ex parte, prout opus erat, remittens. Pauperum, peregrinorum et infirmorum prima illa et perpes erat sollicitudo, imitanti eum, qui dixit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester coelestis misericors est* (*Luc.* VI). Illucescente enim primo surgentis diei crepusculo, ecce velut examen apum, turba egenorum undecumque convolans, ejus quotidie fores obsedit, sufficientia alimenta hora statuta singuli percepturi. Inter quos omnes miserrimi quique numero viginti quatuor perscrutati, seorsum congregabantur. Ante quorum pedes humillime procumbens pontifex summus, postquam lavit ac tersit, osculum quoque cordis et oris impressit, nec non manibus aquam infudit. Consummato ministerio humilitatis, versus est ad opus charitatis, cum cibo et potu unicuique nummum porrigens. Jam vero imminente hora et necessitate, ubi et ipse consedit ad mensam, more solito, quotquot supervenerant, introducebantur ante eum ad convescendum peregrini. Tum ex singulis, quae mensae erant imposita, partem prope decimam colligens, pro reficiendis hac et illac per urbem aegrotis in locum unum separavit. Postremo mensa submota, surrexit vere pater orphanorum, vere judex viduarum, et tamquam diceret: *Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum coelorum* (*Matth.* XIX), acclinans se, manu propria cibavit pupillos, refecit orphanos, aluit filios pauperum, delicatioribus escis ex mensa per seipsum in hoc reservatis: praeterea matribus eorum, familiarius suas illi miserias conquerentibus, necessaria misericorditer impendens. Cum enim esset erga cunctos inopes misericors et compatiens, erga pauperculas tamen et earum infantulos speciali quadam miseratione ducebatur. Quod hujusmodi foeminae experimento cognoscentes, explorato nonnunquam tempore, in plateis sese gregatim obtulerunt, parvulos ei suos cum clamore supplices objicientes. Interdum transiens, et prae lassitudine diutinae exspectationis in soporem versos conspiciens ejusmodi puerulos exesos et seminudos, aliquem eorum, quem nec dignum oculis quis arbitraretur, pie se adhibens, materna vice exosculari coepit. Quaedam etiam proprios non habentes, alienos infantulos expetierunt, indubium habentes, Annonem erga ipsas misericordia motum iri, si talibus onustae sarcinulis, ejus conspectui praesentarentur. Inter haec solennis ei mos erat, vertente semper anno, a vigilia natalis Domini usque ad intactae Genitricis ejus

purificationem, per continuos quadraginta dies quamlibet lactantem habere, cujus manibus aquam praebens, ipsemet pedes ac manus parvuli lavit, moxque datis alimentis, solidum unum porrexit. Super haec et xenodochium Coloniae construxit, languidos, et debiles, et omni destitutos solatio illuc inferens, deputatis ad eorum subsidia quotidianis stipendiis. Nunquam pauperem se inclamantem absque misericordia praeterivit, nunquam veniens ad invisendum egenos, monachos vel canonicos, absque charitatis larga manu remeavit. Sane in coena Dominica quam prodigus fuerit, superfluum est memorare, cum nec parcus quilibet ea die manum retrahat ab eleemosyna. His omnibus antecellunt numero et admiratione, quae per nocturnas tenebras, solo Deo teste, rarissimis secretalium suorum dumtaxat exceptis, operatus est: cum quibus, ut dictum est, noctu sanctorum limina circuiens, peregrinos et quibus non erat tectum, in porticibus, in angulis vasisque vinariis per plateas expositis, scrutatus est: quos inventos pavit atque vestivit, allato secum pro hoc ipso victu et vestitu.

§ 9. Haec igitur quotidiana viro Dei institutio, haec incessabilis sollicitudo, hic labor, hoc studium. Cumque talis esset, qui verbis beati Job dicere posset: *Oculus fui caeco, et pes claudo: pater eram pauperum, et cor viduae consolatus sum: et cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator: quia ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum* (*Job* XXIX *et* XXXI); conspirantibus quibusdam aemulis justitiae, quorum nequitiae complices hodieque fidem derogant Annonis sanctitati, quadam nocte ad similia devotionis suae opera progressus, insidias perpessus est. Furioso enim impetu venientem invadentes, furem criminabantur, objicientes et alia, quorum ipsi sibimet conscii, in alienam sugillationem sine difficultate poterant erumpere. At sociis Episcopi haec refellentibus, et sacrilegium esse dicentibus, clericum orationis gratiâ transeuntem his conviciis agi, illi procacissimo responso fictum arguentes, ac prioribus pejora subjicientes, linguis venenatis manus sanguine plenas mox adjunxerunt: non sine retractatione ceu bestiae ferocissimae in innocentem saevientes, cum eum birro violenter spoliassent, correptum crinibus in coenum protraxerunt, pugnis graviter insistentes. Ejus quoque comites cum insania simili non minus affecissent, furore satiati alacres recesserunt, illorum participes effecti, de quibus scriptum est: *Qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (*Prov.* II). Sed concepta semel invidia, modum nescit imponere malitiae. Unde supradicti malefici majorem vesaniam spirantes, horreo dicere, necem archiepiscopo moliebantur, insidiis ei non semel, nec bis compositis, facinus execrabile, nec minus lamentabile, si copia daretur, perfecturi: quippe qui nec ipsi bonorum omnium capiti parcerent. Quod cum familiaribus et amicis Episcopi certius

innotuisset, nunc quidem gaudium de ejus adhuc ereptione gerentes, nunc vero horrorem consideratione tanti periculi non ferentes, cum sacramento testati sunt, se minime sinere illum amplius taliter egredi, ne forte extingueret lucernam Israël. Eorum vero consiliis et precibus persuasus, numerum orationum singulis in locis habendarum, deinceps in lecto recubans, vel in una qualibet ecclesia consistens, nihilominus persolvebat. Ab hinc quoque tale quid excogitavit, unde non injuriae suae, sed justi zeli solicitis pastoribus esset imitatio.

§ **10**. Cum per omnes curae suae congregationes, cujuscumque professionis essent, regularis disciplinae tramitem licentia deperisse doleret, aliis pro vitae necessitatibus, aliis pro mundi cupiditatibus extra vagantibus: universorum Praebendas pro supputatione annualium reddituum large disposuit, nonnullas ex suis adaugens: ut occasione libertatis erepta, necessitatem jugi claustralis cunctis induceret. In his exequendis Apostolicis utebatur praeceptis, obsecrans ut pater, increpans ut magister: interdum stimulos exorbitantibus ac recalcitrantibus addens, et eatenus neglectam disciplinae coelestis scholam temporibus suis mundo reformans. Quibus studiis quo plus charitate fervebat, eo solicitius insistens, ad majora divinae laudis opera magis inflammatus accessit, quinque monasteriorum structuras ab ipsis fundamentorum initiis ad perfectum deductas, non animam tantum, sed et corpus omne, quinis a conditore sensibus institutum, ipsius addicens servitiis.

§ **11**. Itaque quod primum erat monasterium, quod dicitur, ad Gradus, in honorem sanctae Dei Genitricis Mariae, jactis fundamentis erexit, omnique varii decoris elegantia pulcre distinctum consecravit, praediis ad triginta Canonicorum sufficientiam copiose delegatis: quos undique scientia, vita vel moribus exquisitos, illuc adunaverat. Ipse vero speciali devotione dilectae sibi Dominae totus inhaerens, cum ejus patrociniis animam credidisset, etiam sepulturam in eodem sibi monasterio, adhuc futurorum nescius, extruxit, et quasi jamjamque migraturus, locum frequentabat, pernox in orationibus, sua suorumque peccata lacrymarum fluminibus expians. Cumque noctem totam saepe duxisset insomnem, sub ipso lucis exortu super mattulam, vel super nudam humum aliquoties super gradus in ingressu capitolii se reclinans, vix puncto temporis oculis in soporem clausis, surrexit. Cujus contritionis et abjectionis virtus non facile credebatur in eo, quandoquidem familiarissimis suis non semper innotuerit, et ipse publicis obsequiis vallatus incedens, adspectu ipso tremendus et gloriosus seculi dignitatibus fuerit: qui tamen inter pauperes Christi degens, mitis et humilis semper extitit. Nam ut a fratribus nostris accepimus, cum eis residens, nonnunquam subridendo intulit: « Quam magnum, quamque terribilem omnibus aulicis,

veniens ad eos, me ingero? quomodo caput erecto collo circumducens, saevos oculos in unumquemque retorqueo, totum me componens illi, sub cujus vestigia sint omnia ruitura? cum tamen inter haec pavidus atque timidus, longe dejectior intus incedam, quam ulli patescat fidei. » Haec suis ipse de se confessus est. Caeterum quoties curiae necdum praesens adesse nunciabatur, non laicus, non clericus, non Comes, non alius quis potens, non Episcopus, non ipse denique Rex exceptus est, qui non habitum suum aliter excoleret, comam aequaret, gestus quoque suos eo praesente temperaret.

§ 12. Prosperis igitur successibus in consummatione templi, quod coeperat, usus, ubi magis magisque desiderio supernae jucunditatis aestuabat, exiguos deputans praeteriti temporis labores, eminentioris meriti arcem cupiebat apprehendere. Unde secundo copiis contractis, S. Georgii martyris ecclesiam extra murum construxit, annuis redditibus abundantem, juxta quod exigebat illic congregatio facta clericorum. Ad cujus dedicationem votis omnibus inhians, reliquiis beati martyris adhuc acquirendis praepediebatur : et ecce, sicut ipso referente compertum est, nocte quadam sopore pressus, eumdem martyrem ex interioribus oratorii S. Pantaleonis cum ingenti luminis frequentia procedere conspexit. Quem in amictu splendidissimo vultu roseo perfusum, cum mirantibus oculis ad novam suae devotionis fabricam gradum direxisse specularetur, illo jam ingresso, mox evigilavit. Illico divinae inspirationis gratia tactus, aliquid suis votis consonum in illo persensit somno : tenebrisque finitis, omnis impatiens morae, sancti Pantaleonis adiens sacrarium, auspice Deo, brachium praeclari martyris Georgii sibi praesentatum, maxima cum veneratione suscepit : idque comitante multitudine, cum et processio solemnis fieret per vestigia, quae noctu martyr calcare visus est, ad locum, ubi ingressus est, bajulavit. Tunc secundum consecrationis ritum insistente clero cum pontifice, opportunitatem sermonis habendi tempus et locus expetiit. Repente igitur tumultu concitato, discursus hinc inde fiebat, nemine alium exspectante, sed singulis praeoccupantibus locum, qui voci praedicantis Episcopi vicinior aestimaretur. Aliis vero parietes, aliis domos et arbores conscendentibus, plurimi duas pergrandes trabes, per quas ad aedificium muri dispositus erat ascensus, circumjacebant, innumeris subtus eas conglobatis. Igitur omnibus arrectis auribus et oculis in ora loquentis Episcopi defixis, trabes pressurae nimietatem non ferentes, cum fragore magno corruerunt, iis qui super eas erant, pariter ad inferiora labentibus. Cumque molem ruentium turba subtus stans excepisset, clamor et concursus ingens exortus est, nullo dubitante, magnitudinem periculi mortes plurimorum peregisse. Sed postquam facto silentio, nullius laesionis vestigium in aliquo repertum est, major laudis et admirationum vox ab omnibus

insonuit: quibus divinae virtutis potentia meritum martyris ac sacerdotis tanto gloriosius, quanto jucundius patefecit. Hujus itaque laetitiae suavitate perfusus sacer antistes, brachium sanctum manibus sumens, ecclesiam ingressus est, resonantibus in hymnis et supplicationum vocibus hinc clero, illinc populo. Interea splendor igneus coelitus adveniens, ingredientem cum sanctis sanctum pontificem prosecutus est, visibiliter in templum descendens, perpaucis eorum, qui foris erant, et prope nullis ab hac exceptis visione. Qua de re plus in exultationis voce cunctis perstrepentibus, ipse tot divinae praesentiae signis exhilaratus, magna cum securitate, magna cum devotione totius ecclesiastici ministerii cultum peregit.

§ **13**. Deinde cum totus in anteriora respiceret, eorum quae retro sunt, oblitus, in secreto cujusdam noctis profunda quiete resolutis omnibus, more suo coenobium S. Martini transiens, vigiliis nocturnis monachos insistentes aure cordis et corporis audivit, graviterque suspirans, ad presbyterum quemdam occultorum suorum scientissimum, ait: « Nunquid cordis tui januam non pulsat, quod in tota Colonia sopitis omnibus, hi soli divinae servitutis sollicitudinem habentes, hoc tempore noctis ad psallendum Deo consistunt? Et me quidem nihil dignum ministris ejus exhibentem, cum in omnibus negligentem mea tulerit infelicitas, quam maxime monachis hactenus inutilis vixi. » Et cum pectus feriens haec dixisset, oculis ad sidera levatis cum expansione manuum, corde et ore subjunxit: « Te precor, vitae mortisque dominator, et Summe Pater, te precor, ut hujus lucis inducias mihi concedas, donec tuo munere proficuum quid et in hujus religionis viros elaborem. » Qua voce coelos penetrante, domum regressus, primo mane limen beati Petri adiit; ubi residens in crypta secretius et psallens, a quodam superveniente sene his verbis est admonitus: « Ne mora sit, venerande praesul, in extruendo requiei tuae loco, quem Deo praedestinante in monte, qui a praeterfluente fluvio Sigeberg cognominatur, habebis. » Dixerat, et ab adstantibus quasi delusor citius repulsus est, Episcopo vim verbi profundius, quam dici possit, excipiente. Cujus ab hinc intentio non aliud, quam id, die noctuque volvens, qualiter ad finem pervenerit, expediendum est.

§ **14**. Palatinus Comes Henricus, vir potentiae secularis et gloriae, tunc temporis inimicitias adversus innocentiam Deo dilecti pontificis exercens, caedibus, rapinis et incendiis per omne ferebatur Episcopium, ad devastationem patriae praesidio fretus in praedicti montis vertice. Hunc, justis exigentibus causis, anathematis sententiâ feriens Archiepiscopus, tandem ad satisfactionem coactum captivumque traxit. Qui Coloniam veniens, ad ejus vestigia ruit supplex et poenitens, et accepto communionis et indulgentiae loco, pro gratia se reconciliantis Episcopi, beato Petro

montem Sigebergensem dono contradidit. Tunc diu desideratum cernens sibi praesul patere negotium, portentis quibusdam, quae de monte rumor invexerat, quasi jam currens, accepto stimulo reddebatur incitatior. E quibus hoc, multis adstipulantibus, non improbabiliter fertur.... Quid multa? De coelis auxilio praestito, consummatio templi * prosperata est : quod anno Dominicae incarnationis millesimo sexagesimo sexto, decimo Kalendas Octobris, nomini sancti Michaëlis Archangeli specialiter assignans, in honore omnium coelestium Virtutum sub patrocinio gloriosi ducis Mauritii sociorumque ejus consecravit. Cumque sanctae Crucis aram sanctificaret, et in eam reliquias imponeret, lux igneo coelitus radians fulgore, pariter introire visa est.

§ **15**. Cum autem in omnibus Teutonici regni monasteriis cerneret antiquum illum regularis disciplinae fervorem admodum refrixisse, et monachos a vita communi ad rem familiarem curam omnem studiumque convertisse, gravi taedio angebatur animus ejus, quod ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, ut pro causa Reipublicae Romam proficisceretur ; cumque nonnullas Italiae regiones peragraret, principes ejus regni, ne a Rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, ad monasterium quoddam, cui Fructuaria ** nomen est, causâ orationis divertit. Ibi admiratus monachorum arctissimam, et secundum Regulae instituta conversationem, duodecim ex eis in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, et eos ad tradendum Galliis ejusdem disciplinae formulam, in Sigeberg constituit, prioribus monachis, quos aliunde asciverat, honorifice in locum suum remissis. Quod ejus factum imitati caeteri Galliarum Episcopi, alii ex Gorzia, alii ex Cluniaco, alii ex Sigeberg, alii ex aliis monasteriis monachos evocantes, divini servitii scholam in suis singuli monasteriis instituerunt ; adeoque brevi convaluit felicis hujus facti aemulatio, ut pauca intra Gallia monasteria videamus, quae non jam novae hujus institutionis jugum subacta receperint. Ipse vero monachos suos, juxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctissimis vivere disciplinis, et conversationis eorum opinione longe lateque vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, et eorum magisterio se in via Dei erudiendos tradere, magnas Deo gratias referebat, quod non confudisset eum ab exspectatione sua. Omnem quoque diligentiam adhibebat, ne quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac venerabatur eos, ut dominos suos : nec solum Abbati, sed decanis etiam monasterii ita subditus dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet gravibus publicae seu privatae

* Templum scilicet coenobii Sigebergensis, juxta flumen Sieg.
** In Salassorum regione, quae italice *Canarese* dicitur.

rei negotiis implicitus teneretur, illico ex occupatis manibus surgeret, et omne quod jussissent, instar vilis mancipii exequeretur. Cibos summa industriâ confectos quotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse quasi divinas inter haec singulorum exosculabatur manus, ipse reficientibus ad omne obsequium quolibet famulo promptior paratiorque assistebat : intentusque lectori, postquam omne ministerium peregisset, in ascensu graduum, satis humili contentus sede, quiescebat. Silentium quoque ac caeteras monasterii consuetudines, dum inter eos versaretur, ita attentus sollicitusque servabat, ac si pro excessibus suis ipse quoque quotidie in capitulo eorum causam dicturus, et sententiam accepturus foret. Nullus unquam pater tali erga filios ducebatur affectu, nulla mater. Omnes ut se diligens, singulis compatiebatur, et animam suam pro unoquoque paratus impendere. Hoc ejus in Sigeberg, hoc in Salevelt, hoc in Grascaf, locis scilicet post ab eo constructis, studium erat, hic mos, haec institutio.

§ **16**. Porro a Rege gravissimis saepenumero dissidens inimicitiis, nunc quidem in summam familiaritatem, et pene in regni consortium ab illo assumebatur ; nunc vero, quoniam ea quae in regno praeter aequum et bonum perperam gerebantur, vehementer detestaretur, et acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio ejiciebatur, et ad extinguendum nomen ejus, totum regni robur concitabatur. His vicissitudinibus per plures annos cum Rege concertationem habens, semper velut ad turrim fortitudinis recurrens, Sigebergensium fratrum preces in auxilium ascivit. Unde quodam tempore Rege pessimis adversum se consiliis inflammato, pergens ad curiam, fratribus in horti cultura generaliter repertis, ait : « Commotionis et indignationis regiae non inscius, iturus ad palatium, Deo me vobisque commendo. Vos clypeus meus estis, vos praesidium meum estis : vos, inquam, filii dilectissimi, omnia mea estis. Nulla mihi spes in militibus meis, nil praesumptionis est in armis eorum. In fide loquor : major mihi fiducia est in vobis, quam in omnibus illis. Itaque sit in benignitate Salvatoris, et in potestate vestrae dilectionis, quemadmodum a Rege vel a suis excipiar. » His dictis, profectus est, et plerumque per imperium Ejus, qui ponit terminum mari, Rex a fervore cordis sui desistens, cum paulo ante necem, ultimumque, si copia fieret, exterminium Annoni et omnibus, quae ejus essent, minaretur, eo veniente, quasi divinitus impulsus surgens, osculum pacis ei cum magna dilectione porrexit. Quapropter in stuporem versi quique circumstantes, inter se susurrabant : « Ubi nunc irae ? ubi minae ? ubi tot insultationes paulo ante habitae ? » In his omnibus Dominica vox consideranda est, quae sic promittit : *Ego me glorificantes glorificabo* (1. *Reg*. II). Et revera non modo nostris, sed et retro temporibus difficile inventus est, qui

tantam prae se ferret majestatem ad seculum, tantam humilitatem erga Deum.

§ 17. Igitur postquam voti sui compos, monachos suos in divinis rebus ad omnium imitationem singulariter florere conspexit, omnem pro eis sollicitudinem in futurum extendens, publicae excommunicationis et aeternae damnationis vindictam protulit in omnem hominem, quicumque eis ad nocendum pertinax et malitiosus incumberet. Deinde auctoritatis suae sigillo roboratam paginam fecit, in qua sub eadem contestatione decrevit, ne quis primam monachorum illorum consuetudinem immutare praesumat: ne quis Abbatem ad aliquod curiale servitium, aut non regulare officium constringat: ne quis Episcopus, vel suorum quisquam eo loco standi potestatem habeat sine licentia Abbatis: ne quis advocatus aut subdefensor, nisi quem voluerit Abbas, eidem monasterio vel bonis ejus constituatur. Et ut major his constitutionibus inesset auctoritas, privilegium Apostolicae sedis Romam pergens expetiit, quod adhuc in pace et concordia agente Ecclesia, in haec verba rescriptum accepit. « Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Annoni Archiepiscopo sanctae Coloniensis Ecclesiae, in Christo Jesu fratri carissimo. Quod a nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto et auctoritate Apostolica universis debemus ecclesiis. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est, quippe apud virum religiosum, et revera tam operibus, quam nomine Episcopum. Itaque ex parte Domini nostri Jesu Christi, et sanctae Dei Genitricis Mariae, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum et electorum Dei, confirmamus et corroboramus Abbatiam illam in perpetuum: ne qua persona magna vel parva, non aliquis successorum tuorum, non Rex aut Comes, nullus, inquam, hominum ex ea quicquam ad destructionem loci demoliri audeat: verum omnibus inibi collatis atque conferendis, pax sit permanens et inconvulsa: et prima ista, qua modo instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitque illis de Abbate libera electio. Si quis hujus nostri privilegii temere violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum noverit, nisi forte resipiscens, digne satisfecerit. Qui vero pia devotione observator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, et aeternae beatitudinis gloriam mereatur. » In quibus Papae dictis facile datur advertere, quantae sanctitatis et venerationis iste nostrorum temporum singularis praesul in pectore tanti Pontificis habitus sit, quem virum religiosum, et revera tam operibus quam nomine Episcopum, sic vigilanter appellavit.

§ 18. Post haec prudentissimus pontifex, adhuc hujus vitae dies sibi concessos videns, ob id quod scriptum est: *Justus justificetur adhuc* (*Apoc.* XXII); duas monachorum congregationes addidit: unam in regione Westfalorum, loco qui dicitur Grascaf;

aliam in confinio Turingorum et Sclavorum, loco qui dicitur Salevelt; quarum prior in honorem S. Alexandri martyris et sex fratrum ejus: sequens, in honorem principis Apostolorum ab ipso consecrata est. Has structuris et praediorum sumptibus abunde ditatas, ad normam Sigebergensium vivere instituit, adductis illuc ejusdem coenobii fratribus. Tunc demum numero quinque virginum prudentium perfecte admissus, non in visu, non in auditu. non in gustu, non in odoratu, non in tactu sponsi venientis offendere dignus erat vultum, per singulos sensus deputatis, qui perpetuis orationibus, vigiliis et eleemosynis, digno coelestis Regis conspectibus ornatu, et viventem eum et mortuum excolerent. O vere felix, nimiumque felix, qui tantorum fultus intercessionibus. si quid per quinque sensus deliquisset, venia poterat aboleri facili. Cujus dilectioni quam vicem debeant sui alumni, magnopere singulis curandum est: qui totus in ipsis, ut unica mater unico pendens in filio, nonnunquam corporis debilitatem sustinuit ex compassione, qua erga illos afficiebatur; quod uno satis elucebit exemplo.

§ 19. Instabat aliquando Paschalis festi singularis et jucunda celebritas, et confluentibus Coloniam non solum ex omnibus prope Rhenum civitatibus, sed et de transmarinis, et adhuc remotioribus provinciis absque numero populis ad nundinas toto orbe celeberrimas, fiebat ut ex ipsa frequentia geminum Coloniensibus immineret tripudium. Verum, quod hujus laetitiae pulcritudinem magna poterat ex parte fuscare, vehemens febrium ignis invasit Episcopum: qui et dècidit in lectum. Cumque Dominicae coenae dies illuxisset, et ipse membris omnibus defatigatus, ministerium sacri mandati se desperaret implere posse, quod speciali semper devotione suo tempore frequentare solebat, major ex tristitia morbus cordis ejus intima penetravit. Coepit enim variis intus aestuare cogitationibus, qui foris aestuabat febribus: et nunc quidem, ne fructu tam pii privaretur obsequii, ad id exequendum modis omnibus surgere definivit: nunc vero perpensis imbecillitatis suae viribus, vix ad primum motum sufficientibus. stultitiae proximum judicavit id conari velle, quod, nullo dubitante. facultatem excederet. Hoc gemino cordis conflictu die consumpto. aderat hora, qua Rex summus, trementibus Angelis, servorum vestigia petens, humilitatis suae exemplum factis et dictis fidelibus suis ingessit. Quod pius vir intimo mentis oculo considerans. in maximam afflictionem incidit, dum timuit ab ejus excludi consortio, quem in hoc facto non imitaretur et infirmus. Tum vero totus versus ad preces, petiit ut omnium Dominus, cui praesto est, cum voluerit, posse, suis adesse dignaretur desideriis, concessis viribus, quas intentio pia supplex exigeret: praemissoque puero, fratribus mandatum direxit, ut brevissimo temporis intervallo, se, sine dubio venturum, sustinerent. Illis inopinato

nuncio retentis ab officio sacro, postquam cunctantius Episcopi praesentia offerri coepit, priores exspectationis taedio exacerbati, miserunt ad eum, dicentes: «Nobis quid exspectemus ignorantibus, hora pertransiit, et jam nocte vicina, hodierni diei reverentiae in imminutione divini cultus, non sine dolore plus justo certe detrahemus.» Mox igne charitatis, febrium ignes mitigante, lectum relinquens pontifex fratres adiit, et ex more linteo praecinctus, ad ablutionis mysticae ministerium praeter spem omnium processit. Hic quam humiliter, quam pie, quam devote velut ad ipsius Domini vestigia procubuerit, quomodo per singulorum pedes lacrymans, eos capillis venerandi capitis sui terserit, et osculo suppliciter honoraverit, illam quondam poenitentem Mariam in oculis cordis semper habens, lectoris prudentiae derelinquo. Sedentibus autem singulis in ordine suo, congregatio beatae Mariae semper virginis, ipsius olim studiis elaborata, juxta suam dispositionem una nihilominus tenebatur in parte. Ad quam, consummato in caeteris charitatis suae et devotionis opere, veniens, intimo dilectionis oculo defixus in illam, recordabatur et aliarum in Christo per se congregatarum. Interim et prior ad animum rediit infirmitas. Hinc factum est, ut suorum quandoque desolatio cor ejus pulsans, tanta subito miseratione eum commoverit, ut dolore correptus, in terram rueret, jamque moribundus, et omni membrorum officio destitutus, gestantium manibus ad lectum reportaretur. In eadem infirmitate triduo jacens, respiciente Domino piam ejus sollicitudinem, qua timebat ne grex suus sacri verbi pabulo per sancta solemnia careret, in ipsis Dominicae resurrectionis vigiliis mirabiliter sanatus est. Cum enim matutinalia signa insonuissent, repente quasi divino tractus instinctu, prosiliit e lecto, et a reclamante puero cubiculario, qui eum doloris insania suspicabatur agitari, calceamenta cum vestimentis vix extorquens, ad ecclesiam laetus processit. Porro cunctis in admirationem versis, ipse cum aliis cantans, et psalmum dicens ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi: ad tertiae quoque lectionis enunciationem accessit, solito jucundius et hilarius eam perlegens. Ex hoc pastor bonus ovium, pulcris et paschali cultui condignis alludens tripudiis, generale gaudium suis extulit et cumulavit gaudiis, totam solemnitatis illius instantiam tam jucunde, tam devote, tamque studiose peragens, ut nulli dubium esset, quin ad haec peragenda, dextera Christi resurgentis eum a lecto doloris erexerit.

§ **20**. Praeterea cujus famae vel nominis vir tantarum inter suos virtutum, apud exteras quoque barbarasque nationes fuerit, hinc aestimari potest, quod Anglorum Danorumque Regibus amicitia junctus, donis et legationibus eorum crebro honoratus est: quod Henricum Imperatorem in Pannoniam persecutus, cum regno patriaque pulsum, et ad se profugum Hungarorum Regem

reduceret, ipse per industriam suam in subjugandis hostium castris, cunctis illic armis plus praestitit et effecit: quod cum epistolis legatos suos ad Graeciae Regem direxit: qui reversi, Dominici ligni partem non modicam, aliaque regalium donorum insignia Rege transmittente, ipsi praesentarunt: quodque Regina Polonorum, ex Teutonicis oriunda, fama nominis ejus ducta, ad invisendum eum properavit, ejusque ditioni Salevelt, et quaeque cohaerentia concessit, acceptis ab eo variarum specierum et precarii condignis pretiis. In quo loco, sicut paulo superius commemoratum est, coenobium construxit, quod speciali quadam veneratione semper dilexit, tum propter expertam inibi coelestis gratiae praesentiam, tum etiam ob lucrum paganae gentis, in circuitu commorantis. Nam frequenter tumultum Coloniae declinans, illuc secessit, ubi spiritualibus studiis occupatus, quaedam divinae laudis carmina vel hymnos composuit, quibusdam etiam revelationibus interfuit, et contemplationi vacans, futurae quietis dulcedinem praegustavit.

§ **21**. Cum autem divitiis et gloria cunctos in regno praecederet, quod forsitan fidem excedit, saepe nec nummum, et prope nec nummi pretium sub sui juris custodia reperit. Quicquid enim ab hujus mundi divitibus vel emendo, vel in precariam accipiendo, vel aliter acquisierat, mox in pauperes, vel ecclesiarum ministros expendit: hoc propositum habens, ne minimam saltem rem in omni proprietatis suae jure moriens post se relinqueret. Denique nunc multis, nunc paucioribus, aut certe singulis e fratribus nostris, coram eo positis: « Quid, inquit, hominum aestimatio me quasi magnum divitemque celebrat? En, exceptis utensilibus capellulae, ministeriique pontificalis et hoc annulo, nescio me saltem unum hodie possidere denarium. Nec enim inexplebilis avaritiae thesauros meis congrego claustris, unde vel Regis, vel suorum vita periclitetur, aut ingluvies satietur, eorum edacitati me satis in hoc obviante, ut nec assem unum oculos claudens, inter illorum ungues relinquam. » Cujus verbi quis finis fuerit, patet ex eo, quod in aegritudine, qua mortuus est, alienis fovebatur operimentis; quotiesque manibus ferebatur in occursum sanctorum, quos jam infirmus in suis liminibus ipse visitare non praevalens, ad se visitandum plerumque deferri voluit, habitu proprio carens, interim ab aliquo canonicorum contegi necesse habuit. O quantus Ecclesiarum defensor ille extitit! quam impenetrabilis inimicis Christi murus! Non ex illis, in quos prophetia dirigitur: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in proelio in die Domini* (*Ezech.* XIII); qui summi pastoris imitator bonus, animam suam pro ovibus suis obtulit, dum nunquam more mercenarii lupis ingruentibus cessit: sed semper eos aut verbo severissimae increpationis, aut gladio justissimae excommunicationis, insecutus est, interdum etiam impudentiores

quasi militari manu deterrens, porro contra omnes orationis invictae scutum arripiens. Extant ejus innumerabiles pro Ecclesia sudores, nec possint commemorari omnia quae pertulit ab impiis; unum dumtaxat, in quo potissimum orationis ejus vis et efficacia cognoscitur, ad terrorem eorum, qui nunc quoque coelis invecto impudenter obloquuntur, inferimus: ut vel sero resipiscentes, quid, cum Christo vivens, possit, attendant, quem carne tectum, tantum potuisse forsitan mirabuntur.

§ 22. Postquam mons Sigebergensis, qui vertitur in victoriam*, victor utique vitiorum, tradente Palatino Comite, ditioni S. Petri cessit, idem magnae tyrannidis vir, quasi sopito perversitatis igne, Gorziam venit: ubi deposito pompae secularis cingulo, monachicae paupertatis habitum sumpsit. Egit hoc arte sua diabolus, qui substantiae spiritalis et angelicae dignitatis creatura, per subtilitatem naturae suae nonnunquam ex anterioribus futura perpendit, et semel obnoxios gehennae, mille circumveniens dolis, dupliciter filios ejus efficit. Hac usus fraude circa virum hunc, eum post aliquod tempus a professione fallaciter usurpata deturbans, amplexus conjugales resque familiares repetere suasit, et conjunctis sibi nequitiae suae septem spiritibus, cor ejus intrans, in omnem deinceps flagitiorum voraginem praecipitavit. Is exosos habens omnes Dei servos, utpote refuga, bella movit, seditiones concitavit, et ad suae perditionis cumulum, ad extinguendum nomen celeberrimi tunc pontificis Annonis, Agrippinensem urbem post rapinas et incendia, post caedes et detruncationes plurimorum, hostiliter aggressus est. Ibi cominus cum armatorum multitudine sedens, omnia per circuitum quasi saevus aper devastavit, ignem pariter et ferrum miscens. Interim sacer pontifex intrinsecus cilicio tectus, minori pro se, maxima vero pro commisso sibi grege sollicitudine aestuans, die quadam cum processisset ad murum, vidit procul ignem micantem, et vicorum nuper incensorum flammam fumumque in sublime conscendere, incolis ex uno lâtere fugientibus hostes, ex altero ignes. Ad quod spectaculum pastor pius intimo dolore trajectus, non aliter, quam si gladiis omnium confoderetur hostium, ingemuit, et miserabilem emittens vocem: « O me miserum, inquit, o me peccatorem, et o nimis infelicem, quem tanti mali, tanti doloris, proh dolor, inspectorem aetas ingrata protraxit in hanc horam. » Moxque loco cedens, intra matricis Ecclesiae limen sese recepit, et ante protectoris sui sancti Petri memoriam ruens, has lugens et ejulans edidit voces: « Heu, heu, Domine, quid commeruit grex et ovile tuum, ut sic rabidis luporum dentibus expositus, eorum morsibus attrectetur, eorum faucibus devoretur? Se laedentes non laeserunt: laesi vicem non rependunt, gratis jugulantur, sine causa sedibus pelluntur, et quicquid poenarum pessimus quisque dictante

* Sieg enim idem est ac latine *victoria*, *Berg* porro idem sonat ac *mons*.

justitia luit, hi, sola imperante crudelitate, longe durius exsolvunt. Ecce qualis clamor viduarum, quantae pupillorum et orphanorum miseriae, quot pauperum contritiones te susceptorem eorum, te judicem eorum, jamjam necessario provocant ad judicium. Miserere, pacisque nobis serenum adspira diem, in eum, cujuscumque causa talis Ecclesiae tuae tempestas imminet, tuae vindictae determinans sententiam. » At vero Coloniensibus ad arma conclamantibus, ac pro defensione civitatis hostiles impetus bellicis apparatibus hac illac per murum observantibus, tyrannus quidem velut dissimulans, in castrum suum, quod Cochomo dicunt, se contulit: magis autem, ut viribus et multitudine se sequentium illic adunatis, judicium sanguinis cum Episcopo ejusque ministris publice committeret. Contra quem cum Episcopi milites nihilominus omnibus armarentur viribus, et studio partium quidam consanguinei cum Palatino, quidam cum Episcopo ordinarentur, essetque civilis belli periculosissima cunctis suspicio, sanctus pontifex gravi pressus angustia mentis, quod e duobus tolerabilius eligeret, ignorabat. Si superbiam hostis armis humiliare decerneret, occurrebat inhumana crudelitas, et miserabile scelus, cum frater fratrem, gener socerum, socer generum hostiliter prosternerent. Si vero aliter vellet, imaginariis oculis expugnandae urbis miserias, ecclesiarum destructiones, clericorum vel monachorum contumelias, viduarum pauperumque necessitates, postremo juvenum et senum indiscretas caedes attendebat. In hujus articulo necessitatis quod primum, quod maximum, quodque certissimum erat solatium, totum se contulit ad Dominum, cum jejuniis litanias ordinans, et diversa sanctorum oratoria lustrans. Jamque futurus quasi praesens timebatur hostis, et sacerdos cum populo circuiens, tristes meditabatur causas, nec tamen a psalmorum modulatione cessabat. Cumque ordine venisset ad tricesimumquartum psalmum, cujus est initium, *Judica, Domine, nocentes me,* atque in eum altius intenderet, ex ipsa psalmi convenientia dolor cordis ejus increscebat. Ubi autem ad versiculum illum, *Veniat illi laqueus, quem ignorat*, ventum est, quasi praesagio quodam de adversario tactus, infremuit spiritu, lacrymisque cum voce prorumpentibus, eumdem, diacono stupente, denuo repetivit, dicens: *Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum.* Hoc quomodo protulerit, orantis ne affectu, an potius spiritu prophetantis, vel, ut melius reor, utroque modo, historiae nil obest: quandoquidem paucis evolutis diebus, laqueus, quem praedixit, incomprehensibili superni Arbitri judicio tam terribiliter hostem ipsum irretivit, ut inaudito seculis furore, uxorem suam, propter cujus mortiferam dulcedinem apostataverat, propriis manibus interficeret. Nam militum praefectis bellantium acies foris instruentibus ad futuram, quae sperabatur, cum Episcopo congressionem, ipse residens in cubiculo juxta suae

cupidinis sociam, irascente Domino, nec diutius calamitates innocentium sustinente, in amentiam versus est, ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectae conjugis Adelheidis caput feriens amputavit, cursuque fores egressus, plausu manuum et cachinno, quid egisset, insanientis, ut erat, more exposuit. Exhorruit ad tam triste piaculum omnis aetas, omnisque conditio, cessavitque tam operosa bellicae conventionis apparatio, singulis ad propria recedentibus. Ipse vero princeps et auctor seditionis captus, vinculisque a suis injectus, quandiu supervixit, furiosus et impos sui mansit, propriisque calamitatibus contentus, in alienam cladem amplius grassandi nec copiam, nec voluntatem habuit. Tunc pius sacerdos, unicum coelestis magisterii suis temporibus exemplar, opere complens illud Dominicum : *Orate pro persequentibus vos, et benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* v); mulierem miserabiliter interemptam, officiose ac nimis flebiliter terrae commendavit, filium ejus in sua suscipiens, affectu benignissimo nutrivit, multisque beneficiis indulgentissime remuneravit. Exinde Colonia pace repleta, pastoris sui jucundabatur in operibus; qui non solum diversis misericordiae deditus erat officiis, alens egentes, vestiens nudos, sed et ecclesiasticae religionis decus amplificavit, monasteria construens, ministris Dei necessaria procurans, et semper in perquirendis et honorandis sanctorum cineribus infatigabili satagens studio....

§ **23**. Plus enim Dominus, qui, quos amat, arguit et castigat, hanc quoque dilectam sibi animam ante diem vocationis ejus multis tentari permisit incommodis : ut scilicet ab ea omnem scoriam terrenae conversationis excoqueret caminus transitoriae tribulationis. Primum, moto Saxonico bello, fratrem ejus Wesselum Magdaburgensem Archiepiscopum, et consobrinum ejus Bucconem Halberstadensem Episcopum, tempestas involvit gravissimae persecutionis. Contra hos cum Regi, totius Saxonicae gentis exterminium anhelanti, opem non satis impigre ferret, naturae profecto legibus et carnali affectione inhibitus, invisus ei suspectusque efficitur, perjurii ac perfidiae insimulatur.

§ **24**. Hinc inter eum et Regem quotidie discordiis incrementa accipientibus, cives quoque Colonienses, quibus paulo ante unice carus acceptusque fuerat, ad interficiendum eum, proh dolor, sollicitantur: quibus ad patrandum quod nefarie machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Archiepiscopus Pascha Coloniae celebravit, eratque cum eo Episcopus Mimigardevordensis *, ad communicanda tantae solemnitatis gaudia, familiaris amicitiae obtentu evocatus. Cumque exactis ex parte feriis Paschalibus, abscedere pararet, ii qui Archiepiscopi domestica negotia curabant, jubentur ad evectionem ejus navim idoneam providere. Qui, lustratis perspectisque omnibus, unam mercatoris cujusdam

* Idest, germ. *Münster*.

praedivitis navim, quia in eos usus competens videbatur, occupant, eamque in ministerium Archiepiscopi, ejectis mercibus quas habebat, ocyus expediri jubent. Negantibus famulis, qui navim servandam susceperant, vim, nisi mature jussa capessant, minitantur. Illi vero, quantum poterant, citato cursu ad dominum navis rem deferunt: quid facto opus sit, consulunt. Habebat ille filium adulta aetate, non minus audacia, quam viribus, excellentem, et cum propter generis affinitatem, tum ob merita sua primoribus civitatis maxime carum et acceptum. Is, assumptis famulis suis, et juvenibus ex civitate, quantos in ea trepidatione in auxilium suum consciscere potuit, concitus ad navem evolat, et ministros Archiepiscopi, acriter, ut navis exoccuparetur, insistentes, cum injuria proturbat. Dehinc advocatum urbis in idem opus succedentem, tumultusque instaurantem similiter repellit, fundit et fugat. Jamque et his et illis, sui singulis amici armati subsidio accurrunt, et ad magnum discrimen pugnamque ancipitem res spectare videbatur. Perlato mox nuncio ad Archiepiscopum, quod atrocissima seditione confunderetur civitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarumque plenus minabatur se proxima sessione seditiosos juvenes merita poena coërciturum. Erat quippe vir omni genere virtutum florentissimus, et in causis tam reipublicae, quam Ecclesiae, spectatae saepius probitatis. Vix ad modicum dirempta est concertatio: sed ferox animis, et elatus primo successu juvenis, non cessabat interturbare omnia: percurrensque civitatem, varios sermones per populum ferebat de insolentia et austeritate Archiepiscopi, qui toties injusta praeciperet, toties innocentibus sua adimeret, toties honestissimos cives procacissimis verbis incesseret. Nec difficile fuit, id hominum genus in omne, quod velles, tamquam folium quod vento rapitur, transformare. Praeterea in mentem veniebat Wormatientium insigne praeclarumque facinus, quod Episcopum suum insolentius agere incipientem, urbe expulissent, et cum ipsi multitudine, opibus armisque instructiores sint, dedignantur quod inferiores aestimentur audacia, et Archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem, tamdiu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta consilia, saevit vulgus intemperans novarum rerum studio, et per totam civitatem spiritu diabolico raptatum, ad arma conclamat: nec jam Archiepiscopum urbe expellere, sicut Wormatienses, sed per omnes cruciatus trucidare, si copia detur, conspirant.

§ 25. Natalis erat beati Georgii martyris, qui eo anno feria quarta hebdomadae Paschalis obvenerat, et Archiepiscopus celebrata Missarum solemnitate apud beatum Georgium, cum sermonem faceret ad populum, praesagio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quod civitas diabolo in potestatem tradita esset, et propediem peritura,

nisi jamjam impendentem iram Dei per poenitentiam inflectere maturarent. Auxit hujusmodi suspicionem omnibus, quaedam in hunc modum visio celebris. Quidam bonae vitae vir ante dies aliquot hujus turbulentiae, vidit per somnum cornum quemdam horrendae magnitudinis per totam volitare Coloniam, et terribiliter crocitando, populum tali spectaculo attonitum huc et illuc agitare: supervenire post haec virum, tam veste quam forma praecellentem, qui et corvum honorifico sonitu perstrepentem urbe expelleret, et populum mente consternatum, jamque extrema omnia formidantem, cassa formidine absolveret. Cumque a circumstantibus interpretationem somnii horrore concussus quaereret, audivit quod civitas propter peccata populi diabolo in potestatem tradita fuisset, sed interventu Georgii martyris liberata, instantis jam atque a Deo praedestinati interitus necessitatem evasisset. Igitur post meridiem, inclinata jam die in vesperum, cum igni oleum, iracundiae accessisset ebrietas, subito civium conjurata manus erupit: ac primo portae civitatis omnes custodiis vallatae sunt: dein ex omnibus urbis partibus ruunt ad curtim Archiepiscopi, et eum celebri quodam loco cum Episcopo Monasteriensi coenantem adorti, tela contorquent, saxa jaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, caeteros plagis et vulneribus confectos, in fugam vertunt. Inter haec conspicantur quamplurimi, ipsum talium furiarum incentorem daemonem praecurrere insanienti populo galeatum, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec ulli, quam sibi, similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes, ut se in pugnam sequerentur, concitaret, in ipso impetu, quo portarum seras effracturus vociferando irruebat, repente ab oculis sequentium disparuit. Tunc Archiepiscopum sui inter cuneos hostium, nubemque jaculorum vix et aegre expeditum, in templum S. Petri abripiunt, foresque non modo seris et vectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Saeviunt foris, et instar inundantis aquae rugiunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, et per omnia Episcopii penetralia discurrentes, fores infringunt, thesauros diripiunt, vasa vinaria concidunt, et dum vina in diutinos usus summa ope congesta, praecipitantius effundunt, repletum subito cellarium, ipsos, quod dictu quoque ridiculum sit, inopinis fluctibus periclitatos pene suffocaverat. Alii cappellam Archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta pontificalia diripiunt: dumque omnem supellectilem sacri ministerii curiosa, immo furiosa diligentia evertunt, reperientes illic quemdam clericum, prae timore se in angulo altaris occultantem, et putantes quod Archiepiscopus esset, interficiunt, non sine gratulabunda exprobratione, quod petulantissimae linguae tandem aliquando modum imposuerint. Sed cognito, quod decepti similitudine essent, et Episcopus intra templum S. Petri et loci religione,

et murorum firmitate se tutaretur, undique conglobati ipsum templum obsident, muros perfringere dedita opera moliuntur: postremo, nisi ocyus sibi tradatur Archiepiscopus, ignem quoque se adhibituros minitantur. Tum ii, qui intus erant, videntes obstinatos esse omnes ad necem ejus animos populi, nec ebrietate sola, quae tempore digeri solet, sed etiam odiis et phrenetico quodam furore homines agitari, suadent ei, ut mutato habitu effugere conetur de ecclesia, et fallere obsidentes, hoc facto, et sacras aedes incendio, et se mortis periculo liberaturus.

§ **26**. Opportunum fugae patrocinium tempus pollicebatur. Nam seditione in mediam noctem protracta, horrebant omnia tenebris et caligine, ut haud facile cuiquam esset, vultus occursantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium, itemque de dormitorio in atrium domumque canonici cujusdam adhaerentem muro civitatis: isque ante paucos dies ortae seditionis impetraverat ab Archiepiscopo, Deo ad salutem Archiepiscopi hoc ipsum misericorditer providente, ut rupto muro civitatis, parvulum sibi posticum facere sineretur. Ibi eductus Archiepiscopus, applicitis in evectionem ejus et comitum ejus quatuor equis, abiit, opacae noctis tenebris, ne ab obviantibus agnosceretur, commodissime usus: repertoque post modicum Episcopo Mimigardevordensi, sociis jam pulcre pro ea tum calamitate constipatus, in locum, cui Nussia * nomen est, pervenit. Interim ii, qui circa templum erant, crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confusa vox tumultuantium, et fidem omnipotentis Dei testantium, quod non evasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiamsi in minima terrae reptilia se transfiguraret. E contra ii, qui obsidebantur, nunc supplicando, nunc pollicendo, quod diligentissime quaesitum, si inveniretur, ipsis tradituri essent, callide lugebant operam perurgentium, usquequo Archiepiscopum longius evectum, atque in tuta loca progressum esse arbitrarentur. Tum demum reclusis foribus, ipsos ingredi, et pro libitu suo quaerere sinunt: adjiciuntque, frustra eum quaeri intra septa templi, quem certo comperissent primo incursu concitatae multitudinis, clara adhuc die urbe egressum, jam in longinquas partes transire potuisse: idque magis suspicandum, quod contractis undique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis civitatem sit adventurus. Igitur ingressi, cum omnia templi penetralia diligentius investigando evertissent, vix tandem admissa fide, quod falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula dispertiunt. Inter haec arreptum quemdam de turba, super portam urbis ad ignominiam Episcopi suspendunt, magis in hoc furori suo, quo praecipites raptabantur, satisfacientes,

* Germanice *Neuss*, oppidum insigne.

quam quod crimen ullum suspendio dignum, misero obtendere possent. Alteri crura succiderunt. Mulierem etiam quandam de summitate murorum praecipitant, fractisque cervicibus interficiunt, hoc ei crimini dantes, quod homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuisset. Sed hoc scelus commodiori tempore, et pacatiore animo vindicare debuerant. Induxerant etiam in animum, si non fuga vix evasisset, Abbatissam perimere de S. Caecilia, solam mortis ejus causam habentes, quod Archiepiscopo consanguinitate jungebatur: adhuc et sceleratiora aggredi statuentes, nisi Deus Coloniae misertus, breviasset dies amentiae eorum. Praeterea juvenes impigros citato, quantum possent, gradu ad Regem ire jubent, nunciare ei quae gesta fuerant, et suggerere ut quantocyus veniat, vacantem, expulso Archiepiscopo, civitatem occupare: in eo verti salutem civitatis, et ipsius utilitatem maximam, ut grandia molientem de vindicanda injuria Archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Postquam auditum est per provinciam, et celebri rumore vulgatum, quod Colonienses sua Archiepiscopum probris et contumeliis affectum, urbe fugassent, exhorruit omnis populus novitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quod vir tantarum in Christo virtutum, tam indigna perpeti, Deo adspiciente, potuisset. Magna ejus in pauperes liberalitas, multa in divinis rebus devotio, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corrigendis qui male agerent severitas, omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiae apud populares conciliabat. Exclamant omnes, ad suam magis injuriam pertinere violatam pontificalis nominis majestatem, et mori sibi satius esse, quam ut tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur.

§ **27**. Igitur per quatuor vel quinque milliaria circumquaque ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui per aetatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detrectante: conglobatique in unum, rogant Archiepiscopum, et cunctantem vi impellunt, ut ad recuperandam civitatem quantocyus festinet: se pro eo dimicaturos, et si ea necessitas incumbat, oves pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos: ac nisi Colonienses maturent venientem suscipere, et pro ipsius arbitratu satisfacere offenso, se aut ingesto igne populum cum civitate consumpturos, aut dissipato muro, eum super congeriem occisorum in cathedram pontificalem reducturos. Ita Archiepiscopus quarto die postquam exierat, magno vallatus agmine, ad urbem accessit. Quod ubi Coloniensibus compertum est, et se tantae tamque efferatae multitudinis impetum nec muro, nec acie sustinere posse animadvertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas evanescere coepit: magnoque

terrore concussi, obviam legatos de pace miserunt, se reos confitentes, et omnem, quam vita incolumi juberentur, poenam pendere paratos. At Archiepiscopus digne poenitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum, celebrata Missarum solemnitate apud S. Georgium, eos, qui pontificem sede propria expulissent, qui ecclesiam homicidio polluissent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui caetera religionis jura ausu barbaro temerassent, Episcopali banno ad satisfactionem vocavit. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, vix et aegre impetrata pace multitudinis, quae circa Episcopum erat, ut hoc tuto facere sinerentur. Nam et vehementer ei succensebant, quod dum immoderatius clementiam ostentando, popularis fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora, hujus sceleris impunitate, animaret. At vero Archiepiscopus eos postero die ad suscipiendam secundum canonum scita poenitentiam tam immanis flagitii, ad S. Petrum praesto esse jubet: ipse progressus ad S. Gereonem, ibi extra urbem pernoctare statuit: veritusque quod tradita civitate, vis concitatae multitudinis inhiberi non posset, sed partim injuria, partim cupidine praedae accensi, acerbius saevirent in populum, obnixe rogat provinciales, qui secum erant, ut singuli in sua cum pace recederent: satis se opera eorum usum, et evidens tulisse documentum, quid animi oves erga pastorem, filii erga patrem gererent: asperrimam partem negotii multa eorum virtute exactam esse: caetera quae restent, facile jam privata ac domestica manu posse confici. Proinde, quod bonum, felix, faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportantes spem, quod hujus beneficii gratia apud eum, seu vivum seu defunctum, perpetuo mansura foret. Hoc vix impetrato, milites suos, quantos ad comprimendos urbanos motus, si qui forte levitate vulgi instaurarentur, sufficere putabat, praecedere in civitatem jubet, secuturus ipse proxima luce, cum eorum, qui praecessissent, diligentia, ne quid forte insidiarum lateret in civitate, praecavisset. Ea nocte sexcenti, aut eo amplius mercatores opulentissimi ex urbe profugi, ad Regem se contulerunt, intercessionis ejus opem adversus Episcopi saevitiam imploraturi. Caeteri ingresso Archiepiscopo civitatem, et toto triduo juxta condictum exspectanti, minime se praesentarunt ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Unde indignitatem rei non ferentes Episcopi milites, inscio, ut plurimi asserunt, atque inconsulto Archiepiscopo, arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiunt, occursantes partim sternunt, partim captos in vincula conjiciunt, et prorsus, ut veritati vel coacti assentiamur, multo ferocius, quam tanti pontificis existimationi competeret, justae ultionis negotium exequuntur.

§ **28**. Sed gravior morbus acriori indigebat antidoto. Filius supra memorati mercatoris, qui primus seditione inflammaverat

populum, et pauci alii luminibus sunt orbati, nonnulli virgis caesi ac detonsi, omnes gravissimo rei familiaris damno mulctati, atque jusjurandum dare compulsi, quod deinceps Archiepiscopo civitatem contra omnium hominum violentiam, quantum consilio et armis possent, vindicaturi essent, et eos, qui ex urbe profugerant, quoad digne Archiepiscopo satisfecissent, semper pro infestissimis hostibus habituri. Ita civitatem pro diversitate partium, et luctus pariter et laetitia tenuerunt, aliis in regressu pontificis ejecti justas audaciae suae poenas luentibus, aliis dignos consolationis suae choros instituentibus. Siquidem non in urbe tantum, sed et ubicumque locus exhibendae processionis offerebatur, ibi post istam famam Christi confessor in hymnis et canticis velut Angelus exceptus est, nec immerito. Quis namque neget eum unum ex illis angelis fuisse, de quibus per Malachiam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est* (*Cap.* II)? Cujus post haec lacrymas in ascensu vel descensu dilecti sibi montis effusas, illi, quibus ibi servitur, et viderunt, et miserati sunt sancti: quorum pietati conquestus eam, quam, a suis tulerat, contumeliam, omnes ad fletum traxit, quos vel ex clero, vel ex populo contigit adesse. Levaverunt autem et monachi pariter voces suas, et redivivam desiderabilem faciem ejus contemplantes, universi personabant: « Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta: tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis. » Audiebantur haec in excelsis, et utique credendum est tam eorum, quae canebantur, dulcedine, quam sacrificio lacrymarum oblectatum, revera ibi Christum adfuisse, sicut et ipse promisit, cum ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Caeterum quia nonnullis etiam bonis scandalum ingerit, quod in ultionem tanti viri, tam saeva dicitur redundasse castigatio, a gravissimis fideque dignis personis testimonium habemus, eum cum sacramentis multoties affirmasse, suam conscientiam ab hac tyrannide prorsus immunem: quippe cujus nec officii, nec voluntatis esset unquam, ultra legis Ecclesiasticae jura vindictam suarum injuriarum extendere. Qua de re contrahat os suum invidus: cui cum sermo sit, ab ejus tumulo caecos plerumque redire cum lumine, solet objicere, magis ereptos, quam redditos per eum oculos. Nec mirum, cum et Moysen sanctum, homicidam nonnulli blasphement.

§ **29**. Post haec cum Imperator, celebrata Paschali solemnitate in Babinberg, Ratisponam ire disposuisset, a nuncio fictae legationis audivit, Wilhelmum cognomento Bastardum, Regem Anglorum, ab Archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectum, cum magno exercitu adventare, regni sedem Aquisgrani occupare paratum. Tunc Rex territus tam atroci nuncio, ad Rhenum concitus remeavit, celebritatem Pentecosten in Moguntia

civitate splendide peragens. Inde cum Coloniam ire instituisset, multum spirans irarum et comminationis in Archiepiscopum Coloniensem, ille missis in occursum ejus nunciis, mandavit falsam omnino, ac scenicis figmentis simile esse fabulam, quam in eum aemuli sui composuissent: ii nimirum, qui eum paulo ante urbe expulissent, et nunc ad opprimendum eum, quoniam armis non possent, mendaciis grassarentur: se non ita rationis expertem, vel communis commodi negligentem esse, ut in ultionem privatae injuriae, patriam suam barbaris prodere velit: nec ea levitate vitam a puero instituisse, ut quisquam sanum aliquid sapiens, tam inepta de se suspicari possit. Impetrata dein per legatos coram veniendi copia, in Andernaco villa Regi occurrit: cumque Rex de iis, quae compererat, severissime quaestionem promulgaret, proditae quidem reipublicae crimen, quod objiciebatur, sacramento purgavit: caetera quae delata fuerant, ait Rex se veteri amicitiae ac pontificali nomini condonare, nec pro jure suo expostulare velle. Ita non extincto, sed interim cohibito furore, Coloniam processit. Ibi postero die ad judicandum populo assedit, sperans per accusationem eorum, quos Archiepiscopus propter injurias suas poenâ affecerat, occasionem sibi futuram, ut eum seditione concitata rursus civitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes, saltem reum majestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas, responsi veritate ac sententiarum gravitate, tamquam aranearum telas dirupit. Postquam autem Rex innocentia ejus ac vitae integritate, consiliis quoque omnia septa vidit, nec ullum patere locum calumniae, ad aliud se vertit genus injuriarum. Exegit ab eo, non precibus quidem, ut oportuit, sed imperiosa quadam auctoritate, ut Coloniensibus admissae in se temeritatis veniam daret, excommunicatosque Ecclesiae reconciliaret: praeterea ut ad firmamentum conservandae erga se in perpetuum fidei, sex sibi ex militibus suis obsides daret. Utrumque ille cum magna constantia negavit: obsides quidem, quod nullus Regum priorum tale quid ab aliquo praecessore suo postulasset: excommunicatorum autem reconciliationem, quod sine digna poenitentiae satisfactione excommunicatos in Ecclesiam recipi, leges Ecclesiasticae vetarent. Imminebat ille vehementer, comminans omnia incommoda se illaturum, et cuncta quae illius sint, ferro et igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum Coloniensibus conspirassent ad eum interficiendum: sed nunquam retinendae vitae studio, ab jure ad injuriam declinaturum. Diu anceps erat pugna, et utrorumque milites magna concusserat sollicitudo, exspectatione tam tristis spectaculi. Tandem evictus Rex ab iis, quorum consiliis plurimum tribuebat, flexit sententiam, et ait malle se cum eo beneficiis certare, quam damnis aut inimicitiis: et si eum fidum sibi devotumque in causis reipublicae experiretur, primum

deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus Archiepiscopo, Aquisgranum perrexit, et adversus ea, quae de irruptione barbarorum fama vulgaverat, eam regni partem, quantum poterat, communivit.

§ **30**. Interim, insurgente satana contra virum Dei, duo ministri ejus, qui in laribus ejus familiarissime obversabantur, insidias ei tendunt, et nisi Dei misericordia malum hoc praevertisset, nihil tale suspicantem trucidassent. Alii cuidam, quem beneficiis suis maxime fidum sibi obnoxiumque fecerat, familiares litteras a se ipso in tabulis, propter majorem secreti cautelam, conscriptas dedit Episcopo Halberstadensi perferendas, quibus nepotem suum, tantis undique adversitatum procellis jactatum, et pene naufragantem, consolaretur et instrueret. At ille ex ipsa tam operosa secreti communione conjiciens aliquid Regi, reique publicae adversum, iis litteris contineri, Regi eas detulit. Quas ille contra spem suam nulla videns infidelitatis indicia dare, tamen ad terrendum eum, exemplar earum Archiepiscopo misit: ut experimento colligeret, non raram apud se suorum secretorum proditionem. Item alius quidam ex ministris ejus, quem Coloniensi Ecclesiae propria industria ipse acquisierat, quemque ob hoc indulgentissimo semper affectu coluerat, et bonis omnibus etiam supra natales suos locupletaverat, repente insolentia servili elatus, jugum Ecclesiasticae servitutis coepit detrectare, seque in libertatem violento quodam jure fori, cum magna Archiepiscopi contumelia, velut equus effrenis excussit. Tum vero crebris mortibus carorum suorum ita amaricatus est, et vulnere concisus super vulnus, ut saxeum quoque pectus, et supra petram fundatum aedificium concutere posset tam vehemens ille turbo tentationis. Ad omnem autem doloris et moeroris plenitudinem, illa novae confusionis miseria, quae per omnes angulos regni se dilatare jam incipiebat, tanto acerbius cordis ejus intima tetigit, quanto res ad generale totius Ecclesiae discrimen spectabat. Nam feritate barbarica confligentibus inter se Francis et Saxonibus, immiscebant se fide dubia nunc his, nunc illis Svevi, gensque Bajoariorum: fiebantque caedes, incendia simul et rapinae per omne regnum Teutonicum. Harum calamitatum incentrix, et quoddam in praesens durandi solidamentum exsurrexit interea illa lugenda semper omnibus Ecclesiae membris inter Regem et dominum Apostolicum controversia, quae schismatis horrendi lue sanctam mirabiliter confundens Ecclesiam, multorum millium animas inferis, proh dolor, destinavit, pacis unanimitatem e terris prorsus exturbavit, foeda monachos altercatione dissolvit, clericos in contemptum adduxit, Ecclesiastica judicia laicis subjugavit, omnem aequitatis regulam subvertit: nec cessat hodie tanti mali lacrymosa pernicies. His angoribus vir, cui nil Deo carius, adeo coarctatus et excoctus est undique, ut etiam taederet eum vivere.

Itaque voces hujusmodi cum Psalmista dabat ad coelos: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit animam ea* (*Ps.* 119). Cupiensque dissolvi, et esse cum Christo, dicebat: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ps.* 1). Grave jam ei erat terrenum omne: necessitate, non voluntate, sub onere carnis adhuc aestuabat. Tabescebat corpus, nihilominus et animus infirmabatur. More turturis viduatae, solo luctu pascebatur, publicas frequentationes declinabat, singularitate delectabatur, assidue flens, assidue moerens. Nec diu militis sui sudores bonus Dominus irremuneratos praeterivit, neque passus est eum tentari super id, quod sufferre poterat: verum hinc eum erepturus, ante per altam contemplationis vim, futurorum malorum inspectorem esse voluit: ne ignoraret, quantis a Deo beneficiis donaretur, si necessitatem talibus communicandi moriens evaderet.

§ 21. Igitur dilectissimus Deo praesul ultimum agens annum, dilectum sibi montem plus solito frequentabat, singulis diebus, singulisque noctibus frequentans altaria singula, se prosternens in faciem coram singulis, flens et orans pro statu periclitantis Ecclesiae, suamque animam Creatori commendans. Et Septuagesimam quidem partemque Quadragesimae infirmus ibi peregit. Cum autem Pentecosten festivo celebraturus gaudio, denuo advenisset, Anno puer, filius sororis ejus, unice dilectus ab eo, immaturae mortis violentia repente prostratus, novum ei dolorem, novum intulit luctum. Intererat tamen communis festi publicis conventibus, praecedentes in laetitiae carminibus et vestium decore monachorum choros lugubri vultu prosequebatur, memorans illud, quod et sanctus Tobias, *Dies festi vestri convertentur in luctum*. Vulnerabatur autem mente omnis, qui in faciem ejus intendisset. Denigrata enim erat valde, coloremque pristinum prorsus immutaverat, horrorem quendam praeferens, per quem interni doloris ejus adspicientes testimonium caperent.

§ 22. Cum deinde dedicationis ecclesiae et beatissimi Michaëlis agerentur solemnia, postremo ad Sigebergenses venit. Quae duo sibi cohaerentia festa tanto majori animi pietate et devotione illic celebravit, quod spiritu jam cognoverat, se ad illum locum in corpore minime rediturum. Recessurus, Fratribus paterno affectu valedixit, petensque monasterium, intentissimis precibus, adjunctis praesentium illic Sanctorum patrociniis, Deum obsecrabat pro defensione corporis et animae suae, pro Ecclesiae pace, pro loci conservatione. Precabatur illis filiis suis animarum salutem, ad singulas preces humi se prosternens, tum genua flectens, tum in coelum manus et oculos attollens, lacrymis perpetim manantibus, ut ad tantae devotionis instantiam merito coeli patescere crederentur. Tandem sancta illis Cruce consignatis, dum vult exire ostium, catenula quaedam ferrea ei oblata est non absque nutu

divino. Nam et si ea jussu illius confecta erat, non tamen nisi Deo disponente ea hora exhibita est. Eodem enim momento praesul intro revertens, locum sepulcri sui baculo designavit eo loco, ubi nunc est, et catenulam illam jussit per tabulata submitti ad lucernam subvehendam. Porro Svithardo milite non sine admiratione sciscitante ex eo, quid tam accurata dimensione sepulcri sibi vellet, respondit se suam illic designare sepulturam. Illo rursus inquirente, quaenam corporis necessitas eum, id ut faceret, perurgeret? « Ea, ait beatus vir, quae utique summa est, nempe mors inevitabilis: non enim posthac vivum me locus hic recipiet. » Tum mox expalluit miles, crebroque se Cruce signavit: iterumque percontari ex Episcopo coepit, cur non in choro, sacratiori templi loco, humari potius vellet. Respondit Episcopus: « Id ego ea causa nolo, ne tu, tuique similes ad sepulcrum meum orandi causa venturi, Fratribus divina officia persolventibus molestiam exhibeatis. Tum etiam, ut pateat ad sepulcrum meum aditus pauperculis foeminis, ex rure pro devotione sua poma vel ova, aut quodlibet aliud sanctae simplicitatis munusculum allaturis: quarum cum devotio tanto sit gratior Deo, quanto vita simplicior, non parum detraheretur honori meo, si illarum rejectis lacrymis et querimoniis, solis nobilibus pateret accessus ad monumentum meum. Igitur exemplo Domini mei, duo viduae minuta accipientis, ego quoque harum et munuscula complexurus, et preces admissurus, omnibus expositum habere volo sepulturae meae locum. » Ita ille more suo quasi *per jocum* militi aperiens secreta pectoris sui, foras egressus est. Inde, conscenso equo, moestus identidem animo redibat ad monasterium illud, multum id deplorans, quod ultra non visurus locum illum unice sibi carum, filiis suis copiosissimam lugendi materiam praeberet.

§ **33**. Nam cum esset Coloniam reversus, dolor podagrae dextrum ejus pedem invasit, quo novem plus minus hebdomadibus miserabiliter discruciatus, tandem ad extrema perductus est. Sed enim initio quadam animi constantia dolores illos hebdomadam unam utcumque dissimulare visus est, donec in feriis sancti Gereonis martyris Missarum solemnia in ejus ecclesia celebrans, intantum viribus fractus est, ut omissa, quam habiturus erat, concione, vix sacramentis consummandis sufficeret. Atque illud extremum fuit ejus sacrificium: quo peracto, decidit in lectum mortis, omnibus suis dolorem et moerorem afferens. Longum esset persequi, quas miserias, quae tormenta toto illo tempore aegritudinis tum a medicis, tum a morbo ipso perpessus sit: nec minus difficile perscribere, quae spiritu praedixerit, quae in ecstasi viderit: e quibus vel pauca adferemus, quatenus historiae opportunitas admittet.

§ **34**. Porro autem dolor pedis omne crus et partem femoris occupans, crebro vitalia ipsa infestabat. Ad extremum stolam

suam accipiens, quascumque ob causas quemquam ligasset, absolvit, et ab omnibus humiliter veniam petiit, omnes contestans, ne se celarent, si quid in his ab ipso esset praetermissum. Accitis quoque rerum Episcopalium procuratoribus, ea fide, quam ipsi dedissent, eos obstrinxit, ut in persolvendo aere suo alieno, quod non exiguum contraxerat, sine personarum acceptione suas vices implerent, et tam Judaeis quam Christianis juste omnia redderent, certam eis pecuniam assignans, quam in hos usus et exequiarum suarum eleemosynas mensae suae caute prudenterque subtraxerat. Et potuisset ille sane auri et argenti immensa pondera inferre in thesauros suos, unde aliis et corporum et animarum pericula crearentur: sed non id illi studio aut curae fuit. Dispersit autem, sicut scriptum est, et dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi. Denique eo defuncto, nec teruncius unus repertus est, qui illius esset, et neque Rex, neque ullus avarus ejus satelles gloriari potuit, ex Annonis amplis marsupiis haec vel illa sibi post ejus obitum obtigisse. Nec tamen quisquam ex iis, a quibus mutuo pecuniam acceperat, solutione frustratus est, nec tam largas eleemosynas nostra vel vidit, vel audivit aetas. quales octiduo in ejus exequiis praestitae fuere: Deo id agente, ne quid ab iis, quibus harum curam demandarat, aut negligentia, aut dolo malo praetermitteretur.

§ **35**. Cumque in agone noctem cum die continuaret, illam pestem, quam nos jam cernimus, quam miser mundus, omnis honestatis et religionis expers, jacet oppressus, spiritalibus ille oculis intuens, repente manus, ut poterat, in alta sustulit, et miserandum in modum exclamavit: « Sancta Maria, succurre miseris, succurre Coloniae, succurre civitati jamjam periturae, fessaque brachia paululum deponens, rursus ad sidera sublatis illis: Quaenam sunt, inquit, o Domina, quae se meis offerunt oculis, horrenda spectacula? Per singularem misericordiam tuam, te obsecro ut mihi janua fias, per quam hinc emigrem, ne tanta mala cogar videre oculis meis; » deficientemque spiritum brevi silentio recreans, ad succurrendum Coloniae etiam S. Petrum invocavit, interdum etiam alios Sanctos appellans. Tandem cum multo gemitu in hanc prorupit vocem: « O amici omnes summi Regis, in ejus notitiam admissi, subvenite Coloniae intercessionibus vestris. » His dictis, ultimum trahens spiritum, die illucescente, ad ipsum lucis fontem feliciter emigravit, mundo luctum, coelis gaudium morte sua afferens. Ita post diuturnum morbum, quo illum Dominus tamquam in camino ad purum excoxit, anno Salvatoris millesimo septuagesimo quinto, Episcopatus sui vicesimo primo, pridie Nonas Decembris, illucescente sexta sabbati, ab hominibus ad Angelos profectus est.

§ **36**. Corpus exanime lotum, et ut Episcopum decebat, in feretro compositum, adhuc ab horum ministris tractabatur, et

ecce necdum orto sole Clerus totius Coloniae cum Crucibus adventans in curiam regiam, cum frequentissima tam urbana, quam suburbana plebe, aedes Episcopi circumstiterunt, non ut mortuum excepturi, sed tamquam viventem ad insignem aliquam celebritatem cum triumpho prosecuturi. Mox in humeros recepe-runt onus sacratissimum quidam viri venerabiles, Clerici et monachi, plangentibus ministris qui eos sequebantur, exportaruntque illud ad Episcopum Mindonensem et Cleri frequentiam, duobus cum pedo Episcopis et Crucis vexillo praeeuntibus. Ubi autem in conspectum hominum venit, dictu incredibile est, quae tum illic lacrymae et gemitus extiterint. Inde cum psalmis et canticis, cum magno campanarum fragore et clangore in summae aedis atrium illatum est, depositumque sub corona quadam magni operis illic pendente, multis in ea cereis ardentibus. Adfuere mox frequentes monachi, et Deo sacratae foeminae: celebratum est defunctorum officium, quod vigilias vocant, templum omne cantantium vocibus complebatur. Hora sacrificii cunctis congregatis, imprimis reve-renter et devote Mindensis Episcopus cum sacris ministris accessit ad aram, eumque omnes secuti sunt, permixtim psallentes atque lacrymantes. Peracto sacrificio, sacerdotes omnes cum stolis suis post feretrum steterunt. Ibi tum luctus et gemitus, dolor et la-crymae increverunt, magisque affectu, quam voce, dicebant omnes: In paradiso deducant te Angeli, in tuo adventu suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Cui vel tenuis pietatis scintilla inesset, non poterat non compungi, si vidisset officia, quae illo die beato viro persolvebantur. Ipsae canentium voces, ipsae carminum suavitates, ipsi verborum sen-sus, atque adeo ipsi offerentium ordines et multitudo testare vi-debantur, jam in coelis ejus festa celebrari. Omnia compunctionis plena erant, digna tali funere. Interim totus Ecclesiae Coloniensis magistratus una animi sententia in id summopere incubuit, ut sacrum corpus Coloniae suam haberet sepulturam. Et aliis quidem bona animi voluntate, aliis ex invidia id connitentibus, Clerici illi, qui olim a beato viro in ecclesia ad gradus in honorem Matris Dei constituti fuerant, publicae justitiae detractum iri ajebant, si praeter illud sepulcrum, quod ipse apud eos sibi mensus esset, aliud, quamvis ab eodem ipso, tamen posterius designatum, jam mortuus obtineret. Huic sententiae cum etiam proceres plerique omnes subscriberent, soli tres, Sigewinus De-canus summae aedis, Hermannus Vicedominus, qui ambo postea ei successere, et Gerlacus Comes, acerrime sese opposuere, et nunc precibus, nunc conviciis cum aliis agebant, praeter perfidiae crimen, quo se obstringerent, qui eam sententiam sequerentur, etiam anathemate plexos eos asserentes. Et triduo quidem nihil impetratum est. Quarto autem die obstinatioribus animis utraque parte suum propositum urgente, tandem Gerlacus Comes in medio

conventu stans, ita ait: « Esset merito tantorum virorum sententiae cedendum, si non publica justitia staret a nobis, quae, si scire vultis, aeque vos atque nos, domino nostro adhuc liberam habente sepulturae diligendae facultatem, obstringit, ita ut sine magno salutis nostrae discrimine secus, quam ille jusserit, hac in parte facere nequeamus. Nostis quae ille, vestrae pertinaciae praescius, vobis dira imprecatus sit, ut quisquis sapit, vitam hanc perdere malit, quam eam excipere maledictionem. Et tamen appetitur tanta animarum pernicies. Etsi vero nihil isthaec vos permovent, non mihi certe integrum est vestro exemplo adjurationem domini mei, cui fidem obstrinxi meam, negligere, cum certum sit, eo ipso in excommunicationis mucronem me ruiturum. Quod si etiam divina ultio non urgeret, at certe leges humanae eam a me fidem reposcerent, ut prius velim nobiliter occumbere, quam injuriam cujuscumque domini mei, cui sacramento obligatus sum, ignobiliter negligere. Quod si ea fides cuilibet domino debetur, quanta illi praestanda est, qui a coelesti senatu jam medio consessu receptus est, cujus dignitas et urbis hujus nobilitate, et summi sacerdotii culmine illustris est? Cujus tanta fuit vitae sanctitas, ut beatus merito praedicetur, qui pro ejus defensione vel afficiatur contumeliis, vel sanguinem fundere cogatur. Id igitur omnibus vobis notum sit, hac me esse sententia, ob conservandam domino meo fidem, ut, si aliter non liceat, opera commilitonum meorum ejus corpus constanter tollam, et armata manu mihi vindicem, donec jus cuique suum victorum mortes asserant. »

§ 37. Haec illo Comite magno animo prosequente, caeteri metu absterriti siluerunt: solus Rodulphus Praepositus Graduum, cum suis necdum destitit suam tueri sententiam: sed eum Comes coram omnibus ita compellavit: « Ridiculum sane fuerit, si putes nos impudenti oratione tua adeo frangi posse, ut ignavia victi, imbelles vos patiamur occupare depositum nostrum, pro quo etiam ferro dimicare velimus? Itaque plane id tibi persuadeas, nunquam fore, ut quavis arte id, quod cupis, assequaris. Nam etiamsi, dubio adhuc rei hujus eventu, necessitas eo nos adigat, ut absque nostra quidem culpa in hac urbe corpus hoc sepeliendum sit, tamen etiam tunc pudebit vos inutilem suscepisse laborem, quandoquidem necesse erit humari illud in ipso B. Petri choro sive adyto, ubi nullus antehac, quamvis sanctissimus, terra conditus est. » Ita Praeposito illo cum suis quoque remoto, controversia omnis sopita est, respiciente Deo pauperes suos, qui in preces, vigilias et jejunia non cessarunt incumbere, donec optato illo thesauro potirentur. Porro autem exactis primae noctis excubiis ad corpus beati viri, altera luce apparente, rursus populus et Clerus frequens ad beati Petri aedem convenit, novusque planctus, nova lamenta extitere, et salutaris hostiae fervebat

ministerium. Inde quidam sacrum corpus tamquam divinae propitiationis arcam in suos humeros sustollentes cum lacrymis et ejulatu multo, ad portam illam contendebant, quae meridiem respiciens, ituris ad S. Martinum per chortem regiam iter praebet. Concrepuerunt mox signa campanarum, psallensque chorus antecedebat sacrum corpus, magistratu cum populo a tergo sequente. Incredibilis etiam tunc dolor et planctus fuit, nec minor devotio: mireque alii alios excludebant a ferendo feretro, dum singuli illud onus sibi imponi peroptarent: omnes vero certatim vel ad solum feretri contactum inhiabant, magnae cujusdam benedictionis opes inde sibi pollicentes. Stabant in ostiis domorum suarum pudicae matronae, qua transitus erat, et passim videre licebat homines manus in coelum tollentes, caput moventes, oculis prosequentes illud sacrum corpus. Ubi autem in monasteria quoque introductum est, eximii sane illi habiti sunt honores. Templa enim cereorum et lampadarum illustrabant lumina, auro gemmisque radiabant altaria, parietes tapetis multicoloribus ornabantur, sanctorum quoque corpora suis locis mota, quod nunquam antea in exequiis visum fuerat, cum processionibus educebantur. Neque id absque occultatioris cujusdam inspirationis vi factum arbitro: sed quemadmodum beatus Anno, dum esset in humanis, quicquid potuit animo, ore et manibus atque pedibus, beatis illis coeli civibus honoris impendere, haudquaquam praetermisit: ita ei quoque id specialiter collatum est, ut, ad tumulum deportandus, sacrarum reliquiarum comitatu frueretur. Ecquis autem parem illi se in sanctorum veneratione existimare ausus erit? Quis unquam tanto flagravit auri studio et amore, quanto ille vel minimis sacrarum reliquiarum portiunculis delectabatur? Fervebant interim studia omnium erga beatas exequias, et tanto se quisque gloriosiorem arbitrabatur, si novi quippiam aut prae caeteris amplius aliquid in earum apparatum expendisset. Ubique offerebantur sacrificia, et alia religionis officia praestabantur, nec in iis aliquid unquam occurrit impedimenti, ut ipsi quoque prosperi successus, Annonis sanctitati gratulari viderentur. Et primo quidem e summa aede deportatum est ejus corpus ad beati Martini coenobium, inde ad sanctae Mariae monasterium, quod novum vocant; tum ad beatam Caeciliam, postremo ad sanctum Georgium, ubi ea nocte ad illud vigiliae celebratae sunt. Tertio die post oblatum sacrificium, ad jucundissimi intercessoris ejus Severini templum pastor exanimis adductus est: ubi singulari privilegio obviam ei prolatae sunt tanti pontificis sacrae reliquiae. Postquam autem ibi quoque oblatum est sacrificium, ad S. Pantaleonis religione et censu praestantissimum coenobium itum est, inde ad Ecclesiam Apostolorum, post ad sancti Gereonis. Excipiebatur autem apud sanctum Gereonem honorificentissime. Nam extra fores basilicae, sancti cum multa reverentia obviam

proferebantur, micabant intus luminaria, resplendebant diversae metallorum species, campanarum permixtus clangor perstrepebat, totiusque templi facies non alia erat, quam solet esse in solemnitate praecipua. Atque ea quidem nocte ibi cum psalmis vigilatum est ad sacrum funus. Quarto die post Missas celebratas, deportatus est vir sanctus ad monasterium sancti Andreae, ad sacras Virgines, ad sanctum Cunibertum, ubi inter duos Ewaldos medius est collocatus. Tandem ad Gradus ventum est, ubi innovatus est dolor, increverunt lacrymae, nec admittebatur consolatio, quod in omnium oculis extinctum jaceret Coloniae decus et ornamentum. Ibi deliberatum est a proceribus de majoribus impendendis honoribus beato antistiti, tamquam nihil dignum hactenus praestitum esset. Statutum est igitur, ut proxima luce generalis illic celebraretur conventus, sanctorum reliquiae ex omnibus ecclesiis eo adducerentur, singulis congregationibus suos patronos honorifice sequentibus. Factumque est ita, non sine multorum summa admiratione.

§ 38. Praedicanda sane omnibus seculis Coloniensium fides et devotio, qui sui pastoris funus tam splendide cohonestarunt. Postquam autem sacrae illae reliquiae in templum illatae sunt, in medio earum positum est corpus exanime beati viri, ut quasi illis antecellere videretur, quibus vel aequari non nisi summorum sit. Equidem quid alii sentiant, ignoro: me quidem prae admiratione vix capio, dum non memini ulli unquam funeri illos exhibitos, quibus prae timore sanctitatis eorum, vix quisquam propinquare ausus est. Quinto die levati sunt sacrorum corporum aeterni magnique thesauri, beatissimum funus tamquam singulare patrocinium fertur in eorum medio, commixtim lacrymae et cantus immolantur, itur ad aedem sancti Petri, atque in eam tanta celebritate et gloria infertur sacrum corpus, ut vix unquam clarior illic regum triumphus celebratus sit. Innumerae illic splendebant lampades et cerei, amplissimum templum prae nimia hominum multitudine angustum videbatur, baculus sancti Petri, ornamentum insigne, obviam proferebatur cum multis reliquiis aliis et crucibus. Et ut paucis expediamus, quod multis comprehendi non potest, nihil neque dignius, neque celebrius excogitari potuit, quam sit illic praestitum. Sequenti inde die ad solis ortum dici non potest, quanta vi in januas sese intulerit, et Clerus et populus, quantoque studio sacrificium et commendationes peractae sint, aut quemadmodum deinde ad Rhenum sit instituta processio. Cantabatur Responsorium illud imprimis lugubriter, Adspice Domine, quia facta est desolata, civitas plena divitiis, etc., unde utcumque colligi licet, quo animi moerore pastorem illum suum Colonia tum prosecuta sit. Cum autem jam navi impositum esset beati viri corpus, et littora Rheni plangentium luctu personarent, adessent etiam illic quidam ex iis, qui

virum Dei odissent, evidentissimo miraculo declaratum est, cujus apud Deum meriti ille esset. Navis enim in alteram Rheni ripam transmissura, contra fluminis impetum ascendens, instar sagittae littus aliud feliciter occupavit, fortassis etiam eadem vi contra nautarum conatum altius itura, nisi sancti Heriberti aedes impedivisset. Eratque ea res tanto admirabilior, quod nautae prae frigore vix manus movere viderentur, Rhenusque et pluviis et glacie plus solito intumuisset. Jam ante, ut supra meminimus, id ita fore praedixerat vir sanctus, cum adhuc esset in humanis. Ubi autem id conspicati sunt, qui in citeriori littore stabant, navem scilicet illam contra naturae vim, altiorem in ripa ulteriori attigisse locum, quam quod ipsi starent, valde attoniti laudabant Deum: alii, qui odio beati viri conflagrarant, suspirantes tundebant pectora, domumque abierunt. Completum est tum, quod in Psalmo dicitur: *Videbunt recti, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum* (*Ps.* 106). Illatum deinde est sacrum corpus in templum Matris Dei, ubi sanctus Heribertus miraculis coruscat, et nox illa cum hymnis et psalmis exacta est. Postridie mane, ut septimo quoque die Colonienses suam et fidem et devotionem seculis omnibus testatam efficerent, frequentes clerici, monachi, sanctimoniales et cives transmisso Rheno, ante lucem eo pervenerunt. Multis autem in templo ardentibus cereis, sacrificium et commendationes celebratae sunt, idque ea, qua par erat, reverentia. Aderant Episcopi duo, Fridericus Monasteriensis et Egilbertus Mindensis, uterque decus sui temporis, et tanti funeris procuratione dignus. Aderant etiam primores Colonienses, permulti nobiles, monachorum greges, populus innumerus, parati omnes prosequi coeleste pignus ad montem usque Sigebergensem.

§ 39. Per hos omnes medium ducebatur funus venerabile, psallentium choris vallatum: ferentibus illud vicissim modo manibus, modo humeris suis per quatuor fere milliaria non nisi nobilissimis viris pedestri itinere, quod tum resoluta glacie admodum lutosum et permolestum erat: nec quisquam servilis conditionis, aut qui equo veheretur, permissus est ad jactum lapidis feretro propinquare. Interim donec conspici posset, Coloniae signa campanarum omnia aërem sono complebant. Postquam ad montis conspectum ventum est, rursus tantus ortus est omnium planctus et luctus, ut nullis verbis explicari queat. Irruebant super feretrum monachi, et miserandum in modum plorabant obitum tanti viri, donec deficerent in eis lacrymae: nec poterant absolvere inchoatam Antiphonam illam, In Paradisum, etc. Miri quiddam ibi tum accidit. Ab Occidente advolabant aves frequentissimae, novi cujusdam generis, montem operientes, et sua densitate plerumque coeli conspectum intercipientes, illicque permanentes, donec humato corpore, homines inde recederent. Eas vel Angelos,

vel animas sanctas existimabant, qui eas cernerent. Rectius autem fortassis interpretabimus, significasse eas concursus futuros hominum. Tandem sepulturae mandatum est corpus sancti Episcopi, volensque hominum lacrymas et ejulatus sedare Hermannus Vicedominus, Facessant jam, inquit, dolores omnes. Habet jam pater et pontifex noster, quod optavit, psallitque et dicit: Ecce quod concupivi, jam video: quod speravi, jam teneo. Illi sum junctus in coelis, quem in terris positus tota devotione dilexi, auditque illam jucundissimam vocem Domini sui: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv). Nonnihil tum cessatum est a lacrymis. At non diu post, primum nobiles omnes, inde ministri Episcopi, postremo pauperes intro ingressi, luctum instaurarunt toto die. Conferat jam qui potest, harum exequiarum gloriam et celebritatem, cum quibuslibet regum et principum pompis atque triumphis. Coepit autem Dominus illustrare servum suum etiam miraculorum signis ad confutandam illorum impudentiam, qui paulo ante sanctissimam ejus vitam dente rodebant canino, et pretiosam margaritam, coelestis regis diademati destinatam, falsis rumoribus obfuscare nitebantur.

# MARTYRIUM S. DALMATII EPISC.

**PER HIERONYMUM VIDAM CREMONENSEM, ALBAE EPISCOPUM, HEROICO CARMINE CONSCRIPTUM. HABETUR IN OPERIBUS EJUS.**

**Passus est anno 303.**

Nec te nos tacitum, indictumve relinquere fas est,
Nec sinere ire tuos, sine carmine, Dalmati *, honores,
Quos tibi rite die memores redeunte novamus.
Huc ades, o quondam clarum jubar, addite coelo
Post tantas vitae aerumnas, post mille labores,
Et quos insigni es perpessus morte dolores
Pro Christi decore, et verae pietatis amore.
Huc ades, et festas quas laeti ereximus aras
Inter et Eridani ripas, et fluminis Ollii,
Dexter adi, populique tua prece vota secunda,

* Dalmatius, Episcopus et Martyr, vir, si quis alius, temporibus suis, in Christi Evangelio disseminando, plurimos labores sustulit, aerumnasque perpessus est. Albae Pompejae et circumstantis regionis incolas ad fidem christianam traxisse dicitur. Praesul Ticinensis Ecclesiae factus, idolorum simulacra, quae adhuc ibi colebantur, evertit. In Galliam deinde profectus est, ubi verbum Dei ingenti fructu annuntiavit. Demum in Italiam reversus, ab Ethnicis securi in cerebro confossus occubuit. Unico tantum anno fertur S. Dalmatium Ticinensem gessisse Episcopatum (Ex *Flavia Papia Sacra*).

Seu Rhodani te gens halantibus invocat aris
Accola, quam quondam in tenebris, et nocte jacentem
Erexti, verumque dedisti cernere lumen,
Omnem luce nova, radiisque recentibus oram
Perfundens, dictisque hominum fera pectora lustrans,
Seu Ligurum extremis tenet inclyta finibus Alba.
Quandoquidem haud procul inde ferunt te lucis inisse
Limina, et in Tanari ripa vagisse sonantis.
Mox caram implesti meritis ingentibus urbem
Celsa docens rectas ad sidera tollere menteis:
Nec potius te Ticini liquidissimus amnis
Detineat, sedesve juvet cognominis urbis,
Quam pater imperiis sacris placidissimus olim
Rexisti gentis custos, templique sacerdos.
Illic, credo equidem, fumant majoribus aris
Templa tibi, quae quondam atavi eduxere sub astra
Indigenae tua mirati immortalia facta.
Illi jure quidem haec memores, visuque coacti.
Nos vero, quos longe alia regione remotos
Vix tantorum operum tenuis famae attigit aura,
Ad nomen tibi praecipuos largimur honores.
Sponte autem : non dives opum, non aeris abundans
Stat pagus, sed enim pietate in teque, fideque
Nulla fasellifero certaverit ora Paderno,
Nulla tuas tendat melius gens dicere laudes.
Nam simul ac laetum in coetum convenimus omnes,
Foemina, virque choros agimus, tuaque inclyta facta
Aequamus coelo. Responsant densa salicta
Undique, et aërea recinit de turre Cremona
Armipotens, gaudetque procul pietate suorum.
Primus ego ante aras vates, vicique sacerdos
Carmina mille cano, totidem plebs consona reddit.
Primo ipsam ut meritis praesens devinxeris Albam,
Expulerisque adytis mentitos numina divos
Indigetes, verumque Deum detexeris urbi
Implentem maria, ac terras, coelum profundum
Concinimus : tum ut tota tuis ultroque citroque
Gallia praebuerit faciles hortatibus aures
Admirata hominem supra te plurima ubique
Posse Deo plenum, vanasque reliquerit aras,
Et simulacra, Deûm falsos reddentia vultus,
Sparseris ut veri divinos numinis haustus
Per populos in corda, animosque in nube jacentis
Obscura illustrans monitis erexeris aureis
Ad sanctum jubar, immensique ad luminis ignes,
Omnia per terras quae late fama canebat.

Hoc te Ticini gens accola nomine tanto
Praefecit divumque adytis, morumque magistrum
Haud urbi indecorem summo insignivit honore,
Multa ubi mira olim superum regnator ab alto
Te poscente hominum solitas superantia vires
Edidit. Obstupuit regio ad miracula rerum.
Tu variis ope divina de casibus aegros
Mortales nulla eripuisti praeditus arte.
Tu vocem surdis, tu lucem lumine cassis
Reddis, et in media positos jam morte, relictosque
Erigis. Elatos tu priscae ad munera vitae
Restituis, animasque in frigida membra reponis,
Tu ductori Italo, cum te miser imploratum
Finibus aequoreae venisset ab usque Ravennae,
Incolumem ac validum praedixisti vivere natum,
Quem modo discedens aegrum, mortique propinquae
Luctantem, et superis prope functum liquerat auris.
Addimus innumeros, quos nocte dieque labores
Pro superum decore, et vera pietate tulisti:
Quot casus, quot per mortes, per quanta pericla
Iveris, aut diros quoties evaseris enses.
Ipse aderat pater omnipotens, teque ocyus usque
Ceu fulvarum avium subvectum insignibus alis
Omnibus eripiens servabat casibus ultro.
Hujus ope instantem fugeres cum protinus hostem,
Ticinum, pleno tibi qui se objecerat alveo,
Tranasti suspensus, iterque impune tulisti
Aërea per, fluctusque supra sine ponte, sine ullis
Navigiis rapidae, correptus turbine nubis
Ocyor aut Euri pennis, aut fulminis igni,
Nec te oculis potuere sequi trans flumina, donec
Conspexere amnis ripa ulteriore canentem
Coelicolum tanto grates pro munere Regi.
Talia frustrati viderunt multa, nec unquam
Gens infesta tuum potuit contingere corpus,
Donec purpurea emeritum insignire corona
Omnipotens statuit pater, e tenebrisque vocare
Jucundam ad lucem semper florentis Olympi.
Tum demum ipsius Ticini in littore captum
Sponte ferunt gladio colla objecisse secanda,
Et nil mutato laetum isse ad funera vultu.
Nec commune tamen fuit, aut sine numine lethum.
Nam caput exectum penitus cervice cadendo
Blandum nomen adhuc servantis cuncta sonabat,
Et longo erectus tenuit se tempore truncus,
Vivus adhuc veluti vigor et vis pristina adesset:

Quo monstro attoniti crudeli caede madentes
Agnovere Deum, veniamque immanibus ausis
Orantes verum tenebris hausere fugatis,
Omnia quae in numerum memores altaria circum
Dicimus. Hic nullus, qui non mihi sùccinat, ordo est,
Nulla tuis quae non titulis indulgeat aetas.
Nempe tibi primos pueri, mixtaeque puellae
Semper vere legunt flores, et cerea cantu
Dona ferunt, variisque onerant altaria frugum
Primitiis de more, viri, matresque, suorum
Ipsae etiam tibi dant operum testantia fructum
Munera, bombycum folles, linique maniplos
Enodis, albumque oculo nigrante fasellum.
Tu populi praesens vota audis rite vocatus,
Avertisque tuis precibus mala plurima genti,
Concilians nobis aversum crimine nostro
Coelestum Regem, et quodcumque piacula pubis
Infecere, tuo tu diluis ipse favore,
Et tua, qua multum polles, nos gratia servat.
Nunc vero si nostrae unquam fuit ulla salutis
Cura tibi, aut nostri si te movere labores,
Nunc, o nunc, pater, auxilio, nunc munere nobis,
Est opus alme tuo, tantis occurre periclis,
Quae nostris, nisi pulsa vetes, cervicibus instant.
Inter se Reges adversi bella lacessunt;
Militis ipsi inopes nos semper praetereuntis
Praeda sumus; nostros manus est externa labores.
Adspice nos, et tanta tuis dispendia pelle.
Vitam inopem nostro liceat tolerare labore,
Solarique famem, parvasque educere natos.
Si quid praeterea in nostris fraudisve, dolive est,
Corrige tu, et meliorem animum prece suffice genti.
Nos furto nihil inter nos carpamus avari
Dives quisque suo; pateant noctesque, diesque
Praedia nostra; domus nullo custode relictae
Nullos nocturno metuant neque tempore fures.
Ipsi jam culmis sint tuti arentibus agri.
Prataque, silvaeque, et pictis vineta racemis.
Surripiant nec justa avidi plus parte coloni.
Assuescantque satis dominorum inhibere juvencos,
Sponte sua pactos nec agro subducere sulcos.

# VITA S. SABAE ABB. ET CONF.

AUCTORE CYRILLO MONACHO:

FORTASSIS AUTEM A METAPHRASTE REDDITA PARAPHRASTICOS.

HABETUR ENIM IN METAPHRASTE ET V TOMO ALOYSII.

**E vita discessit anno 531 — Cappadox.**

§ 1. Nihil est aeque utile ad commovendos animos ad desiderium virtutis, atque vita optimorum et praestantissimorum virorum, tradita piorum auribus. Illius enim viam licet asperam, non tamen esse ejusmodi, ut adiri non possit, nec esse omnino desperatam, ostendit: sed recte factis eorum, qui praecesserunt, inducit ad imitationem; et narratione donorum, quae illi acceperunt tamquam arrhas futurorum bonorum, in animos auditorum immittit promptum et alacre animi studium; et persuadet despicere omnem laborem et difficultatem, et ea postponere acquisitioni ejus, quod est bonum et honestum, cujusmodi est vita magni Sabae, et Dei amor ineffabilis, et qui propter ipsum suscepti sunt sudores; et rursus innumerabiles donorum largitiones, quae eam, quae illic est futura, confirmant beatitudinem. Sed satius fuerit deinceps virum ab alte petito principio persequi, resque ejus sedulo ac diligenter tractare, nihil praetermittendo eorum, quae sunt magis opportuna, quod quidem aperte maximum damnum et est, et existimatur iis, qui amant res ejusmodi.

§ 2. Huic ergo beato patria quidem erat Cappadocia. Natus* est autem in vico Mutalasca (hoc est enim ei nomen), quae prius quidem erat vilis et ignobilis, et sita sub metropoli Caesareensium: ex eo autem postea evasit insignis, et longe clarior illa Armathen, quae olim tulit divinum Samuelem. Oportebat vero ei omnino meritas referre gratias, quod eum in lucem produxisset. Pater Joannes, mater Sophia, qui erant ambo clari genere et pietate. Natus est autem decimo septimo consulatu Theodosii. Cum vero jam quintum aetatis annum ageret hic vir admirabilis, ejus autem parentes migrassent Alexandriam (nam necessario eos vocabat tunc futura quaedam expeditio), ipse in Cappadocia, divina quadam providentia, apud avunculum, cui nomen erat Hermias, cum paternis relinquitur facultatibus: partim quidem, ne nimis tenera pueri aetas defatigaretur itineris longitudine; partim autem, ut si parentes vitam illic finiissent, pulcrum illic

* Anno 439.

semen et ejus, quae illic erat, haereditatis successorem relinquerent. Sic ergo apud avunculum manens Sabas, jam aetate proficiens, cum uxoris illius malignitas molestiâ afficeret adolescentem (erat enim revera mulier impudens et difficilis), illinc recedens, accedit ad quendam Gregorium, qui ipsi quoque erat patruus, in quodam vico nomine Scandos, statim ab initio ostendens, quanto odio haberet malos, et se majorem curam gerere virtutis, quam cognationis.

§ 3. Postquam autem, cum ageret apud Gregorium, vidit hoc patruo et avunculo magnam afferre dissensionem ac discordiam (contendebat enim uterque et ipsius Sabae, et rerum ejus esse dominus), ille omnem offensionis auferens occasionem, et statuens difficultates esse, veluti quamdam viam vitae, quae ducit ad philosophiam, recte non secus ac boni imperatores, usus est difficultate temporum, et repente despiciens divitias, cognatos, pecunias, et quaecumque maxime solent adolescentum animos delinire, seipsum tradit cuidam monasterio, quod vocabatur Flavianae, quod distabat viginti stadiis a Mutalasca : ostendens labores, qui ferunt ad virtutem, esse a sapientibus praeferendos quieti et relaxationi, quae ducit ad vitium. Benigne itaque acceptus ab eo, qui tunc praeerat monasterio, et cooptatus in numerum monachorum, illic deinceps se exercet in doctrina sacrorum psalmorum, et accurate instituitur in omni regula monastica. Ita beato Sabae patrui et avunculi contentio, et vita acclivis et ardua, maxima fit causa, ut proficiat in vita, quae est ex Deo.

§ 4. Postquam autem ii, cum diu seditionem inter se agitassent, vix tandem composita inter se discordiâ, tentarunt sacrum Sabam avellere a monasterio, et a pulcro illo vitae instituto, volentes eum et paterna frui haereditate, et suis facultatibus, et conjungi matrimonio (quae quidem sunt parvis magna et jucunda, et ea puerorum potius optiones, quam virorum esse significant), ipse sancto Davide utens tamquam consiliario, judicavit esse optabilius, abjectum esse in domo Dei, quam talium tabernaculorum frui divitiis et alia prosperitate. Videbat enim illa quidem ipsorum amatorem divitem transmittere ad gehennam, et ostendere vel sola egere gutta, quod quidem est parvum linguae, quae ardet, solatium : angustias autem et malorum perpessionem dignos efficere beato sinu Abrahae, et recreatione ac delectatione, quae in eo nunquam desinit. Et alioqui judicabat esse longe stultissimum, voluptatem quae est ad tempus permutare aeterno supplicio. Atque sic quidem beati Sabae propositum, vel ab ipsis, ut dicitur, cognitum est carceribus, et talem ab ineunte aetate ostendit philosophiam. Etenim ipse super seniores intellexit, quoniam mandata Domini exquisivit. Seipsum vero exercuit cum in alia omni abstinentia, tum vel maxime in ea, quae ad gulae pertinet compescendas delicias, et ventris

nimiam curationem, ut sigillatim declarabunt, quae deinceps sequuntur.

§ 5. Operabatur aliquando hortum monasterii. Mala autem quae pendebant ab iis, quae illic erant, arboribus, ejus incitabant appetitionem, et movebant ad vescendum ante tempus. Atque fuit quidem victus ab adspectu pomorum (erant enim pulcra visu), ut qui ipse quoque esset homo, et humanis deliniretur cupiditatibus. Victus est autem usque adeo, ut malum manu caperet. Deinde cum intellexisset esse tales maligni insidias, et solere eum latenter attrahere, semper voluptatem objiciendo tamquam escam, et postea suspicatus esset in fructu latère serpentem, et cogitasset primos parentes a voluptate et cibo ejectos fuisse ex paradiso, quae eos confixere malis innumerabilibus. Haec cum ille mente pulcre agitasset, et juvenilius ipse seipsum increpasset, malum statim jecit humi: et cum id pedibus conculcasset, cum malo etiam conculcat cupiditatem, et eam, quae ejus vicerat oculos, per probrum et contumeliam proterit suis pedibus: hanc in posterum sibi legem imponens, ut toto vitae tempore, malo non vescatur amplius, neque indulgeat ventris appetitioni. Ab illo ergo tempore perpetuo in summa omnium rerum vixit abstinentia, somni tantum capiens, quantum satis erat ad ejus corpus continendum, quod erat continuis defessum laboribus. Manus vero beato Sabae nunquam quiescebant: sed quando non eas ad Deum extensas habebat oratio, eae perpetuo versabantur in opere aliquo faciendo, ne, si vel parumper relaxaretur cogitatio, clam non animadversus sensim irreperet inimicus. Hinc virtutis fit ei penna levior, et omnem quae erat Flavianis fraternitatem (erat autem circiter septuaginta fratrum) obedientia, et humilitate, et omnibus aliis Evangelicis recte factis superabat.

§ 6. Quaedam autem in corde agitans, cum divini desiderii nullum modum nosset, nec satietatem, in animo habebat ire in sanctam civitatem, et contemplari loca sancta, lustrareque et visere patres, qui erant in solitudine, et ea frui, quae ex ipsis percipitur, utilitate, aut etiam incitatione eorum vitae institutionis, ostendere acriorem impetum ad virtutem. Si enim malae consuetudines et congressiones possunt bonos mores corrumpere: quanto magis bonos mores bonae adjuvabunt, et pulcre deducent ad viam, quae fert ad virtutem? Accedit itaque ad Praefectum monasterii, et animum aperit, et ab eo petit, ut liceat secedere. Ille vero non permittens, sed volens imperare juventuti tam moderatae, et quae admodum pulcram habebat animam, non audiebat obsecrantem, et peregre proficisci properantem non dimittebat, et ipsum omnino conabatur detinere. Deinde cum ad eum e superis divina quaedam advenisset visio, mandat ut Sabam dimittat, nec prohibeat, quo minus peregre proficiscatur. Ille ergo persuasus visione, eum dimisit, et invitus volenti permittit, ut

exeat. Ille autem id, quod desiderabat, consecutus, et cum precibus illinc dimissus, Deo duce pulcri illius itineris, tendit Jerosolyma: cum in hoc quidem monasterio annos decem transegisset, aetatis vero ageret annum octavumdecimum: quo Marcianus et Juvenalis ambo pii ac religiosi, ille quidem ab Imperio, hic autem a Pontificatu, morte desistunt.

§ 7. Cum vero hyeme venisset Jerosolyma, et a quodam sene Cappadoce in monasterio sancti Pasarionis hospitio esset exceptus, tunc quidem apud ipsum hyemat. Postea autem aliis alio beatum trahentibus, et vim afferentibus, ut qui ab illius virtute multo magis vicissim attraherentur, et ut apud se maneret, unoquoque rogante, eo autem sene, qui ipsum primo hospitio acceperat, rogante ne recederet a monasterio: ille tamquam ejus, quae Deo convenienter agitur, vitae matrem quietem amans et silentium, non induxit in animum, ut cum ullo quidem eorum cohabitaret: sed cum de magno accepisset Euthymio * (virtus enim ejus ubique praedicabatur), captus est vehementi desiderio cum eo congrediendi: est enim simile semper amicum simili. Et quoniam ille non secus ac Hesperus, in solitudine quae est ad Orientem, clarus erat miraculis et doctrina, desiderabat Sabas frui luce bonorum Euthymii, et cum eo laetari, et ali radiis illius virtutum, et non secus atque generosae plantae, in anima et spiritaliter augeri. Atque ei quidem, quod dictum est, monasterio divinus praeerat Elpidius. Cum hoc autem desiderio teneretur beatus Sabas, accedit, et id enunciat beato Elpidio. Cum vero invenisset eum quoque esse in eadem sententia, divinis illius precibus acceptis pro alio viatico, ad magnum Euthymium tamquam filius ad patrem, non ex sanguine, sed ex virtute potius trahens cognationem, accedit.

§ 8. Cum ergo aliquot illic dies mansisset, ad synaxim de more eunte Euthymio, ad ejus pedes pròcidit, rogans, supplicans et obsecrans, ut fieret ejus ovis rationis particeps, et ab ipso pastore pasceretur cum aliis. Magnus autem Euthymius, qui in exercendis pueris erat praestantissimus, ut qui omnium certaminum spiritualium fecerat periculum, cum vidisset Sabam adhuc juvenem, dubitans ne ardor esset solum, non habens rationis judicium et gravitatem, quae ex ea proficiscitur, non prius permisit ut habitaret cum monachis, qui erant in Laura, quam totam monasticam persecutus esset vitae institutionem, quae est in coenobio, et ostendisset eam, quae exigebatur, absolutionem. Quinetiam ei dixit: « Non convenit omnino, o fili, ut qui est juvenis, Lauram habitet. Hoc enim neque Laurae ullam affert utilitatem, neque tibi expedit. Sed si me audias, ibis nunc in inferius monasterium ad Abbatem Theoctistum, apud quem scio fore, ut tu maximam accipias utilitatem. » Cum beatus his

* S. Euthymii Abbatis Vitam Tomo I, die 20 januarii, habes.

acquievisset Sabas (nam praeter alia didicerat etiam obedientiam), et quaecumque ipse mandasset, se prompto et alacri animo facturum promisisset (ideo enim, ajebat, ad te confugi, ut per te salutem assequar), eum continuo illuc mittit ad beatum Theoctistum, jubens ut ejus magnam curam gereret. Dicebat enim se revera videre in eo infusam Spiritus copiosam gratiam, et eum non multo interjecto tempore sua gloria esse impleturum universum orbem terrae: vera, inquam, gloria, et quae nullum finem sit habitura. Quae quidem talem finem sunt consecuta, et ostenderunt esse veram illius praedictionem. Nam et ipse plurimam partem solitudinis effecit habitabilem, et Lauram extruxit maximam earum, quae sunt in Palaestina, et ab omnibus, qui vitam elegerant anachoreticam, tamquam pastor est agnitus, eis effectus regula ad sanctitatem. Nam et mores eis tradidit, et legem imposuit, doctus ab Euthymio, et seipso utens exemplari, ut nullum imberbem in Lauram admitterent: quod quidem et apud patres veteres fiebat, et diligenter ab illis observabatur.

§ 9. Cum sic ergo divinus Sabas fuisset in beati Theoctisti potestate, seipsum totum pure Deo tradit, et totus in illius versatur desiderio. Cum autem sciret esse duplicem sui constitutionem, ex anima, inquam, et corpore, duplicem excogitavit etiam exercitationem: nunc quidem corpore laborans, nunc autem anima; et nunc quidem dies transigens in laboribus corporis, nunc vero integras noctes insomnis peragens in precibus. Nunc aquam portans, nunc ligna ferens, et omnibus, quibus fuerat creditum aliquod ministerium, sustinens illorum operationes. Erat enim cum animi fortitudine, procera quoque corporis magnitudine, et admodum robustus. Et ipse quidem alias alia subibat ministeria, et ipsam etiam malorum curam: et ante omnes quidem veniebat ad synaxim; post omnes autem rursus recedebat, promptoque et alacri animo divino serviebat ministerio: et his omnibus veluti sacram imponebat summam, obedientiam scilicet et moderationem. Quocirca hoc mirabatur universa multitudo monachorum, quod aetatem tam teneram virtutum ornaret corona et perfectio. Cum vero quae est ex Deo, semita aequabiliter et inoffense ab eo dirigeretur, eum aliquo modo supplantare, et ne progrederetur, sistere conabatur malignus: etiamsi ille eum dolose aggrediens et malitiose, ab eo rursus est repulsus generoso et valde forti animo. Quisnam autem fuit modus insidiarum?

§ 10. Erat quidam monachus genere Alexandrinus, nomine Joannes. Is jam longo tempore molestus erat beato Theoctisto, ut ei permitteret ire Alexandriam, ut paterna bona illic disponeret (resciverat enim parentes paulo ante esse mortuos). Atque ille quidem, ut volebat, dimissus, petebat ut sanctus Sabas esset sibi socius itineris, ut quem sciret esse generosum ac strenuum, et qui cuperet et posset esse particeps laborum aliorum. Cum beatus

ergo Theoctistus annuisset Joanni petitionem, Sabam quoque emisit. Hoc autem, ut diximus, fiebat arte maligni, ut ab eo qui est ex Deo, cursu eum reprimeret, et in mundo, et in iis quae ad hunc mundum pertinent, eum occuparet. Sed qui profunda et occulta aperit, non permisit ut ejus latèrent insidiae. Nam cum ex Palaestina profecti agerent Alexandriae, et ambo occupati essent in quaerendis rebus Joannis, agnoscitur a parentibus Sabas admirabilis, qui nuper illuc migrarant propter expeditionem, sicut jam ante ostendimus. Cum autem sic evasisset notus paternis oculis, fuit rursus Sabae principium secundum certaminum: et cum majori tunc luctatus fuit necessitate, quam quae fuerat cum patruo et avunculo. Instabant enim parentes, quid non facientes, aut a qua arte et machinatione abstinentes, ut Sabae persuaderent, ut vellet cum eis habitare, et decaetero apud eos degens, patris susciperet militiam, et pro illo habitaret*? Ille vero cum esset celeris et acris ingenii, cognoscit hoc fuisse excogitatum a maligno, ut parentum misericordia relaxaret contentam ejus exercitationem, et spiritalium rerum desiderium redderet frigidius; et eorum quidem amori sapienter opponit Dei desiderium, dicens se timere illud praeceptum, quod illos statuit eo esse indignos, qui desiderium parentum ei praeferunt, et non crucem sustulerunt, et eum sunt secuti.; mundanae autem huic militiae, vere angelicam et divinam; si terrestris Regis miles, dicens, qui conspectus fuit ordinem deserere, magnas luit poenas; quantum est periculum, si quis ejus, qui est vere Rex, miles effectus, et in numeros illius adscriptus, proprium ordinem reliquerit, et tam parvam militiam ea permutaverit? Illud tandem adjecit iis, quae dicta fuerant, quod nec eos quidem decaetero parentes vocare sustinuerit, si eos amplius viderit rogantes et contendentes, ut a pulcra illa deficiat militia.

§ **11**. Cum nescirent ergo parentes, quid agerent, cesserunt filii constantiae, et tandem vel inviti concesserunt quidem, ut abiret: eum autem vehementer rogarunt, ut suae pecuniae acciperet aliquid ad parandum viaticum, quo opus habet peregrinatio. Atque illi quidem prompto et alacri animo Sabae praebebant viginti aureos: ipse vix tribus acceptis, eisque, quod rogarent parentes, ne eos despiceret, solvit Alexandria una cum Joanne. Quod autem propter parentes eos tres aureos acceperit, non est procul quaerenda probatio. Cum enim jam venisset in monasterium, eos ferens dat in manus Theoctisto, ipse nihil volens habere proprium: et alioqui ne malignus hinc acciperet occasionem suggerendi ei cogitationem avaritiae. Jam vero decem annos illic sanctus transegerat Sabas, et beatus e vivis excesserat Theoctistus: quem cum sancte magnus sepeliisset Euthymius, pro illo quemdam Marin, virum non parvifaciendum, elegit praefectum

* Forte, *militaret*.

monasterii. Cum autem is duos annos vixisset post susceptam praefecturam monasterii, e vita excedit: post quem sanctus Euthymius cuidam Longino viro bono monasterii committit rectionem. Illo autem tempore admirabilis Sabas jam triginta annos natus, cum resplenduisset in universa monasticae vitae institutione, et obiisset omnem rationem exercitationis, capitur amore solitudinis: et cum non posset ferre vim desiderii, accedit ad Longinum, petens quem desiderabat secessum. Ille vero (nesciebat enim, quomodo hoc ei ex se permitteret) de eo refert ad magnum Euthymium. Is autem cum oppletas haberet aures Sabae virtutibus, quin etiam ipse quoque recte sciret viri perfectionem, et in rebus spiritalibus ardorem et constantiam, continuo rescribit ad Longinum, ne ei esset impedimento, quo minus suum exequeretur institutum: sed ei permitteret uti quiete et silentio quinque dies hebdomadae. Sciebat enim fore, ut omnino recte uteretur solitudine, et haberet occasionem ad Deum ascensionis. Sic ergo ei permisso silentio, compos jam effectus ejus, quod desiderabat, ingressus est monasterii speluncam, quae vergit ad austrum, quinque quidem dies hebdomadae intus degens, et nihil cibi sumens, sed solum vacans precationi, et labori manuum. Sabbato autem egrediens, ei seipsum superans in accessione ejus, quod est melius, et quinquaginta numero confectas sportas, quas solent vocare Μαλάκια, afferens. Die autem Dominico cum collegisset tot ramos palmarum, quot sciebat sibi in hebdomada sufficere ad operandum, ingrediebatur speluncam. Et hoc modo perpetuos quinque annos se exercuit.

§ 12. Deinde sanctus Euthymius cum eum vidisset sic viventem, eum sumpsit cum Domitiano socium decertationis ad certamina, quae suscipienda erant in solitudine, cum de ejus mente factus esset certior, et eum vocaret παιδαριογέροντα, id est, puerum senem, et ut qui exercitationis esset praeceptor optimus, ad sublimiores eum virtutes exerceret. Et quoniam consueverat admirabilis Euthymius decimoquarto mensis Januarii egredi cum Domitiano in vastam solitudinem Rubae, et illic transigere sanctissimos dies jejuniorum, egressus quidem est, ut consueverat. Ei autem aderant Domitianus et Sabas: ingrediebantur vero per solitudinem, quae vergit ad meridiem, ultra mare Mortuum; et cum iter diu produceretur, ipsa solitudo, quae est et arida et aquae expers, et re ipsa ab omni re deserta, Sabae sitim accendebat vehementem: et viae prolixitate et siccitate efficiebat, ut jam defatigaretur et deficeret, neque pedibus uti posset ad ingrediendum. Atque ille quidem cum defecisset, humi jacebat, nescio an naturali aliqua ratione, ut solet fieri iis, quae sunt hujusmodi, propter magnam calidi frequentiam consumpto humido: an quod Deus vellet ostendere Sabae adhuc opus esse majori fortitudine. Jacebat vero parva, ut ita dicam, vivens parte animae, et jam

aperte ostendens se deficere. Cum eum autem sic affectum magnus vidisset Euthymius, et ipse non minus esset animo perturbatus, parum quidem ab eo recedit: humi vero procidit, et cum cor ad Deum sustulisset: « Domine Deus, inquit, da aquam in terra sitienti, jam deficientem juvenis hujus consolans animam. » Sic dixit, et cum Sabam protinus accersivisset, ter fodit ligone, et terra vim sensit diviniorem, et paruit nutibus, qui sub adspectum non cadebant: et quae erat deserta et aquae expers, aquam genuit, et protinus aquam emisit limpidissimam, et maxime potabilem. Sabas autem cum illam bibisset tunc restinxit sitim, et satis est recreatus: et latenter vim accepit divinam, adeo ut decaetero alacriter ferre posset difficultatem solitudinis.

§ 13. Cum sic ergo S. Sabas se gereret in solitudine, et magnum imitari Euthymium, et tamquam ad exemplar archetypum, ad illius vitam intueri studeret diligentissime, parum temporis intercessit, et cum ille magnus virtute Euthymius ibidem obdormiisset, vere beatam quietem est assecutus. Sed cum post illius decessum monasterium otio et socordiae paulatim se dedisset, longo tempore aufugit beatus Sabas, et habitabat in solitudine, cum Gerasimus eam, quae est circa Jordanem, solitudinem non secus atque stella illuminaret. Sabas vero tunc attigerat tricesimum quintum annum suae aetatis: jam autem adversus eum coepit bellum daemonum, non obscure nec latenter, sed aperte et ita, ut oculis cernerentur, eum invadentium. Nam cum illam Deo gratam moram traheret in solitudine, esset autem nox media, humi vero accumbebat, ut labores parumper remitteret, videt quosdam daemones, qui scorpionum et serpentum speciem erant imitati, et eum invadebant, et omnibus modis tentabant eum perterrefacere. Atque primum quidem parum veretur: deinde cum cito intellexisset cujusnam esset machinatio, audacter surgit ad precationem, et in ejus lingua versatur psalmus. Hoc autem erat quod canebatur: *Non timebis a timore nocturno: sed super aspidem et basiliscum ambulabis* (*Ps.* 90). Talibus armis utebatur Sabas adversus daemones. Solummodo ergo sic locutus est Sabas, et venenata illa animalia, tamquam fumus, statim evanuerunt, et dissolutum est visum in aërem.

§ 14. Postea autem accedit ad eum quidam monachus, nomine Anthus, vir amicus virtutis, qui ipse quoque longo tempore versatus fuerat cum beato Theodosio. Is cum Saba vinculis spiritus tunc colligatus, permansit decaetero ab illo inseparabilis. Cum vero sic essent inter se conjuncti, eos invadunt quidam Agareni plane barbari, et animo malignissimi: qui quidem volentes honestam accipere occasionem, ut perinde ac injuria affecti, se viderentur ulcisci, non autem priores facere injuriam, mittunt ad sanctos unum ex suis veluti quandam escam, ut si illi vel minimum impetum fecissent in eum qui missus fuerat, ipsi ambos invaderent

et interficerent. Non enim ex animo illorum, sed ex seipsis universum judicabant, similiter esse moribus barbaris sanctos existimantes. Illi vero cum periculum protinus praevidissent, nulla re alia, quam ea, in qua sola poterant confidere, nempe precatione, adversus eos armabantur: et cum simul inclinassent et genua et animos, Deum rogabant ardentissime, ut liberarentur ab illorum insidiis: *Hi in curribus, Domine, dicentes, et hi in equis: nos autem in nomine tuo magnificabimur* (*Ps.* 19). *Quoniam non in fortitudine equorum, nec in tibiis virorum delectaris: sed in contritione cordis et humilitate nomen tuum invocantibus* (*Ps.* 46). Sic finem acceperunt eorum preces, et terra dehiscens, quomodo olim Dathan, ita etiam tentatorem illum, qui ad eos missus fuerat, in aliorum conspectu devoravit. Cum autem illud novum vidissent miraculum, statim magno timore afficiuntur, et se conjicientes in pedes, longe recedunt. Ab illo vero tempore divina a superis ad Sabam adveniens gratia, ita eum affecit, ut deinceps nihili faceret barbarorum insidias: et non solum ab eis non vinceretur, sed ne terreretur quidem penitus.

§ **15**. Sed tunc quidem primum beatus hic Sabas evadit notus beato Theodosio, cum eis ad hanc cognitionem Anthus pulcre intercessisset. Deinde autem etiam solitudinem facit Sabas habitabilem, et Lauram in ea construit: quam omnium clarissimam et maximam, et virtus et multitudo eorum, qui in ipsa habitabant, brevi tempore effecerunt. Verumenimvero operae pretium est repetere, undenam et quemadmodum constituta sit Laura, et quisnam locum ostenderit, et mandaverit illic jaci fundamentum. Jam quatuor annos transegerat hic admirabilis Sabas in solitudine. Cum fuisset autem aliquando in excelso illo colle, in quo celeberrimi Theodosii doctrinae fructum percepisse dicitur beata Imperatrix Eudocia, in consueta precatione pernoctans, videt visionem quandam admirabilem splendore coruscantem et veste lucida, ei ostendentem torrentem, qui a Siloë defluit ad austrum: et denunciantem, ut habitaret torrentis speluncam, quae vergit ad Orientem: et ei pollicentem auxilium ex sancto, et alimentum ab eo, qui vel ipsis jumentis producit foenum. Et fuit quidem visio ejusmodi. Ipse autem magna ex visione affectus laetitiâ, cum statim e colle descendisset, quadam divina et sapiente providentia, tamquam ab aliqua dextera, deducitur usque ad speluncam. Quadragesimo itaque anno suae aetatis coepit habitare hanc speluncam, quando Anastasius quidem Archiepiscopus Jerosolymitanus, cum implesset decimum annum sui patriarchatus, cum eo vita quoque excessit, sui pontificatus successore relicto Martyrio. Zeno vero Imperator Romanorum, interempto tyranno Basilisco *, cum is viginti menses obtinuisset tyrannidem, rursus accepit imperium.

* Anno 475.

§ **16**. Cum hanc ergo speluncam habitasset magnus Sabas, quoniam ea in ascensu magnam habebat difficultatem, quando vellet egredi aquatum (fons enim distabat quinquaginta stadia, qui nominatur *Heptastomus* *), ab eo desuper appendens funem, sic suum ascensum et descensum effecit faciliorem. Cum is autem rerum necessariarum nullam aliam curam gereret, sed contentus esset herbis, quae nascebantur propter speluncam, Deus qui mandavit Sabae, ut subiret speluncam, ipse ea quae promissa fuerant, deducit ad exitum. Quomodo enim Eliae prophetae, qui olim ingressus erat montem Sidoniae, et seipsum abscondebat: ita nunc quoque mittit ad justum eos, qui res necessarias erant suppeditaturi, nisi quod ad illum quidem corvum: ad hunc autem, quosdam homines, licet barbaros, mites tamen et moderatos, et qui nihil aliud aeque sciebant, ac virtutem habere in honore, qui ipsi quoque tamquam ab aliquo quem non videbant manu ducti, recta perveniunt ad speluncam: et cum per quemdam funiculum ascendissent ad Sanctum, ubi viderunt illic vitam plane illaboratam, et nulla omnino supellectile instructam, nec ullis ornatam utensilibus, virtutem adeo jure sunt admirati, ut magnifacerent vel illius solum servire ministeriis. Sibi ipsis quidem certe imponunt veluti voluntaria quaedam vectigalia, ut certis quibusdam diebus illuc venientes, ad illum afferrent caseum et panem et dactylos, et si quid erat aliud ad usum necessarium, Deo haec sapienter contexente et admirabiliter, ut Sabae minime deessent necessaria, et iis, qui ea afferebant, magnam conciliaret mercedem ea suppeditatio. Atque quinque quidem annos sic Saba transegit in spelunca, solus cum solo Deo conversans, et fruens bono quietis ac silentii. Quinto vero anno jam desinente, simul etiam desierunt in eum maligni artes et machinationes: qui verso tergo turpiter fugiebat cum suis satellitibus et daemonibus, et nec virum quidem amplius intueri poterat.

§ **17**. Cum autem jam sic esset securus a daemonibus, nec ei molestia afferretur ab hominibus, quietisque et silentii esset amator vehemens, attamen cum non solum quaereret quod suum erat, sed etiam curam gereret salutis aliorum, immo vero cum hoc etiam ei jussisset Deus, dedit se sollicitudinibus, et privatus fuit silentio, re ipsa implens id quod dictum fuerat a propheta: *Conscindite gladios vestros in aratra, et lanceas in falces* (*Isa.* II); jubens iis, qui ad perfectum boni habitum pervenerant, et jam hostes fugarant ac profligarant, transire ad colendos agros animae fratrum, nimium sylvescentes, eosque mundandos et reddendos fertiles fructus spiritus. Agebat autem tunc aetatis annum quadragesimum quintum. Multis vero ex multis locis illuc confluentibus, et maxime quicumque a mundo, et ab omnibus, quae sunt mundi, recedentes, in monte versari elegerant, admirabilis ille

* Ἑπτάστομος, habens scilicet *ostia septem*.

grex celeriter augebatur: beato Saba cum alia spiritali eorum cura, aptum quoque locum unicuique deputante ad cellarum aedificationem. Quamobrem videre licebat viros circiter septuaginta numero, omnes brevi ad ipsum convenisse, omnes divinos et a Deo inspiratos, et qui Christi mandata accurate servabant, implentes quemdam secundum chorum septuagenarii numeri Apostolorum, aut Angelorum ecclesiam Dominum laudantium. Inter quos erat quidem Joannes, qui novae postea Laurae praefuit; erat autem Jacobus quoque, qui Lauram Pyrgiorum aedificavit in Jordane, Firminusque et Severianus. Ex quibus alter quidem aedificavit Lauram, quae est in Malischa; alter vero monasterium, quod est in Maricha; et Julianus opifex Laurae, quae est in Jordane, quae nominatur Elceraba; et reliquorum sanctorum catalogus, quorum singulorum meminisse, et eos nominatim persequi, propter multitudinem recusat oratio.

§ **18**. Cum eos ergo omnes sancti Sabae virtus quavis tuba acutius clariusque procul invocasset, illic quoque statuit maximam Lauram constituere, ut per hanc solitudinem eis compararet supernam Jerusalem. Et primum quidem in colle, qui est in fontibus torrentis, qui sunt ad boream, turrim aedificat. Deinde vero inter torrentem domum excitat oratoriam; et cum in ea sacram mensam statuisset, et templum dedicasset, cum videret ex sacratis aliquem ad eum accedentem, eum faciebat in eo divinum celebrare mysterium: ipse propter magnam in Deum reverentiam, modestiamque insignem et humilitatem, rem fugiens, et omnibus modis differens sacerdotium. Cum templum autem sic excitasset, et Lauram illic constituisset, in cura gerenda fratrum deinceps studium et operam ponebat. At vero, ut qui esset acuto et subtili ingenio, et pervasisset omnem formam et rationem exercitationis, in illos se admodum apte gerebat et congruenter: alios quidem adhortans, alios vero admonens, alios autem increpans, et omnes, ut semel dicam, generose ac strenue resistere maligni artibus efficiens, non pusillo et abjecto animo ferre labores solitudinis: neque in animi cadere angorem, quod quidem aperte est ars maligni: sed spe futurorum confirmari ac roborari ab angore enim vinci et tristitia, et defatigari in laboribus, est animi plane mollis et effoeminati, et qui non habet viriles et generosos spiritus. His et similibus utens ad eos admonendos, effecit discipulos superiores quavis difficultate, quicquid intercedebat asperum, et ullam afferebat offensionem, dissolvens, et faciens eos maligni tela supervolare, et leves eis pennas faciens ad virtutem: in rebus autem necessariis, et quae usum requirebant inevitabilem, et precibus eos saepe adjuvabat, et clanculum eis opem ferebat: ne, si plus, quam possent, ferre tentassent, tandem defatigarentur.....

§ **19**. Cum autem multitudo monachorum quotidianis cresceret accessionibus, et brevi pervenisset ad numerum centum et

quinquaginta, aucta quoque est ex utraque parte torrentis cellarum aedificatio, et Sabae curâ et diligentiâ perfectum est, ut et jumenta ad ministerium, et alia quae sunt apta ad usum corporis, possiderent monachi: ne necessariarum rerum indigentia, eis saepe specie pulcra et honesta esset occasio pergendi ad mundum, neglecta quiete et silentio. Cum ergo ejus fama brevi tempore in omnem partem pervasisset, multi ad eum veniebant cum multis pecuniis, quod illi praebuissent, hoc solum lucrifacere arbitrantes, et id tuto se habere reputantes. Has autem sanctus accipiens Sabas, non immisit in crumenas, nec abscondit in penetralibus: sed consumpsit ad fabricanda aedificia monachis convenientia, et ad suppeditanda alia, quae erant eis usui: maxime cum etiam Martyrius, qui tunc sedem obtinebat pontificiam, esset in eum optime affectus, et ei familiaritate conjunctus, eumque et revereretur, et in magno honore haberet. Sed cum Patriarcha octavo anno sui Pontificatus e vita excessisset, et Salustius sedem post illum accepisset, jam quadragesimum octavum aetatis annum agente B. Saba, quidam ex Laura pravis animis menteque perversa et illiberali, qui plane erant carnes, et ut cum divina dicam Scriptura, spiritum non habebant: qui parum curantes exercere linguam ad canendum cantica Davidica, eam diligenter exercuerunt, ut moverent adversus Praefectum, et pacifica apud eum dicentes (nam hoc quoque est Davidis), ad iram dolos cogitabant. Nam cum frumento saepe etiam nascuntur zizania, sicut rubus in vinea, et ex discipulis cernitur unus proditor, et Elisei discipulus erat Giezi, et Esau constat fuisse fratrem Jacob, et Cain Abelis.

§ 20. Seditiosi ergo isti (oportet enim non ex nominibus sed ex studiis potius illos vocare) mala meditantes adversus sanctum Sabam, veniunt in sanctam civitatem, et ad Salustium Episcopum linguis dolosis, aut, ut melius dicam, cordibus accedentes, eum quaerebant, qui esset praefuturus. Ille autem cum esset sapiens, et aures non haberet faciles, nec ea admitteret, nisi prius examinata, accurate rogavit, quinam essent et unde. Illi vero dicebant se habitare propter quemdam torrentem, et illic peragere certamina exercitationis, celantes nomen Sabae. Sciebant enim eum ex virtute notum esse omnibus: quomodo ipsi studium ponebant, ut ex vitio cognoscerentur ab omnibus. Cum ii autem saepe rogarentur, ut dicerent cujusnam esset torrens, et quomodo vocaretur, cum non possent effugere interrogationem: « Qui ab aliquibus, dixerunt, vocatur torrens Sabae. » Ille autem, cum intellexisset eum esse Praefectum, adversus quem isti struebant calumniam, rogavit rursus: « Ubi est hic Sabas? » Illi vero mittentes respondere ad propositum (o arrogantiam et amentiam!), dixerunt eum non posse sufficere curae de tam multis suscipiendae, propter simplicitatem nimiam et rusticitatem: lenitatem illius et moderationem

simplicitatem vocantes improbi, eo quod nollet hic populus, ut admirandus dixit Isaias, aquam Siloë, quae fluit silentio. Porro autem illud quoque addiderunt accusationi, nempe nimiam in suscipiendo sacerdotio cautionem, dicentes neque ipsum velle esse sacerdotem, neque alteri, ut fiat sacerdos, concedere. Sed haec quidem illi.

§ **21**. Quiricus vero quidam sacerdos, et virtutis amator ardentissimus, cum tunc adesset apud Episcopum, et quae dicta sunt audivisset: « Quid vero, inquit, vos primi Sabam suscepistis, an ille vos? » Cum illi autem respondissent, illum quidem ipsos suscepisse et congregasse, eis vero regendis eum minime nunc sufficere, qui in magnam crevissent multitudinem, cum esset agrestior et simplex. Excipiens rursus Quiricus: « Si ille, inquit, vos ab initio congregavit, et locum qui erant desertus, construxit ad habitandum: quanto magis et ipsum locum jam constructum et habitatum, et vos qui in unum estis congregati, erit is aptus ad regendum? Cui enim in iis, quae erant magis difficilia, opem tulit Deus, ipse etiam omnino adjuvabit in iis, quae sunt minus laboriosa, et facilem ei reddet praefecturam et administrationem.» Ad haec illos, qui pacem oderant, cum quibus erat Sabas pacificus, et clam de proximo illiberaliter detrahebant, cum nihil possent respondere, tunc dimisit Episcopus: « Considerate, inquit, in praesentia: crastino autem die accuratius de his inquiremus. » Et statim quidem accersit beatum Sabam, nescientem cur esset accersitus. Porro vero eos quoque adducit, ad probandum quidem, ut putabant, suam accusationem, et ad expellendum Sabam a rectione: ut autem rei ostendit exitus, ad ora potius eis obstruenda, et omnem auferendam sermonis occasionem. Nam postquam adstiterunt, rectus ille et incorruptus judex, nihil illis omnino dicens, non arguens, neque alio egens testimonio, ut qui de virtute Sabae optime esset certior factus, et ab ea jam esset satis persuasus, eum quidem ordinat * sacerdotem in conspectu omnium: hac autem apud eos utitur admonitione: « Ecce, inquit, habetis vestrum patrem, et Laurae vestrae Praefectum, quem Deus desuper, et non homo, elegit. Nos vero solum Spiritui Sancto manus commodavimus, non ipsum, sed nos potius ipsos afficientes beneficio. » Sic dixit; et cum statim assumpsisset beatum Sabam, et ipsos seditiosos, et pium ac religiosum, qui tunc aderat, Quiricum, cum eis in Lauram proficiscitur. Et primum quidem sanctum illud templum consecrat; deinde etiam aram in eo constituit, et gloriosorum Christi martyrum illic multas recondit reliquias.

§ **22**. Atque tunc quidem agebat Sabas quinquagesimum tertium annum suae aetatis, quo tempore Anastasius ** quidem

* Anno 484.

** Hujus nominis I, qui e vivis decessit anno 518, octuagenario major. Is, ut haereticos tueretur, catholicos oppressit. Nummorum furiosus amor eum tenuit.

sedem tenebat imperatoriam, cum e vivis jam excessisset Zeno *. Eodem autem anno ad Lauram accedit vir quidam sanctus, quem dona decorabant spiritalia, genere Armenius, nomine Jeremias: quem duo quoque sequebantur discipuli, qui vocabantur Petrus et Paulus, qui cognoscebantur ejus vitam aperte referre et exprimere. Ex his vero Paulus cum longo tempore in Laura fuisset superstes, et admirabilis Sabae rerum gestarum accuratam accepisset experientiam iis quoque, qui sunt eum secuti, multa narravit: quorum plurima sita sunt in praesenti Sabae vita. Cum hi ergo ad Lauram accessissent, magnam ex iis voluptatem accepit B. Sabas; et tunc parvam cellam ad borealem speluncae partem, in qua ille prius versabatur in exercitatione, quando solus torrentem incolebat, eis tribuit, et eis parvum reliquit oratorium, ut diebus Dominicis et sabbatis sua lingua consuetam peragerent glorificationem : ex quibus etiam auctum est in Laura genus Armeniorum. Cum itaque Jeremias et qui cum ipso erant, ita ventitassent ad Lauram, sanctus quoque Episcopus et Silentiarius Joannes **, eorum vestigia sequens, eodem accedit, jam agens tricesimum octavum annum aetatis : cujus angelicam in carne vitam, in suum tempus reservat oratio: praesentia autem immorabor in bonis beati Sabae. Haec enim de eo dicit insignis ille virtute Joannes, qui fuit ipse quoque unus ex monachis Laurae, quod illi quidem magno esset studio, ut se in omnibus gereret sicut magnus Euthymius, et ejus uteretur vita tamquam exemplari aliquo.

§ 22. Cum itaque soleret Euthymius quartodecimo Januarii semper proficisci in vastam solitudinem, et illic versari in divinis diebus jejuniorum, nulli se videndum praebens, et neminem alloquens, hoc quoque solebat B. Sabas facere consequenter, tempore solum parum mutato: quandoquidem ille quarto decimo, sicut diximus, hic autem vicesimo die mensis secedebat. Nam post sancti Antonii memoriam, magni Euthymii diem festum vicesimo die mensis celebrans Sabas, sic se conferebat ad solitudinem, et illic morabatur usque ad festum Palmarum, non secus atque ille, se purum conservans ab omni humana congressione. Et sic quidem semper faciebat unoquoque anno vertente. Cum Mortuum autem mare aliquando obiret, et in eo parvam quandam vidisset insulam admodum desertam et horridam, ejus quidem statim captus fuit amore; animum vero induxit, in ea perferre dies jejuniorum. Inter eundum autem, daemonis invidià, cecidit in quandam fossam, quae ex fornace cum igne emittebat caliginem; fuitque ei vultus et barba exusta, et multae aliae partes corporis, adeo ut cum multis post diebus rediisset ad Lauram, signis tantum suorum morum et voce, iisque valde

* Zeno mortuus est anno 491.
** B. Joannis Silentiarii Vitam lege in Vol. v, pag. 388 etc.

exiliter et obscure, agnosceretur, ejus forma omnino mutata, barbaque effecta rariore. Nam nec loqui quidem omnino poterat, donec vis quaedam divina eum visitans a superis, ei vires immisit adversus malos spiritus, infirmumque et languentem renovavit ac recreavit. Propter barbae autem rarefactionem Deo quoque Sabas egit gratias, ut qui modestiae ei causam praebuerit, ne propter barbae densitatem sibi nimis placeret.

§ 24. Porro autem hoc quoque de eo dictum est a beato Joanne, quod rursus quidem vertisset annus: ille vero cum assumpsisset unum ex discipulis, cui nomen erat Agapetus, pro more exibat in solitudinem. Non multi itaque dies praeterierant, et Agapetus quidem cum se somno dedisset, supinus jacebat, confectus labore et inedia. Vigilans autem Sabas, et vacans orationi, videt quemdam leonem jacenti discipulo adstantem, et occulti leonis imaginem quodammodo referentem, et deinde ipsum in orbem obeuntem, et omni ex parte odorantem. Ille vero cum hoc vidisset, valde suo timuit discipulo, et cor ejus coepit vehementer trepidare, et pro eo ardentem fudit precationem; et statim fugit leo trophaeum orationis, et se proripuit in fugam, discipulo nihil laeso, nisi quod cauda solum sensim ejus vultum percussit, et eum a somno excitavit. Atque ille quidem apertis oculis cum vidisset leonem, caligans, confugit ad Sabam. Is autem primum quidem eum metu liberat; deinde etiam admonet, ne tam facile vincatur a somno et socordia, ne capiatur ab his feris, et multo magis ab iis, quae sub obtutum non cadunt.

§ 25. Jam vero hoc quoque rebus Sabae addit praeclarus Joannes, quod cum de more esset iturus in vastam solitudinem, Agapeto pellem tradit ovillam, et panes siccos ad ejus usum. Nam ipse Sabas toto jejuniorum tempore erat jejunus, nihil omnino cibi attingens, nisi quod sabbatis et diebus Dominicis divina sumebat sacramenta. Ineuntes autem viam, quae ducit ad Jordanem, et ejus eam partem, quae vergit ad Septentrionem, inveniunt locum quemdam praeruptum et praecipitem, in cujus cacumine erat quaedam spelunca aditu difficilis: ad quam cum non sine maxima difficultate pervenissent, Deo utique Sabam ad hanc latenter attrahente, inveniunt quemdam monachum, qui utebatur vita ab omni praeparatione aliena, et plane anachoretica; erat vero is dignus habitus gratia perspiciendi. De more ergo factis precibus, cum sermones coepissent conferre, rogavit, inquit, Sabam anachoreta cum admiratione, etiam nomen adjiciens: « Undenam, dicens, motus, o admirande Saba, aut quonam tibi locum indicante, ad nos venisti? Ecce enim jam Dei gratiâ hic annos egi quadraginta, duobus solum demptis, et cum nullo homine non modo sum locutus, sed ne ullum quidem adspexi: quod me quidem magna afficit admiratione, quonam modo ipse, aut unde motus, huc veneris. » Beatus autem Sabas excipiens: « Deus, inquit, qui

meum nomen tibi notum reddidit, is quoque me in eam, quae huc fert, viam, quomodo ipse scit, deduxit. » Cum hi ergo sermones inter eos essent habiti, et anachoretae dixissent ea, quae consueverunt, egressi sunt. Cum autem se satis longo tempore contulissent ad lustrandam solitudinem, revertuntur ut visant anachoretam, et rursus benedictionem ab illo consequantur. Ingressi itaque speluncam, vident eum genibus flexis jacentem ad Orientem. Existimantes vero eum vacare solitae orationi, diu exspectaverunt. Cum autem jam esset tempus vespertinum, et ipse adhuc humi jaceret, dicit beatum Sabam accedentem dixisse: « Commenda nos Christo, Pater. » Cum vero ne sic quidem respondisset, sed longum illud silentium in aliam adduxisset opinionem, accedens Sabas et tangens, invenit eum jam exspirasse et excessisse. Conversus itaque ad eum, qui sequebatur, discipulum: « Adesdum, inquit, o fili, sancti componamus reliquias. Ad hoc enim fortasse nos Deus convocavit. » Haec Sabas quidem dixit discipulo, et cum justa fecissent mortuo, et quae de more cani solent cecinissent, et eum sancte et honorifice composuissent, deposuerunt in quadam parte speluncae, magnis lapidibus aditum obstruentes. Deinde illinc recesserunt, et pridie Palmarum, ut solebant, ad Lauram sunt reversi.

§ 26. Sed haec quidem sunt, quae a beato Saba facta esse in solitudine, tradidit hic praeclarus Joannes. Eodem autem anno, in quo et aucta est Laura, et divinum illud templum fuit consecratum, et Sabae fama manabat in omnem partem: accidit ut ex parentibus, qui, ut prius a me dictum fuit, erant Alexandriae, pater quidem e vita praeclare excederet in insigni numero Isaurorum: mater vero Sophia cum ante oculos vidisset mortem mariti, et alioqui eam valde traheret fama filii, venditis facultatibus, continuo venerit ad filium, magnam vim auri afferens. Quae quidem cum eum lubenter adspexisset, et lubentissime apud eum diversata esset, ei persuadet filius, ut omnibus quae sunt mundi renunciet, et veluti magnam et filio dignam, quod illum in mundum produxerit, ab eo accipiat mercedem, nempe ab hoc mundo separationem. Deinde paulo post mater quoque decedit in filii suavissimis manibus, jam provecta aetate, et vitae ex Deo agendae institutionem studiose et acriter persequens. Sed eam quidem sepelit sanctus Sabas, et in communi omnium matre condit venerabiliter: illius autem pecunias omnes Deo consecrat, eas opportune et ut par erat expendens. Laurae enim hortos et habitacula ac diversoria per eas comparat. Quorum alterum quidem construxit apud Jericho, alterum vero apud ipsam Lauram aedificavit ex ipsis fundamentis: ut illud quidem viatores, hoc autem monachos reficeret et recrearet.....

§ 27. Cum jam autem praeteriisset tempus jejuniorum, revertitur quidem sanctus Sabas in Lauram, ut solebat. Cum

praeclarum vero Paschatis festum praeclare in ea celebrasset, quibusdam secum assumptis fratribus, venit in Castellium, collemque repurgavit, et quae erat in eo materia, usus est ad cellas aedificandas. Interim autem dum cum fratribus intensus erat operi, invenitur domus cujusdam in mundo splendidi, ex pulcherrimo lapide constructa, tecto excelsa, magnitudine ampla, ornata copiosis gratiis et elegantiis. Cum eam ergo invenisset beatus Sabas, et ipse quoque eam reddidisset elegantiorem, ex ea divinum templum effecit. Hinc arbitratus fore, ut res ei succederet ex Dei voluntate, statuit plura aedificare habitacula, et locum redigere in coenobium. Postquam autem coenobium hoc fuit finitum, in monasterio collocat multitudinem electorum monachorum, Paulum quemdam, qui anachoreta fuerat longo tempore cum Theodoro discipulo praeficiens eorum administrationi. Sed cum Paulus paulo post e vita excessisset, Theodorus suscipit omnem rerum administrationem, et fratrem Sergium, et Paulum avunculum cooptat in monasterium, qui et ipsi Castellio postea praefuerunt: eisque commissus fuit pontificatus Ailae et Amathuntis.

§ 28. Atque Sabae quidem magnae erat curae, ut, quos esset plantaturus in coenobio Castellii, et provectae essent aetatis, et monasticam vivendi formam accurate tenerent. Nulli autem ex mundanis, et iis, qui recens advenerant, concedebat habitare in Castellio: sed parvo coenobio ad Laurae borealem partem extructo, cum ei praefecisset viros industrios et sobrios, et quorum fidei credi possent fratrum animae, hoc habitandum tribuit iis, qui e mundo recens ventitabant, donec ipsum Psalterium didicissent, et se exercuissent in alia monachorum vitae institutione. Dicebat enim oportere monachum, qui degit in cella, esse studiosum, discernendi potestate praeditum, sobrium, moderatum, temperantem, aptum ad docendum: non autem indigentem doctrina aliorum, qui posset et sua membra refrenare, et mentem tuto custodire. De eo enim dicebat dictum fuisse a Davide: *Dominus habitare facit unius moris in domo* (*Ps.* 67). Cum autem vidisset hic sanctus pater, eum qui renunciaverat, et regulam monasticae institutionis accurate didicisse, et mentem suam recte posse custodire, et adversus contrarias depugnare cogitationes, et e mente sua expulisse omnem rerum mundanarum memoriam, ei praebebat cellam in Laura, si corpus haberet infirmum et imbecillum. Si vero esset fortis et robustus, ei jubebat cellam aedificare, hoc dicens et asserens, quod si quis in eo loco cellam aedificaret, aut superaedificaret, is templum Dei esset aedificaturus, illique et ipsi par futura esset merces. Nulli autem imberbi omnino licebat Lauram ingredi, propter eas quae ex maligno oriebantur offensiones, sicut jam ante declaravimus. Dicebat enim beatus Sabas, hoc ab initio traditum fuisse a patribus: et propter illud ipsum, parem modum ab eo esse servatum:

«Quoniam quando, inquit, veni ipse ad magnum Euthymium adhuc imberbis, volens in Laura habitare, non fui admissus, sed missus fui ad beatum Theoctistum.» Dicebat enim esse valde periculosum, adolescentes et pueros simul habitare cum viris solitariis.

§ 29. Eamdem ergo formam servans sanctus quoque Sabas, si quem ex iis, qui mundo renunciabant, videret ejusmodi, cui scilicet facies nondum esset tecta pilis, eum mittebat ad illum, qui mihi dictus est superius Theodosius: qui quidem jam recesserat ab ecclesia, quae dicta est Cathismatis, et in parte Laurae quae vergit ad Occidentem, constituerat monasterium, quod vitae communiter degendae conveniebat, distans a Laura triginta quinque stadiis: qui eos, qui mittebantur, lubenter admodum excipiens, omnibus modis studebat eorum curam gerere, ei qui miserat, gratificans; erant enim magno inter se amore conjuncti sanctus Sabas et hic beatus Theodosius: et uterque alterius voluntatem praeferebat voluntati suae, immo vero voluntatem alterius putabat esse suam: cum Christi amor sic eos conjunxisset, et ut idem sentirent, eis persuasisset. Hoc autem erat omnium sermone celebratum, et aliud par Apostolicum ab Jerosolymitanis judicabantur atque nominabantur. Eis ab Archiepiscopo, a Salustio, inquam, qui erat in Christo consummandus, mandata fuit praefectura universi coetus monachorum, non quod ipsi eam rem concupiissent, sed potius electi fuissent a monachis, et praemium virtutis eam accepissent praefecturam. Quonam modo autem ad hanc administrationem pervenerint, dicam paucis.

§ 30. Cum Elpidius et Elias, successores magni Pasarionis, e vita excessissent, consequenter ad Lazarum transit administratio. Sic etiam ad Gerontium. Qui cum decessisset, Anastasio cura fratrum committitur. Cum ii ergo, Lazarus, inquam, et Anastasius, praeessent administrationi, res monachorum erant admodum turbulentae, et maximis agitabantur fluctibus. Cum hi ergo, quos diximus, Lazarus, inquam, et Anastasius, monasticae perfectionis parvam aut nullam curam gererent, ad quasdam autem mundanas curas et pecuniae evolumenta tota mente et anima conversi essent, maxime cum Anastasius tunc post Zenonem suscepisset imperium, et schismata cum summa impudentia et licentia loquerentur adversus Ecclesiam. Cum tunc ergo beatus Salustius (erat autem is Patriarcha Jerosolymitanus) statuisset liberare fratres ab illa tempestate, primum quidem constituit, ut qui jam a me dictus est, Marcianus eis praeesset, et eorum susciperet rectionem. Cum autem intercessisset aliquantum temporis, aegrotabat quidem beatus Salustius, et corpore erat male affectus: ad eum vero conveniunt omnes, qui erant in solitudine: ipse autem communi suffragio eorum qui simul convenerant, statuit ut monasteriis, quae erant circa sanctam civitatem, praeessent Sabas et Theodosius, iis quos praesens vobis ostendit narratio. Ab illo ergo

tempore Theodosius quidem iis, qui communiter vivebant; Sabas autem iis, qui cum nemine congrediebantur, et erant omnino separati, praeerant.

§ 31. Postquam autem Salustius migravit ex hac vita, Elias quidem, cujus saepe memini in vita magni Euthymii, in sedem illius evehitur. Statim vero omni studio contendit, ut circa se congreget bonos monachos sanctae resurrectionis, circa turrim David dispersos in aliquibus cellis. Monasterium quidem certe construit apud Episcopatum, et cellas aedificat ad illos excipiendos, et unicuique eorum, qui conveniebant, abunde suppeditat ea, quae erant necessaria. Cum hi ergo omnes monachi illic congregarentur, beatissimus Sabas rursus emens multas cellas, in quibus illi prius habitabant, adjecit eas ad illos hospitio excipiendos, qui veniebant ad Lauram; erant enim ei proxime. Cum in his autem occupatus esset Sabas, et alias quidem haberet, alias vero esset habiturus, in eo fit quoddam miraculum, magnum quidem, et quod est consentaneum esse incredibile, et admirabile quidem et contra opinionem, sed ab ejus virtute minime alienum. Nam emerat quidem, ut diximus, multas cellas: volebat autem alias quoque emere, quae erant etiam propinquae Laurae, et suo instituto utiles: sed auri indigentia obstabat voluntati: et cum earum acquirendarum ardentissimo teneretur desiderio, non habebat tamen manum, quae ei opem ferret. Nihil enim ei reliquum fuerat, nisi dimidium numismatis. Sed ille, ut qui Dei sciret copias sapientiamque, et ad omnia fortitudinem, et illi permisisset universum, id quod tunc habebat cellarum dominis dedit tamquam arrham, pactus quod nisi die sequenti solveret reliquum, id etiam perderet, quod solverat. Atque ille quidem cum sic convenisset cum monachis, solum ad illam intuebatur dexteram, quae non potest exinaniri. Venit autem mane quidam hospes omnino ignotus: et cum nihil dixisset, aut ab eo rursus audivisset, dat ei centum et septuaginta aureos. Quos cum dedisset, continuo recessit, nec quo nomine quidem vocaretur, ei significans. Cum vero statim conjecisset Sabas, undenam et quam prompta fuisset eorum quae data erant, suppeditatio, et eam a Deo esse profectam aperte cognovisset, protinus et pretium solvit cellarum, et alteram domum aedificavit ad excipiendos monachos, qui veniebant peregre. Quinetiam Castellio duo praeterea acquisivit habitacula, unum quidem in sancta civitate, non multum distans a turre David; alterum autem in Jericho.

§ 32. Acrem itaque ejus in his rebus zelum adhuc magis amplificans Dominus e superis, duos quosdam secundum carnem fratres, genere Isauros, nomine Theodulum et Gelasium, qui ipsi quoque erant juvenes, sicut ille Beseleel et Eliab, architectos novi tabernaculi, mittit ad novum hunc Mosem. Quibus ille utens opificibus aedificiorum, adstruxit quidem quaecumque in Laura

adhuc deerant: construxit vero circa eam quoque monasteria. Deinde aedificat etiam domum ad panem faciendum. Fabricatur etiam nosocomium, et aquarum quoque receptacula construit propter torrentem. Quoniam autem neque quod ei prius apparuerat a Deo conditum templum, synaxi fratrum sufficiebat: et rursus multitudo Armeniorum, oratorii exsuperabat magnitudinem, alteram aedem excitat beatus Sabas ab ipsis fundamentis, quae ornatu et magnitudine nulla erat altera inferior; eamque Deo consecrat. Quae quidem cum ab Elia, qui tunc Ecclesiae praeerat, de more fuisset dedicata, illas quidem sacras fratrum synaxes illic jubet deinceps peragi: Armeniorum autem multitudinem transfert in illud divinum templum, adeo ut Christianis quidem consueta glorificatio, et ipsa Evangelii lectio, quae fit iis qui sunt praesentes, proprio eorum sermone impleretur: simul vero cum aliis divina sumerent sacramenta, et fieret omnibus communis eorum participatio.

§ **33**. Cum sic ergo se gereret Sabas, et Lauram et Castellium quotidie augeret aedificiis, et fratrum accessionibus, ii qui fuerant prius ejus discipuli, deinde, ut jam ante diximus, calumniatores, non ferentes Lauram videre sic florentem: sed etiam adhuc majore invidia flagrantes, et cum aliis fratribus conspirantes, et mala synagoga effecti circiter quadraginta, dolos adversus sanctum consuebant, et ei omnibus modis parabant insidias. Haec autem cum cognovisset ille mitis ac mansuetus, et ejus qui vere est pacis auctor et legislator germanus discipulus, quod prius in divinis, hoc in hac re quoque facit: et ne esset fratribus causa offensionis, non solum despicit cibum, ut vult Apostolus, sed etiam ab illa ipsa Laura recedit. Didicerat enim Sabas pugnare quidem cum daemonibus; hominibus autem facile cedere. Hoc vero faciebat, tum improbos quidem pudore afficiens lenitatis suae exuperantia: tum autem illo discessu invidiam consumens et tabefaciens: ostendensque nullam rem propriam esse ei curae: sed Dei causâ omnem laborem suscipere, et fratrum utilitatis. Hac de causa facile quidem recedit, et venit ad partes Scythopolis: manet vero in quodam loco, qui erat quidem desertus, vocabatur autem fluvius Gadarorum.

§ **34**. Cum is ergo illic versaretur, multi ex finitimis ad eum ventitabant, et maxime quicumque habitabant Scythopolim et Gadara; eos enim undique vocabat illius fama, non secus atque clara tuba, virum veluti praeconio praedicans. Quo quidem in loco quidam ex Scythopolitanis genere clarus, juvenis aetate, nomine Basilius, a Deo motus ad ea quae sunt honesta, cum humana omnia jussisset valere, ad ipsum accedit et Deum. Et ille quidem versabatur cum Saba, et apud ipsum vivebat, et eo utebatur praeceptore. Quidam autem latrones, pecuniis abundare arbitrati Basilium, circa mediam noctem spe pleni ad eos accesserunt.

Postquam vero nihil invenissent eorum quae sperarant, recesserunt, et pro alio lucro sibi pararunt animae utilitatem. Nam cum vidissent vitam adeo tenuem et frugalem, et cui deerant etiam quae sunt necessaria, obstupuerunt, et magni Sabae copias sunt admirati: quae in eo erant, quod nihil possideret. Suum itaque facinus animo versantes, et ne aliquo gravi malo a Deo afficerentur dubitantes, recesserunt, audacis sui coepti magna ducti poenitentia.....

§ 35. Sabas autem cum longo post tempore revertisset ad Lauram, existimabat se inventurum quidem esse eos, qui prius erant seditiosi ex fratribus, ira remissiore, utpote quod tempus, quod intercesserat, invidiae vigorem multum tabefecisset, et cum ejus e Laura peregrinatione una quoque eorum de ipso abiret cogitatio. Hoc autem non ita habebat: magis enim vigebat et amplificata erat perturbatio, et erat acrior invidia. Hoc vero hinc fuit manifestum. Non enim ipsi soli adversus sanctum parturiebant iniquitatem: sed cum aliis quoque viginti persuasissent, et eo quod est sub labris veneno eos impertiissent, tota die bellicam aciem adversus eum instruebant. Quid ergo ille ad haec? Dolebat quidem, videns fratrum procedere interitum; et ejus graviter scindebantur viscera; eorum, qui surrepti fuerant, prolapsionem perinde deplorabat, atque suorum membrorum amputationem. Deinde etiam hunc a ratione alienum volens motum eorum sustinere, opponebat irae illorum lenitatem, odio dilectionem, rerum malarum meditationi benignitatem; ut revèriti ejus mansuetudinem, ducerentur poenitentia, et suam salutem lucrifacerent. Cum autem, ut est in proverbio, conaretur lavare Aethiopem, et efficere ut cancer rectus ingrediatur (nihil enim difficilius dedisci potest, quam improbitas), et videret eos vitio effici magis viriles, et nulli rei magis fidere, quam impudentiae, et, ut dicit admirabilis Isaias, spem posuisse mendacium, et sperasse fore ut eo protegerentur, quoniam non poterat eis aliter mederi, rursus recedit ad partes Nicopolis: et divertit ad quandam arborem, quae fert siliquas alimento quidem utens illius fructu, tegumento vero ramis. Sed Deus, propter quem haec rursus sustinere aequum censebat Sabas, tunc quoque rem suae curationis sapienter contexit Sabae, et quae viro bono et virtutis amanti mercedem conciliavit. Nam cum hoc curasset, ut veniret ad cognitionem domini agri (erat autem is quoque, ut est consentaneum, amicus virtutis), efficit ut is mox ad eum accederet, et tum in caeteris ejus curam gereret, ac ei pròvideret, tum cellam quoque ei excitaret: quae postea, Deo opem ferente, constructa fuit coenobium. Sed cum Sabas quidem in eo loco sic degeret, scelesti illi homunculi, et maligni scilicet figmenta, illi, inquam, seditiosi et Judae plane discipuli, tempus sibi dari opportunum ad illum calumniandum, arbitrati propter longam illam viri peregrinationem: cum de ipso talem in Laura

famam confinxissent: « Abbas noster, dicentes, obiens solitudines, captus fuit a fera; » et sic induxissent eos, qui erat minus praediti ratione, et accessissent ad Patriarcham, etiam ubinam gravis hic casus accidisset falso adjiciunt. « In solitudine enim, ajebant, Mortui maris fuit devoratus a leone. » Hoc vero sic dicebant, ut quod ab eis fictum erat, videretur probabilius. Deinde etiam quaerebant aliquem, qui esset eis praefuturus. Ille autem, qui nihil temere et inconsiderate neque dicere didicerat, neque alios audire; et alioqui Sabae vita qualis esset a puero, non ignorabat, et quod dictum fuerat mentis judicio permittebat: « Sed non possum, inquit, ego facile credere, quod dictum est. Scio enim, quod cum sit Deus justus, et justitiam diligat, ut dicit sanctus David, non sic dimisit servum suum devorari a bestiis. Abite ergo vos potius ad illum quaerendum: aut si vobis videtur, exspectare aliquantulum temporis, donec Deus nobis de eo aperiat. » Cum illi ergo sic a scopo excidissent, et vacuis manibus revertissent, quieverunt in praesentia.

§ **36**. Cum autem advenisset dies festus dedicationis, venit quidem, ut solebat, beatus Sabas in sanctam civitatem cum quibusdam aliis fratribus monasterii, quod ab eo constitutum fuerat Nicopoli. Cum vero eum vidisset Episcopus, et quod eum praeter spem vidisset, fuisset gaudio repletus, et de illo longo et insperato reditu esset cum eo locutus, eum deinde accepit seorsum, et rogavit ut ad suam rursus rediret Lauram, et non sic rectore destitutam eam derelinqueret. Eo autem rogante ut ignosceret (neque enim se posse tam multorum virorum curam gerere), ille non cessabat instare et obsecrare. Cum vero videret Sabam magis resistere, et nequaquam cedere, ille haec aegre ferens, et nonnihil etiam ex suo commotus officio: « Sed si non, inquit, audiveris hanc meam petitionem, non venies mihi amplius in conspectum. Non possum enim ferre, alios frui tuis laboribus. » Cum sic autem dixisset Patriarcha, pollicitus quidem est se jussui illius esse cessurum: ne vero in negotia et turbas se rursus conjiceret, malam seditiosorum mentem cogitur aperire. Patriarcha autem protinus excitatus ad ei ferendum auxilium, haec scribit monachis Laurae: « Vos, qui estis fratres in Christo, scire volo, patrem nostrum, non ut a vobis auditum fuerat, fuisse a bestiis consumptum: sed eum adhuc vivere, et esse superstitem, et ad nos venisse ad festum. Ego vero eum detinui, non aequum esse censens, ut ipse Lauram relinquat, quam suis construxit laboribus. Prompto ergo et alacri animo vos eum eo, quo par est, honore suscipite, et ei omnibus modis cedite. Sin autem sunt aliqui apud vos arrogantes, contumacesque et superbi, et se ei nolentes submittere, nos eos jubemus quamprimum a Laura recedere. Neque enim est permittendum, eum, locum suum non recipere. »

§ 37. Acceptis itaque litteris, beatus Sabas descendit ad Lauram, cum quemdam constituisset Severum, ut praeesset monasterio Nicopolis: cui, cum post aliquot annos fuisset consummatus, successit Dominus, et illi rursus Sabaron, qui ad mea usque tempora fuit perpetuo Praefectus hujus monasterii, cum jam ad profundissimam pervenisset senectutem. Cum venisset autem ad Lauram beatus Sabas, et omnibus audientibus lectae essent litterae in ecclesia, illi qui nihil non audebant, ubi quae lecta fuerant, audivissent, suo impetu incitati, et occulto eorum praefecto egregie parentes, alii quidem secures, alii vero dolabras et ligones sumentes in manus, et ad eam, quae a Saba aedificata fuerat, turrem cum ira ascendentes, eam evertunt ab ipsis fundamentis, nihilo tolerabilius affecti, quam daemones. Et alii quidem ligna et lapides jaciebant in torrentem; alii vero monachorum indumenta, et quicquid aliud habebant, rapientes, sic egressi sunt e Laura, et ad Sucae Lauram protinus venientes, rogabant ut in eorum numerum referrentur. Sed Laurae praefectus Aquilinus, vir sanctus, cum non esset ignarus eorum, quae ipsi fecerant, ne passus quidem est, ut qui erant tam improbi, Laurae hospitio omnino exciperentur. Cum itaque ad Thecoum, qui dicitur, torrentem pervenissent, et quasdam cellas propter eum invenissent, quae olim factae fuerant ab iis, qui desciverant, et se ab aliis separaverant, et alias quidem instruxissent, alias vero aedificassent ipsi a fundamentis, in eis habitabant, eas novam Lauram nominantes.

§ 38. Cum illi quidem sic e Laura excessissent, alii fratres tamquam frumentum, ablatis zizaniis, fuerunt fructus Deo utilissimus et purissimus. Cum interim autem effluxisset aliquantum temporis, quoniam huic amanti patri viscera non quiescebant, sed de iis, qui se ab illo abruperant, gravem dolorem conceperat, et, ut Apostolice dicam, corde urebatur, postquam rescivisset ubinam degerent, et Laurae et Castellii jumenta multis onerasset rebus necessariis, abit ad ipsos: partim quidem volens sedare eorum malevolentiam, partim autem volens succurrere egentibus. Et ille quidem sic. Nonnulli vero ex iis, et maxime ii, quos acrior invaserat invidia, cum eum procul adspexissent venientem, sic sensim inter se susurrabant: « Videte, dicentes, quod ne hic quidem malum effugimus: sed rursus ad nos venit ille Strabo; » et quaecumque eis alia subjiciebat invidia. Sed cum ab iis non fuisset illius retardatus cursus, ad eos venit, et placidis eos adspexit oculis, et eos impertiit rebus necessariis. Cum autem vidisset eos magnâ undique premi inopiâ, quod neque haberent qui eorum curam gereret, neque eis divinum esse templum ad orandum: sed in propheticam aedem, quae est Thecois, singulis ascenderent Dominicis, participaturi divina sacramenta; et eos deinde inter se decertare, implerique tumultu et perturbatione, quod

essent sine duce, et nulli parèrent pastori et Praefecto, refert omnia ad Patriarcham, et vehementer rogat, ut eos congreget et conciliet, et eis omnia praebeat, quibus indigent. Ille vero, datis Sabae septuaginta aureis, ei concedit dominium et res monachorum.

§ **39**. Is autem cum rerum, quae illic erant, sic factus esset dominus, primum quidem eis providet res necessarias, ut nihil eis deficeret, sed omnia eis suppeterent. Deinde templum quoque eis magnifice aedificat, et id eis consecrat et dedicat. Deinde eis quoque domum construit ad panem faciendum. Quae cum fecisset, tractabilesque et mansuetos reddidisset, qui prius erant seditiosi et inobedientes, accersit Joannem, qui jam a me dictus est, et ei novae Laurae committit praefecturam: qui ortus quidem fuerat ex Graecia: ante mortem autem suam ea, quae multis post annis in Laura evenerunt, praedixit et apertissime enunciavit. Cum enim e praesenti vita jam esset migraturus, et extremum jam traheret spiritum, et extrema verba emitteret, quoniam multi eum circumsidebant ex iis, qui erant e Laura, cum profundis suspiriis, lacrymisque et animi perturbatione: « Ecce, inquit, veniunt dies, in quibus qui praesentem locum habitant, desciscent a recta fide; et extollentur quidem in seipsis, ut cum sancto David dicam, qui exacerbant: in audacia vero sua destruentur, et altitudo eorum repente dècidet. » Et cum haec dixisset, migravit, cum septem annos implesset in praefectura Laurae. Deinde post illum consilio sancti patris Sabae, qui illic erant monachi, cuidam Paulo committunt administrationem: qui erat quidem Romanus genere, sed simplicissimus et ab omnibus negotiis alienissimus: veras solas divitias cognoscens, nil possidere. Ipse autem cum sex solum menses admodum invitus permansisset in Laura, nihil sibi volens exhiberi molestiae, aufugit in Arabiam; et cum illinc venisset ad Severianum, excedit e vitâ. Sed cum beato Sabae fuisset ejus fuga significata, ille Agapetum suum discipulum jussit praeesse monachis, non magis honorans ejus virtutem, quam satisfaciens illorum petitioni. Ipsum enim, ut praeesset, communiter vocabat totius simul Laurae legatio. Neque ipse quidem hoc lubens suscipiebat: sed evectus fuit illorum judicio et sententiâ.

§ **40**. Cum ei ergo commissa fuisset praefectura, invenit quosdam ex fratribus (erant autem ii quatuor a Paulo admissi, qui fuit simplicissimus, neque accurate examinati), tamquam virus sub labris quaedam Origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat quidam Nonnus Palaestinus: qui videbatur quidem esse Christianus, et pietatis prae se ferebat speciem, laborabat autem morbo gentilium et Manichaeorum, Didymique et Evagrii et Origenis, qui nugati sunt de praeexistentia. Cum eos ergo ita se habere deprehendisset Agapetus, timens ne malum manaret ad alios, et omnes communiter inficerentur, eam rem communicat

Patriarchae: eoque in ejus, quod statuerat, adhibito societatem, illos e Laura expellit. Non multum temporis intercessit, et cum e vita excessisset Elias, ut deinceps apertius ostendet oratio, accedens Nonnus cum suis ad eum, qui illi successit, Patriarcham, rogabant ut rursus restituerentur Laurae, a qua dicebant se non juste nec recte fuisse expulsos. Ille vero cum alia quidem nondum sciret, sed solum eos fuisse expulsos a Deo dilecto Agapeto, et existimasset illum virum nihil fecisse nec dixisse aut gratia aut odio commotum, eum statim accersit, rogatque num fieri posset, ut illi rursus admitterentur. Cum is autem dixisset non licere, et se malle illinc recedere, quam videre illos in suum gregem relatos, qui sunt pleni tali contagione, ipse quoque eos abominandos amandat Patriarcha. Sed cum Agapetus quoque post haec, quinto anno susceptae administrationis, migrasset ad Dominum, et cuidam Maemanti commissa fuisset fratrum praefecturà, Nonnus cum suis tamquam morte Agapeti ansam accepissent libertatis, revertuntur ad Lauram, et in ea clanculum subjiciuntur Maemantis administrationi, malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantem circumferentes, sed quem metu Sabae non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere. Sed haec quidem de iis, quae in Laura postea acciderunt, ut ostendamus ea evenisse, quae Joannes praedixerat. Nunc illa quoque necesse est persequi, quae sunt delectatura aures virtutis amantes, et animum sic affectum exsuscitatura ad aemulationem.

§ **41**. Cum fratres, qui defecerant, Sabas sic reconciliasset, et novam Lauram sic aedificasset, et recte constituisset, et ad suam Lauram sic rursus rediisset, non satis habuit tam multa tam praeclare gessisse in constituendis monasteriis, et effecisse, ut, de qua prius diximus, habitaretur solitudo: sed adhuc vehementer spirans adversus daemones, et divino zelo motus contendebat efficere, ut reliqua solitudo fieret habitabilis, et fertilis monachorum multitudinis, ut per ora multorum, aut vitam potius et virtutem, laudaretur Dominus. Ea de causa tempore jejuniorum, accedit ad quemdam torrentem, qui a maxima Laura distabat decem stadiis, cum quodam Paulo, aetate quidem sene, florenti vero virtute: et cum offendisset quamdam speluncam in torrentis parte, quae est ad boream, in ea quidem totam transegit Quadragesimam. Cum vidisset autem locum omni ex parte tranquillum, silentioque et quieti valde aptum, et esset veluti quadam percitus aemulatione, si non is quoque opem ferret ad fratrum exercitationem et salutem animarum: postquam illinc reversus fuit ad Lauram, et ad praeclarum et divinum festum resurrectionis, cum et alios fratres et Paulum quoque assumpsisset, illuc rursus revertitur: et ex spelunca quidem construit ecclesiam: circa ecclesiam autem insigne coenobium. Et speluncam quidem nominat monasterium: Paulo vero mandat ejus curam, ei adjungens

socios sollicitudinis Quiricum quemdam et Eustathium. Sed de monasterio quidem haec, Deo favente, dicta sint. Crevit autem postea et monachorum multitudine, et copiis rerum necessariarum: et qui illic primum relicti sunt a beato Saba, cum fuissent alterius successores et morum et rectionis, illic quoque e vita emigrant. Cum multi autem ad eum accederent, et multa quidem ei offerrent, et magnam quoque ei suis manibus opem ferrent ad aedificationem, nullus fuit, qui vel aquae frigidae solum dedisset calicem: ut vel hinc possis conjicere de iis, qui majora contulerant beneficia, qui non e vestigio sit a superis maximam et magnificam consecutus remunerationem. Post haec autem duo quoque quidam ex iis, qui erant in Laura, cum in iis, quae ad Deum pertinent, esset fraternus inter eos consensus et concordia (vocabantur autem Zanus et Benjamin), petunt a beato Saba cellam, quae quinque stadiis a Laura distabat versus meridiem. Ille autem, ut qui sciret eorum in virtute studium et diligentiam, concessit quod petebant: et dat eis cellam, quam postulabant. Cum illi ergo eam accepissent, Saba quoque eis magnam opem ferente et praebente impensas, ipsum coenobium construxere. Cum multi autem illuc convenissent, ecclesia aedificata, et ara fixa, et ea ut par erat consecrata, statuit ut ii quoque eadem regula et lege viverent, qua alii, qui ejus parebant imperio; et sic locus ab initio erectus in monasterium, floret usque in hodiernum diem: et denominatur a beati Zani nomine.

§ 42. Operae pretium tamen est, se oblectare in iis bonis narrandis, quae fecit Byzantii: et quidnam eum impulerit, ut relicta Palaestina, ad urbem venerit regiam. Anastasio et Elia, illo quidem imperii, hoc vero Ecclesiae, quae est in Palaestina, sedem administrante, oritur interim quoddam scandalum, quod Imperatorem et adversus multos alios, et adversus Eliam adeo irritavit, ut eum damnarit exsilio. Dicatur autem primum, quidnam eum ad iram incitavit, ut sic, quae sunt deinceps dicenda, facilius intelligantur. Tertio anno imperii Anastasii, incidit gravis seditio inter eos, qui praeerant Ecclesiis: Romanis quidem Pontificibus dissidentibus a Byzantinis, quod Acacium, qui Constantinopolitanus quidem fuit Episcopus, de rebus autem Christianis non recte sentiebat, inscriptum haberet in sacris diptychis: Byzantinis vero rursus infensis Alexandrinis, qui Chalcedonensem quidem synodum feriebant anathemate, Dioscori autem admittebant communionem. Cum ergo inter eos invicem magna esset dissensio, qui prius dictus est Elias, qui praeerat Palaestinae Ecclesiae, solius Euphemii, qui erat Constantinopoli, amplectebatur communionem, Occidentalibus quidem, ut diximus, depugnantibus: Palladio vero Antiocheno ad gratiam intuente Imperatoriam: et ideo Chalcedonensem quidem synodum feriente anathemate, ea autem amplectente, quae tenebant Alexandrini: utpote quod

Anastasius eadem quae Alexandrini sentiret. Cum sic ergo se haberet Elias, et statuisset soli communicare Euphemio, Euphemius quidem, propter rectam de fide sententiam, ab Imperatore (o justitia!) impie pellitur a sedis rectione : et in ejus locum evehitur Macedonius.

§ 43. Cum in his autem esset Ecclesia, iis quidem, qui Euphemium sede expulerant, assentiri non sustinuit Elias, ut qui eum expulissent, praeter regulam: Macedonio vero non dubitavit communicare, et cum eo convenire, ut qui ipse quoque rectam fidem amplecteretur. Quod quidem non parum ab initio conturbavit Imperatorem. Postquam autem Flavianus quoque, qui post mortem Palladii Antiochenae praefuit Ecclesiae, eadem quae ii sentiebat, et in vera et recta ratione ingrediebatur, non poterat amplius contineri ira Imperatoris, qui adversus pietatem solam erat fortissimus: nec ferre poterat eorum concordiam: sed efferatus et acri irâ pèrcitus, utrosque damnat exsilio. Solum autem in praesentia quidem Macedonium, cum innumerabilibus impetiisset calumniis, ejicit Episcopatu: Timotheo vero, illius loco tradit administrationem. Studium autem et curam ponebat, ut Flavianus et Elias assentirentur Timotheo. Illi vero Timothei quidem susceperunt communionem, utpote quod ipse quoque conveniret verbo rectae fidei: Macedonii autem admodum aegre ferebant exterminationem, ut quae non tam jure ac legibus, quam vi et potestate fuisset facta. Hoc adversus ambos magno furore ciet Imperatorem, et efficitur Ecclesiis causa magnae tempestatis. Quod quidem cum nescio unde rescivisset Elias, qui Palaestinae praeerat Ecclesiae, missis legatis, diligenter agit de reconciliatione. Legati autem erant et multi alii patres, et ipse Sabas, cujus nunc vita est argumentum nostrae hujus orationis, jam septuaginta annos natus. Praeterea vero mittit etiam Elias epistolam, in qua haec scripserat: « Habitatores erèmi, et Sabam cum eis, qui est caput erèmi, ad tuam potentiam mittimus legatos pro Ecclesiis. Tu autem eorum laborem revèritus, et eos qui sunt ex Deo sudores, o Imperator, fac ut cesset bellum adversus Ecclesias, et ne sinas malum progredi ulterius. Scimus enim tibi curae esse, ut ea agas, quae Deo grata sunt, qui tibi concessit diadema. »

§ 44. Cum hi ergo divini patres jam ingressi essent viam quae ferebat ad Imperatorem, erat Sidone quaedam synodus Episcoporum Orientis et Palaestinae tunc congregata adversus Flavianum et Eliam, quae praetextum quidem habebat jussa Imperatoris : acceperat autem duces, Soterichum Caesareae Cappadociae, et Philoxenum Hierapolis Episcopum: qui Chalcedonensem synodum abrogantes, Eutychis et Dioscori studebant confirmar

* Anno 511.

** Synodus haec, infamis et prorsus irridenda, ab Anastasio Imperatore coacta fuerat. Octoginta ferme Episcopi ei interfuerunt. Flavianus, Antiochiae Antistes, quum hunc coetum refellisset, in quoddam castellum exsul missus est, ubi vitam explevit.

dogmata. Cum ergo legati venissent Constantinopolim, arcana et quae comprehendi non potest Dei sapientia, quae eminus rerum magnarum praebet occasiones, et iis, qui eum glorificant, semper aliquando tribuit gloriam, hic quoque certo consilio aliquid gerit, per quod beatum Sabam, qui indutus erat cilicio, et vili habitu amictus, omni imperatoria purpura reddit splendidiorem: et eam, quae in eo habitabat, aperit gratiam Spiritus, quae operta erat multis velis moderationis et humilitatis. Nam cum ii, qui cum ipso erant, deducerentur ad Imperatorem, et fuissent jam omnes intra aulam imperatoriam, ille solus a custodibus arcetur ab ingressu, seu propter vilissimam et contritam tunicam, seu Deo potius eum sic volente facere insignem et gloriosum. Cum illos ergo benigne esset intuitus Imperator, et ea dixisset, quae dici solent in adventu, et deinde requireret, quisnam esset is, qui erat praecipue in litteris positus, Sabas. Cum monachi autem in omnem partem circumcursarent (neque enim sciebant, quonam modo ille esset ab eis disjunctus, et ubinam mansisset), statimque Imperatoris satellites ad eum quaerendum quoquoversus obirent, invenitur stans in quodam angulo ante aditum regiae, et psalmos canens Davidicos. Cum illinc ergo eum diripuissent satellites, et per regiam eum festinanter introducerent, cum jam esset ascensurus limen, ubi praesidebat Imperator, videt ille circa eum insignem quandam et plane admirabilem visionem, non ut qui dignus esset talia videre: sed ut ei fieret manifestum, quantum honorem sit Sabas apud Deum consecutus. Visio autem erat hujusmodi.

§ 15. Quidam specie angelicus, veste splendidus, eum in orbem circumiens, et ingressus illum praecedens. Haec cum vidisset Imperator, et virum vere esse divinum censuisset, et ei assurgit, seque in eum ostendit valde officiosum, et magno eum habet in honore. Deinde jussit omnes sedère: revera enim erat ei magna in monachos reverentia, etsi quidam scelerati efficerent, ut conturbaret rectam fidei rationem. Aures ergo praebens omnibus, jussit ut unusquisque diceret, de quo vellet. Illi autem veluti obliti communis Ecclesiarum legationis, et cujus causa missi fuerant, unusquisque proprias proponebat petitiones. Imperator vero cum eorum postulata benigne concedens, quae volebant implevisset, quoniam petentibus omnibus silebat Sabas, nec omnino quicquam rogabat, ad eum vultum convertens Imperator: « Tibi, autem, o pater, inquit, quid sibi vult tantus labor itineris, cum nihil omnino roges, nec postules? » Ad haec ille respondens: « Hac de causa, inquit, veni, o Imperator, primum quidem, ut tuam adorem pietatem, donec sum adhuc in hoc corpore. Deinde, ut rogem pro sancta Dei civitate, et eo qui illi est praefectus, ut nullam tuae potentiae subeat indignationem, sed pax concilietur potius Ecclesiis. Ita enim et ipse Deum habebis propitium,

et tibi praeclaras praebebit victorias adversus inimicos. » Ejus ergo libertatem admiratus Imperator, et quod nihil peteret ex terrenis, et iis quae ad victum pertinent: sed quae ferunt ad Dei cultum, et Ecclesiae constitutionem, aliis quidem concessit, ut recederent: ei autem largitur munus mille aureorum, dicens ea esse distribuenda monasteriis, quae fuerunt ab ipso constituta; et simul jussit eum manere, statuens ut ad se posset ingredi citra ullum impedimentum. Cum vero non sustineret sedare iram, quam jampridem conceperat adversus Palaestinae Pontificem aliquando dicit magno Sabae: « Qui vestrae praeest Ecclesiae, o venerande pater, nos, ut videtur, magnae damnans levitatis, non solum synodi Chalcedonensis suscepit patrocinium, quae confirmavit dogmata Nestorii, sed etiam effecit, ut Flavianus Pontifex Antiochenus eamdem etiam viam iniret; et nunc solus restitit synodo Sidone congregatae, Flaviano consentiens, ut non feriantur anathemate, qui improbe tutantur dogmata Nestorii. Unde etiam nos putans ludificari, per epistolas nostris jussis fert leges contrarias, jubens ejici, quicquid in nostram fidem sentitur recens excogitatum. Sed non amplius tali nostra fruetur lenitate. Sed ecce decernimus, ut vides, illum quidem sede expelli: ejus autem loco eum suffici, qui sit digne praefuturus Ecclesiae: quoniam non convenit sacra illa loca profanari sceleratis decretis Nestorii. »

§ **46**. Haec cum dixisset Imperator, et adeo gravi ira ferretur in Eliam, incipiens beatus Sabas Eliam defendere Patriarcham, ejus iram ita compressit, ut non solum illam latam rescinderet sententiam: sed etiam Patriarchae magis cavèret, et juberet ei de caetero remanere sedem minime auferendam. Illinc autem cum ad Imperatricem venisset Ariadnam, eam multum rogavit, ut patris Leonis tueretur sententiam, et leges conservaret pietatis. Hinc exercitatorem subiit amor vehementior quietis et silentii, et valde desiderabat reditum. Quoniam vero menti ejus tempus minime congruebat (tunc enim vigebat hiems), statuit urbanos tumultus in praesentia declinare; et egressus in quemdam locum, non procul ab urbe remotum, qui dicebatur suburbanum Ruffini, hiemavit illic reliquo tempore. Quem quidem in locum et alii quidam ad ipsum ventitabant, maxime autem Valentiniani Imperatoris neptis Juliana, et Pompeji conjux Anastasia, quae in hodiernum usque diem floret multis rectefactis in monte Olivarum. Cum post haec autem ver adventasset, ille quidem, ut qui jamdiu teneretur magno amore quietis et silentii, paratus erat de caetero proficisci in solitudinem. Contigit vero aliquid in pagis, qui sunt Jerosolymis, quod ejus repressit impetum, et fecit eum rursus venire ad Imperatorem. Deinde paulo post magno cum desiderio ingressus est viam, quae ducit ad solitudinem. Verumenimvero non ingratum fuerit hoc quoque addere iis, quae dicta sunt, quod magnam justi illius significat misericordiam in pauperes, quibus

fiebat injuria: et zelum adversus eum, qui improba mente contendebat prohibere misericordiam, et admirabilem in eum praedictionem.

§ 47. Fames simul et pestis, duo mala, et quae similiter possunt tollere de medio, cum invasissent nonnulla loca ex iis, quae sunt sita sub imperio Romanorum, multas quidem domos exinanierunt hominibus: totos autem pagos, et habitationes, et agros reddiderunt vacuos habitatoribus. Porro autem malum quoque procedebat ulterius, et adhuc pluribus afferebat interitum. Cum ergo considerassent communium curatores, quin etiam ipse Imperator, quanam ratione commune non pateretur damnum vectigalium annuorum, decernunt ut a finitimis, qui attriti fuerant et perierant, ea exigerentur; et hoc locum habuit per universam regionem, quae parebat eorum imperio: et quicumque habitabat in locis vicinis, cogebatur etiam perdere vicinorum vectigalia, sive periissent fame et inopia, sive etiam essent suis bonis eversi propter necessitatem. Beatus ergo Sabas pro re tam iniqua civitatibus, et tam impia, et maxime quod etiam Jerosolymis executioni mandabatur hoc iniquum et tyrannicum decretum, accedit ad Imperatorem, annuncians rei absurditatem, ostendens pauperum interitum, dicens commune nihil hinc lucrifacere, sed extremo potius damno affici, omnibus, qui gravem illam famem et inopiam effugere potuerunt, afflictis ab hac gravi exactione, et quae essent in posterum soluturi, eorum jactura commune afficientibus. Deinde fit etiam supplex, et unam ab eo petiit gratiam, nempe ut pauperibus injustum illud vectigal remitteret, et duplici exactione miseros illos non amplius opprimeret. Cum is autem et justum esset revèritus, et propter illius viri preces motus esset pudore, et nesciret quid ageret, et pauperibus vellet praebere immunitatem a crudeli illo munere, Marinus quidam agrestis moribus, qui linguam cohibere non poterat, tunc vero magnam habebat potentiam, agebat autem et ferebat, quo volebat, levitatem Imperatoris, se in pedes erigens, honestam illam et vere regiam evertit sententiam, dicens esse Nestorianos, qui erant in sancta civitate, et tali dono minime dignos.

§ 48. Cum eum autem increpasset beatus Sabas, et jussisset eum cessare desuper bellum excitare adversus Imperatorem: in fine autem illa quoque adjecisset: « Nisi te velox propter ea, quae dixisti, subierit poenitentia, tibi monimentum peribit cum sonitu; » Marinus quidem nihilo se evadit melior. Ille vero cum Imperatori statim vale dixisset, et alias ab eo drachmas accepisset, ut distribueret iis, quae sub eo erant, monasteriis, proficiscitur statim in Palaestinam et eas, quae sunt in ea, solitudines. Haec autem magna in pauperes injustitia, mansit incorrecta tempore Anastasii: cujus partem quidem curavit Justinus, cum beatus quoque Sabas tunc litteris apud illum intercessisset: perfectam

vero illius curationem postremo effecit Justinianus. Non multum intercessit temporis, et finem acceperunt venerandi hujus viri ad Marinum praedictiones. Nam cum quaedam rerum innovatio occupasset civitatem, et mota esset popularis seditio, facultates omnes Marini raptae sunt a seditiosis, et domus fuit igne exusta: et parum abfuit, quin ipse periret. Neque vero mortem, quae imminebat, potuisset effugere, si non cito ad conversionem adspexisset et poenitentiam. Hoc autem et alii plurimi renunciarunt, et Pompejus quoque consobrinus Imperatoris: multum quidem deflens Marini calamitatem, multum autem admirans beati Sabae certam et veridicam praedictionem: narravit etiam postea Anastasia, uxor hujus Pompeji, quam in monte Oliveti omni florere virtute, vobis superior tradidit oratio.

§ **49**. Sanctus autem Sabas cum emisisset quidem partem auri sibi datam ab Imperatore, paternam domum, quae erat in Mutalasca, extruxit in templum martyribus Cosmae et Damiano: quod reliquum vero erat, ex aequo divisit et iis, qui simul erant, fratribus, et quae sub ipso erant, monasteriis. Quoniam autem quidam ex monachis, qui cum ipso ascenderant Constantinopolim, sordidi et illiberalis animi notam subeuntes in auri divisione, dicebant majorem ad se partem pertinere, ut qui plus, quam alii, laborassent, et cum magno Saba venissent usque ad Constantinopolim, non permisit, ut diu conturbarentur, et essent adeo parci et sordidi; partim quidem ex historia adducens, et ostendens eis, regem David aequalem partem utrisque tribuisse, nempe et exercitui, qui in bello cum eo adiit certamina, et iis, qui remanserant ad castrorum custodiam; partim vero etiam ostendens eis a contrario, quod illis major pars debebatur: quandoquidem illi, inquit, pro nobis et corpore et animis decertaverunt: ipsi autem solis corporibus in via laboravimus. Et haec quidem sic.

§ **50**. Cum haec autem ita se haberent, et tam acerba in fidem orthodoxam exerceretur tyrannis, et jam Eliae grave immineret periculum, et ejus capiti malum impenderet, et nusquam auxilium, cum congregasset beatus Sabas eximios omnes et electos monachos, et cum illis accedens, et illam, quae circumsistebat Eliam, perrumpens multitudinem (o generosam animam!), regis satellites et Severi ministros illinc fugat tamquam quaedam mancipia. Deinde alia quoque undique confluentium monachorum multitudo, eos qui Severo communicabant, in illorum ipsorum conspectu anathemati fidenter subjiciunt. Hoc dedecus et hanc ignominiam volens delere Imperator, contra eos mittit Olympium quemdam Caesareensem, ei traditis copiis, quae erant in Palaestina, regia utens auctoritate, non legibus nec judiciis. Qui cum primum ascendit Jerosolyma, Eliam quidem de sede deponit, ac eum damnat exsilio; Joannem autem, filium Marciani, qui Severi

quidem confessus fuerat communionem, anathemati vero subjecerat synodum Chalcedonensem, reponit in illius sedem. Quod quidem cum didicisset beatus Sabas, non licuit ei cunctari: sed cum rursus assumpsisset sacrum illum exercitum monachorum, tamquam praestantissimus quispiam Imperator, irruit in certamen: et Olympium quidem non offendit (jam enim ille, tamquam res ei recte successissent, reversus est in civitatem); in Joannem autem incidens novum Patriarcham, testificatur et denunciat, ne Severum admittat in communionem, sed tueatur potius synodum Chalcedonensem, et pro ea ad sanguinem usque periclitetur. Quod quidem facit ille, reveritus patrum protestationem, omnino oblitus conventorum cum Olympio.

§ 51. Propter quae iratus Imperator, Olympium magnae condemnans stultitiae, illum quidem statim deponit de magistratu. Cum eum autem tradidisset Anastasio, et eum constituisset Ducem totius Palaestinae, illuc mittit. Ille vero cum quamcelerrime venisset Jerosolyma, et ne solo quidem verbo impertiisset Patriarcham, sed solum spectaret gratiam Imperatoris, et pro honore ei dato sine ratione, ei vicissim praestaret officium magis expers rationis, eum statim conjicit in carcerem, impudenter vim afferens, et in difficilem adducens necessitatem, ut synodum quidem Chalcedonensem seu abrogaret et confirmaret, amplecteretur autem et defenderet Severi communionem. Sed ille cum rem communicasset Zachariae, qui praeerat Caesareensibus, latenter consulendo de iis, quae erant proposita, callida arte subterfugit necessitatem. Ea autem erat: pollicitus se omnia facturum, quaecumque Dux juberet, prompto et alacri animo, si relaxaretur a custodia, postquam duo soli dies praeteriissent: « Ne vi, inquit, videamur parère jussis Imperatoris, ita dimittitur e carcere. » Deinde una nocte multitudo eorum, qui erant circumcirca, monachorum, convocatur in templum Stephani primi martyris, specie quidem, ut qui esset mane celebraturus commune festum primo martyri: re vera autem eos advocans ad auxilium orthodoxae fidei, ut sic magis haereticorum coërceret arrogantiam. Diluculo ergo congregata fuerat multitudo monachorum, partim quidem ex iis, qui fuerant illic congregati monachi, sicut dictum est: partim autem de more veniens ad synaxim; partim vero, quae concurrerat ad videndum Hypatium, qui erat consobrinus Anastasii Imperatoris, modo servatus ex captivitate: erat enim templum quoque capacissimum multitudinis. Aderat autem ipse quoque Dux, ut eo teste abrogaretur et abdicaretur synodus Chalcedonensis.

§ 52. Protinus ergo ascendit suggestum Joannes, utraque manu tenens Sabam et Theodosium pietatis propugnatores. Cum se autem sustinuisset aliquantulum, visus est sensim susurrantem audire multitudinem, et dicentem oportere ferire anathemate eos,

qui non recte sentiunt. Hoc ergo ille cum tamquam divinum aliquod signum accepisset, et cor habuisset repletum audacia, unam emittit vocem cum multitudine: « Si quis ea sentiat, quae Eutyches, Nestorius, Severus et Soterichus Caesareae Cappadociae Episcopus, sit anathema. » Tunc sentit Dux fraudem, et vèritus populi consensum unanimem satis habuit, si se subducens silentio fugeret; et abiit Caesaream. Qui autem remanserat consobrinus Imperatoris, jurejurando affirmavit divinis patribus, se non venisse, ut communicaret malae Severi opinioni, sed ut loca adoraret veneranda, sèque velle potius communicare eorum sanctitati. Dat itaque Sabae magnam vim pecuniae, et jubet eam distribuere omnibus, qui illic erant, monachis: simul quidem ostendens suam in Deum fidem, et quam erga illum habebat pietatem et reverentiam, efficiens manifestam.

§ **53**. Cum autem beato Sabae sic processisset e sententia certamen, quod pro recta fide susceptum fuerat, sciens ille Imperatorem haec non esse passurum, sed pro ignominia et dedecore id habiturum, et aegre laturum, et omnibus modis operam daturum, ut se ulciscatur, congregato toto coetu monachorum, ubi cum eis rem contulisset, simul scribit epistolam ad Imperatorem, quae hoc modo habebat: « Dominus noster Jesus Christus, omnium rex aeternus et Deus, excelsi post illum regni sceptra piae vestrae potestati sua benignitate tradidit: re vera volens omnibus quidem sanctissimis Ecclesiis, praecipue autem matri Ecclesiarum, bonum pacis conciliare per vestram in Deum pietatem. Sciunt vero omnes, quod cum ab hac Ecclesia coepisset vere magnum verae religionis mysterium, pervasit usque ad fines orbis terrae: quod quidem nos horum divinorum locorum habitatores, ab alto a sacrosanctis acceptum Apostolis, sanum et integrum in hodiernum usque diem conservavimus, et in aeternum Christi gratia conservabimus, a recta verbi semita minime deducti ab adversariis, aut corrupti profanis et vanis eorum vocibus. In hac ergo intemerata, et in quam nulla cadit reprehensio, fide, cum nutritum et eductum ab ineunte aetate fuerit vestrum imperium, venit nobis in mentem admirari, quemadmodum in diebus vestrae pietatis tantus tumultus et tanta perturbatio invaserit matrem harum Ecclesiarum, ut ne parcatur quidem iis, qui Deo ministrant: sed sacerdotes et monachi, qui virtutem sequuntur a pueris, modesteque et silentio vitam transigere delegerunt, in conspectu Judaeorum et quorumdam aliorum gentilium, ab ipsa sancta Sion, per mediam civitatem, turpiter trahantur et intemperanter, et in profana quaedam loca expellantur: quin etiam cogantur nonnulla facere ad rectae fidei labem et reprehensionem, adeo ut qui huc veniunt voti causa, pro utilitate animae recedant repleti scandalis et offensione. Rogamus ergo vestram potentiam, ut nos quoque aliquando a tantis malis relaxemur,

quorum omnium auctor et origo est Severus, cui, ut in Antiochena praesideat Ecclesia, mandatum est ad poenam nostrorum peccatorum, ad malum quidem prius suae animae, et totius Ecclesiae multitudinis. Quomodo enim non est absurdum, nos qui sumus Jerosolymitani, modo doceri de fide, et qui fuimus omnium patres ad verbum pietatis, tam sero videri didicisse veram religionem? Quomodo non est hinc manifestum, quod haec, quae recenter apparet et videtur esse correctio rectae et sanae fidei, quae fuit tradita a patribus, non est revera correctio, sed perversio et adulteratio potius ejus, quod recte habet, ejus susceptae mercedem iis, qui persuadentur, procurans animae interitum? Non ergo nec patiemur aliquid aliud addere praeter ea, quae decreta sunt a treoentis et decem et octo patribus, qui fuerunt Niceae, et tribus quae postea consecutae sunt synodis: neque quicquam aliter innovare: sed pro eo etiam animas profundere, et innumerabiles, si fieri possit, mortes parati sumus suscipere. Pax autem Dei, quae superat omnem intelligentiam, fidem nostram custodiet sanctam, et sedabit tempestatem, quae est adversus eam excitata, nutu vestrae potentiae, ad ejus gloriam, et decus pii vestri et religiosi imperii. »

§ **54**. Caeterum Imperator quidem cum hanc accepisset epistolam, in aliud tempus distulit respondere: eum enim tunc vocabat quaedam barbarica expeditio. Nobis autem sunt reliqua adjicienda hujus viri narrationibus. Post injustum illud Eliae Palaestinae Antistitis exsilium, fames quaedam et penuria rerum necessariarum, siccitas quoque et locusta, et graves quaedam plagae, integris quinque annis oppresserunt Palaestinam. Cum vero essent septem, quae ab ipso constituta fuerant, monasteria, et quorum ipse curam gerebat, nulli eorum redditum ac proventum providit: sed cum Deo eorum omnem mandasset curam, et ea similiter premerentur rerum omnium inopia, ille non modo nihil vile et abjectum est locutus: sed etiam convocans Praefectos monasteriorum, suadebat ut propter haec nihil angerentur animo, neque de corpore quicquam essent solliciti: sed fidem haberent, patri, qui sciebat eos his indigere, et omnipotente sua dextera ea suppeditabit. Cum sic ergo statuisset Sabas, magnoque et excelso esset animo praeditus, in ea, quae ei parebat, Laura adeo defecerant necessaria, ut ne suppeteret quidem panis ad Deo sacrificandum et offerendum. Accedit ergo is, cui commissum fuerat ministerium, significans ei calamitatem: et simul appropinquare diem Dominicum ei in memoriam revocans: et quod non poterit utique celebrari divinum mysterium, cum neque panis sit in Laura ad oblationem, neque aliquid aliud ex rebus necessariis. Sed haec quidem ille.

§ **55**. Magna autem illa revera et admirabilis anima, ne sic quidem desperavit de Dei curatione, et arcanis et ineffabilibus viis

providentiae: « Sed ego, inquit, nequaquam prohibebo sacrum Dei ministerium. » Tanta vero rerum necessariarum indigentia, praebebit nobis aliquem rerum thesaurum ad sacrum celebrandum ministerium: sed est fidelis, inquit, qui jubet crastinum manere liberum a sollicitudine, quod attinet ad usum corporis. Et cum nondum advenisset dies Dominicus, veniunt quidam ad ipsum tamquam consulto missi a providentia, simul ferentes onus triginta jumentorum. Onus autem erat frumentum et vinum et oleum, et alia monachis apta ad alimentum: adeo ut Laura propemodum esset angusta ad capiendum res esculentas. Statim ergo sanctus Sabas ei, qui indigentiam parce et sordide ei objecerat: « Quid ais, inquit, sacrumne dimittemus ministerium? » Ille autem intelligens interrogationem esse reprehensionem cogitationum, quae non satis erant validae ad sperandum in Deo, procidit ad ejus pedes, petens veniam, et pro tam illiberali parcitate vehementem inferens poenitentiam; et ille cito eam dat discipulo, et ea quae oportebat suadet, dicens non oportere esse tam parvo et abjecto animo; sed a spe divina firmiter dependere, et quod dicit sanctus David, curam jactare in Dominum, cui nos longe magis, quam parentibus, curae sumus. Cum in his esset beatus Sabas, accedunt quidam monachi ex iis, qui erant in spelunca, dicentes: « Modo quidam pastores non solum secure immittunt pecora agris Laurae; sed ipsi quoque crebro sine pudore ad Lauram ventitant, illinc magna licentia alimenta exigentes, tumultuque et strepitu fratres implentes quotidie. » Ille vero praecepit pastoribus admodum placide et benigne (ut erant ejus mores humani et mansueti), ut de caetero abstinerent a via, quae ducit ad Lauram, et ne talia amplius aggrederentur. Illi autem, quae dicta fuerant, nihili facientes, cum nihil omnino cessissent, re ipsa docentur non contemnere mansuetudinem, quae in Deo multa potest. Protinus enim admirabiliter quidem et praeter opinionem arcetur lac uberibus gregum: intereunt autem nuper geniti foetus pecorum, cum eis esset misere exclusum nutrimentum. Cum ergo sensissent pastores se luere poenas suae in Sabam inobedientiae, ad ipsum veniunt, casum miserabiliter deflentes, peccatum suum acriter confitentes, neque se deinceps ingressuros esse viam, quae ducit ad Lauram, constanter affirmantes. Ille autem tam celeri poenitentiae veniam concedit celeriorem, et protinus benedictione solvit calamitatem, et eos liberat a supplicio. Nam simul atque ille benedixit, mox solutae sunt uberum pedicae, et lac profuse manabat, et agni alebantur et crescebant, et pastoribus in gaudium mutata est tristitia. Hinc magnus ille a superna motus providentia, venit ad visitandum Eliam Patriarcham, annos jam natus octoginta: erat autem, ut jam diximus, Elias in exsilio. Secum vero duxit Stephanum et Euthalium, qui ipsi quoque praeerant aliquibus monachis. Cum ergo cum eis Sabam vidisset Patriarcha,

qui erat in exsilio, et gaudio fuit repletus, et omnium praesentium malorum quodammodo est oblitus. Ejusmodi res est anima, quae luctatur cum calamitatibus, et condemnata est alienam domum habitare pro sua, si solummodo notos adspexerit oculos, hoc minuit molestias, et affert magnum solatium calamitatis.

§ **56**. Cum illos ergo adeo lubenter vidisset Patriarcha, eum multos dies apud se retinuit, neque eum volebat omnino dimittere; sed quotidie circa horam nonam jam e domo procedens (toto enim alio tempore in grato permanebat silentio) sermone et alimento eos impertiebat, amice et sincere cum eis vitam agens. Cum uno itaque die illi venissent, ut consueverant (is autem erat nonus Julii), cunctabatur egredi Patriarcha. Et illi quidem exspectabant, cibum minime tangentes: Patriarcha vero, media jam nocte egressus, lacrymosos habens oculos: « Vos, inquit, cibum sumite. Non est enim mihi otium. » Illis autem diligenter sciscitantibus, quidnam ei accidisset, quod tam tarde esset egressus, et cur tristis esset, et essent ejus oculi suffusi lacrymis, ille acerbe ejulans: « O beate pater, inquit, ad Sabam intuens, Heu, inquit, hac hora mortuus est Imperator Anastasius: et oportet me quoque omnino decimo die post eum excedere, ut causam nostram agamus ante horribile tribunal. » Hoc ipsum quoque apertum fuit beato Sabae, et illa nocte, qua visione dignatus est Patriarcha, dicitur ipsum quoque vidisse fulmina, quae desuper immittebantur in Imperatorem, et eum veluti persequebantur, ut interimerent: eum autem fugientem in regiae penetralia, turpiter * effudisse animam. Sed mors quidem Imperatoris, ut quae apparuerant visiones significabant, statim fuit audita. Deinde vita quoque excessit Elias Patriarcha, sicut ab ipso praedictum fuerat.

§ **57**. Cum ergo post Anastasium Justinus ** pie assumpsisset imperium, et per universum orbem terrae misisset edictum, ut Orthodoxi quidem remitterentur ab exsilio; Chalcedonensis autem synodus scriberetur in sacris tabulis, et veteres honores redderentur Orthodoxis, et rursus tranquilla fruerentur Ecclesia. His sic factis, et Justino Imperatore reversa rursus fide orthodoxa, erat quidem beatus Sabas natus plusquam octoginta annos aetatis, et corporis imbecillitate et senectute, et longa illa et intensa virtutum exercitatione afflictus et maceratus. Verum enimvero etsi ita se haberet, prompto tamen et alacri animi studio florebat ac vigebat: et quos propter Christum suscipiebat labores, praeferebat omni quieti et animi relaxationi. Unde etiam omnia postponens zelo, quo ducebatur pro fide orthodoxa, statim profectus est per Caesaream et Scythopolim, ubi praedicans pium illud edictum Imperatoris, et in tabulis ecclesiarum inscribens quatuor synodos:

* Anastasius, fulmine afflatus, periit.

** Is armentarius fuerat et sues egerat. Sceptrum tamen gessit summa cum laude, ac fuit pietatis studiosissimus. Justinianum ex sorore nepotem, quum adhuc viveret, sibi successorem elegit. Obiit anno 527.

et alios quidem ex eis, suasionibus et admonitionibus, alios autem etiam reprehensionibus revocans: et omnes perfundens suavi melle suae doctrinae, et optime inducens ad fidem orthodoxam...

§ **58**. Atque sic quidem Sabae animae divina quaedam insidebat gratia, quaecumque ipse petiisset, operans admirabiliter: et corpus quidem semper habebat cedens ejus voluntati, ut neque defatigaretur laborum assiduitate, neque voluptate rursus remitteretur. Nam toto quidem tempore jejuniorum permanebat jejunus. Solebat autem semel tantum vesci in hebdomada. Si vero aliquando ab aliquo vocatus esset ad coenam, aut ipse rursus aliquos convivio exciperet, bis saepe vescens in die, nihil damni ac detrimenti sentiebat stomachus. Deinde postquam rediisset Scythopoli, admodum jucundus autem et optatus apparens Joanni Jerosolymitano Pontifici (quod intercesserat enim tempus, auxerat desiderium, ut solet amicorum), ab ipso vocatus esset ad convivium, quoniam una etiam aderat Antonius Episcopus Ascalonitanus, qui erat frater Archiepiscopi, cum illi Sabam medium intercepissent, illi amice propinabant, et pro viribus eum invitabant et accipiebant. Sed neque rursus sancto erant manus otiosae: sed ut par erat, remota omni fictione et simulatione, vescebatur appositis. Aderat autem sanctus quoque Theodosius, qui erat ei valde amicus et familiaris, ut jam a me saepe dictum est, qui cum veluti quoddam condimentum, vellet mensae speciosam aliquam et gratam injicere orationem, urbane admodum et lepide inferens, dixit sanctum Sabam ita exurire, ut ne vos quidem ambo, ajebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palaestinam, possitis ejus ventrem alere ad satietatem. Tale et tam validum ac robustum corpus beati Sabae generosae contigerat animae. Erat autem summâ modestiâ praeditus, et moribus lenis ac facilis. Et ad eum quidem conveniendum facilis patebat aditus: erat vero in sermone jucundus, et moribus quidem simplicissimus: prudentia autem constantissimus, charitatem non fictam et sinceram apud omnes conservans. Erat vero valde affectus in Theodosium, adeo ut quotidie ad se invicem ventitarent, et inter se de virtute conferrent, et essent ambo instar luminarium omnibus, qui vitam amplectebantur monasticam. Sed ille quidem eorum, qui vitam exercebant communem: hic autem, Sabas, inquam, eorum qui a congressione separatam et quietam, susceperat praefecturam. Dicitur certe, beatum Sabam urbane saepe dixisse sancto Theodosio, illum quidem puerorum, se autem esse praefectum praefectorum.

§ **59**. Cum autem multum temporis intercessisset, et magno Sabae ad octoginta et sex annos aetas provecta esset, decedit quidem Joannes, relicto successore Petro, viro virtute insigni. Tertio autem deinceps anno Imperator quoque Justinus valde jam

provectae aetatis, et alioqui oppressus morbo corporis, cum ad administrandam rempublicam non amplius sufficeret, deponit imperium, Justiniano patruele suo constituto pro se Imperatore, qui erat patritius, consul et dux exercitus, et qui jam fortiter rempublicam gerere erat aggressus. Sed de Justiniano * quidem dicere interim differamus: immoremur autem in iis, quae admirabiliter a sancto Saba facta sunt in Petrum successorem Joannis: quae quidem velim nolim ad se trahunt orationem, et sunt aliis longe jucundiora et gratiora. Nam is quidem veniebat assidue in solitudinem ad beatum Sabam, et eamdem in eum servabat reverentiam, quam priores Patriarchae. Interim vero cum morbus invasisset sororem (erat enim ei soror nomine Hesychia, non vulgaris virtutis), et cum omnis ars medicorum abjecisset spem ejus curationis, ipse non minus, quam illa, animi moerore confectus, et nullum inveniens medicamentum calamitatis, ad beatum Sabam statuit confugere, ut videret an aliquam assequeretur clementiam. Ipse autem cum accessisset ad aegrotantem morbo incurabili, et ter manu fecisset signum Crucis, non differendo, sed continuo eam sanam reddidit fratri. Talem ergo Episcopus invenit remunerationem sui in Sabam honoris.

§ **60**. Cum jam autem imperium assumpsisset Justinianus, et rerum suscepisset administrationem, agebat quidem beatus Sabas nonagesimum et unum annum: finem vero vitae acceperat beatus Theodosius: qui in Palaestina quidem erat populus Samaritanorum, cum Julianum quendam, qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi regem creassent, multas injurias faciebant Christianis, ecclesias depopulantes et exurentes, Christianos afficientes suppliciis innumerabilibus, et deinde etiam occidentes: et in vicos finitimos facientes incursiones, et capsas Sanctorum rumpentes, et igni mandantes. Quae quidem maxime fecerunt in locis, quae erant circa Neapolim: ut qui Episcopum quidem gladio interemerint; quosdam autem presbyteros comprehenderint; et primum quidem membratim et frustatim eos dissecuerint, et deinde eos cum Martyrum reliquiis frixerint in sartagine, et nulli probro et contumeliae parserint in Christianos. Haec postquam renunciata fuerunt Imperatori, adversus illos magnas emittit copias: quae cum eis manus confligentes, et multos alios interimunt, et ipsum etiam Julianum. A quibus Sylvanus quoque tunc Scythopoli comprehensus, in ignem injicitur, et ita acerbum accipit vitae exitum, vir qui multis probris et contumeliis affecerat Christianos, et ideo, ut arbitror, pulcre ad hoc a divina reservatus erat justitia, ut sic lueret supplicium sufficiens, et finem acciperet: quod

* Is, quum annum quartum et quadragesimum ageret, imperare coepit. Veterem Romanii imperii gloriam mirum in modum restituit, ampliavitque, Persos, Gothos, Vandalos debellavit. Leges antea innumeras in 4 Digestorum libros contraxit. Institutionum libros quatuor edidit. Codicem vulgavit. Ejusdem virtutes deturpavere avaritia, et favor erga Eutychianos. Vitam suam explevit anno 565.

non multis ante diebus de ipso dictum fuerat a Saba. Deind quidam ex ejus comitibus, nomine Arsenius, illustris dignitate ad falsa fingenda. et confundendam veritatem omnium callidissimus. Is cum post tetrum Juliani interitum venisset Constantinopolim, et accessisset ad Imperatorem, et cum ipso et ejus conjuge nescio unde, ei magna intercessisset familiaritas, multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit adversus Christianos qui erant in Palaestina, dicens eos vel maxime fuisse auctores causas seditionis Samaritanorum, et dignos gravissimo supplicio.

§ 61. Haec postquam in Palaestina renunciata fuere Patriarchae, eum statim subit misericordia eorum, qui falso accusabantur; et accedens ad beatum Sabam, eum vehementer rogavit, ut abiret et fungeretur legatione apud Imperatorem, et excogitatam refelleret calumniam, et Christianos liberaret a tantis periculis, nihil aliud futuros, nisi diaboli linguae trophaeum et improbitatis. Ille autem paruit, et nullo interjecto spatio, iter statim arripuit: eratque revera praeter fidem id, quod cernebatur, nempe hominem, qui in tam imbecilla lababat senectute, et quem par erat in lecto se quieti dedere, citra moram tantum iter inire, minime cedentem, neque senile quippiam aut languidum, remissumve sustinentem: sed perinde atque aetate adhuc vigentem, et magnam corporis imbecillitatem vincentem copia prompti et alacris animi. Cum jam autem pervenisset ad suburbia Constantinopolis, Imperatori quidem significatur adventus: et ipse statim mittit unum ex juvenibus Imperatoriis, et quosdam ex suis satellitibus, adventum illius maxime honorans. Deinde eo, quo pa erat, comitatu stipatus, Sabas ad ipsum deducitur. Deinde I triarcham quoque Epiphanium, et quicquid erat apud se claru et illustre, emittit, ut ei procederent obviam. Neque enim terren et mundanum aliquem, sed tamquam unum ex angelis, et civ supernae Jerusalem se censebat accipere. Quem postquam ad procul procedentem agnovit Imperator, ille quoque cernebat quid simile ei, quod viderat Anastasius. Videbat enim quam coronam ejus capiti impositam, eleganti quodam splendore coratam, et micantem luce omnis generis gratiarum. Visione Rex obstupefactus, e cathedra surrexit, et sacrum illud capu verenter et jucunde est complexus. Deinde cum ille ab eo pisset benedictionem, oravit ut sua quoque conjux esset ejus ticeps. Cum ea autem adfuisset, adoravit et rogavit, ut solve vitium ejus matricis (erat enim petra sterilior), et ut ex se posset videre filium: quod quidem illa pluris faciebat, quam imperium. Ille autem ad haec tacens, solum illi precabatu sospes et salva esset ejus potentia. Illa vero rursus instaba tens preces liberorum procreationis. Ille autem pergebat ea rursus preces dicere, et aperte prae se ferebat se recusare p ne ipsa fieret mater filiorum. Ubi vero cum illa hoc saepe pet

ipse nihilo magis annuit orationi, neque edidit preces convenientes ejus desiderio, tandem abiit Imperatrix magna affecta tristitia, quod id quod volebat, non esset assecuta. Deinde cum qui in preces incidissent, et maxime quicumque solent principum gratificari cupiditati, etiamsi sint inutiles et nihil justi habeant, eum criminarentur, quod preces recusasset, et dicerent id, quod Imperatricem majori molestia afficeret, ille aegre ferens, causam aperte protulit: « Sinite, dicens, o beati. Non enim sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi dogmata, et deteriores, quam prius ab Anastasio, tumultus Dei conturbent Ecclesiam. »

§ **62**. Imperator autem Justinianus in sanctum tantam ostendit pietatem et reverentiam, ut cum eum convenisset, non solum remiserit iram, quam jam olim conceperat adversus Christianos qui erant in Palaestina, sed etiam Samaritanos plene expulerit e civitate, et eorum synagogas deinceps prohibuerit: et de illis hanc legem tulerit, ne essent alter alterius haeredes, ne per successionem opes eorum crescerent et amplificarentur. Quin etiam ut interficerentur, quicumque eorum fuissent auctores seditionis. Quamobrem timore affectus Arsenius, qui erat ipse quoque unus ex Samaritanis, cum humano, metu quoque divino concurrente, supplex a Saba contendit, ut ab ipso baptismum accipiat: et tam piam impetrat petitionem. Sed haec quidem postea. Imperator autem cum talem sanxisset legem adversus Samaritanos, et sic ea propter quae venerat, sancto esset gratificatus, non hucusque sistit promptum et alacrem animum: sed se extremum damnum accipere existimabat, si non eum regalibus et splendidis afficeret beneficiis, et fidei esse abundantiam ostenderet suam in eum munificentiam. Cum eo certe assidue colloquens, et eum honorans, sicut prius Anastasius, vehementer instabat, ut aliquod pecuniae vectigal subjectis ei monachis constitueret. Ille autem: « Vectigalium quidem, inquit, et pecuniae, quantum satis est ad usos necessarios, ille nobis providebit, qui populum non obedientem copiose aliquando aluit in deserto, et aquam eduxit e petra: et qui non solum necessaria, sed etiam saepe quae redundant, suppeditat. Tibi autem, o Imperator, si tantae est curae, ut nobis gratificeris, adsunt aliae quoque non parvae, et non contemnendae occasiones, per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatem. Nam et Palaestini, qui male sunt affecti a Samaritanis, et quorum magnae quidem praedae sunt abactae, multa vero aedificia et divina templa, et mancipia praeterea et greges, frumentumque et alios fructus viderunt exuri ante oculos, et nunc non habent, undenam sibi victum quotidianum comparent: supplices petunt aliquam ad tempus immunitatem, ut se parum recreent ac reficiant, et rursus possint sufficere annuis solvendis muneribus: et qui ad adorandum

vivificum Sepulcrum veniunt in sanctam civitatem, ipsi tecto opus habent, ut se parum recreent a labore itineris : et maxime si quis eorum aliquando in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationem. Quin etiam quod a Patriarcha Elia prius coeptum est aedificari Deiparae Virgini templum, multis adhuc indiget, nec satis est instructum ornamentis : et quae sunt meis constructa manibus monasteria, cum nullum in propinquo habeant praesidium, in quod se recipiant, nullo negotio capi possunt ab inimicis, et prima incursione venire possunt in manus hostium. Ante omnia autem, Arrii, Nestorii et Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate : et ideo a tua potentia magnum est adhibendum studium, ut omnibus viribus ea tollas de medio, et tantum malum procul expellas. Haec si feceris, bonam spem concipio, et in Deo confido, fore ut mox dives sequatur remuneratio, Romaque universa et Carthago, et quaecumque amiserunt, qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui imperii. » Ei fuerunt hae quidem piae et in commune utiles beati Sabae petitiones apud Justinianum....

§ **63**. Imperator ergo tanto studio affectus adversus hujus viri petitiones, per universum orbem terrae mittit decretum; et statim Episcopis, Antonio Ascalonitano, et Zachariae Pellae, litteris praecipit Imperatoriis, ut visant loca Palaestinae, quae fuerunt exusta a Samaritanis, et habita ratione eorum, tributa allevent. Visant autem templa quoque Sanctorum, et quantum ipsa damnum acceperint a scelerata et audaci manu Samaritanorum, per illorum ipsorum facultates, aut publicas reparent pecunias, et in sancta civitate extruant nosocomium, et annuos ei dent redditus mille octingentorum et quinquaginta aureorum. Quin etiam aliam quoque domum, ut in ea habitarent, qui procul illuc veniebant, et Deiparae templum eleganter extruant et exornent, et praesidium prope Lauram muniant, ut in inimicorum insultibus esset tutum monachis refugium. Praeter haec vero nominatim quoque declaratas haereses tollant de medio, et praeclaro subjiciant anathemati. De his autem fere omnibus Procopius quoque Caesareensis in quinto libro de Justiniani aedificiis, ab eo constructis, haec sigillatim refert, ipsumque constructum Deiparae templum accurate exponens, ejusque pulcritudinem et magnitudinem nulli dicens esse similem, et id novam vocari ecclesiam : cum Cyrillo conveniens, qui sancti Sabae vitam conscripsit ab initio. Praeterea autem de duabus quoque aedibus constructis illi suffragatur : quarum una quidem est ad excipiendos hospites : altera vero ad recreandos eos qui morbo affliguntur. Quin etiam illic constitutos multos pecuniae redditus, et templorum renovationes, quae exusta fuerant a Samaritanis, et propter inimicorum incursiones extructum praesidium, ei congruenter persequitur.

§ **64**. Cum has ergo constitutiones beatus Sabas ab Imperatore

accepisset in litteris et recessisset Constantinopoli, venit * Jerosolyma. Cum autem illuc venisset, et magistratibus tradidisset litteras, quas habebat imperatorias, illinc venit Scythopolim, ubique praedicans decreta Imperatoris, docens civitates, componensque et instruens ad fidem orthodoxam. Deinde eos quoque, qui gravia illa passi fuerant a Samaritanis, et aliis modis recreans, et tributorum immunitate consolans. Jeremias autem monachus, cujus jam feci mentionem, cum nescio quo pusillo et abjecto animo motus, a Laura maxima recessisset, in quodam deserto torrente statuit habitare, qui quinque stadiis aberat a spelunca boreali. Cum illic vero fuisset magnus Sabas, et locum vidisset valde aptum, ut qui in rebus honestis non soleret cunctari, parvam quamdam aram et oratorium, et diversas cellas intra paucos dies aedificat: et statuens, ut quidam monachi eas habitarent, eorum curam tradit Jeremiae: et sic Dei gratia fuit locus in Lauram constructus, quae floret usque in hodiernum diem, Jeremiae sortita appellationem. Cum Scythopoli autem, ut diximus, esset sanctus, ad eum accedunt Cyrilli parentes, qui fuerant olim sancto noti, et ei legibus amicitiae conjuncti, qui ei commendant Cyrillum adhuc valde juvenem: et efficiunt, ut ab eo impertiatur puer benedictione. Hic est vero Cyrillus, qui magni Sabae vitam nobis conscriptam tradidit. Dicit ergo ille ipse Cyrillus: « Cum me, inquit, magnus Sabas adspexisset, et salutasset, et sua dignatus esset benedictione: » — « Hic exhinc, inquit patri, est meus discipulus. Doceatur ergo psalterium: eo enim opus habeo. » Sed enim redeundum est, unde digressi sumus.

§ 65. Postquam vero haec recte gesta fuissent a magno Saba, reversus Jerosolyma, adoratis sanctis Locis, et iis dictis, quae quodammodo dici solent in exitu, venit ad maximam suam Lauram. In qua cum parum esset moratus, morbus quidam ingruens, illum vere fortem adamantem lecto tradit. Quod quidem cum significatum fuisset Patriarchae, repente venit ad illum visendum. Cum vero venisset, et sic vidisset eum in cella jacentem, egenum rerum omnium necessariarum, quando oportet ea etiam suppetere, quae redundant, et circa corpus omnem excogitare curationem, utpote quod et morbus et senectus et longi labores possint vehementer cruciare: supplex ab eo contendit, ut exportetur ad sibi subjectam ecclesiam, ut possit illic frui aliquo ex iis, quae pertinent ad remissionem ac recreationem. Ille autem Patriarchae reveritus supplicationem, et illuc exportatus, jacebat cum ipso morbo luctans, et ab eo similiter confectus. Cum vero aliquantum temporis intercessisset, ad eum divina quaedam advenit visio, significans illius hinc futurum excessum. Statim ergo reportatus in cellam, cum ultima verba dixisset fratribus, et postremum eis dedisset osculum, et cuidam Melitae illorum

* Anno 530.

commisisset praefecturam, viro idoneo cui id crederetur, a terrenis migrat ad coelestia, suam animam in manu Dei deponens, jam natus nonagesimumquartum annum. Erat vero quintus dies Decembris, quo mortuus est vir ille inclytus, et ad vitam quae illic est, migravit, comitatus ab angelis et martyribus.

§ **66**. Cum ergo mors Sancti, brevi tempore in omnem partem pervasisset, concurrit quidem ad sacrum illius corpus multitudo innumerabilis. Concurrit autem universus quoque ordo monachorum, et quicumque erant Episcopi: qui cum quo par erat ornatu corpus composuissent, hymnos et cantica ei de more canentes, pie admodum et sancte inter duas ecclesias in media Laura deponunt: ubi cum ille esset superstes, vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabae, et ejus tam admiranda, et quae naturam superabant rectefacta.

# VITA S. NICOLAI MYRENSIS EPISC.

E GRAECIS IDONEIS AUCTORIBUS, PRAESERTIM SIMEONE METAPHRASTE, COLLECTA ET CONSCRIPTA PER LEONARDUM JUSTINIANUM PATRITIUM VENETUM, FRATREM S. LAURENTII JUSTINIANI VENETORUM PATRIARCHAE. HABETUR IN I TOMO ALOYSII LIPOMANI *.

BHL 6128

**Floruit sec. IV — Asianus.**

§ **1**. Pàtaram ** rerum scriptores tradunt, urbem fuisse in terra Lycia nobilem inter primas; eique si caetera defuissent ornamenta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sane vel hoc uno nobilitari praecipue, quod magnum Nicolaum Myrarum Episcopum tulit, virum profecto, quem in Republica Christiana nemo prope sanctorum omnium in omni virtutum laude facile anteiret. Nam Patarae natum *** illum constat, et claro quidem genere. Mater ejus foemina fuit sanctissima, atque gravis; patri vero non tam vitae splendor, quam integritas; non tam populi, quam Dei cultus; non tam divitiae, quam eleemosyna, fuerunt in pretio. Mundi itaque relictis illecebris, nullum erat illis, nisi bonarum actionum studium, atque voluptas. Sic itaque parentum diligentia omnis, studia et voluptates, in hunc unum divine ornandum instituendumque sunt collectae, ut quem carnaliter genuerant,

* Surius monet Auctoris Praefationem, brevitatis studio, omisisse: nos quoque, eadem causa, quaedam, ut solemus, praetermittemus. Hic porro adnotare oportet, hanc, caeterasque S. Nicolai Historias, quae habentur, non leviter criticos offendere.

** Hodie *Patera*. Olim et *Arsinoe* vocabatur; habebatque, ad litus jacens, delubrum et oraculum Apollinis, Delphico simile.

*** Quo anno, prorsus incertum.

spiritualiter educandum, et omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

§ 2. Infantem autem hunc quis dubitet, in ipso statim nativitatis exordio, divino fuisse numine afflatum, sanctificatumque, qui non prius vivere, quam Deum venerari, non prius comedere, quam jejunare coepit? Compertum enim habemus, illum, cum reliquos dies, noctesque omnes, nutricis ubera sugeret crebro, quarta tamen, sextaque feria nisi semel dumtaxat, et id vesperi quidem, lac voluisse gustare. Atque hoc semper certo, immotoque servavit ordine, ut nullis posset blanditiis, nullo nutricis lenocinio, nulla naturae necessitate a jejunio coepto deflecti. Quamobrem vel improbum quemque bonarum rerum interpretem plane fateri oporteat, non fortuitu illud, aut intemperie stomachi factum esse, sed quasi consulto, et Dei afflante spiritu. O miraculum singulare, et inter rara omnium seculorum spectacula per Ecclesias merito decantatum, et dignum vivendi principium, cui tam excellens vita succederet: quandoquidem crescentibus annis, debebat ejus quoque virtutibus, tum naturâ, tum studio et gratia patris, fieri accessio admiranda !

§ 3. Postea enim, quam e pueritia excessisset, castissimos mores, et disciplinam ab optimis acceptam parentibus, in melius redigens, ipse quoque suapte natura et ingenio non desinebat, velut generosa quaedam et fertilis gleba, novos quotidie honestatis et pietatis fructus edere. Inde aetate poscente, ad capiendum animi cultum, traditur studio litterarum. Ubi tum ingenii magnitudine, tum velocitate discendi, brevi admodum aevo multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus, ab omni humanae laudis cura abhorrebat. Aequalium vero sodalitates, convivia, consuetudines vitabat omnino, quia in illis cerneret sicut festivitatis multum, ita plurimum esse intemperantiae atque periculi. Mulierum non modo colloquia, verumetiam conspectum, tamquam juvenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totum se honestati pudicitiaeque addixit. Libidinum vero et carnis incendia, quibus aestuare plerumque omnes adolescentes solent, quotidiani labores, jejunia, vigiliae extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi servitium contulisse. Schola illi erat ac diversorium, Dei templum, ut se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox et pèrdius habitaret. Neque bonarum disciplinarum studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat. In quibus tantum excelluit, quantum magno futuro Antistiti opus erat. Sed quo vita recta doctrinis omnibus longe maxime praestabilior est, eo plus in componendis formandisque moribus navabat operae ac laboris, quo juvenilis, fluctuantisque aetatis inconstantiam senili quadam firmaret gravitate. Quem enim ad modum non illud senium laudamus, in

quo non emineat par senio et annis modestia: sic etiam solemus jucunde admirari, multaque laude dignam existimare adolescentiam, quae plane didicerit ejus aetatis compescere motus, et senectutis gravitatem ac modestiam retinere. Est enim sicut juventus in sene turpis, ita pulcherrrima quidem in adolescente senectus.

§ 4. Habuit autem Nicolaus avunculum, nomine Nicolaum, a quo hunc nostrum arbitror id nominis usurpasse. Is cum nepotem animadverteret religioni et sanctimoniae deditum, mundo se penitus abdicasse, parentes hortatur, ut adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant. Illi in sententiam venere faciles. Igitur factus sacerdos, morum et vitae severitatem pariter cum dignitate augendam putavit, naturae sapientiam imitatus, quae arbores ipsas, quo se celsius in coelum tollunt, eo altius demissis in terram radicibus, firmiores reddit. Sacerdotii autem quis dubitet solidissimas esse radices, integritatem vitae, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquasque virtutes id genus, quibus potissimum propius ad Deum acceditur? Itaque corpori suo bellum indicit, non quod illud necaret, aut contereret, sed quod domitum et omni petulantia exutum, redigeret in servitutem. Igitur somno, et quotidiano cibo, quantum ratio permittebat, detrahit, jejuniis, nocturnisque vigiliis solito plus indulgens, vino parcissimo utebatur, saepius aquâ sola contentus. Veste si non sordida, ut hypocrita et vanus ostentator, nullo tamen conspicua luxu deinceps est usus. Crebrior illi fuit ad delubra aditus. Nulla penitus, nisi sacrarum litterarum, lectio. In vultu et gestu modestia major. Sermo rarior, et gravis quidem, et qui nihil haberet inanitatis et fuci: ut his praeditus ornamentis, videretur in corpore mortali immortalium vitam degere.

§ 5. Per id autem temporis Nicolaus avunculus templum nobile, sub sacrae Sion nomine struit, eique pari dignitate monasterium addit. Cui cum de praeficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, visum est, id negotii nepotis curae sapientiaeque committere, tum ut admirabiles ejus virtutes usu et exercitatione vegetiores redderet, tum quia nemo erat in promptu, qui rem illam aut sapientius, aut sanctius, aut diligentius gubernaret. Nepotem itaque praefecit, eique plurimos praestantes adjungit monachos, ut velut in re militari, et Imperatorem exercitus, et exercitum Imperator pari virtutum cultu et voluntate haberet. Hoc itaque munus ita Nicolaus administravit, ut dignitatem monasterii gubernatoris praestantia facile superaret. In eoque perstitit, quoad ipse visendorum sacrorum locorum gratia in Palaestinam est profectus. Quod iter paulo post plusculis attingemus. Sed me jam video de narrationis semita declinasse. Prius enim, quam de monasterio dicerem, erat de parentum interitu, et haereditatis distributione dicendum. Quem locum nunc paucis absolvamus. Parentes ejus in illius pestilentiae vastitate, quae

Lyciam ea tempestate depopulata est, intra triduum morientes, haeredem illum testamento instituunt. Quorum mortem omni officio ac pietate ita est prosecutus, ut nihil omitteret, quod ab amantissimo filio parentibus optimis praestari par sit. Haereditatem igitur adiens, et non tam possessorem se, quam haereditatis dispensatorem relictum intelligens, coepit, non quomodo patrimonium augeret (id quod plerique omnes mortales factitant), cogitare, sed quo pacto patrimonium seminando, uberiorem sibi frugem in coelo colligeret. Quid enim aliud agat vir constans et sapiens, qui ab ineunte aetate funditus ex animo terrenas ejecerat cupiditates, nisi ut duriore jam aetate contemnat, quod teneris annis animo magno et excelso contempserit, ne vitae praeclara exordia a succedentis aetatis actionibus dissentirent? Itaque non ad congregandas divitias, sed ad congestas dispertiendas, animum appulit, ut nil aliud patula manus, quam egenum et pauperem cogitaret. Caeterum quemadmodum tellus ipsa omnium longe liberalissima, herbis, frugibus, arboribusve sic alimenta atque vitae praesidia porrigit, ut nemo quidem omnino id sentiat, ita noster hic egenorum alumnus, clam quidem, et nullo sciente mortalium, misericordiam suam incredibili studio in pauperes exercebat. Cujus reliquas eleemosynas intelligemus facilius, si hoc unum e pluribus celebre illius factum subjiciemus.

§ 6. Fuit Pàtarae vir genere nobili, qui (ut fert humanae felicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum, a divitiis in egestatem deciderat. Ei erant tres filiae, corporis formaeque venustate, et morum elegantia longe praestantes virgines omnes, et quarum aetas (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagitaret. Has inops pater, omni rerum egestate calcatus, non modo viro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat: neque spes ulla miserum hominem solabatur, qua quotidie crescentis inopiae vim perferret. Heu rem dictu foedam, heu quo mortalium mentes insuperabilis vis egestatis impellit! Tetrum, atrox, immane facinus patrem (paternae pietatis memorem ne, an immemorem potius dixerim?) exagitat filiarum decus, ac pudicitiam deserentem, ut natis esurientibus non deesset. Coepit enim de illarum virginitate alienae prostituenda libidini cogitare, ut turpissimo et flagitioso quaestu vitam pereuntis familiae tueretur. Jam vesana fames reluctantem patris animum aegre perfregerat. Jam crudele, et humanis indignum luminibus, spectaculum parabatur. Quid enim tam validum est, tamque munitum, quod necessitas non prosternat? Sed affuit de coelo miserator Dominus, qui escam daret timentibus se; qui patris in filias invitam crudelitatem non pateretur; qui virginum castissimas lacrymas miseratus, a tam foetido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies, dulcissime Deus, universae misericordiae pater et fons, aut quo ministro auxilium tuum oppressae familiae porriges? Angelum profecto tute tibi

et alios quidem ex eis, suasionibus et admonitionibus, alios autem etiam reprehensionibus revocans: et omnes perfundens suavi melle suae doctrinae, et optime inducens ad fidem orthodoxam...

§ **58**. Atque sic quidem Sabae animae divina quaedam insidebat gratia, quaecumque ipse petiisset, operans admirabiliter; et corpus quidem semper habebat cedens ejus voluntati, ut neque defatigaretur laborum assiduitate, neque voluptate rursus remitteretur. Nam toto quidem tempore jejuniorum permanebat jejunus. Solebat autem semel tantum vesci in hebdomada. Si vero aliquando ab aliquo vocatus esset ad coenam, aut ipse rursus aliquos convivio exciperet, bis saepe vescens in die, nihil damni ac detrimenti sentiebat stomachus. Deinde postquam rediisset Scythopoli, admodum jucundus autem et optatus apparens Joanni Jerosolymitano Pontifici (quod intercesserat enim tempus, auxerat desiderium, ut solet amicorum), ab ipso vocatus esset ad convivium, quoniam una etiam aderat Antonius Episcopus Ascalonitanus, qui erat frater Archiepiscopi, cum illi Sabam medium intercepissent, illi amice propinabant, et pro viribus eum invitabant et accipiebant. Sed neque rursus sancto erant manus otiosae: sed ut par erat, remota omni fictione et simulatione, vescebatur appositis. Aderat autem sanctus quoque Theodosius, qui erat ei valde amicus et familiaris, ut jam a me saepe dictum est, qui cum veluti quoddam condimentum, vellet mensae speciosam aliquam et gratam injicere orationem, urbane admodum et lepide inferens, dixit sanctum Sabam ita exurire, ut ne vos quidem ambo, ajebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palaestinam, possitis ejus ventrem alere ad satietatem. Tale et tam validum ac robustum corpus beati Sabae generosae contigerat animae. Erat autem summâ modestiâ praeditus, et moribus lenis ac facilis. Et ad eum quidem conveniendum facilis patebat aditus: erat vero in sermone jucundus, et moribus quidem simplicissimus: prudentia autem constantissimus, charitatem non fictam et sinceram apud omnes conservans. Erat vero valde affectus in Theodosium, adeo ut quotidie ad se invicem ventitarent, et inter se de virtute conferrent, et essent ambo instar luminarium omnibus, qui vitam amplectebantur monasticam. Sed ille quidem eorum, qui vitam exercebant communem: hic autem, Sabas, inquam, eorum qui a congressione separatam et quietam, susceperat praefecturam. Dicitur certe, beatum Sabam urbane saepe dixisse sancto Theodosio, illum quidem puerorum, se autem esse praefectum praefectorum.

§ **59**. Cum autem multum temporis intercessisset, et magno Sabae ad octoginta et sex annos aetas provecta esset, decedit quidem Joannes, relicto successore Petro, viro virtute insigni. Tertio autem deinceps anno Imperator quoque Justinus valde jam

provectae aetatis, et alioqui oppressus morbo corporis, cum ad administrandam rempublicam non amplius sufficeret, deponit imperium, Justiniano patruele suo constituto pro se Imperatore, qui erat patritius, consul et dux exercitus, et qui jam fortiter rempublicam gerere erat aggressus. Sed de Justiniano * quidem dicere interim differamus: immoremur autem in iis, quae admirabiliter a sancto Saba facta sunt in Petrum successorem Joannis: quae quidem velim nolim ad se trahunt orationem, et sunt aliis longe jucundiora et gratiora. Nam is quidem veniebat assidue in solitudinem ad beatum Sabam, et eamdem in eum servabat reverentiam, quam priores Patriarchae. Interim vero cum morbus invasisset sororem (erat enim ei soror nomine Hesychia, non vulgaris virtutis), et cum omnis ars medicorum abjecisset spem ejus curationis, ipse non minus, quam illa, animi moerore confectus, et nullum inveniens medicamentum calamitatis, ad beatum Sabam statuit confugere, ut videret an aliquam assequeretur clementiam. Ipse autem cum accessisset ad aegrotantem morbo incurabili, et ter manu fecisset signum Crucis, non differendo, sed continuo eam sanam reddidit fratri. Talem ergo Episcopus invenit remunerationem sui in Sabam honoris.

§ **60**. Cum jam autem imperium assumpsisset Justinianus, et rerum suscepisset administrationem, agebat quidem beatus Sabas nonagesimum et unum annum: finem vero vitae acceperat beatus Theodosius: qui in Palaestina quidem erat populus Samaritanorum, cum Julianum quendam, qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi regem creassent, multas injurias faciebant Christianis, ecclesias depopulantes et exurentes, Christianos afficientes suppliciis innumerabilibus, et deinde etiam occidentes: et in vicos finitimos facientes incursiones, et capsas Sanctorum rumpentes, et igni mandantes. Quae quidem maxime fecerunt in locis, quae erant circa Neapolim: ut qui Episcopum quidem gladio interemerint; quosdam autem presbyteros comprehenderint; et primum quidem membratim et frustatim eos dissecuerint, et deinde eos cum Martyrum reliquiis frixerint in sartagine, et nulli probro et contumeliae parserint in Christianos. Haec postquam renunciata fuerunt Imperatori, adversus illos magnas emittit copias: quae cum eis manus confligentes, et multos alios interimunt, et ipsum etiam Julianum. A quibus Sylvanus quoque tunc Scythopoli comprehensus, in ignem injicitur, et ita acerbum accipit vitae exitum, vir qui multis probris et contumeliis affecerat Christianos, et ideo, ut arbitror, pulcre ad hoc a divina reservatus erat justitia, ut sic lueret supplicium sufficiens, et finem acciperet: quod

* Is, quum annum quartum et quadragesimum ageret, imperare coepit. Veterem Romanii imperii gloriam mirum in modum restituit, ampliavitque, Persos, Gothos, Vandalos debellavit. Leges antea innumeras in 4 Digestorum libros contraxit. Institutionum libros quatuor edidit. Codicem vulgavit. Ejusdem virtutes deturpavere avaritia, et favor erga Eutychianos. Vitam suam explevit anno 565.

non multis ante diebus de ipso dictum fuerat a Saba. Deinde quidam ex ejus comitibus, nomine Arsenius, illustris dignitate, ad falsa fingenda, et confundendam veritatem omnium callidissimus. Is cum post tetrum Juliani interitum venisset Constantinopolim, et accessisset ad Imperatorem, et cum ipso et ejus conjuge, nescio unde, ei magna intercessisset familiaritas, multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit adversus Christianos, qui erant in Palaestina, dicens eos vel maxime fuisse auctores et causas seditionis Samaritanorum, et dignos gravissimo supplicio.

§ **61**. Haec postquam in Palaestina renunciata fuere Patriarchae, eum statim subit misericordia eorum, qui falso accusabantur; et accedens ad beatum Sabam, eum vehementer rogavit, ut abiret et fungeretur legatione apud Imperatorem, et excogitatam refelleret calumniam, et Christianos liberaret a tantis periculis, nihil aliud futuros, nisi diaboli linguae trophaeum et improbitatis. Ille autem paruit, et nullo interjecto spatio, iter statim arripuit: eratque revera praeter fidem id, quod cernebatur, nempe hominem, qui in tam imbecilla lababat senectute, et quem par erat in lecto se quieti dedere, citra moram tantum iter inire, minime cedentem, neque senile quippiam aut languidum, remissumve sustinentem: sed perinde atque aetate adhuc vigentem, et magnam corporis imbecillitatem vincentem copia prompti et alacris animi. Cum jam autem pervenisset ad suburbia Constantinopolis, Imperatori quidem significatur adventus: et ipse statim mittit unum ex juvenibus Imperatoriis, et quosdam ex suis satellitibus, adventum illius maxime honorans. Deinde eo, quo par erat, comitatu stipatus, Sabas ad ipsum deducitur. Deinde Patriarcham quoque Epiphanium, et quicquid erat apud se clarum et illustre, emittit, ut ei procederent obviam. Neque enim terrenum et mundanum aliquem, sed tamquam unum ex angelis, et civem supernae Jerusalem se censebat accipere. Quem postquam adhuc procul procedentem agnovit Imperator, ille quoque cernebat aliquid simile ei, quod viderat Anastasius. Videbat enim quamdam coronam ejus capiti impositam, eleganti quodam splendore decoratam, et micantem luce omnis generis gratiarum. Visione ergo Rex obstupefactus, e cathedra surrexit, et sacrum illud caput reverenter et jucunde est complexus. Deinde cum ille ab eo accepisset benedictionem, oravit ut sua quoque conjux esset ejus particeps. Cum ea autem adfuisset, adoravit et rogavit, ut solveretur vitium ejus matricis (erat enim petra sterilior), et ut ex se natum posset videre filium: quod quidem illa pluris faciebat, quam ipsum imperium. Ille autem ad haec tacens, solum illi precabatur, ut sospes et salva esset ejus potentia. Illa vero rursus instabat, petens preces liberorum procreationis. Ille autem pergebat easdem rursus preces dicere, et aperte prae se ferebat se recusare petere, ne ipsa fieret mater filiorum. Ubi vero cum illa hoc saepe petiisset,

ipse nihilo magis annuit orationi, neque edidit preces convenientes ejus desiderio, tandem abiit Imperatrix magna affecta tristitia, quod id quod volebat, non esset assecuta. Deinde cum qui in preces incidissent, et maxime quicumque solent principum gratificari cupiditati, etiamsi sint inutiles et nihil justi habeant, eum criminarentur, quod preces recusasset, et dicerent id, quod Imperatricem majori molestia afficeret, ille aegre ferens, causam aperte protulit: « Sinite, dicens, o beati. Non enim sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi dogmata, et deteriores, quam prius ab Anastasio, tumultus Dei conturbent Ecclesiam. »

§ 62. Imperator autem Justinianus in sanctum tantam ostendit pietatem et reverentiam, ut cum eum convenisset, non solum remiserit iram, quam jam olim conceperat adversus Christianos qui erant in Palaestina, sed etiam Samaritanos plene expulerit e civitate, et eorum synagogas deinceps prohibuerit: et de illis hanc legem tulerit, ne essent alter alterius haeredes, ne per successionem opes eorum crescerent et amplificarentur. Quin etiam ut interficerentur, quicumque eorum fuissent auctores seditionis. Quamobrem timore affectus Arsenius, qui erat ipse quoque unus ex Samaritanis, cum humano, metu quoque divino concurrente, supplex a Saba contendit, ut ab ipso baptismum accipiat: et tam piam impetrat petitionem. Sed haec quidem postea. Imperator autem cum talem sanxisset legem adversus Samaritanos, et sic ea propter quae venerat, sancto esset gratificatus, non hucusque sistit promptum et alacrem animum: sed se extremum damnum accipere existimabat, si non eum regalibus et splendidis afficeret beneficiis, et fidei esse abundantiam ostenderet suam in eum munificentiam. Cum eo certe assidue colloquens, et eum honorans, sicut prius Anastasius, vehementer instabat, ut aliquod pecuniae vectigal subjectis ei monachis constitueret. Ille autem: « Vectigalium quidem, inquit, et pecuniae, quantum satis est ad usos necessarios, ille nobis providebit, qui populum non obedientem copiose aliquando aluit in deserto, et aquam eduxit e petra: et qui non solum necessaria, sed etiam saepe quae redundant, suppeditat. Tibi autem, o Imperator, si tantae est curae, ut nobis gratificeris, adsunt aliae quoque non parvae, et non contemnendae occasiones, per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatem. Nam et Palaestini, qui male sunt affecti a Samaritanis, et quorum magnae quidem praedae sunt abactae, multa vero aedificia et divina templa, et mancipia praeterea et greges, frumentumque et alios fructus viderunt exuri ante oculos, et nunc non habent, undenam sibi victum quotidianum comparent: supplices petunt aliquam ad tempus immunitatem, ut se parum recreent ac reficiant, et rursus possint sufficere annuis solvendis muneribus: et qui ad adorandum

vivificum Sepulcrum veniunt in sanctam civitatem, ipsi tecto opus habent, ut se parum recreent a labore itineris : et maxime si quis eorum aliquando in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationem. Quin etiam quod a Patriarcha Elia prius coeptum est aedificari Deiparae Virgini templum, multis adhuc indiget, nec satis est instructum ornamentis : et quae sunt meis constructa manibus monasteria, cum nullum in propinquo habeant praesidium, in quod se recipiant, nullo negotio capi possunt ab inimicis, et prima incursione venire possunt in manus hostium. Ante omnia autem, Arrii, Nestorii et Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate : et ideo a tua potentia magnum est adhibendum studium, ut omnibus viribus ea tollas de medio, et tantum malum procul expellas. Haec si feceris, bonam spem concipio, et in Deo confido, fore ut mox dives sequatur remuneratio, Romaque universa et Carthago, et quaecumque amiserunt, qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui imperii. » Ei fuerunt hae quidem piae et in commune utiles beati Sabae petitiones apud Justinianum....

§ **63**. Imperator ergo tanto studio affectus adversus hujus viri petitiones, per universum orbem terrae mittit decretum; et statim Episcopis, Antonio Ascalonitano, et Zachariae Pellae, litteris praecipit Imperatoriis, ut visant loca Palaestinae, quae fuerunt exusta a Samaritanis, et habita ratione eorum, tributa allevent. Visant autem templa quoque Sanctorum, et quantum ipsa damnum acceperint a scelerata et audaci manu Samaritanorum, per illorum ipsorum facultates, aut publicas reparent pecunias, et in sancta civitate extruant nosocomium, et annuos ei dent redditus mille octingentorum et quinquaginta aureorum. Quin etiam aliam quoque domum, ut in ea habitarent, qui procul illuc veniebant, et Deiparae templum eleganter extruant et exornent, et praesidium prope Lauram muniant, ut in inimicorum insultibus esset tutum monachis refugium. Praeter haec vero nominatim quoque declaratas haereses tollant de medio, et praeclaro subjiciant anathemati. De his autem fere omnibus Procopius quoque Caesareensis in quinto libro de Justiniani aedificiis, ab eo constructis, haec sigillatim refert, ipsumque constructum Deiparae templum accurate exponens, ejusque pulcritudinem et magnitudinem nulli dicens esse similem, et id novam vocari ecclesiam : cum Cyrillo conveniens, qui sancti Sabae vitam conscripsit ab initio. Praeterea autem de duabus quoque aedibus constructis illi suffragatur : quarum una quidem est ad excipiendos hospites : altera vero ad recreandos eos qui morbo affliguntur. Quin etiam illic constitutos multos pecuniae redditus, et templorum renovationes, quae exusta fuerant a Samaritanis, et propter inimicorum incursiones extructum praesidium, ei congruenter persequitur.

§ **64**. Cum has ergo constitutiones beatus Sabas ab Imperatore

accepisset in litteris et recessisset Constantinopoli, venit * Jerosolyma. Cum autem illuc venisset, et magistratibus tradidisset litteras, quas habebat imperatorias, illinc venit Scythopolim, ubique praedicans decreta Imperatoris, docens civitates, componensque et instruens ad fidem orthodoxam. Deinde eos quoque, qui gravia illa passi fuerant a Samaritanis, et aliis modis recreans, et tributorum immunitate consolans. Jeremias autem monachus, cujus jam feci mentionem, cum nescio quo pusillo et abjecto animo motus, a Laura maxima recessisset, in quodam deserto torrente statuit habitare, qui quinque stadiis aberat a spelunca boreali. Cum illic vero fuisset magnus Sabas, et locum vidisset valde aptum, ut qui in rebus honestis non soleret cunctari, parvam quamdam aram et oratorium, et diversas cellas intra paucos dies aedificat: et statuens, ut quidam monachi eas habitarent, eorum curam tradit Jeremiae: et sic Dei gratia fuit locus in Lauram constructus, quae floret usque in hodiernum diem, Jeremiae sortita appellationem. Cum Scythopoli autem, ut diximus, esset sanctus, ad eum accedunt Cyrilli parentes, qui fuerant olim sancto noti, et ei legibus amicitiae conjuncti, qui ei commendant Cyrillum adhuc valde juvenem: et efficiunt, ut ab eo impertiatur puer benedictione. Hic est vero Cyrillus, qui magni Sabae vitam nobis conscriptam tradidit. Dicit ergo ille ipse Cyrillus: « Cum me, inquit, magnus Sabas adspexisset, et salutasset, et sua dignatus esset benedictione: » — « Hic exhinc, inquit patri, est meus discipulus. Doceatur ergo psalterium: eo enim opus habeo. » Sed enim redeundum est, unde digressi sumus.

§ 65. Postquam vero haec recte gesta fuissent a magno Saba, reversus Jerosolyma, adoratis sanctis Locis, et iis dictis, quae quodammodo dici solent in exitu, venit ad maximam suam Lauram. In qua cum parum esset moratus, morbus quidam ingruens, illum vere fortem adamantem lecto tradit. Quod quidem cum significatum fuisset Patriarchae, repente venit ad illum visendum. Cum vero venisset, et sic vidisset eum in cella jacentem, egenum rerum omnium necessariarum, quando oportet ea etiam suppetere, quae redundant, et circa corpus omnem excogitare curationem, utpote quod et morbus et senectus et longi labores possint vehementer cruciare: supplex ab eo contendit, ut exportetur ad sibi subjectam ecclesiam, ut possit illic frui aliquo ex iis, quae pertinent ad remissionem ac recreationem. Ille autem Patriarchae reveritus supplicationem, et illuc exportatus, jacebat cum ipso morbo luctans, et ab eo similiter confectus. Cum vero aliquantum temporis intercessisset, ad eum divina quaedam advenit visio, significans illius hinc futurum excessum. Statim ergo reportatus in cellam, cum ultima verba dixisset fratribus, et postremum eis dedisset osculum, et cuidam Melitae illorum

* Anno 530.

commisisset praefecturam, viro idoneo cui id crederetur, a terrenis migrat ad coelestia, suam animam in manu Dei deponens, jam natus nonagesimumquartum annum. Erat vero quintus dies Decembris, quo mortuus est vir ille inclytus, et ad vitam quae illic est, migravit, comitatus ab angelis et martyribus.

§ 66. Cum ergo mors Sancti, brevi tempore in omnem partem pervasisset, concurrit quidem ad sacrum illius corpus multitudo innumerabilis. Concurrit autem universus quoque ordo monachorum, et quicumque erant Episcopi: qui cum quo par erat ornatu corpus composuissent, hymnos et cantica ei de more canentes, pie admodum et sancte inter duas ecclesias in media Laura deponunt: ubi cum ille esset superstes, vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabae, et ejus tam admiranda, et quae naturam superabant rectefacta.

# VITA S. NICOLAI MYRENSIS EPISC.

E GRAECIS IDONEIS AUCTORIBUS, PRAESERTIM SIMEONE METAPHRASTE, COLLECTA ET CONSCRIPTA PER LEONARDUM JUSTINIANUM PATRITIUM VENETUM, FRATREM S. LAURENTII JUSTINIANI VENETORUM PATRIARCHAE. HABETUR IN I TOMO ALOYSII LIPOMANI *.

BHL 6128

**Floruit sec. IV — Asianus.**

§ 1. Pàtaram ** rerum scriptores tradunt, urbem fuisse in terra Lycia nobilem inter primas; eique si caetera defuissent ornamenta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sane vel hoc uno nobilitari praecipue, quod magnum Nicolaum Myrarum Episcopum tulit, virum profecto, quem in Republica Christiana nemo prope sanctorum omnium in omni virtutum laude facile anteiret. Nam Patarae natum *** illum constat, et claro quidem genere. Mater ejus foemina fuit sanctissima, atque gravis; patri vero non tam vitae splendor, quam integritas; non tam populi, quam Dei cultus; non tam divitiae, quam eleemosyna, fuerunt in pretio. Mundi itaque relictis illecebris, nullum erat illis, nisi bonarum actionum studium, atque voluptas. Sic itaque parentum diligentia omnis, studia et voluptates, in hunc unum divine ornandum instituendumque sunt collectae, ut quem carnaliter genuerant,

* Surius monet Auctoris Praefationem, brevitatis studio, omisisse: nos quoque, eadem causa, quaedam, ut solemus, praetermittemus. Hic porro adnotare oportet, hanc, caeterasque S. Nicolai Historias, quae habentur, non leviter criticos offendere.

** Hodie *Patera*. Olim et *Arsinoe* vocabatur; habebatque, ad litus jacens, delubrum et oraculum Apollinis, Delphico simile.

*** Quo anno, prorsus incertum.

spiritualiter educandum, et omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

§ 2. Infantem autem hunc quis dubitet, in ipso statim nativitatis exordio, divino fuisse numine afflatum, sanctificatumque, qui non prius vivere, quam Deum venerari, non prius comedere, quam jejunare coepit? Compertum enim habemus, illum, cum reliquos dies, noctesque omnes, nutricis ubera sugeret crebro, quarta tamen, sextaque feria nisi semel dumtaxat, et id vesperi quidem, lac voluisse gustare. Atque hoc semper certo, immotoque servavit ordine, ut nullis posset blanditiis, nullo nutricis lenocinio, nulla naturae necessitate a jejunio coepto deflecti. Quamobrem vel improbum quemque bonarum rerum interpretem plane fateri oporteat, non fortuitu illud, aut intemperie stomachi factum esse, sed quasi consulto, et Dei afflante spiritu. O miraculum singulare, et inter rara omnium seculorum spectacula per Ecclesias merito decantatum, et dignum vivendi principium, cui tam excellens vita succederet: quandoquidem crescentibus annis, debebat ejus quoque virtutibus, tum naturâ, tum studio et gratia patris, fieri accessio admiranda!

§ 3. Postea enim, quam e pueritia excessisset, castissimos mores, et disciplinam ab optimis acceptam parentibus, in melius redigens, ipse quoque suapte natura et ingenio non desinebat, velut generosa quaedam et fertilis gleba, novos quotidie honestatis et pietatis fructus edere. Inde aetate poscente, ad capiendum animi cultum, traditur studio litterarum. Ubi tum ingenii magnitudine, tum velocitate discendi, brevi admodum aevo multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus, ab omni humanae laudis cura abhorrebat. Aequalium vero sodalitates, convivia, consuetudines vitabat omnino, quia in illis cerneret sicut festivitatis multum, ita plurimum esse intemperantiae atque periculi. Mulierum non modo colloquia, verumetiam conspectum, tamquam juvenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totum se honestati pudicitiaeque addixit. Libidinum vero et carnis incendia, quibus aestuare plerumque omnes adolescentes solent, quotidiani labores, jejunia, vigiliae extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi servitium contulisse. Schola illi erat ac diversorium, Dei templum, ut se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox et pèrdius habitaret. Neque bonarum disciplinarum studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat. In quibus tantum excelluit, quantum magno futuro Antistiti opus erat. Sed quo vita recta doctrinis omnibus longe maxime praestabilior est, eo plus in componendis formandisque moribus navabat operae ac laboris, quo juvenilis, fluctuantisque aetatis inconstantiam senili quadam firmaret gravitate. Quem enim ad modum non illud senium laudamus, in

quo non emineat par senio et annis modestia: sic etiam solemus jucunde admirari, multaque laude dignam existimare adolescentiam, quae plane didicerit ejus aetatis compescere motus, et senectutis gravitatem ac modestiam retinere. Est enim sicut juventus in sene turpis, ita pulcherrrima quidem in adolescente senectus.

§ 4. Habuit autem Nicolaus avunculum, nomine Nicolaum, a quo hunc nostrum arbitror id nominis usurpasse. Is cum nepotem animadverteret religioni et sanctimoniae deditum, mundo se penitus abdicasse, parentes hortatur, ut adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant. Illi in sententiam venere faciles. Igitur factus sacerdos, morum et vitae severitatem pariter cum dignitate augendam putavit, naturae sapientiam imitatus, quae arbores ipsas, quo se celsius in coelum tollunt, eo altius demissis in terram radicibus, firmiores reddit. Sacerdotii autem quis dubitet solidissimas esse radices, integritatem vitae, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquasque virtutes id genus, quibus potissimum propius ad Deum acceditur? Itaque corpori suo bellum indicit, non quod illud necaret, aut contereret, sed quod domitum et omni petulantia exutum, redigeret in servitutem. Igitur somno, et quotidiano cibo, quantum ratio permittebat, detrahit, jejuniis, nocturnisque vigiliis solito plus indulgens, vino parcissimo utebatur, saepius aquâ sola contentus. Veste si non sordida, ut hypocrita et vanus ostentator, nullo tamen conspicua luxu deinceps est usus. Crebrior illi fuit ad delubra aditus. Nulla penitus, nisi sacrarum litterarum, lectio. In vultu et gestu modestia major. Sermo rarior, et gravis quidem, et qui nihil haberet inanitatis et fuci: ut his praeditus ornamentis, videretur in corpore mortali immortalium vitam degere.

§ 5. Per id autem temporis Nicolaus avunculus templum nobile, sub sacrae Sion nomine struit, eique pari dignitate monasterium addit. Cui cum de praeficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, visum est, id negotii nepotis curae sapientiaeque committere, tum ut admirabiles ejus virtutes usu et exercitatione vegetiores redderet, tum quia nemo erat in promptu, qui rem illam aut sapientius, aut sanctius, aut diligentius gubernaret. Nepotem itaque praefecit, eique plurimos praestantes adjungit monachos, ut velut in re militari, et Imperatorem exercitus, et exercitum Imperator pari virtutum cultu et voluntate haberet. Hoc itaque munus ita Nicolaus administravit, ut dignitatem monasterii gubernatoris praestantia facile superaret. In eoque perstitit, quoad ipse visendorum sacrorum locorum gratia in Palaestinam est profectus. Quod iter paulo post plusculis attingemus. Sed me jam video de narrationis semita declinasse. Prius enim, quam de monasterio dicerem, erat de parentum interitu, et haereditatis distributione dicendum. Quem locum nunc paucis absolvamus. Parentes ejus in illius pestilentiae vastitate, quae

Lyciam ea tempestate depopulata est, intra triduum morientes, haeredem illum testamento instituunt. Quorum mortem omni officio ac pietate ita est prosecutus, ut nihil omitteret, quod ab amantissimo filio parentibus optimis praestari par sit. Haereditatem igitur adiens, et non tam possessorem se, quam haereditatis dispensatorem relictum intelligens, coepit, non quomodo patrimonium augeret (id quod plerique omnes mortales factitant), cogitare, sed quo pacto patrimonium seminando, uberiorem sibi frugem in coelo colligeret. Quid enim aliud agat vir constans et sapiens, qui ab ineunte aetate funditus ex animo terrenas ejecerat cupiditates, nisi ut duriore jam aetate contemnat, quod teneris annis animo magno et excelso contempserit, ne vitae praeclara exordia a succedentis aetatis actionibus dissentirent? Itaque non ad congregandas divitias, sed ad congestas dispertiendas, animum appulit, ut nil aliud patula manus, quam egenum et pauperem cogitaret. Caeterum quemadmodum tellus ipsa omnium longe liberalissima, herbis, frugibus, arboribusve sic alimenta atque vitae praesidia porrigit, ut nemo quidem omnino id sentiat, ita noster hic egenorum alumnus, clam quidem, et nullo sciente mortalium, misericordiam suam incredibili studio in pauperes exercebat. Cujus reliquas eleemosynas intelligemus facilius, si hoc unum e pluribus celebre illius factum subjiciemus.

§ 6. Fuit Pàtarae vir genere nobili, qui (ut fert humanae felicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum, a divitiis in egestatem deciderat. Ei erant tres filiae, corporis formaeque venustate, et morum elegantia longe praestantes virgines omnes, et quarum aetas (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagitaret. Has inops pater, omni rerum egestate calcatus, non modo viro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat: neque spes ulla miserum hominem solabatur, qua quotidie crescentis inopiae vim perferret. Heu rem dictu foedam, heu quo mortalium mentes insuperabilis vis egestatis impellit! Tetrum, atrox, immane facinus patrem (paternae pietatis memorem ne, an immemorem potius dixerim?) exagitat filiarum decus, ac pudicitiam deserentem, ut natis esurientibus non deesset. Coepit enim de illarum virginitate alienae prostituenda libidini cogitare, ut turpissimo et flagitioso quaestu vitam pereuntis familiae tueretur. Jam vesana fames reluctantem patris animum aegre perfregerat. Jam crudele, et humanis indignum luminibus, spectaculum parabatur. Quid enim tam validum est, tamque munitum, quod necessitas non prosternat? Sed affuit de coelo miserator Dominus, qui escam daret timentibus se; qui patris in filias invitam crudelitatem non pateretur; qui virginum castissimas lacrymas miseratus, a tam foetido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies, dulcissime Deus, universae misericordiae pater et fons, aut quo ministro auxilium tuum oppressae familiae porriges? Angelum profecto tute tibi

Nicolaum delegisti, quo nemo mortalium esset, qui tua jussa meliori aut studio, aut consilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factum est, ut crudele consilium famulus tuus, nescio quo, nisi te volente, sentiret; cujus animus tum rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordem animum esurientis familiae lacrymae. Stimulabat castarum puellarum prostituenda virginitas. Stimulabat amantis patris misericordia, qui in pudicitiam invitus agebat, ne in ventrem crudeliter agere videretur. Sed servus tuus, qua ratione Deus impleat praecepta, non videt. Cum enim jubeas misericordes nos esse, vetas tamen sinistram scire, quid faciat dextera nostra. Ardet animus misericordiae faciendae studio, sed humanum sui beneficii testimonium refugit: quippe qui tibi soli, benefactorum gratissime retributor, placere conetur. Tantum enim vir Dei ab omni humanae laudis desiderio abhorrebat, ut quantum caeteri sua maleficia, tantum ipse iste beneficia sua celare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo, te, Domine, inspirante, intempestae noctis silentio e strato prosiliens, auri haud mediocre pondus sacculo belle insutum sumit, domo egreditur clanculum, miserandae familiae domum tacitus adit, circumspectat sagaciter omnia: animadvertit tandem, luna ipsa adjuvante, fenestram apertam paululum. Ea cubili inserviebat, in quo infelix pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pulcherrimam sibi a Deo oblatam occasionem ratus, auro per fenestram immisso, domum se statim proripit. Mane pater, auri comperto miraculo, stupens, cum tanti muneris datorem suspicari non posset, daemonum eam esse, aut callidi cujuspiam hominis fallaciam putat, adulterinoque credit se lusum auro. Inde cum aurum digitis contrectaret, jamque rei cognosceret veritatem, incredibili laetitia gestiens, lacrymas ubertim effundit. Miratur rem, animo versat omnia. Et cum humanum benefactorem conjectare non posset, in Deum hoc muneris transferens: « Quid faciam nunc miser, inquit, ne tanti beneficii ingratus arguar? Certum est, peccatum meum diluere, et impio me ac nefario scelere expiate. Filiam, in cujus pudicitiam crudelissime saeviebam, a foedo periculo eruam. Aurum virginem redimat, quae meo scelere auri gratia perdenda erat. » Haec itaque secum reputans, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus non minus dato, quam ille accepto munere gaudens, ubi virginem videt a periculo liberatam: « Liberabo, inquit, et reliquas; » aurique tantumdem noctu, ut antea, per patentem fenestram immittit. Diluculo pater cum secundum aurum invenisset, vix sui compos, humi supplex sese prosternit. Tum ora pectusque largis irrigans fletibus: « Deus, inquit, misericors, esurientium liberalis alumne, fac (quaeso) Domine, ut sciam, quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, ut te, Domine, in illo laudem, te in

illo magnificem, te in illo contempler, Domine, qui me jampridem sanguine tuo redemisti, et nunc auro pereuntem familiam redimis. Ostende mihi dispensatorem hunc tuum, et Angelum profecto in terris, cujus ope ecce secundam quoque filiam, diabolo crudeliter maritandam, sancto connubio honestabo. » Haec cum dixisset, non prius destitit, quam alterum quoque generum sibi adscivit, nec minore certe gaudio duplicis conjugii celebrati, quam spe tertii quoque propediem celebrandi. Jam enim tantum sibi de Dei misericordia pollicetur, ut sese putaret tertiae quoque filiae dotem tenere manibus. Ita ab inferno ereptus homo, noctes diesque perpetuos ereptoris sui desiderio aestuabat. Satisque noctes insomnes per excubias ducere, quoad, quisnam esset hic, exploratum haberet. Nec minus admirabilis noster, tertiam quoque filiam nuptiis tradi cupiebat. Profunda itaque nocte veniens tacito (ut assolet) pede, per eamdem fenestram tertiam introjecit dotem. Ac pèrvigil pater decidentis auri strepitu monitus, quanta potest pedum velocitate prosiliens, Nicolaum tandem fugientem assequitur, comprehendit, tenet, atque illius pedibus advolutus, redemptorem suum, adjutorem, salvatorem pereuntium animarum flens gaudensque compellat: « Nisi enim miserationes tuas, inquit, misericors excitasset Dominus, dudum jam perierat infelix cum tribus infelicioribus natis pater: sed clementissimus Dominus per te salvavit nos, et a crudeli peccati casu liberavit Dominus, suscitans inopem e terra, et de stercore erigens pauperem.» Talia lacrymantem, beatosque osculantem pedes, Nicolaus aegre compescuit: qui cum beneficium suum quanta potuit humilitate attenuasset, multis tandem adjurationibus, ut rem nulli mortalium patefaceret, frustra precatus est. Una igitur haec ex innumeris prope misericordis hominis hujus eleemosynis. Quod si reliquas quoque recensère pergemus, quoties indigentibus opem tulit, quoties pavit esurientes, quoties alieno gravatos aere levavit, immensi propemodum laboris id fuerit.

§ 7. Postea vero quam perfecta jam et absoluta viri virtus illum majore Dei familiaritate dignum effecit, cepit eum solitudinis cupiditas ingens: in eoque desiderio diutius immoratus, statuit tandem ab omni hominum coetu secedentem, in abditam aliquam erèmum sese recondere, ut remotior mundo, Deo fieret propior. Erèmus enim quietis atque tranquillitatis animi optima parens et nutrix; comes vero atque tranquillitas cognitionum, divinaeque contemplationis fructifera radix, certaque pronuba cum Deo conjugii spiritualis. Itaque cum veteri visendae Palaestinae desiderio teneretur, ubi Salvator noster ante Crucem inter mortales versatus est, navim in Aegyptum redituram conscendit, ut inde ad Loca sancta profectus, solitudini se deinde dicaret. Sed Palaestina et erèmo intermissis, navigationi ipsi paululum indulgeamus. Igitur e portu tranquillo coelo solventes, rectâ in Aegyptum

enavigant. Cum autem docti nautae nihil adversi suspicarentur, quos tamen diuturnus usus futurarum tempestatum praescios solet facere, Nicolaus illis horrendas ventorum, turbinumque procellas imminere praenunciat. Et enim videre se, ait, humani generis hostem iratum, navim stricto gladio ingressum, atque rudentes, omniaque simul mali et clavi retinacula concidere cupientem, molientemque navim, quasi rapidis vorticibus circumactam, in profundum cum viris ipsis demergere. Vix ea fatus erat, cum de repente, quasi signo dato, vehemens atraque vis tempestatum exoritur, undique horrendo fragore erumpunt turbines, mare vertitur funditus, tolluntur fluctus in coelum, trepidi nautae subito metu perterriti, ad genua se Nicolai prosternunt: orant, misere periclitantibus opem ferat, Dei auxilium pro se imploret, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc vir Dei confidere illos jubet, ac brevi hoc periculo liberatum iri, modo jactent spem suam in Domino, qui salvos facit sperantes in se. Post cum paululum orasset (mirabile dictu!), sedantur fluctus, turbines in levem auram dissolvuntur, lux atram caliginem dissipat, et jam undique laeta tranquillaque pereuntibus dies redit. Tum nautae a lacrymis in gaudium versi, ex animo gratias cum Deo, tum admirabili famulo ejus habere fatentur, duplici viri admiratione commoti, quod et futurum praedixisset periculum, et praesens tam facile sustulisset. Auxit autem illorum admirationem insequentis quoque rei miraculum. Conscenderat nauta supremum antennae cornu, ut solutos carbasi funiculos religaret. Is dum incautior descendere pergit, et manus illum falleret, magno lapsu super navis tabulata corruit, contusum corpus jacet exanime, et sine dubio e vita migrarat. Tum Nicolaus misericordiâ vehementer motus, defixis in coelum luminibus, oravit intentius. Inde rediens, ut primum coepit illum lacrymans contractare, mortuus quasi e levissimo somno excitatus resurgit, et corpore ut prius integro, ad obeunda munera navis redit. Post haec vir Dei pandere illos vela jubet. Illi toto sinu flantem a tergo Corum accipiunt, nec prius illos felix deseruit aura, quam Alexandriam adducti sunt. Ibi nautae pervulgatis, quae viderant, miraculis, civitatem incredibili hujus viri visendi studio excitant. Hic, bone Deus, multa per servum tuum mirabilia Aegyptiis ostendisti. Et erat operae pretium, magnalia illa tua, Domine virtutum, singula recensère, nisi hoc esset negotii nimis longi. Magnus etenim factus, aegrotantium hominum ad eum concursus, magnus calamitosorum opem petentium, magnus ab immundis spiritibus vexatorum, magnus moerentium, et infestis fortunae casibus laborantium. Sed quis, donorum largitor Deus, quis, inquam, aeger non sanus abscessit? Quis moerens non laetus? Quis arreptitius non mundatus? Sed quid haec ad te, Domine, qui fecisti coelum et terram in intellectu? Non tuam igitur, incomprehensibilis

Deus, omnipotentiam admiramur, sed ministrum hunc tuum, quem suae virtutis merito, viventem mortuumque per omnia secula novis quotidie signis clarescere voluisti. Hunc jure miramur, hunc universus orbis immortali gloria dignum laudat et extollit. Tua tam haec laus est, Domine, quia sine te laus ista non esset. Sed jam reliquum itineris absolvamus.

§ 8. Ex Aegypto itaque solvens, et in Palaestinam, ut constituerat, veniens, ascendit in Golgotha, ubi pro salute generis humani Christi patibulum fuit. Inde cum ad divinae Crucis lignum venerandum incederet, et nox illum intercepisset, ferunt templi fores tunc clausas venienti ultro cum fractis vectibus patuisse. Nec mirum id quidem, quippe cui coeli ipsius patebant portae. Non enim caruit cumulata mercede ista profectio: uberiorem enim Spiritus Sancti gratiam, majoraque deinceps omnium virtutum atque signorum dona perpetuo eum habuisse accepimus. In Palaestina igitur, quantum par fuit, moratus, in solitudinem sese colligere parat. Caeterum Dominus, qui civitatem supra montem positam abscondi vetat, et ardentem lucernam poni sub modio, illi per visum semel atque iterum imperat, ut ad oves, quas reliquerat in Sion, confestim redeat. Quod ubi divinum id esse mandatum manifeste deprehendit, seipsum abnegans, colla impiger divino jugo submittit. Navem Alexandrinam conduxit pretio, cum qua e Palaestina in Lyciam remearet. Ast eum improbi nautae dolo fallere aggressi, suae prope dederunt poenas improbitatis. Nam sumpta mercede, cum e portu solvissent, non quo pepigerant, sed Alexandriae proras obvertunt. Jam erat in conspectu patria illorum tellus, cum repens exorta procella, clavo antennaque confractis, ultimum illis exitium minabatur. Tunc nautae conscii perfidiae suae, ignosci sibi postulant, et supplices, ut deinde pro sua exoret salute, magno flagitant studio. Miram dictu rem. Vix illi sermonem compleverant, cum subito vis omnis tam saevae tempestatis compressa resèdit, et navis, novis surgentibus austris, in Lyciam pulsa applicuit. Descendens itaque Nicolaus, sese ad monasterium confert, quod avunculus ejus, ut paulo ante dicebamus, sub nomine sacrae Sion, magnis aedificarat sumptibus. Eum fratres incredibili gaudio excipiunt, amplectuntur, osculantur, et quasi Angelum a Deo sibi redditum, venerantur. Hunc sibi locum Nicolaus, quasi tranquillum aliquem portum delegerat, in quo a turbolentis mundi actionibus ad contemplandam futurae vitae felicitatem conversus, deinceps quieturum sese sperabat. Sed brevis admodum ea spes, eaque quies fuit. Non enim passus est, qui omnia sapienter gubernat, Deus, ut locupletissimus iste omnium virtutum thesaurus humi lateret defossus, ex quo erat futura secula innumeris beneficiis ditaturus. Voluit enim, ut magnum hoc lumen, quod ipse immensa sua accenderat providentia, super magnum erectumque candelabrum

suis radiis universum orbem per secula illustraret. Itaque dum in secretiorem aliquando locum sese orandi contemplandique gratia, uti insueverat, recepisset, vox eum de coelo alloquitur: « Nicolaë, ad mundi, inquit, palaestram tibi redeundum est, si meam coronam expetis. » His verbis exterrito, cogitantique, quidnam vox ista portenderet, iterum vox eadem acrius intonans: « Nicolaë, inquit, non hic est ager, in quo fructum, quem ex te flagito, proferas. Ad homines redi, ut in te nomen clarificetur meum. » Tunc hac voce Nicolaus plane sibi imperatum a Deo intelligit, ut, relicto otio, ad deferendum miseris mortalibus, quam possit, opem redeat. Hinc cum Deo parendum existimaret, diuque secum versasset animo, in patriamne, ac inter notos, an alio terrarum orbe sese habitaturus reciperet, fecit tandem humanae laudis odium atque contemptus, ut, neglecta Pàtara, et suis, Myras, ubi nemo quisquam illum noverat, commigraret.

§ 9. Forte autem fortuna per eos dies Myrensis pontifex e vita migrarat, cujus rei gratiâ (quoniam ea civitas Lyciae metropolis erat) provinciales Episcopi, quos suffraganeos vocant, frequentes illo convenerant. Ibi de sufficiendo antistite actum est. Tum divino operante Spiritu, incredibilis quaedam cupiditas cepit non Episcopos modo, verum etiam universum clerum, ut sanctissimum atque ornatissimum aliquem praesulem sedes illa pro sua dignitate, amplitudine atque gloria, consequeretur. Quod tametsi multi praestantes viri nominabantur, non tamen unusquisque facile ostendebatur, in quem hujus concilii suffragia consentirent. Ita cum varia (ut in conventibus hominum fit) studia eorum essent, variaeque sententiae, placuit tandem precibus, omnique supplicationum genere orari Deum, ut revelaret, quisnam esset huic obeundo muneri deligendus. Magno studio diutius oratum est, nec jejunia etiam, nec pleraque pietatis opera defuerunt. Tandem de coelo Dominus, non tam precantium meritis, aut sedis dignitate, quam hujus immensi luminis patefaciendi gratia, voces eorum exaudivit, praeficiendumque antistitem uni ex suffraganeis Episcopis venerando senio et vita praestabili revelavit hoc pacto. Huic enim antelucanam cum caeteris Episcopis orationem facienti, apparuisse quemdam ferunt habitu augustiore, quam humano, eique imperasse, ut ab oratione confestim ad templi excubias se conferret, et quem primum in templum venientem deprehendisset, illum esse, ad quem divino consilio Episcopatus et Ecclesiae gubernacula deferantur, hominique Nicolao nomen esse. Haec iste cum caeteris Episcopis nunciasset, visum est omnibus ita fieri, quemadmodum Episcopo sanctissimo revelatum fuerat. At ne qua posset humana suspicio Dei voluntatem labefactare, omnisque tolleretur hujus rei in fraudem nunciandae occasio, decretum est, ut nemo quisquam omnino de templo ante rei finem egrederetur. Tum omnibus ad orationem conversis, hic

unus ad exequenda Dei mandata pro templi foribus excubat. Habebat suspensos omnes (ut est humanus animus sollicitus futurorum) hujus tantae rei, divinique judicii exspectatio. At Nicolaus, media nocte, ad confitendum tibi, clementissime Deus, de more surrexerat, ignarus certe voluntatis tuae, cui tamen se totum addixerat. Et cum in tuis laudibus, ut solebat, nocturna silentia absumpsisset, antequam primos radios rutilans aurora diffunderet, ortumque solis aegris mortalibus nunciaret, in templum, te inspirante, Domine, securus ire pergit. Quo cum primus omnium advenisset, explorator iste divinorum judiciorum ingredienti Nicolao templi vestibulum: « Siste gradum, inquit, fili mi: dic, quaeso, quis es, quove nomine vociteris. » Tum vas istud electionis nil tale suspicans, mansuete, verecundeque: « Peccator, inquit, sum, et servus inutilis, nomine Nicolaus. » Tum ille vultus et morum gravitatem, verborumque modestiam conspicatus, et viri praeterea nomen sibi coelitus designatum, non dubitavit hunc illum esse, quem divina visio futurum Episcopum praedixisset. Non erat enim nescius, in quos soleat Deus respicere, in mansuetos videlicet, et humiles corde. Itaque incredibili plenus gaudio, sicut qui invenit spolia multa, aut in absconditum agri thesaurum incidit: « Sequere me, inquit, fili mi: » et apprehensum dexterâ, ad reliquos introducit Episcopos. Illi, audita re, novum Episcopum non humano certe, sed plane divino suffragio declaratum, insolita quadam veneratione excipiunt, venerantur, Deoque laudem et gloriam decantantes, in medium templi statuunt, non tam reluctantem, quam novi hujus velut prodigii stupore vix compotem sui. His continuo promulgatis (quid enim est ocyus fama rerum praesertim admirabilium?), ad tantae rei spectaculum innumerabilis prope confluit multitudo. Tum surgens Episcopus ille, qui visum habuerat, docet, quam cari habendi sunt, quamve a populis honorandi rectores animarum, illi praesertim, a quibus juste, sancte, humaneque gubernarentur, nihilque propemodum felicius esse illa civitate, cui istiusmodi antistitem habere contigisset: propterea laetari oportere Myrensem populum, et Deo per quam maximas habere gratias, qui eum esset praesulem consecutus, a quo plane sperare liceat, quicquid ab optimo atque sanctissimo pontifice exspectari par sit. Neminem enim dubitare oportere, hunc virum esse omnium virtutum arcam atque thesaurum, et jucundissimum Spiritus Sancti diversorium: qui non humano consilio, non Episcoporum suffragiis, non cleri, aut populi electione, sed sola Dei miseratione sit pontifex declaratus. Inde omnibus, quemadmodum evenerant, accurate expositis, abire illos laeto animo jubet, et gratias unumquemque Deo pro immortali ac inaestimabili beneficio reddere: se cum caeteris Episcopis ad unctionem novitii pastoris iturum, quem Spiritus Sancti digitis inunctum manifeste jam perspiciant.

§ **10**. Cum dicendi Episcopus finem fecisset, universus hominum coetus in laetitiam lacrymasque profusus discedit, synodus frequens ad novi praesulis unctionem convenit. A quo magno tandem labore impetratum est, ut se pateretur inungi, tum magistratus magnitudine, tum virium suarum, ut ipse putabat, imbecillitate deterritum : quamquam Dei hoc esse imperium, multifariam plane cognoverat. Quo igitur die Myrensem thronum conscendit, secum ait: « Hic dies, Nicolaë, hic locus mores alios affert: jam non tibi, sed aliis est vivendum, quandoquidem aliis vivere, hoc est profecto sibi ipsi perquam maxime vivere. » Iste cum sibi videretur cleri populique vitia partim corrigenda, partim tollenda esse, non soli Deo, ut ante, sed hominibus quoque vitam suam palam faciendam esse putavit, ut illi exemplo sui facerent, quod prece, aut imperio, aut ratione fortassis facere noluissent. Erant ejus pristini mores, ut jam expressimus, absolutae virtutis et formae, atque accurata quadam castigatione compositi. At quoniam alia est privati hominis ratio, alia magistratum gerentis, vitam omnem, moresque pro magistratus dignitate transformandos esse putavit. Igitur in omni corporis cultu majore, quam ante, incuria et negligentia fuit. Nihil erat in eo venustum, nihil elegans, nihil accuratum, praeter mores, vivendique disciplinam. Vestis plus solito vilis atque neglecta, in qua nullus esset omnino nitor, aut fastus, sed castigatae potius humilitatis et modestiae significatio: nec enim alio quovis pacto poterat sapientius, aut facilius sacerdotum in vestitu luxuriem amputare. Nam quis tam impudens fuerit, qui privatus pretiosam et nitidam vestem non erubescat, cum magistratum amplissimum viderit vulgariter et negligenter indutum ? Semel edebat quotidie, et vesperi quidem, ut publicis negotiis, quae pro magistratus amplitudine magna erant, multaque, diem licentius commodaret. Nec coena tamen publico vacabat munere, quandoquidem triclinium ejus, suo consilio aut ope indigentibus patebat semper, et coena saepius pro negotiorum opportunitate intercidebatur. Cibus erat ejusmodi, qui ad jejunitatem et abstinentiam, quam ad saturitatem, potius invitaret. Carnes ab ineunte aetate ita dimisit, ut illas nunquam in omni reliqua vita resumpserit. Non plus uno ferculo coenavit unquam, nisi hospitum gratiâ, quorum dignitas aut affluentiorem escam, aut delicatiorem expeteret. Nunquam sine sacrorum librorum lectione coenatum est. Post epulas vero gravis aliquis sermo, sanctissimo atque doctissimo conventu dignus, inducebatur. Nam sacerdotes aliquot eruditione et vitâ probatos, perpetuos sibi convivas delegit, a quibus suaviore aliquo animi cibo aleretur. A mensa in cubile semisatur sese recipiens, totus in coelestium contemplationum campum diffundebatur, et animum diurnis alienisque curis distractum, nocturna meditatione collectum refovebat. Cumque inter has delicias aliquantum noctis

assumpsisset, membra tandem humi demissa, somno tantum indulgebat, quantum ad perferendum diei labores sat putabat. Inde surgens, socios advocabat, quibuscum antelucana oratione resumpta, inter psalmos et hymnos aurora exspectabatur. Tum una cum sole in templum prodiens, divina exsolvebat officia: a quibus ad pascendum curandumque gregem, reliquum lucis accommodabat.

§ II. Ut autem suorum morbi facilius sanarentur, medicos ad eam rem praestantes magno studio undique conquisivit. Nam primum omnium id curavit, ut unaquaeque ex suis ecclesia, ejus generis rectorem haberet, a quo, exemplo, atque doctrina, atque studio vitia populi tollerentur, pravi corrigerentur mores, virtutum atque religionis cultus induceretur. Iis medicis utebatur, ab iis discebat quotidie, si quid insigne in animis, corporibusve uspiam locorum suorum esset, quod suum auxilium, aut praesentiam flagitaret. Incredibile autem est, quanto studio et charitate opem suam quoquo modo laborantibus impertiebat. Non labores ulli hominem fatigabant, non sumptus deerat, quo oppressos aliqua sive corporis, sine animi mole levaret: animo gravius laboranti medendo erat impiger iste, et longo, si oportebat, confecto itinere, accurrebat. Jacebat quispiam aegroto corpore pauper et egenus, nunquam, quantum necesse fuerat, rerum et pecuniarum in hominis auxilium defuit. Non enim a Myrensibus tantum, verum et a vicinis urbibus, haud parum argenti, in eleemosynas dispertiendi, quotidie ferebatur. Quod si necessitas aliqua occurrisset major, quam ut ei posset praesenti pecunia subveniri, ab divite aliquo misericorde, quos multos habebat in promptu, pecuniam vel mutuo, vel dono accipiebat. Nam praeter necessaria corporis operimenta, et supellectilem tenui vitae peropportuna, nihil ei reliquum erat, quod vel pignori, vel venum posset dari. Nam etiam, quos legebat libros, mutuo petebantur. Ita semper voluntariam paupertatem omnibus divitiis facile antetulit. Hoc autem elegans in eo, atque praecipuum fuit, quod cum perfacilis ejus ad omnes, et omnium item ad eum accessus esset, amplitudinem tamen et dignitatem magistratus ita retinuit, ut dignus pro sua gravitate videretur, qui non modo Lyciam, sed multas quoque provincias gubernaret. Habebant Myrae nobiles quasdam matronas, vita, moribus et religione praestantes, quae se totas ad misericordiae contulerant studia. Iis Nicolaus (quoniam sexus iste ad ejusmodi obeunda munera videtur impigrior) quasi exploratoribus et ministris utebatur, quibus vinctis, aegrotantibus, egenis, indigentibus omnibus opem ferret. Nec ei deerant graves aliquot cives, a quibus disceret, si quid in civitate fieret tum publice, tum privatim, quod sua suique magistratus cognoscere interesset: ut ea cogitatione posset aut nascentibus malis occurrere, aut jam natis remedium adhibere. Haud multo

autem postea, quam Episcopatum inivit, provincialem habuit synodum, in qua pleraque multa, tum ad Dei templorumque cultum, tum ad vitam moresque cleri, decreta praeclare et sapienter instituit, partim vetera corrigendo, antiquandove: partim nova condendo, quibus universa provincia Lycia uteretur. Atque quotannis provincialia concilia, quoad vixit, Calendis Septembribus convenere, in quibus institutis ac disciplina cleri, deque omni Ecclesiarum statu accuratissime agebatur: nec improbis censurae ac poenae deerant, nec bonis faces, quibus ad meliorem vitam accenderentur. Initio autem magistratus sui ferunt, cum exsolvendi officii, debitique reddendi magnitudinem formidaret, eum lacrymis et gemitu Deum saepius intensissime deprecatum, ut ab se intolerabilem hanc molem tolleret. Nam cum hinc animadverteret, de singulis sibi subjectis, qui innumerabiles prope erant, sibi reddendum esse rationem, illinc vires suas (quamquam erant magnae, validaeque) nihil pro sua humilitate existimaret, in desperationem satisfactionis adductus, animo incredibiliter angebatur, atque saepius ob id cum uberes lacrymas effudisset, vocem tandem audivit de coelo in haec fere verba: « Ne timeas, Nicolaë, ut a me, mea negotia fideliter gerens, ingrate destituaris. » Hac voce maxime recreatus, et spem suam omnem in Deum conjiciens, opem sibi a Deo pollicebatur: sed ita pollicebatur, ut omnia tamen a seipso petenda putaret, quaecumque opera et consilio praestare potuisset. Sciebat enim Deum eos non juvare solitum, qui seipsos negligenter deseruissent. Itaque vires suas omnes tum animi, tum corporis, ad gerendum id negotii explicavit. Quas cum (ut dicebamus) imbecillas existimaret, duos sibi quasi consiliarios adjungit, Paulum videlicet Rhodium, et Theodorum Ascalonitam, viros in omni Graecia celebres, et quibus explorata virtus, atque doctrina, et diuturnus praeterea rerum usus, auctoritatem pepererat. Horum fide atque consilio privatim, publiceque plurimum utebatur, a quibus ita sciebat se diligi, ut nihil illi magis in eo cuperent, quam ut Deo placeret quammaxime. Ad eorum itaque sententiam quasi ad fidele aliquod speculum, proprios ornabat mores, et ad magistratum aptos accommodabat. In obeundis insuper Episcopatus negotiis, si quid paulo difficilius judicandum, agendumve accidisset, hos sibi continuo adhibebat, cum quibus de re ipsa statueretur.

§ **12**. Interea vetus humani generis hostis, ira crescentis Christianae religionis feroces animos Diocletiani Maximianique solito atrocius instigat, crudelioremque, quam antea, persecutionem parat. Veniunt itaque ab Imperatore edicta in omnes qui Christianam fidem profiterentur, quibus carceres, tormenta, vincula, postremo truculenta mors indicebatur. Haec cum Myris publice legerentur, aderant pariter Imperatorii carnifices, Christianis non obtemperantibus extrema omnia minitantes. At contra Nicolaus

pastor intrepidus, acerrimusque Christiani gregis propugnator, fidelibus omnibus clypeum sese praestat, et Christi fidem, quanto potest ardore, ubique intonat, liberi profecto atque sanctissimi pastoris officio fungens. Tum urbis Praefecti aegre ferentes contemni ab eo regia mandata, illi, nisi desistat, decernunt supplicia. At Nicolaus (perquam enim erat martyrii cupidus), contemptis minis, acrius tum insurgens, tandem vinctus in longinquas custodias abducitur, in quas et Christiani multi ex variis civitatibus erant conjecti. Ubi non parum aevi omnibus incommodis captivitatis affectus, tanta mentis constantia ac firmitate fuit, ut eum inter delicias vitam degere arbitrareris. Nec exemplo modo, verum etiam assiduis cohortationibus imbecilliores adjuvabat socios: et velut agricola bonus teneras plantas religionis et pietatis rivulis irrigabat, ut eorum radices in fertili stabilique solo defigeret. Robustiora vero pectora ad martyrium inflammare, ardorem illis et spiritum addere, quam pretiosa esset in conspectu Domini mors sanctorum ejus, disserere, et praedicare quotidie, nilque omittere, quo illi celso firmoque animo brevem hanc miseramque vitam pro beata illa et immortali contemnerent, non cessabat.

§ 18. Interea vere benignus Dominus de coelo suum populum miseratus, qui solem post tenebras, et post tempestates tranquillitatem solet servis suis inducere, dissipare protinus, ac perdere crudelia sceptra parat, ac sui nominis inimicos de medio tollere, Diocletianos scilicet, et Maximianos, et quotquot cum eis suo populo impie praefuerunt. Erigit autem cornu salutis, plebi suae, et coelesti Crucis signo Constantinum, Constantii et Helenae filium, advocat ad Romanum Imperium. Ille non ignarus, quisnam hic esset, a quo coelitus vocaretur, omnem spem suam in eum conjiciens, Maxentio confestim exacto, dignitatem nominis Christiani in propriae majestatis solium exaltavit, vertitque priorum laetitiam Imperatorum in luctum. Tum per orbem edicta profert, quibus jubet, idola et gentium delubra everti, solvi eos, qui pro Christi nomine vincti essent, instaurari Christianorum sacra, templa refici, et pristinum ornatum resumere *. His Constantini edictis ubique promulgatis, Christi confessores soluti, unusquisque in patriam suam redit. Sicque Myrensis populus pontificem suum recipiunt, martyrem profecto voluntate ac desiderio, atque incruentum athletam et bellatorem. A quo cum coelitus collata sibi dona miris modis exercerentur, tanta crevit apud populum de illius virtute opinio, ut jam plane miraculo omnibus esset. Hic cum videret daemonum delubra quaedam, nonnullasque gentilium aras adhuc superstites, non exiguamque impiorum, ac varii generis hominum multitudinem ad eas confluere, atque id

* Ut omnibus notum est, edictum hoc, quo instaurabantur Christianorum sacra, a Constantino, Mediolani, anno 313, promulgatum fuit.

mali serpere quotidie latius, incredibili ardore succensus insurgit: et undique Dei verbum praedicans, ubi idolorum aram quampiam conspexisset, funditus evertebat, nulli parcens, neminem metuens, nihil nisi de Dei gloria, hominumque salute sollicitus. Sic itaque omni daemonum cultu ejecto, puram gregi suo tranquillitatem et requiem comparavit.

§ 14. Haec cum Christi miles, immo Imperator et dux, adversus principes tenebrarum non minus feliciter, quam fortiter auderet, cepit continuo illum libido, quatenus ne ab ipso Dianae templo abstineret: facinus siquidem desiderandum potius, quam sperandum. Erat enim aedes haec admirabili pulcritudine, et magnitudine singulari, et quae a Myrensi populo inter primaria urbis ornamenta praecipue coleretur. In hanc igitur cum robustissima juvenum manu impetum faciens, non solo illam, ut caeteras, aequasse contentus, fundamenta quoque radicitus evulsa disjecit, nullo prorsus civium obsistente. Horrenda res erat, profligatorum daemonum audire ululatus, immurmurantium, terribilique stridore inclamantium: Nunc se per injuriam e sedibus propriis ejici, atque fugari. Hic itaque triumphus armis ejus et militiae adversus infideles finem fecit, non autem animo, corporique in alienum auxilium exercendo, aut mirabilibus faciendis. Quae quoniam multa sunt, non omnia idcirco silentio patiemur obrui et oblivione: sed strictim pauca attingemus, si prius ostenderimus, qualem se ipse praestitit in illo celebri, et omnium nobilissimo Christianorum conventu, qui tum Niceae est habitus. Constantino igitur, qui primus Christianorum cultum, in universam suam ditionem induxit, Romanum Imperium gubernante, Julius *, qui summus erat Pontifex, non modo Constantinum, verum etiam caeteros omnes, quibus praeerat Imperator, ad orthodoxae, rectaeque fidei ritum et disciplinam assidue inflammabat. Et cum Arianus error haud parvam orbis partem occupasset, Pontifex tandem effecit, ut suo, Imperatorisque jussu universale Christicolarum concilium Nicaeam convocaretur: ubi dogma incorruptae fidei Christianorum comitiorum firmaretur auctoritate, pariterque ut Arius, Arianaeque stultitiae sectatores damnati, e Republica Christiana abigerentur. Ei concilio affuerunt trecenti decem et octo Episcopi, inter quos Nicolaus non minor doctrina, quam vita: neque sermone, quam opere, in refellendis Arianis fallaciis judicatus est. Haeresim illam acutissima ingenia tuebantur, et viri omnium doctrinarum cultu et elegantiis expoliti, quos contra non modo disputationibus et lingua, verum multo maxime supplicationibus et assiduis ad Deum precibus Nicolaus pugnabat. Ita cum illorum tandem argutias et errores ipse cum caeteris veritatis defensoribus dissolvisset, canonemque ipse et reliqui synodi patres orthodoxae fidei praescripsissent, homousion videlicet,

* Procul dubio, *Sylvester* legendum est.

hoc est, consubstantialem Patri et aequalem credendum esse Christum, resarcita scissura Ecclesiae, inde discedens, ad proprium gregem regressus est: cui neque doctrina, neque exemplo, neque assidua exhortatione defuit, quo magis omnes ad virtutem, ad mores, ad animi cultum, ad pietatem, religionemque perpetuo concitaret.

§ **15**. Accidit autem ea tempestate, ut terram Lyciam valida vexaret fames, tantaque Myris, alibique tritici egestas esset, ut jam ad interitum hominum res spectaret. Tum Nicolaus ad horrea Dei, hoc est, ad orationem confugit. Per id autem temporis mercator quidam in terra Sicilia magnam frumenti vim in navim intulerat, exportandi in Hispaniam, dandique venum causa. Huic noctu dormienti Nicolai simulacrum sese per visum offert: imperat, ut Myras triticum primo statim tempore advehat, ex eo grande pretium relaturus, fidemque verbis, tribus datis aureis, facit. Excitatus ille cum aureos prope, et cubile clausum invenisset, admonitum se divino numine ratus, Myras sine mora frumentum vehit, pretiumque accipit, quod dormienti sibi spoponderat Nicolaus. Eo pacto, Myrae, saevientis jam inediae vim repulere. Ita cum mercator rem omnem, ut sibi evenerat, cunctis palam fecisset, Myrenses suum praesulem majori deinceps, quam hominem venerari par sit, honore et laude sunt prosecuti.

§ **16**. Ea tempestate Constantino nunciatum est, ab nonnullis rerum novarum cupidis, seditionem haud negligendam, in superiori Phrygia excitatam. Tunc Constantinus tres ad eos reprimendos motus legatos mittit: Nepotianum videlicet, Ursum et Herpilionem. Hi celere cum armis ad negotium sibi datum profecti, Andriaciama appulere. Id erat in terra Lycia oppidum, subjectum Myrensibus. Ibi milites aliquandiu adversa maris tempestate detenti, emendorum ciborum gratia in terram egressi, tandem (ut est hujusmodi genus hominum rapax, et alieni appetens), ad praedam incolarum sese vertunt: multa rapiunt per vim, plurima temere devastant. Quorum improbitas cum in dies augeretur, vicit tandem incolarum patientiam effrenata licentia militum. Igitur agrum omnem armat injuria: seditio et tumultus exoritur; et jam in mutuam caedem utrinque ruebatur, cum Nicolaus (is enim rem perspiciens, citato pede ad locum venerat) adesse nunciatur. Tum oppidum omne, necnon et ipsi Imperatoris legati, ac milites (tanta erat in omni Lycia Nicolai auctoritas atque nomen), depositis armis, venientem Episcopum obviam progressi incredibili quadam veneratione ita excipiunt, ut nullum penitus tumultus, aut irarum vestigium appareret. Nicolaus rem sedatam animadvertens, benigne legatos congressus, in urbem honorifice perhumaneque inductos hospitatus est. Dum illi se, placatis ventis, ad navigandum expediunt, adsunt Myrenses aliquot anxii flentesque: hi ad sancti viri pedes pervoluti, celeritatem et auxilium conclamant contra

nequissimi hominis vim atque injuriam. Eustachium enim Praefectum urbis auro victum, tres innocentissimos cives capite damnasse, civitatem omnem in luctu esse, unam reliquam superesse in Nicolao spem: qui si affuisset, ille nunquam tam immane facinus in animum induxisset; opus esse maturato; ni cito accurrerit, de capite et fortunis insontium actum esse. Haec illi cum flentes lamentarentur, vir Dei, divinaeque misericordiae imitator, rei crudelitate vehementer percitus, iter arripit, Constantinique legatos contra Praefecti vim, si oporteat, sibi comites et adjutores adjungit. Itaque cum in locum, cui Leo nomen est, advolasset, obvios quosdam rogat, si quid de tribus his damnatis civibus exploratum haberent. Illi reliquisse eos ajunt, in Castoris et Pollucis campo tractos, ut mactarentur. Tum Nicolaus ad locum velox contendit, ut illorum praeveniat necem. Jam miseros illos crudelis carnifex tyranni jussu ad portam loci pertraxerat, ubi capite damnatos plecti mos erat. Quo Nicolaus incredibili ardore flagrans cum irrupisset, videt magnam mortalium vim undique circumfusam, et tres (miserum dictu!) manus post terga vinctos, et lumina linteolo velatos, nuda colla carnificis securi praebentes. O miserum spectaculum, et indignum profecto, quod humanos oculos suae immanitatis testes haberet! Jam carnifex securim erexerat, et furenti similis, truculentos oculos in miseras cervices defixerat, nihil aliud quam crudelitatem atque cruorem gestu, vultu, foedaque voce significans. At divinus hic noster, ut primum pia lumina nefario injecit spectaculo, non tumultuans quidem, aut temerarius, sed graviter admodum, et cum severitate carnificem compellat: « Quid agis, sceleste? Securim contine; » simulque accedens intrepidus, et fiduciae plenus, cum regia quadam auctoritate, securim e manibus extortam abjicit; tribus damnatis lumina et manus reddit, bonoque animo esse jubet. Haec cum ita fierent, nemo tamen quisquam ausus est ex omni apparitorum turba, non modo Nicolao obsistere, sed ne in eum quidem vel attollere oculos: tanta erat moribus auctoritas, gratia atque majestas, tantaque de illius virtute omnium mortalium existimatio. Rei praeterea indignitas illis (ut arbitror) manus et linguam ademerat. Tum tres illi, sanctissimi viri beneficio in lucem restituti, quanta poterant voce cum lacrymis beneficium extollebant, simulque universus campus, in quem facti misericordia civitatem prope omnem conciverat, in ejus laudes resonabat. Inter haec Praefectus urbis cum advenisset, ei Nicolaus neque obviam ire, neque venientem inspicere passus est. Tum ille, sive sceleris sui conscientia, sive poenae metu, si Constantinus factum resciscat, in poenitentiam versus, Episcopum benigne congreditur. Ille repulsum severa increpat voce; affirmat, hanc se publicam injuriam non passurum, imploraturumque non modo ultoris Dei, verumetiam Constantini justitiam in eum, qui

auro corruptus, magistratum sibi traditum foede et crudeliter administrasset. Cumque illi extrema minaretur supplicia, Praefectus vehementius sibi timens, jam non verbis modo, verum et lacrymis supplex sibi veniam postulat, omnique poenitentiae significatione Nicolaum sibi conciliare studet, in Simonidem et Eudoxium Myrensium principes, injuriae culpam falso transferens. Tum incredibile est, quam ea res carum omnibus hunc virum reddiderit, ut in ejus laudes fusa multitudine, confestim ea res tota Lycia celebraretur.

§ 17. Sed jam Constantini legati, confecta re, abeundum rati, Nicolai benedictionem efflagitant, pulcherrimum tutissimumque itineris sui viaticum. Ea accepta, benigne dimissi, proficiscuntur in Phrygiam: ubi cum motus illos sapienter composuissent, Byzantium ad Imperatorem regressi, honorifice et perhumane excipiuntur, novis honoribus atque donis aucti, quippe quorum opera atque consilio id incendii tute matureque extinctum esset. Jamque inter primos Constantino cari, et caeteris omnibus illustres et conspicui habebantur. Caeterum hanc eorum felicitatem non diutius pertulit laudum semper et gloriae hostis invidia. Ii enim, quibus erat cum tribus istis de honore contentio, Byzantii praetorem clam adeunt, conficta in illos crimina afferunt, quod scilicet illi pecuniâ victi, in auctores seditionis non animadvertissent, seminaque ejusce mali reliquissent, brevi majus periculum paritura. Caeterum accusationem hanc per se infirmam atque suspectam, grandi pecunia praetori data communiunt. Praetor corruptus, ad Constantinum omnia defert, comperta se habere horum peccata affirmans. Tum opinionem Imperatoris de legatorum fide et integritate vicit suspicio, quae Regum animos facile occupat ac dominatur. Praetori itaque ab Imperatore datur potestas, Nepotianum, Ursum, Herpilionem hujus accusationis ignaros, vinculis et custodia coërcendi. Tum praetor se satis accusatoribus fecisse arbitratus, quod illos coërcuisset, pariter intelligens ficta illa contra insontes crimina fuisse: neque ad quaestiones, neque ad crimina quovis pacto discutienda accedit. Sic ergo cum aliquantulum aevi effluxisset, vèriti accusatores, ne, si vincti inopinato dissolverentur, periculum patratae fraudis in suam redundaret cervicem, ad praetorem redeunt; eum perquam multo concitant studio, ut negotium reorum intermissum resumat, efficiatque ut illi factorum suorum poenas luant, neque sibi, neque praetori conducere, ut illi liberati, acceptam injuriam ulciscantur. Praetor et ipse sibi pro auro ab accusatoribus sumpto metuens, ad Imperatorem redit, vultu, gestu, oculis se malae rei nuncium venire dissimulat. Tum ubi fandi copia data est: « Legatos, ait, nondum odium suum satis explevisse ex his, quae contra Imperii majestatem gessissent in Phrygia: a quibus tantum aberat priorum flagitiorum poenitentia, ut etiam vincti et custoditi, nova non

desinant pericula moliri: quibus nisi occurratur, antequam veniant, frustra, cum venerint, occursurum. » Cum itaque suam fraudem praetor lacrymis contexisset, Imperator vera atque comperta sibi afferri putans, simulque motus, tum ira ob illorum ingratitudinem, tum metu sui periculi, mortem reis in crastinum decernit. Erat custos carceris vir, tum humanitate praeditus, tum veteri consuetudine cum tribus his legatis conjunctus, quorum calamitatem aegre admodum et molliter semper tulerat. Ad eum igitur cum tristis crastinae caedis nuncius advenisset, exclamans: « Me miserum, inquit, et hominum longe infelicissimum, quem tam funesti ludi spectatorem fortuna delegit; quam noluissem unquam hos carceres conspexisse; quam praestabat in ultimis terrarum finibus nunc abesse! » His vocibus custos omnem compleverat carcerem: neque largi fletus lamentis deerant. At tres illi, quibus vitae factorumque innocentia dudum et mortis, et poenae metum ademerat, ad subitum nuncium consternati: « Quae nos, inquiunt, adversa fortuna in hoc miseriarum atque calamitatis impulit? Quae tanta in nos falsa suspicio potuit, ut insontes sceleratorum hominum supplicio damnaremur? » Tum amicis cognatisque, qui aderant, frustra imploratis: « Quandoquidem, ajunt, nihil praesidii innocentibus in terris est, Deum ipsum, et integritatis nostrae testem, et injuriae atque necis ultorem invocamus. » Inter haec Dei miseratione effectum est, ut Nepotianus in memoriam Nicolai veniret, jamque versaret animo, quo pacto ille damnatis Myrensibus succurrisset, qua vi atque misericordia eos ab interitu vindicasset. Haec cum sociis in memoriam revocasset: « Et quid, inquit, spei nostrae saluti superest, nisi ut hunc ipsum innocentiae nostrae patronum ex animo imploremus, qui pulcre didicit insontes ab omni mortis periculo liberare? » Tum et duo reliqui ad orationem lacrymis et mente conversi, sanctissimi viri patrocinium invocant. Exaudivit autem eos Dominus de excelso sancto suo, et de coelo in terram adspexit: audivitque gemitus compeditorum mirabilis Dominus in sancto suo, cujus non est passus frustra patrocinium implorari. Voluit enim, ut discerent Reges, et omnes populi, principes, et omnes judices terrae, Regum Regem in coelis esse, qui non spernat injurias pauperum, qui solvat injuste compeditos, et elisos erigat. Noctu enim per quietem Imperatori Nicolaus apparuit, ore profecto sicuti venerando, ita et terribili, formidolosoque; atque illi imminens: « Surge confestim, Imperator, inquit, et Nepotianum, Ursum et Herpilionem vinculis et custodia solve. Falso enim et per invidiam accusati sunt, et injuria abs te damnati. Id nisi feceris, intolerabile tibi bellum indico, et foedam insuper stragem, turpissimumque tibi, domuique tuae interitum, verus Dei praeco denuncio. » Tum Imperator, rei novitate perculsus, miratusque (ut saepe in somnis solet) cum viri majestatem et verba,

tum quod intempesta nocte in regiam, Regisque penetrasset cubile: « Et, quis tu es, inquit, qui haec mihi denuncias, et minaris? » At ille: « Nicolaus sum, Myrarum Dei miseratione antistes. » Quo dicto, ab eo evanuit, et Alabio praetori tunc quoque dormienti sese per visum offert, eodem oris habitu, iisdemque verbis, quibus Constantinum terruerat. Tum Constantinum somni terrore excitatum, secumque tum minas horrendas, tum minantis speciem reputantem pavor non mediocris occupat, idque visum minime negligendum ducit. Eodem pavore, eademque animi cogitatione cum teneretur praetor, ab Imperatore adveniunt nuncii, qui visa ab eo per quietem accurate exponant. Tum praetor, metu adaucto, ad Imperatorem confestim venit, quae vidisset, quaeque audisset, quantum potest, verissime explicat. Ita cum singula utriusque somni convenirent, et velut ab eodem imperante, quasi signo dato, in utraque cubicula irruptum esset, tandem visum est, reos ipsos e vinculis accersiri. Qui cum coram constitissent, rogantur, num disciplinam magicam didicissent? Cum negarent illi, et studia eorum omnibus manifesta esse contenderent: « Rex, num, inquit, de interpretandis, aut inducendis somniis exploratum habetis aliquid? » Cum illi negarent, Constantinus se per vim (quandoquidem voluntarie non licet) veritatem ab illis extorturum minatur. Illi Regis justitiâ imploratâ, neque magicam, neque ullam somniorum disciplinam usquam attigisse affirmant: se a parentibus ab ineunte aetate ita educatos, institutosque, ut nihil didicerint, nisi Imperatorem venerari, illum colere, illum rebus anteferre omnibus, quas mortalium animus solet concupiscere. Hoc institutum ita constanter et perpetuo tenuisse, ut nihil nisi pro augenda Imperii majestate dixerint, fecerintve: si secus compertum habuerit, nulla se prorsus misericordiâ dignos putet. His verbis cum vultus, gestus, lacrymae oculis obortae, fidem facerent, coepit Constantinus de illorum innocentia cogitare, et suae poenitere sententiae, quippe qui Dei justitiam formidaret, vereretu rque, ne si ipse innocentes damnaret, nocens ipse divino judicio damnaretur. Jam itaque benignus illos inspicit, benignus alloquitur, ut vultus verbaque poenitentiam animi sui facile indicarent. Demum solvi tres vinctos jubet, et pristinae dignitati restitui. Atque ad illos conversus: « Abite ad eum, inquit, qui me de fortunis et capite vestro sollicitus territat dormientem, et gratiam illi reddite, eique meo nomine nunciate, quid sui gratiâ fecerim. » Haec cum dixisset, Evangelium aureis litteris proferri jubet, aureumque thuribulum gemmis et arte insigne, et duo praeterea puro ex auro candelabra: ea omnia imperat, ut Nicolao offerant, quibus inter sacrificandum utatur, suae pietatis perpetuum monimentum. His atque aliis admirabilibus viri factis eousque nomen ejus diffusum est, ut jam vel remotas orbis terrarum plagas attingeret, essetque calamitosis et

periclitantibus certissima spes atque profugium, quibus ille vocatus deesset nunquam. Qua vero misericordia atque pietate navigantes olim e faucibus mortis extraxerit, operae pretium arbitror enarrare.

§ **18**. Ferunt enim, nautas quosdam horrenda disjectos tempestate, furentique pelago prope absorptos, Nicolai, quem nunquam viderant, auxilium invocasse. Audierant enim, quam multos saepe e summis periculis liberasset. Itaque jam non manibus fidere, non clavo, non viribus ullis, aut arte navigandi; sed toti in sanctissimi viri invocationem projecti, contra procellarum rabiem hoc quasi tutissimo scuto sese tueri, illum invocare, illi manus tendere, illi tota mentis cogitatione inniti. Tunc hic noster ìmpiger humanarum calamitatum adjutor, inclinante jam navi, et pelagus imbibente, oculis omnium manifestus: « Ecce, inquit, adsum, quem invocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cujus ego minister advèni; » simulque clavo, cernentibus cunctis, arrepto, navim èrigit, gubernatque; inde mare minaciter increpans, fluctus confestim, saevientesque procellas placat. Ita cum procellarum omnis illa superbia resedisset; eisque placidam reddidisset navigationem, ex oculis eorum evanuit. At nautae, ut primum illos optata tellus excepit, Myras, quae stadia viginti a mari aberant, recta contendunt, salvatoris sui visendi cupiditate incensi. Ubi cum sciscitantes didicissent, beatum hunc in templo cum reliquo clero divina officia exsolventem, templum ipsi anxii petunt. Erat sanctissimus hic noster sacerdotum choro immixtus, nihilque habebat insigne, quod a caeteris secerneret. In quem simul atque nautae oculos conjecerunt, quasi bacchantes per confertam turbam ad illum irrumpunt: prostratique: « Hic est, inquiunt, hic est, cui vitam plane debemus: hic est, cujus ope ab interitu erepti sumus: hic est, qui invocatus, ut parens misericors laborantibus praesto fuit. » His vocibus cum in se circumfusos Myrenses convertissent, rem omnem, ut ab initio gesta fuerat, edixerunt. At Nicolaus ora ingenuo quodam rubore suffusus: « Date, inquit, gloriam Deo, filii. Ego peccator sum, et servus profecto inutilis: ipse est, qui facit mirabilia magna solus. » Inde illos seorsum evocatos cum placida quadam severitate admonet, ut post acceptam corporis salutem, animi quoque salutem non negligant. Habebat enim ex Spiritu Sancto, quem in illum Deus ubertim effuderat, ut alieni cognosceret cordis arcana. Ex quo nautas istos sciebat peccatis quibusdam, et diabolo esse obnoxios: « Cognoscite igitur, inquit, cognoscite, filii, errata vestra, et corda, motusque vestros in tutiorem portum traducite, Deumque horrendum judicem formidate. Estis enim (ut inquit Paulus) Dei templum: qui vero Dei templum corruperit, ut corrumpat et destruat illum Dominus, aequum est. Ego (ut dicitis) vestrae corporalis salutis adjutor, spiritualis nunc periculi nuncius venio. » Et cum post

haec secretiora quaedam illorum peccata proferet, eos justa admiratione et poenitentia repletos dimisit.

§ 19. Hic itaque tantis praeditus ornamentis, sic inter mortales versatus est, ut coelo semper et immortalitate omnium consensu dignissimus videretur. Qui cum diutius, quasi lilium intra Myrenses hortos jucundissime redolevisset, et veluti unguentum fragrans, divinarum virtutum odorem atque suavitatem ex se spirasset, tandem dierum sanctorum plenus, in viridem senectutem inducitur. Jamque cum communi hominum lege litandum esset naturae, in brevem, eamque levem, aegritudinem incidit. Ita cum intelligeret, hinc sibi migrandum esse, beatus iste superioris Jerusalem veteri desiderio flagrans, in hymnos et gratiarum actiones totus diffunditur, omnique laetitiae significatione vale dicto, in coelum, quod sibi apertum cernebat, evolat, longaevam illic et sempiternam acturus vitam, angelorum splendoribus consors, divinaeque pulcritudinis perpetuus contemplator. At venerabile corpus, singulare orbis terrarum ornamentum, Episcoporum, universique cleri et populi laudibus et lacrymis decoratum, humatur in templo, quod Myris maximum ac pulcherrimum ea tempestate fuit.

§ 20. Ex purissimis autem illis et redolentibus membris per anteacta secula in hunc usque diem nectareus distillat liquor, certissima spiritualium ac corporalium aegritudinum medicina. Ejus itaque fama cum ad remotissimas quoque provincias subito penetrasset, ad ejus venerabilem tumulum incredibilis continuo factus est hominum ex omni plaga concursus. Neque illis multorum licet dierum itinera visendi busti desiderium adimebant, ut et sacro ungerentur liquore, et tumuli ipsius complexu et veneratione consecrarentur *.

## NARRATIO

BHL 6190-2

# S. NICOLAI EP. MYRENSIS TRANSLATIONIS

§ 1. Postquam beati Nicolai substantia incorporea et invisibilis a corporea visibilique fuerat substantia separata, et ab spiritibus uranicis in praeparata requie collocata, multi Imperatores, multique potentes mortales, artus illius sacratissimos de urna, qua manebant reconditi, summo conamine tentaverunt

* De liquore hoc, qui e S. Nicolai corpore, ut e perenni charismatum fonte, manabat, plura antiqua monumenta habentur. Cultus autem S. Antistitis mirum in modum, tum in Ecclesiam Orientalem, tum in Occidentalem dilatatus est, erectis ubique in ejusdem honorem aris, templis, statuisque. Ut de caeteris sileam, Justinianus imperator splendidum templum Constantinopoli ei extruxit. Poëtae et oratores innumeri S. Nicolaum laudibus exornavere. Sacrae autem ejus exuviae, anno 1087, e Myrensi urbe Barium, in Italia, delatae sunt: quo modo egregie narravit Joannes Barinae Ecclesiae archidiaconus jussu Ursonis Barensis et Canusinae Ecclesiae Archiepiscopi, sub quo Praesule translatio peracta est. Hujusmodi narrationem operae pretium ducimus hic referre. Recensetur enim ea a Surio in Tomo VIII, die 9 maji.

abripere, propriamque ad patriam transportare. Namque unus de palatinis magnatibus hoc pro auferendo et afferendo thesauro suo ab Imperatore legatus, cujus Myrea tellus parebat imperio, ad ecclesiam ubi sanctum jacebat corpus advenit. Qui cernens propter quod venerat non se posse perficere, beatum Nicolaum flagitare coepit humiliter, ut si loco ab illo transmutari se non permitteret, vel aliquam videndam sibimet particulam dignaretur concedere, quam osculari valeret. Cujus postulationi sanctus Nicolaus non defuit, sed quod rogaverat adimplevit. Nam ubi de liquore urnae cum peniculo, sicut solitus erat, extraxisset ecclesiae minister, dens unus statim cum illo extractus apparuit. Quem maxima cum laetitia suscipiens ille, Deo ejusque famulo Nicolao gratias agere, et oscula figere frequentissime coepit. Quem aurea capsellula mox inclusit, et super altare, quod ibi aderat, posuit. Cumque post paululum adspexisset, manare oleum illa de capsellula multum vidit. Involvit ergo eam pallio, putans hoc posse modo illum intus perstringere, ne foras exiret amplius, liquorem: sed frustra. Nam quanto plus circumligabat, tanto liquor ipse circumvoluta pallia madefaciens potius emanabat. Ergo desperare coepit, quia non posset habere in occulto, sicut optaverat: idque, Domino manifestante, cognovit. Ipse etiam beatus Nicolaus in somni visione fertur apparuisse, dentemque supradictum prae manibus tenens et ostendens dixisse: « Ecce postulationi tuae satisfeci: ferre autem tecum ut voluisti non poteris, quoniam separari ab aliis membris meis vel minimam particulam non permitto. » Ille autem evigilans, et animadvertens tantummodo imaginationem somni fuisse, dentem ubi posuerat non invenit. Hoc quidem in Graecis voluminibus significatum invenimus, quod idcirco nostrae relationi praenotavimus, quatenus ostenderemus, quia omnipotens Domini sui famuli corpus exinde, ubi fuerat hactenus, per tot curricula temporis non permisit transmutari.

§ 2. Porro sicut in vera Graecorum reperitur historia, iste sanctissimus pontifex in synodo Nicaena * fuisse legitur oppido jam senex: in qua praesidente beato Papa Sylvestro **, magnoque principe Constantino, Arius suis cum fautoribus condemnatus est. Ipse autem beatus Nicolaus paucis post diebus supervivens, coelo spiritum reddidit, corpus solo tradidit. A quo tempore usque ad ejus sancti corporis translationem, secundum eorumdem calculationem, ducentarum fere Olympiadum curricula transierunt. At vero secundum nostram supputationem, ex quo Verbum Dei caro factum est, et habitavit in nobis, anno millesimo octogesimo septimo, Indictione decima, quidam Barenses cum tribus navibus

* Synodus Nicaena convocata fuit anno 325.

** Gerebat S. Sylvestri, Romani Pontificis, personam, in Nicaeno concilio, Osius, Episcopus Cordubensis, collegarum legatorum primarius.

Antiochiam negotii causa proficisci voluerunt: iisque jam passis velis regna super Neptunia volantibus, nautae praedicti quasi divina inspiratione commoniti, mutua inter se sermocinatione de tanto rapiendo thesauro conferre coeperunt. Quidam autem ex iis ad tentandum id hortabantur: posse enim hoc divino perfici adjutorio, veluti jam scirent certissime, constanter asserebant. Ajebant Ecclesiam solitariam, clero populoque vacantem, et idcirco neminem fore, qui ipsis obstaret. Alii autem ne hoc tentarent dissuadebant, facinus clarissimum et difficillimum fieri posse desperantes.

§ 3. Ut autem Myream laetantes accesserunt, ad litus ancora de prora jacitur, stant litore puppes. Habito statim inter se consilio, peregrinum quemdam, quem pupatum secum vehebant, praemittunt exploratum. Qui rediens in castro, quo Sancti erat basilica, Turcos non paucos renuntiavit adesse. Ille enim, qui eidem castro praeerat, ibidem defunctus jacebat, et ea causa ad exequias funeris convenerunt. Quo audito, expansis carbasis, illico versus Antiochiam, proras ratium direxerunt, paucisque diebus secundo cursu ad eam pervenerunt civitatem. Ubi navem Venetorum invenientes, de variis rebus, ut àssolet, percontari coeperunt. Erant enim quidam ex nostris Venetorum cognati et amici, cum quibus de corpore beati Nicolai mutuo confabulabantur. Veneti vero id quod dudum animo conceperant, edere verbis nequaquam dubitaverunt. Nam et palos ferreos et malleos praeparatos se habere confessi sunt, et quod tentare deberent inter se jam consultasse, illis pandere non distulerunt. Quod cum nostri Barenses audissent, ad hoc incipiendum et perficiendum majori etiam desiderio sunt accensi: et non tam pro sua gloria et honore, totiusque patriae nostrae decore et ornamento audaciores et ardentiores esse coeperunt, quam ob vitandum dedecus et vituperationem sui: veriti ne forte Veneti id perficerent, atque inde ipsi ignominiae nota afficerentur. Quapropter etiam maturaverunt negotium, cujus explendi causâ iter susceperant, ut inde ocyus remearent.

§ 4. Eo expleto, cum jam redirent, et prospero Austro velis turgidis undas aequoreas carinae sulcarent, ad Myreumque litus appropinquarent, transire illud ultraque tendere voluerunt: jam enim deferbuerant, et velut tepidi ex priore facti erant ardore. Ambigere enim coeperant, quod rem difficillimam se moliri non ignorarent: tum quoque cursum velocissimum habere videbantur. Itaque jam intermittere voluerunt, quod prius consuluerant: sed divina dispositio, quae hoc perficiendum constituerat, non intermisit. Nam, imperante potentia Creatoris, ad sua mox rediens loca sylvia turbidus Auster, et nimius gelidis Boreas est missus ab antris. Ita ergo inviti steterunt, qui modo spontanei noluerunt. Exploratores deinde praemiserunt: qui redeuntes nuntiaverunt ecclesiam esse solitariam, clero et plebe vacuam; tribus

tantummodo custodientibus monachis, neminem impedientem, nullumque illic esse resistentem. Indigenarum enim exigentibus meritis, ea desolatio et devastatio justo Dei judicio illi regioni accidit, quam gens infidelis invaserat, suoque dominio subdiderat, eaque causa deserta remanserat. His auditis, arma continuo comprehendunt, paucisque relictis, qui naves interim custodirent, instructa acie bene muniti et cauti, tamquam hostibus obviam ituri, pergere coeperunt. Metuebant enim sibi, quod terra illa genti infideli subdita esset, longeque a litore locus, ad quem ibant, plus minus spatio trium milliariorum abesse videretur.

§ 5. At ubi ecclesiae claustra ingressi sunt, arma deposuerunt, aedemque sanctam humiliter suppliciterque subierunt, et Sancto preces obtulerunt. Finitis omnium precibus, ante dictos custodes sine dilatione de sancto corpore percontati sunt, et ubinam jaceret. Quibus illi: «Hoc loco, inquiunt, sicut a nostris accepimus decessoribus, sine ambiguitate repositum credimus:» et his dictis, locum ostenderunt. Deinde sancto de liquore more solito extrahentes, illis tribuerunt: de quo cum acciperent quidam in sua vascula, Lupus presbyter Barensis illorum comes in vitream ampullulam de eodem excepit: quae alto loco interim dum loquerentur, ut quae secure illic servaretur, reposita, casu improviso in pavimentum marmoreum cecidit, sed nihil de sua integritate amisit, solidaque, ut prius fuerat, non sine omnium, qui aderant, admiratione de pavimento levata est. Tum vero coeperunt cum monachis supra dictis quasi tentantes colloqui, dicereque se velle inde sacrum corpus tollere, et ad suam patriam transportare. Hac enim causa, inquiebant, a Romano Pontifice missi venimus, tribus advecti navibus. Si consentire nobis in hoc volueritis, dabimus vobis de unaquaque puppi centum aureos solidos. Hoc illi audientes, stupefacti et pavore correpti sunt: et: « Quomodo, inquiunt, istud attentare et perficere audebimus, cum nullus mortalium id hactenus impune attentaverit? Quis autem tam sit temerarius, ut tantae mercis vel emptor vel venditor esse velit? aut quae tanti erit pretii res tamque admirabilis, ut tanto possit thesauro comparari? An vero aurum vel argentum vel lapides pretiosi ei possunt aequari? Si domini terrarum non temeritate, sed ne precibus quidem et supplicationibus istud conari sunt ausi, quo pacto id vos ad effectum perducere valebitis? Desinite ergo tantum persequi nefas: non enim divinae id gratum est voluntati. At tamen, si sic vultis, periculum facite: ecce locus hic est. » Hoc autem dixerunt, nullo modo putantes fieri posse, quod illi volebant. Tot enim cursibus exactis solaribus, neminem mortalium noverant, qui vel occulte furari, vel palam vi rapere, vel a Domino precibus id impetrare hactenus valuerit.

§ 6. His atque aliis inter ipsos alternatim habitis sermonibus, animare se invicem, et ut auderent statimque inciperent consilium

habere coeperunt. Non enim illis opportunum erat aut commodum, sed oppido sinistrum et inconveniens ulterius rem differre. Solari enim lampade ad occasum vergente jam advesperascebat: resque ipsa et locus peregrinus, reditusque ad naves dilationem ac securitatem illis minime permittebant. His ergo convenienter prudenterque provisis, saepe nominatos monachos primo comprehendunt et tenent: deinde speculatores constituunt, qui undique venientes prospectent, ne quid ab improviso, quod neutiquam vellent, illis incommodi accideret. Stabant etiam hinc inde armati per tramites, ut fortuito advenientes caperent, nec abire sinerent: nec adeo pavidi erant, tametsi numerus armatorum non excederet quadraginta et quatuor juvenes, sed audacissimos, quin hostibus quadruplo pluribus fortiter vellent obsistere, nec verterent terga, aut illis manus traderent. His autem caute prudenterque foris ordinatis, intus presbyter ille, quem supra nominavimus, et alter consodalis Grimoaldus nomine, cum paucis aliis in ecclesia stantes preces inchoant, quae usitato more litaniae vocantur. Sed timore pariter et tremore correpti, ac velut dementes effecti, linguae instrumento impedito, quae inchoaverant clarius exprimere non valebant. Interea Matthaeus unus ex nautis, ferreo arrepto malleo pavimentum marmoreum percussit et fregit, sub quo caementum reperiunt. Quo comminuto et ejecto, urnae dorsum marmoreae confestim apparuit. Hinc ergo exorta laetitia, magis ac magis fodere, veteremque juncturam calcis cum asciola quadam rumpere ac dissipare, fragmentaque ejicere non tardabant. Quibus ejectis, forisque pilâ detectâ, atque a jam dicto juvene malleo percussâ, fragrantissimus subito ac suavissimus odor exivit, qui mira eos qui aderant, suavitatis delectatione implevit.

§ 7. Idem vero juvenis immittens manum, primoque liquorem attingens, sensit esse valde copiosum, ita ut urna eadem, quae non parva erat, quasi usque ad medium plena esse videbatur. Deinde immergens dexteram, thesaurum pretiosissimum, quem ineffabili desiderio quaerebat, invenit: inventumque impavidus celeriter extraxit. Nam sicut ipse nobis retulit, verbis credibilibus fidem faciens, nunquam se tam securum atque interritum stetisse fatebatur. Unde quis ambigat tanto in opere, ne formidaret, ope Angelica eum fuisse confirmatum? Expositis autem membris caeteris confuse ac temere, caput adhuc deerat. Quo nondum reperto, tristes aliquantulum sunt effecti. Quapropter inclinans se juvenis ille, non ut prius solis immersis manibus in multo liquore quaesivit illud, verum etiam audacia temeraria pedibus ingrediens (sic enim necessitas admonebat) sanctum caput hinc inde quaesivit: repertoque egressus est, salutifero de latice vestibus et toto corpore madefactus. Factum id est duodecimo Calendas Maji. Interea quidam ex circumstantibus nautis clanculum

de sanctis reliquiis minimas particulas auferentes, occuluerunt: sed frustra. Ut vero confitentes hoc factum suum caeteris artubus illas restituerint, suo loco postea ostendemus.

§ 8. His ita consummatis, loculus illis deerat, in quem sancta illa omnipotentis Dei inferrent munera. Namque inopinato et ex improviso istud eis evenerat, et idcirco nihil tale praeparatum secum attulerant, quo excipere illa honesteque componere possent. Sed tamen alterius ex iis, quos diximus, presbyteris exuta quam induerat tunica, quae alias paludamentum vocatur, prout poterant ea involverunt: statimque subeunte Lupo presbytero, per humeros ejus guttulis odoriferis decurrentibus, onus levissimum, nulla terreni ponderis gravitate molestum, cum omnes essent armis accincti fulgentibus, asportarunt, praedam sanctissimam non ex hostibus ferentes, sed ex Dominico gazophylacio, divina largiente gratia, sumentes, thesaurumque venerabilem de arca sanctissima furto laudabili tollentes, non sine Angelico, ut putamus, comitatu, exultantibus animis cum laudibus altisonis, quantum quidem laici sciebant, ad litora propere remeabant. Nec deerant nonnulli, qui de sancto urnae, quam ruperant, marmore frusta quae poterant secum auferrent: e quibus in minutas divisis particulas a multis pontificibus per Italiam multa sunt altaria tabulaeque itinerariae consecratae. Idem factum est et de panno illo nimium madefacto, quo artus venerandos involverant. Quippe utrumque sanctificatum est, et ob hoc valde venerandum, atque in hujusmodi locis honorifice recondendum.

§ 9. Ut autem ad ponti advenere confinia, sanctasque deposuere reliquias, orta est inter illos contentio, quinam ex illis, aut cujus navis ferret onus illud desiderabile. Optabat enim unumquodque sodalitium in suo illud portare navigio. Quis enim tantum nollet servare et custodire patronum, a quo se ipse potius servandum et custodiendum, atque ex omnibus adversis eripiendum non desperaret? Placuit tandem omnibus, ut omissa hac contentione, illius navis sodalitas secum veheret, in qua nauta erat hujus operis audacissimus effector: ea tamen conditione, ut prius jusjurandum darent, se sine caeteris nihil de sancto corpore acturos vel constituros; quod quidem ita factum est. Concordia ergo inter illos hoc modo composita, ratem ascendunt, et alio illud involventes panno candido et novo, priore ablato, in ligneum imponunt vasculum, in quo laticem vel temetum nautae servare solent. Interea fama pernicibus alis volitans, incolis Myrei castri, quod non longius milliario uno ab eadem ecclesia in monticulo quodam situm est, aures multorum tristi voce percutiens, id quod gestum erat nuntiavit. Concurrentes ergo undique cursu velocissimo, irati nimium ac tristissimi, tendebant ad litora, ob raptumque pastorem et dominum lugentes amarissime, crines et barbas evellere diutissime non cessarunt, et vocibus

luctuosis, perinde ac si carissimi propinqui alicujus corpus exanime libitina ferrent, ita clamitabant:

Tempore quid miseris heu nobis accidit isto,
  Quo patriae nostrae dedecus aspicimus?
Munera tanta Dei multos servata per annos,
  Tam facili raptu perdidimus subito.
Hactenus hoc fuerat Lyciae ditata superno
  Thesauro tellus, ac decorata nimis:
Laudibus eximiis totum celebrata per orbem,
  Et munita patris magnanimi meritis.
Infelix Myrea, tuis spoliata manebis
  Cultibus et donis, moestaque semper eris.
O Nicolaë, pater toto venerabilis orbe,
  Cur patriam nostram deseris, immo tuam?
Hîc genitus fueras, sanctisque parentibus altus:
  Hîc puer et juvenis, virque senexque pius.
Hîc pater et dominus, pastor custosque benignus,
  Hactenus hac patria vivus et exanimis.
Quaelibet hanc miseram quotiens adversa premebant,
  Auxilium petiit mox pater alme tuum.
Rebus in adversis aderas spes una salutis,
  Munimen tribuens supplicibus populis.
Quorum tu precibus praesens venerande favebas,
  Votaque suscipiens, quaeque rogata dabas.
Undique currebant cunctis e partibus orbis,
  Ad sacrum tumulum saepe salutiferum.
Noverit heu vacuum simul ac quem turba fidelis,
  Omnis cessabit cultus, et omnis honor.
Munera quippe Dei deerunt, et gratia prima:
  Historiae solum nomen erit veteris.
Pastor oves proprias cui nos committis alendas?
  Te linquente gregem, mox lupus adveniet.
Virtus, solamen nostrum, decus omne, levamen:
  Tu spes una, salus, causaque laetitiae.
Vae nobis miseris, haec omnia perdimus: at nos
  Hinc subit et luctus, perpetuusque dolor.
Heu cui tale nefas fuit haec permissa potestas
  Efficere, et tantum sic violare locum?
Et male tractavit cujus temeraria dextra,
  Fecit et hoc furtum quis modo sacrilegus?
Sed fortunati, qui praedam fertis opimam,
  Nos infelices occupat omne malum.

§ **10**. Haec et alia, tristitia et dolore atque ira cogente, conclamabant lugentes, ac deinde ad propria moestissimi lacrymisque madentes remeabant. Inter abeundum autem frequenter vultus convertebant ad litora, navesque respiciebant; quippe in quibus et illorum et totius patriae decus et gaudia ferebantur. Interdum vero inhiantes et tamquam versi in amentiam restabant, atque ut

leaenae torvae, cum sunt foetae, et tigrides asperrimae fremebant. Illis denique moerore conscio abeuntibus, lentisque gressibus arenas calcantibus, isti comitante laetitia, exultantibus animis, rudentes celeriter exsolvunt a litore, suaque assidentes per transtra, alacriter remigare coeperunt. Quanta enim illi non absque animi stupore tunc hilaritate perfusi fuerint, nec voce proferre, nec litteris explicare, nec animi consideratione consequi possim. Navigantes autem, nocte illa in insulam, quae Cacabum dicitur, delati sunt: qua relicta, laborante remigio ad Majestras insulas (sic enim nominantur) profecti sunt. Inde recedentes, cum multa remigum fatigatione ad loca Macri appulerunt. His enim tribus noctibus, geminisque diebus admodum illis adversante Borea navigarunt. Unde etiam quidam inter se colloquentes, fluctuantibus et turbatis animis dixerunt: « Quid ita nobis infestus est hic ventus, nec quiescit? Forsitan aliud nobiscum vehimus: non illud quod autumamus. Aut si revera corpus S. Nicolai fèrimus, fortassis non ei placuit id quod fecimus, atque eâ causâ male egimus, et ulterius illud ferre non valemus. »

§ **11**. Ex iis autem vir quidam Eustasius nomine, nocte sequenti fertur vera somnii visione vidisse, immo hujusmodi passionem sensisse, hyrundines ejus linguam mordicus apprehensam male tractantes atque cruentantes. Qua ille visione perterritus et expergefactus, de cubili surgens nequaquam tacere voluit quod viderat, sed sociis omnibus, metu necdum de pectore recedente indicavit, asserens quod vere sint membra sanctissimi Nicolai: nec dubitavit ulterius bene illi placuisse quod fecerant. At tamen illi de contrario vento perrexerunt inter se conqueri, et cur illis ea adversitas accidisset percontari. Tum vero quidam ex iis, ceu vates veridici, talia dicebant: « Venti isthaec adversitas, quae nostrum impedit iter, ut nos quidem putamus, non prius cessatura est, donec artubus caeteris particulae illae, quae separatae sunt, conjungantur. Revera enim quidam ex nostris occulte de sanctis abstulere reliquiis, easque apud se absconditas habent. Sed si laeti cupimus omnes redire in patriam, sancto restituatur corpori, quicquid a quolibet sublatum est. Singuli etiam jurejurando firment se nihil ejusmodi penes se occultatum habere, ut ab omnibus suspicio omnis amoveatur. » His dictis cum omnes assentirent, singuli singulas, quas abstulerant, particulas ostenderunt; et in iis Romoaldus quidam duos sancti viri dentes et exiguos articulos protulit; alter de sancto liquore omnino madidum marsupium, ubi servaverat quod furtim abstulerat, se invenisse confessus est. Iis ergo particulis caeteris artubus adjunctis, singuli, proposito Evangelii codice, juramento satisfecerunt, se de S. Nicolai reliquiis nec habere quicquam absconditum, nec scire quemquam alium habere. Cum haec ab omnibus unanimiter facta fuissent, jam minime deinceps senserunt adversa ventorum

spiramina, quandoque prius inconsulte gesserant, de eo postmodum se bene consuluisse aperte cognoverunt.

§ 12. Flante ergo prospero vento, latumque carinis aequor sulcantibus, Domini collaudantes magnalia, laetissimi cursu vehebantur citissimo, et sicut postea itinere jam peracto compererunt, praedictum illis fuit quiddam valde mirabile. Namque uni ex nautis, cujus nomen erat Disigius, cum quies soporifera ejus membra teneret, apparens imago viri venerabilis fertur dixisse: « Nolite timere, sed constantes estote: quia vobiscum ero. » Et ille: « Quis tu, inquit, es domine? » Cui sic responsum venerandus reddidit heros: « Sum Nicolaus ego, vobiscum qui modo dego. Et ut me verum experiamini dicere, die vicesimo, a quo corpus meum abstulistis, Barinum portum intrabitis.» Haec ubi imago illa locuta est, ab oculis illius evanuit. Hoc autem ille evigilans omnibus enarravit. Atque id ita demum, ut praedictum fuit, evenisse constat. Hinc igitur tanto confisi miraculo, minime jam pelagi minas exhorrebant, nec rabidos ventorum impetus, ut perpavidi nautae solent, exspectabant, nec potestatem ponticam contra se futuram metuebant: quippe qui illum, per quem tempestates terribiles saepissime quieverunt, secum per pelagus securi ferrent. Porro illis gaudentibus, et medio pelago carinis currentibus, avicula quaedam ex improviso apparuit: quae huc illuc intra navem nunc volitans, nunc pedibus inter nautas ambulans, quasi mansueta et domestica, et quae capi non renueret, ibat et redibat, ascendebat et descendebat. Quam illi vultu hilari aspicientes, mirabantur non solum ejus mansuetudinem et circuitiones, sed etiam adventum. In medio enim aequore ventosis alis volantibus navibus, ab insulis et tellure longissimo intervallo separati videbantur: atque inde animadvertentes unde ea advenisset volucris, laetitiam simul et admirationem conceperunt. Cum autem aliquantisper intra ratem hac illac deambulasset, ab oculis omnium est ablata, nec usquam amplius visa. Laeti igitur ex eo effecti sunt, quod visu corporeo conspexerant: quandoquidem aliud in illa volucris specie fuisse, interiori speculatione colligebant et credebant.

§ 13. Sed majori quotidie exultatione afficiebantur. Crebro namque inter lucem et tenebras odorem suavissimum, mirabilem et incognitam spirantem fragrantiam, sentiebant. Atque iis omnibus merito exhilarati, ad portum S. Georgii paucis diebus appulerunt: qui locus a Barinis moenibus non amplius quinque abest milliariis. Ubi ex vasculo supra memorato sanctas extraxere reliquias, et in capsella lignea, quam in itinere paraverant, digna prius veneratione eas exosculantes, quantum quidem potuere, honorifice eas condiderunt, et extrinsecus pallio stricte contexerunt. Interim quosdam de suis nuntios praemiserunt ad Clerum populumque Barensem: qui cum illos audivissent, confestim

civitas tota gaudio inopinato, novo et mirabili est repleta: omnique mox dilatione remota, uterque sexus et omnis aetas, atque adeo etiam infirmi ad litora convenerunt. Namque fere viri omnes et mulieres, senes et juvenes, anus et juvenculae, pueri et adolescentulae, infantuli et infantulae naves saepe dictas, tantam Baro cunctaeque Italiae laetitiam afferentes, intentis obtutibus et jucundissimis animis venientes exspectabant.

§ 14. Ut autem juxta portum applicuerunt, cuinam viro ecclesiastico et religioso tantum thesaurum porrigerent et committerent, ignorabant. Urso enim Barinorum Archiepiscopus, vir religiosus, Deoque dignus, et dominis Italicis notissimus et familiaris amicus erat tum apud Tranum, cum quo et nos illo die eramus. Navis enim illic praeparata stabat, quam post diem alterum ingredi statuerat, causa orationis Jerosolymam profecturus. Porro legatus ad eum festinus venit civium Barensium cum litteris, quae omnipotentem Dominum tam mirifica dona ecclesiae Barensi ipsius tempore concessisse significabant. Omisso ergo ille coepto itinere, immensâ repletus laetitiâ, Barum sibi propere petendum existimavit. Interim nautae Eliae Abbati coenobii S. Benedicti, quod supra portum situm est, capsellam sacras reliquias continentem commendarunt: quam ille suscipiens, in eadem beati Benedicti ecclesia nono die mensis Maji, in quo translationis est constituta celebrari solemnitas, tribus diebus et noctibus cum Fratribus suis diligenter et caute custodivit. Nam inde postea fuit ablata, et ad curiam, quae dicitur Catepani, deportata. Inter cives namque Barenses civilis dissensio et seditio exoriens, in duas est partes divisa. Alii enim in hac civitatis parte, alii in altera Sanctum collocare nitebantur. Quid autem inter illos evenerit, per notas vocum nolumus nostris moerendum relinquere posteris: sed malumus silentio sempiterno teneri, et oblivione ignorari. Tandem vero adveniente Archiepiscopo, nautae et cives rogaverunt illum, ut capsellam illam intra curiam suam sineret reponi, quod locus illic esset aptus et amplus, ibique propria ecclesia construeretur. Quorum ille postulationi consensum praebuit: et mox cum Episcopis et clericis omnique populo civitatis nudis pedibus illuc pergens, de medio curiae abstulit, et in ecclesia beati protomartyris Stephani, quae paucis mensibus ante annos tres fabricata fuerat, deposuit. Deinde sollicite cogitare coeperunt, cui viro idoneo, digno et fideli tantum thesaurum fideliter custodiendum committerent, qui et oblationes fidelium susciperet, fideliterque ad necessaria basilicae opera servaret, omnibusque praeesset utilitatibus providus dispensator. Sed neminem alium tantae rei magis idoneum hac tempestate reperire potuerunt, quam ante dictum Eliam Abbatem. Itaque omnium consensu et favore Archiepiscopus loculum corporis et caetera supra memorata illi commisit, agendisque omnibus eum praepositum esse voluit.

§ 15. Haec fere omnia, quae hucusque per notas vocum et mentis stylo inculto, pro tenuitate ingenioli nostri consignavimus, omnipotens majestas per mortalium actiones operari dignata est: caetera quae sequuntur, ipsa sola operata est, signa videlicet virtutum suarum innumera et miranda. Placuit enim divinae omnipotentiae, quod actione temeraria factum videbatur, sua confirmare operatione mirabili. Ambigebant enim non pauci fideles, et idcirco tanta gratia et gloria et sublimitas ex divina dispositione Barum advenisse, totamque Italiam illustrasse, non rata mentis ratione credebatur. Ut enim initio diximus, permulti principes id frustra saepe conati fuerant. Si quis autem quaerat, vel secum tacitus miretur, cur quod illis per tot secula negatum est, istis Deus concesserit, responderi illi potest: « Causam nos nescimus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Hoc solum novimus, quod illis tunc noluit isthuc concedere, quod istis cum sibi visum fuit concessit. Id vero non dubie possumus conjicere, quod pro salute Italorum, immo totius Europae de Asia usque Barum munus hoc gratissimum provisor omnium transferri imperavit. In hac enim sola mundi parte, id est, Europa, catholica pietas abundantius et perfectius colitur: in aliis vero aut vix alicubi, aut nusquam. » Collaudare igitur Dominum oportet fideles omnes provincias, et benedicere, eique grates dignissimas agere, quod dignatus est respicere populum, quem suo sanguine redemit: cui hoc tempore tantam voluit impertiri gratiam, ut per medelam, quam alii sentiunt, alii fieri cernunt in corporibus, animarum perpetua sanitas acquiratur. Neque enim credendum est, quod pro solis corporibus sanandis, quae sunt quandoque in cineres redigenda, haec voluerit Dominus noster suis fidelibus praestare beneficia: sed post visibile medicamentum, invisibilis necesse est medicina requiratur. Utrumque enim sanare Salvator non despicit, qui utrumque creavit: si tamen humilis praecedat supplicatio, cordisque contritio. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. Etsi autem totius Hesperiae civitates et provinciae de tam mirifico munere jure congratulari videntur, at tamen Barum maxima et singulari ac velut propria quadam excellentia praefulgere conspicitur. Nam, divina imperante potentia, dimissa patria, in qua ortus fuerat, relicta episcopali cathedra cui praefuerat pontifex pius et venerandus, postremo quasi postpositis totius orbis terrarum partibus aliis, hanc sibi delegit beatus Nicolaus sedem, ubi corporis ejus ossa sanctissima quiescant. Cur autem hic, et non alibi, cum sint et majora, et meliora, et digniora loca, nemo a nobis curiosius inquirat. Nosse ea sufficiat, quae superius annotata sunt. Gaude igitur Barum gaudio singulari, sed in Domino. *Gaudete justi,* ait Propheta, *in Domino* (*Ps.* 32). Et Apostolus: *Gaudete in Domino semper* (*Philip.* IV). Exulta Barum, sed in Domino, qui hanc

exultationem sola gratia sua, non praecedentibus meritis tuis tibi praestitit. Gloriare, sed in Domino, qui prae cunctis telluris partibus tanta te gloria sublimavit.....

# VITA S. ASELLAE VIRG.

PER D. HIERONYMUM AD MARCELLAM SCRIPTA.

HABETUR TOMO I EPISTOLARUM EJUS.

§ 1. Nemo reprehendat, quod in epistolis aliquos aut laudamus, aut carpimus; cum et in arguendis malis, sit correctio caeterorum, et in optimis praedicandis, bonorum ad virtutem studia concitentur. Nudiustertius de beatae memoriae Lea aliqua dixeramus. Illico pupugit animum, et mihi venit in mentem, non debere nos tacere de virgine, qui de secundo ordine castitatis locuti sumus. Igitur Asellae nostrae vita breviter explicanda est: cui, quaeso, ne hanc epistolam legas: gravatur quippe laudibus suis: sed iis potius, quae adolescentulae sunt, legere dignare, ut ad exemplum ejus se instituentes, conversationem illius, perfectae vitae normam arbitrentur.

§ 2. Praetermitto, quod in matris utero benedicitur ei, antequam nascatur; quod in phiala nitentis vitri, et omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem; quod adhuc infantiae involuta pannis, et vix annum decimum * aetatis excedens, honore futurae beatitudinis consecratur. Sit gratiae omne, quod ante laborem fuit: licet Deus praescius futurorum, et Jeremiam sanctificet in utero, et Joannem in alvo matris faciat exultare, et Paulum ante constitutionem mundi separet in Evangelium Filii sui. Ad ea venio, quae post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, coepit, implevit. Unius cellulae clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terrae solum, et orationis locus extitit et quietis. Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Et cum eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret, pane et sale, et aqua frigida concitabat magis esuriem, quam restinguebat.

§ 3. Et quia pene oblitus sum, quod in principio debui dicere: Cum primum hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem murenulam ** vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit; et tunicam fusciorem, quam a

* Privatam quamdam consecrationem, non solemnem, intellige. Nam ex Carthag. Synod. 3, can. 4. ante annos 25 Virgines consecrare haud licebat. Quod tempus postea Leo Pp. I ad quadragesimam aetatis annum produxit.

** *Murenula* dicta fuit, quod murenae pisci adsimilaretur.

matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecravit, ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quae jam seculum damnasset in vestibus. Sed, ut dicere coeperamus, ita se semper moderate habuit, et intra cubiculi sui secreta custodivit, ut nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium: et, quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potius quam videret. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: *Qui non operatur, non manducet* (2. *Thess.* III, 10). Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Ad Martyrum limina pene invisa properabat. Et cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exultabat, quod se nullus cognosceret. Cumque per omnem annum, jugi jejunió pasceretur, biduo triduoque sic pèrmanens, tum vero in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes pene hebdomadas vultu laetante conjungens. Et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem praestante possibile est, ita ad quinquagenariam pervenit aetatem, ut non doleret stomachum; non viscerum cruciaretur injuriâ; non sicca humus jacentia membra confringeret; non sacco asperata cutis, foetorem aliquem situmque contraheret: sed sana corpore, anima sanior, solitudinem putaret esse delicias, et in urbe turbida, inveniret erèmum monachorum.

§ 4. Et haec quidem tu melius nosti, a qua pauca didicimus; et cujus oculis durities de genubus camelorum in illo sancto corpusculo prae orandi frequentia obcalluisse perspecta est. Nos, quod scire possumus, explicamus. Nihil illius severitate jucundius, nihil jucunditate severius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius. Ita pallor in facie est, ut, cum continentiam indicet, non redoleat ostentationem. Sermo silens, et silentium loquens. Nec citus, nec tardus incessus. Idem semper habitus. Neglecta mundities, et inculta veste, cultus ipse, sine cultu. Sola vitae suae aequalitate promeruit, ut in Urbe pompae, lasciviae deliciarum, in qua humilem esse miseria est, et boni eam praedicent, et mali detrahere non audeant. Viduae eam imitentur, et virgines, maritatae colant, noxiae timeant, suspiciant Sacerdotes *.

* De S. Asellae eruditione et sanctitate S. Hieronymus scribit in Epist. 140 ad Principiam. Ad eandem Sanctam extat ipsius Epistola 99, scripta cum jam is ex Urbe egressus esset.

# VITA

# S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISC.

## CLARISSIMI ECCLESIAE DOCTORIS

AUCTORE PAULINO PRESBYTERO *.

**Obiit anno 397.**

§ 1. Hortaris, venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus et Hieronymus presbyter stylo prosecuti sunt vitas sanctorum Pauli et Antonii, in erèmo positorum; sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis ecclesiae Severus servus Dei sermone contexuit, sic etiam ego beati Ambrosii, episcopi Mediolanensium ecclesiae, meo prosequar stylo. Sed ego, ut meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt et eloquentiae fontes, ita etiam sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor, quod praecipis, declinare, ea, quae a probatissimis viris, qui illi ante me adstiterunt, et maxime ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quae ipse vidi, cum illi adstarem, vel quae ab iis agnovi, qui illum in diversis provinciis post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quae ad illum scripta sunt, cum adhuc obiisse nesciretur, adjutus orationibus tuis et meritis tanti viri, licet inculto sermone, breviter strictimque describam: ut lectoris animum, etsi sermo offendit, tamen brevitas ad legendum provocet. Nec verborum fucis veritatem obducam: ne, dum scriptor elegantiae pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam, quem non magis verborum phàleras pompasque sermonum, quam virtutes rerum, gratiamque Spiritus Sancti spectare convenit. Siquidem noverimus viatores gratiorem habere aquam brevi vena stillantem, forte cum sitiunt, quam profluentis fontis rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis, dulcis solet esse etiam iis, qui centenis vicibus ferculorum quotidiani convivii copias ructare consuerunt. Sed et hortorum amoena mirantibus herbae agrestes placère consuerunt. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis vera esse quae dicimus. Nec putet me quisquam studio amoris aliquid, quod fide careat, posuisse: quandoquidem melius sit penitus nihil

* S. Paulinus, S. Ambrosii olim Diaconus, hanc Vitam contexuit, petente S. Augustino, ut ipse testatur. Idem composuit quoque et obtulit Zosimo Papae *libellum in gratiarum actionem ob Pelagium et Coelestium condemnatos*. Claruit anno 400 ad 420. Caute porro is distinguendus est a duobus aliis Paulinis, qui eodem tempore florebant, quorum unus est Paulinus Biterrensis in Gallis Episcopus, alter vero est nepos ex filio, vel ex fratre, Ausonii.

dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem etsi non ab omnibus omnia, tamen a diversis diversa sciri, et ea cognita nonnullis esse, quae etiam minus ipse aut audire, aut videre potui. Unde ab die nativitatis ejus narrandi initium sumam, ut gratia viri ab incunabulis, quae fuerit, agnoscatur.

§ 2. Igitur posito in administratione praefecturae Galliarum patre ejus * Ambrosio, natus est ** Ambrosius: qui infans in area praetorii in cunabulis positus, cum dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens, faciem ejus atque ora complevit ita, ut ingrediendi in os, egrediendique frequentarent vices. Quae pater, qui prope cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quae curam nutriendi infantis susceperat, prohibens (sollicita enim erat, ne infanti nocerent), exspectabat patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At ille post aliquandiu evolantes, in tantam aëris altitudinem sublevatae sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater, ait: « Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. » Operabatur enim jam tunc Dominus in servuli sui infantia, ut impleretur quod dictum est: *Favum mellis, sermones boni* ***. Illud enim examen apum, scriptorum ipsius nobis generabat favos, qui coelestia dona annunciarent, et mentes hominum de terrenis ad coelum erigerent. Postea vero cum adolevisset, et esset in urbe Roma constitutus cum matre vidua et sorore ****, quae virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror Candida, et ipsa ejusdem professionis, quae nunc Carthagine degit jam anus, cum videret sacerdotis a domestica sorore vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens, et sibi id ab eis fieri oportere, siquidem Episcopum se futurum esse memorabat. Loquebatur enim in illo Spiritus Sanctus, qui illum ad sacerdotium nutriebat. Illa vero, ut adolescentem et nescientem quid diceret, respuebat.

§ 3. Sed postquam edoctus est liberalibus disciplinis, Urbe egressus est: professusque in auditorio praefecturae praetorii, ita splendide causas perorabat, ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc praefecto praetorii, ad consilium tribuendum. Post haec consularitatis suscepit insignia *****, ut regeret Liguriam Aemiliamque provincias, venitque Mediolanum ******. Per idem tempus

* « Pater (*S. Ambrosii*) illustris Romani sanguinis prosapia oriundus exstitit, qui non inferiore primum subsellio in senatu romano potitus, tutor reipublicae ac defensor utillimus Caesaris est judicio praeelectus » (*Ex Panegyric. S. Marcellinae*, in Boll. 17 julii).

** Annum 333 ponit Baronius; sed probabilius anno 340 S. Ambrosius natus est.

*** In *Prov.* XVI.

**** S. Marcellina, quae, juxta D. Aloysium Biraghi (in *S. Marcellinae Vita*), anno 327, in vitam ingressa est.

***** Anno 373.

****** *Et Mediolani mirarum copia rerum, — Innumerae cultaeque domus, foecunda virorum. — Ingenia, antiqui mores; tum duplice muro — Amplificabat loci species, populique voluptas — Circus, et inclusi moles cuneata theatri, — Templa, palatinaeque domus, opulensque moneta.* Ita Mediolanum celebrabat tunc temporis Ausonius.

mortuo Auxentio *, Arianae perfidiae episcopo (qui Dionysio beatae memoriae confessore ad exsilium destinato, incubabat ecclesiae), cum populus ad seditionem esset commotus, essetque illi cura sedandae seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad ecclesiam. Ibique cum alloqueretur plebem, subito vox fertur infantis in populo sonuisse: *Ambrosium episcopum*. Ad cujus vocis sonum, totius populi ora conversa sunt, acclamantis Ambrosium episcopum, ita ut qui antea turbulentissime dissidebant, quia et Ariani sibi, et Catholici sibi Episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinari repente hunc unum mirabili et incredibili concordia consenserunt. Quo ille cognito, egressus ecclesiam, tribunal sibi parari fecit; quippe mox futurus Episcopus, altiora conscendit. Tunc contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhibere. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: *Peccatum tuum super nos*. Sed non similiter is populus tunc clamavit, sicut populus Judaeorum. Illi enim vocibus suis sanguinem Dominicum effuderunt, dicentes: *Sanguis hujus super nos* (*Matth.* XXVII); isti vero catechumenum scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus, revertens domum, philosophiam ** profiteri voluit, futurus scilicet verus philosophus Christi, qui, contemptis secularibus pompis, piscatorum secuturus esset vestigia: qui Christo populos congregarunt, non fucis verborum, sed simplici sermone et verae fidei ratione; missi sine pera, sine virga, etiam ipsos philosophos converterunt. Quod ubi ne faceret revocatus est, publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut visis his, populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat: *Peccatum tuum super nos*. At ille cum videret nihil intentionem suam proficere posse, fugam paravit. Egressusque noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quae Romana dicitur, invenitur. Deus enim, qui Ecclesiae suae catholicae murum parabat adversus inimicos suos, et turrem erigebat David contra faciem Damasci, hoc est, perfidiam haereticorum, fugam illius impedivit. Qui inventus cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum Imperatorem Valentinianum, qui summo gaudio accepit, quod judices a se directi, ad sacerdotium peterentur. Laetabatur etiam Probus praefectus, quod verbum ejus impleretur in Ambrosio. Dixerat enim proficiscenti, cum mandata ab eodem darentur, ut moris est: « Vade, age non ut Judex, sed ut Episcopus. » Pendente itaque relatione, iterum fugam paravit, atque in possessione cujusdam Leontii clarissimi viri aliquandiu delituit. Sed ubi relationi responsum est, ab eodem Leontio proditur: praeceptum enim erat

* Anno 374.

** Vitam scilicet meditationi p[illegible]busque omnino deditam.

Vicario, ut insisteret rebus perficiendis. Qui injuncta sibi cum vellet implere, proposito edicto, convenit omnes, ut si vellent sibi consulere rebusque suis, proderent virum. Productus itaque et adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit se non nisi a catholico Episcopo baptizari. Sollicite enim cavebat perfidiam Arianorum. Baptizatus * itaque, fertur omnia Ecclesiastica officia implesse, atque octava die Episcopus ordinatus est summa cum gratia et laetitia cunctorum.

§ 4. Igitur post annos aliquot ordinationis suae ad urbem Romam, hoc est ad proprium solum, perrexit, ibique sanctam puellam, de qua supra memoravimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana, sicut reliquerat, invenit, matre jam defuncta. Atque cum illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: « Ecce, ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis. » Per idem tempus cum trans Tiberim apud quandam clarissimam invitatur, ut sacrificium in domo offerret, quaedam balneatrix, quae paralytica in lecto jacebat, cum cognovisset ibidem esse Domini sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit, atque oranti et imponenti manus, vestimenta attigit. Quae cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare coepit, ut impleretur illud Dominicum dictum ad Apostolos: *Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo* **. Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum. Nam ego hoc post annos plurimos, sanctis viris referentibus, positus in Urbe cognovi. Sirmium vero cum ad ordinandum episcopum Anemmium perrexisset, ibique Justinae ***, tunc temporis Reginae, potentia et multitudine coadunata, ecclesia pelleretur, ut non ab ipso, sed ab haereticis Arianis episcopus in eadem ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali, nil curans eorum, quae a muliere excitabantur, una de virginibus Arianorum impudentior caeteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento sacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis caesus de ecclesia pelleretur, ait ei (ut ipse solitus erat referre): « Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem tuam, in qualemcumque sacerdotem manus injicere, unde debes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniat. » Quod dictum exitus confirmavit. Nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnam Ecclesiae catholicae in ordinando Episcopo tribuit.

§ 5. Ordinato itaque catholico sacerdote, Mediolanum revertitur, ibique supradictae Justinae mulieris innumeras insidias

* Anno supradicto, 374. ** In *Joan.* XIV.
*** Justina, vidua Magnentii tyranni, Valentiniano I nupserat anno 36°.

sustinuit, quae muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis, populum excitabat; sed infirmorum mentes talibus promissis decipiebantur. Promittebat enim tribunatus et diversas alias dignitates iis, qui illum de ecclesia raptum, ad exsilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed, Deo praesule, perficere non valerent, unus infelicior caeteris, nomine Euthymius, tanto furore excitatus est, ut juxta ecclesiam sibi domum pararet, atque in eadem currum constitueret, quo facilius raptum, ad exsilium perduceret. Sed iniquitas ejus in verticem ipsius descendit. Post annum enim eodem die, quo illum rapere se arbitrabatur, eodem carpento impositus, de eadem domo ipse ad exsilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei id in se esse conversum, ut in eodem carpento dirigeretur ad exsilium, quod ipse paraverat sacerdoti. Cui non minimum solatii sacerdos praebuit, dando sumptus, vel alia quae erant necessaria. Sed haec confessio hominis nec mulieris furorem, nec vesanorum Arianorum dementiam repressit. Majore enim accensi amentia, basilicam Portianam invadere nitebantur. Exercitus etiam armatus ad custodiendas fores ecclesiae est directus, ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi. Sed Dominus, qui de adversariis suis Ecclesiae suae triumphos donare consuevit, ad ecclesiae suae munimentum militum corda convertit, ut adversis scutis ecclesiae fores servarent, nec egredi dimitterent, sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primo antiphonae, hymni ac vigiliae in ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt: cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem, non solum in eadem ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.

§ 6. Per idem tempus * sancti martyres Protasius et Gervasius se sacerdoti revelaverunt: erant enim in basilica ** positi, in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martyrum. Sed sancti martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur; Protasii vero et Gervasii martyrum ut nomina, ita etiam sepulcra incognita erant, intantum ut supra ipsorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis martyrum ab injuria sepulcra defendebantur. Sed ubi sanctorum Martyrum sunt corpora levata et in lecticis posita, multorum ibi sanatae aegritudines perdocentur. Caecus etiam, Severus nomine, qui nunc usque in eadem basilica, quae dicitur Ambrosiana, in quam Martyrum corpora sunt translata, religiose servit, ubi vestem Martyrum attigit, statim lumen recepit. Obsessa etiam corpora a spiritibus immundis, curata, summa cum gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis Martyrum inquantum

* Anno 386.

** Huic SS. Gervasii et Protasii inventioni et S. Augustinus aderat (Cfr. *Confess.*, lib. IX).

crescebat fides Ecclesiae catholicae, intantum Arianorum perfidia minuebatur. Denique ex hoc tempore sedari coepit persecutio, quae Justinae furore accendebatur, ut sacerdos de ecclesia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo Arianorum cum Justina constituta, deridebat tantam Dei gratiam, quam Ecclesiae suae catholicae Dominus Jesus meritis Martyrum suorum conferre dignatus est, venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecuniâ comparasse homines, qui se vexari ab immundis spiritibus mentirentur, atque ita ab illo, sicut et a martyribus, se torqueri dicerent. Sed hoc judaico ore loquebantur Ariani, suppares scilicet eorum. Illi enim de Domino dicebant: *Quoniam in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia* *; isti de Martyribus vel de Domini sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quae per ipsos operabatur, immundi spiritus pellerentur, sed acceptâ pecuniâ se torqueri mentirentur. Clamabant enim daemones: « Scimus vos Martyres. » Et Ariani dicebant: « Nescimus esse Martyres. » Jam hoc et in Evangelio legimus, ubi dixerunt daemones ad Dominum Jesum: *Scimus te quia sis Dei filius* **. Et Judaei dixerunt: *Hic autem unde sit, nescimus* ***. Sed non hic testimonium accipitur daemonum, sed confessio. Unde miseriores Ariani vel Judaei, ut quod confitentur daemones, illi negant. Deus tamen, qui gratiam Ecclesiae suae augere consuevit, non passus est diu insultari a perfidis, sanctis suis.

§ 7. Unus itaque ex ipsa multitudine subito arreptus spiritu immundo, clamare coepit, optare se ita torqueri eos, ut ipse torquebatur, qui negarent Martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui converti debuerant, et dignam tali confessione agere poenitentiam, in piscina demersum hominem necaverunt, perfidiae homicidium jungentes. Deduxit enim illos ad hunc finem digna necessitas. Sanctus vero Ambrosius Episcopus majoris humilitatis vir factus, donatam sibi a Domino gratiam reservavit, crescebatque quotidie fide et amore coram Deo et hominibus.

§ 8. Per idem tempus erat quidam vir de haeresi Arianorum, acerrimus nimium disputator, et durus atque inconvertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in ecclesia, tractante Episcopo, vidit (ut ipse postmodum loquebatur) angelum ad aures Episcopi tractantis loquentem, ut verba angeli populo Episcopus nunciare videretur. Quo viso conversus, fidem, quam expugnabat, coepit ipse defendere. Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani Imperatoris, de haeresi Arianorum, qui tractandam Episcopo quaestionem proponerent: ad quam audiendam altero die ad basilicam Portianam omnes se affuturos promiserant. Erat enim quaestio de Incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines,

* In *Matth.* XII.
** In *Luc.* IV.
*** In *Joan* IX.

superbiae tumore completi, nec memores promissorum, contemnentes Deum in sacerdote ipsius, nec plebis exspectantis considerantes injuriam, immemores etiam dictorum Dominicorum: *Quoniam qui scandalizaverit unum ex minimis istis, oportet ut mola asinaria collo ejus alligetur, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII), conscendentes in equos quasi gratiâ gestandi, civitatem egressi sunt, exspectante sacerdote, et plebe in ecclesia constituta. Sed hujus contumaciae qui finis fuerit, horresco referens. Subito enim praecipitati, miseras animas emiserunt, atque corpora illorum sepulturae sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius, cum ignoraret quid factum esset, nec diutius posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eadem quaestione, quae fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: « Debitum, fratres, curo solvendum, sed hesternos non invenio creditores, » et reliqua, quae scripta sunt in libro, qui de *Incarnatione Domini* intitulatur.

§ 9. Occiso itaque Gratiano * Imperatore, recipiendi corporis ejus causâ, secundam ** ad Maximum suscepit legationem. Apud quem quam constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam, ad Valentinianum juniorem *** datam, cum legerit, approbabit. Nobis enim alienum a promissione visum est illa inserere, ne adjunctae epistolae prolixitas fastidium legenti afferret. Ipsum vero Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et (quod est gravius) innocentis, ageret poenitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum poenitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam praesentem salutem amisit, regnumque quod male arripuerat, foemineo quodam timore deposuit, ut procuratorem se reipublicae nomine praefuisse confiteretur. Mortua vero Justina ****, quidam aruspex Innocentius nomine, non opere, cum pro causa maleficiorum a judice torqueretur, aliud quam interrogaretur, fateri coepit. Clamabat enim, ab angelo majora tormenta sibi adhiberi eo, qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Justinae ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti ecclesiae conscendens, medio noctis sacrificaverit. Sed quanto instantius et sollicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem Catholicam et Domini sacerdotem convalescebat. Misisse etiam se daemones, qui

* Gratianus, Valentiniani I et Justinae filius, anno 383, Lugduni, ab Andragasio, classis praefecto et Maximi tyranni socio, inter convivia interfectus fuit. Quam cladem diu S. Ambrosius ploravit, qui, inter alia, haec effatus est: " Percussa eras, Ecclesia, in maxilla tua, cum amitteres Gratianum " (*De obitu Valentiniani*).

** Anno 387. Cur S. Ambrosius hanc legationem ad Maximum, qui Treveris degebat, susceperit, ipse hisce verbis declarat: " Ego tuus iterum legatus repetivi Gallias, et mihi dulce pro salute tua primo, deinde pro pace, atque pietate qua fraternas reliquias postulabas, nondum pro te securus et jam pro fraterno amore sollicitus " (*De Obitu Valentiniani*).

*** Valentinianus II, vel Junior, in cujus obitu S. Ambrosius Orationem fecit celeberrimam, post Gratiani, ejusdem fratris, necem, ad Theodosium, qui tunc in Oriente res gerebat, celeri gressu, supplex confugerat, a quo benigne exceptus est.

**** Justina Imperatrix e vivis decessit anno 388.

illum necarent, fatebatur; sed daemones renunciasse, se non solum ad ipsum appropinquare minime posse, verumetiam nec ad fores domus, in qua manebat Episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud aedificium communiret, ut etiam longe positi urerentur; atque ita cessasse artes suas, quibus adversus Domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculum usque, ut interficeret sacerdotem, pervenit: sed cum elevasset manum, districto gladio, dextera obrigente remansit. Tunc se missum a Justina postquam confessus est, brachium, quod inique cum extenderetur, riguerat, sanatum est confessione.

§ **10**. Per idem tempus cum vir illustris Probus puerum suum notarium, qui spiritu immundo graviter vexabatur, direxisset ad Episcopum, egressum urbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud Episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed ubi egressus Mediolano est, et prope Urbem pervenit, idem spiritus, qui illum antea habuerat, vexare coepit. Qui cum interrogaretur ab exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuit, non in illo apparuisset, confessus est diabolus timuisse se Ambrosium, et ideo recessisse ad tempus, atque exspectasse in illo loco, ubi ab illo recesserat, donec reverteretur: quo revertente, vas, quod deseruerat, repetisset.

§ **11**. Extincto itaque Maximo *, posito Theodosio Imperatore Mediolani, Ambrosio vero Episcopo constituto, Aquilejae, in partibus Orientis in quodam castello a Christianis viris synagoga Judaeorum et lucus Valentinianorum incendio concremata sunt, propter ea quod Judaei vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinianorum enim haeresis triginta deos colit. Sed de hujusmodi facto Comes Orientis ad Imperatorem relationem direxit. Qua accepta, Imperator praeceperat, ut synagoga ab Episcopo loci reaedificaretur. Sed hujus praecepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad Imperatorem epistolam, quia ipse in tempore excurrere non poterat, qua illum convenit, ut id, quod ab eodem statutum fuerat, revocaretur, servarique sibi deberi ab eo audientiam; quoniam si dignus non esset, qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo a Domino audiretur, vel cui preces suas, aut cui sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui praevaricatorem faceret Imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam praecepisset. Postea vero cum Mediolanum revertitur, posito Imperatore in ecclesia, de eadem causa tractavit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam, loquentis Imperatori: « Ego te ex ultimo Imperatorem feci, ego tibi exercitum

* Anno 388, Theodosius victricibus signis, per invias Alpes, Aquilejam, ubi Maximus se receperat, contendit; huncque captum milites necaverunt. Quod Andragasius, statim ac resolvit, in mare se praecipitem dedit.

inimici tui tradidi; ego tibi copias, quas ille adversum te exercitui suo praeparaverat, dedi; ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi; ego de semine tuo supra solium regni constitui; ego te triumphare sine labore feci: et tu de me inimicis meis donas triumphos? » Cui descendenti exedram, Imperator ait: « Contra nos proposuisti hodie, Episcope? » At ille respondens, ait: « Non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse locutum. » Tunc Imperator: « Revera, inquit, dura praeceperam contra Episcopum de synagoga reparanda. In monachos vero vindicandum esse, a comitibus qui in tempore aderant, dicebatur. » Quibus Episcopus: « Ego quidem cum Imperatore nunc ago, vobiscum vero mihi aliter agendum est. » Atque ita obtinuit, ut illa, quae statuta fuerant, revocarentur. Nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua Imperator illum agere debere testaretur. Cui Episcopus: « Ergo ago fide tua. » Respondit Imperator: « Age fide mea. » Qua sponsione iterata, jam securus peregit Sacerdos divina mysteria. Haec autem scripta sunt in epistola, quam ad germanam suam fecit, in qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui a Propheta Jeremia visus esse describitur.

§ 12. Per idem tempus causa * Thessalonicensis civitatis, non minima successit tribulatio Sacerdoti, cum pene comperisset civitatem deletam. Promiserat enim illi Imperator se veniam daturum civibus supradictae civitatis, sed agentibus Comitibus occulte cum Imperatore, ignorante Sacerdote, usque in horam tertiam gladio civitas est donata, atque plurimi interempti innocentes. Quod factum ubi comperisset Sacerdos, copiam Imperatori ingrediendi ecclesiam denegavit: nec prius dignum judicavit coetui ecclesiae vel sacramentorum communioni, quam publicam ageret poenitentiam. Cui Imperator contra asserebat, David adulterium et homicidium perpetrasse: sed responsum illico est: « Qui secutus es errantem, sequere corrigentem. » Quod ubi audivit clementissimus Imperator, ita suscepit animo, ut publicam poenitentiam non abhorreret. Cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.

§ 13. Per idem tempus duo potentissimi et sapientissimi viri Persarum ad famam sacerdotis venere Mediolanum, deferentes secum plurimas quaestiones, ut ex illis probarent sapientiam viri. Cum quo ab hora diei prima usque ad horam fere tertiam noctis per interpretem disputaverunt, admirantesque discesserunt ab eo. Et ut se probarent non ob aliam causam venisse, nisi ut certo certius nossent virum, quem fama compererant, alia die, valefacientes Imperatori, profecti sunt ad urbem Romam, illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi: qua cognita, ad propria reverterunt. Sed egresso Theodosio de Italia, et Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, directa

* Anno 390 clades Thessalonicensis perpetrata est.

relatio est sub nomine Senatus a Symmacho, tum praefecto Urbis, de repetenda ara Victoriae et sumptibus caeremoniarum. Sed ubi comperit sacerdos, misso libello ad Imperatorem, postulavit ut ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, praeclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil unquam auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere.

§ 14. Sed postquam augustae memoriae Valentinianus in Viennensi civitate (quae est Galliarum civitas) vitam finivit *, Eugenius suscepit imperium **; qui ubi imperare coepit, non multo post, petentibus Flaviano tunc praefecto et Arbogaste comite, aram Victoriae et sumptus caeremoniarum (quod Valentinianus augustae memoriae adhuc in minoribus annis constitutus, petentibus denegaverat), oblitus fidei suae, concessit. Hoc ubi audivit Sacerdos, relictâ civitate Mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit, atque inde Fabentiam usque perrexit. Ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis, ad Tusciam usque descendit, declinans adspectum sacrilegi viri, non formidans imperantis injuriam. Nam epistolam ad eundem dedit, in qua convenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi: « Etsi imperatoria potestas magna sit, tamen considera, Imperator, quantus sit, qui corda hominum videt, conscientiam interiorem interrogat. Novit omnia, antequam fiant, novit et interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, et Deum vultis celare? Hoc non cecidit in animum tuum. Quamvis enim illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi et veri et vivi veneratione perseverantius obsistere, et negare, quod erat injuria, sacrilegis?» Et iterum: « Quomodo igitur meis vocibus et apud Deum et apud omnes homines tenear? Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi consulerem mihi, quia non potui tibi. » In supradicta itaque civitate Florentinorum, cum in domo clarissimi quondam viri Decentis, et quod est amplius, Christiani, maneret, filius ipsius Pansophius nomine, admodum parvulus, cum spiritu immundo laboraret, frequenti oratione et impositione manus sacerdotis ipsius est sanatus. Sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus, exhalavit spiritum. Cujus mater valde religiosa, et plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domus, ad inferiora descendit, ac in lecto sacerdotis ipso absente composuit. Quem cum revertens sacerdos in lectulo

* Valentinianus Junior, ab Arbogaste, Alanorum praefecto, Viennae in Gallia, dum is negligentius ibi moraretur, anno 392, necatus est: ita Gratianorum proles interiit. Ejusdem corpus Mediolanum delatum est, ut in hac urbe tumularetur. Theodosius de honorifica sepultura curanda ad S. Ambrosium litteras dedit, qui, ut jam adnotavimus, habuit de ipso magnificam prorsus panegyricam orationem. Erat enim Valentinianus ei prae caeteris carus et dilectus.

** Eugenius ad imperium evectus fuit ab Arbogaste, qui, hac via, sceptro se potiturum sperabat. Sed Theodosius, anno 394, Aquilejae, tyranni copias profudit et delevit, ipsumque, a militibus suis captum, morti addixit. Quod Arbogastes ubi rescivit, ut cruciatibus se eximeret, sua ipsa manu occubuit.

invenisset (erat enim illo in tempore extra domum positus), miseratus matrem, et fidem ipsius contemplatus, Eliseo similis, supra corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit vivum reddere matri, quem mortuum invenerat. Ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, ut quod aetatis infantia scire non poterat, legendo agnosceret. Verumtamen factum scriptis suis non commemoravit: sed quo affectu declinaverit commemorare, non est nostrum judicare. In eadem etiam civitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis et Agricolae, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat. Posita enim erant corpora Martyrum inter corpora Judaeorum. Nec erat cognitum populo Christiano, nisi se sancti Martyres sacerdoti ipsi revelarent. Quae cum deponerentur sub altari, quod in eadem basilica constitutum est, magna illic totius plebis sanctae laetitia atque exultatio fuit, poenae daemonum confitentium Martyrum merita.

§ **15**. Per idem tempus Arbogastes comes adversum gentem suam, hoc est, Francorum, bellum paravit, atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit: cum residuis vero pacem firmavit. Sed cum in convivio a regibus gentis suae interrogaretur: « Utrum sciret Ambrosium, » et respondisset, nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum audivit: « ideo vincis omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli: Sta, et stat. » Quod ego ideo posui, ut cujus famae fuerit vir sanctus etiam apud Barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam et nos, referente juvene quodam Arbogastis admodum religioso. cognovimus, qui tunc interfuit. Erat enim in tempore, quo haec loquebatur, vini minister. Profectus itaque sacerdos de Tusciae partibus, Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium Imperatorem, ibique Christiani Imperatoris praestolabatur adventum, securus de Dei potentia, quod non traderet credentem in se hominibus injustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem justorum, ne extenderent justi ad iniquitatem manus suas. Promiserat enim Arbogastes tunc Comes, et Fabianus praefectus Mediolano egredientes, cum victores revertissent, stabulum se esse facturos in ecclesia Mediolanensi, atque clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines, cum daemonibus male creduli sunt, et aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriae ademerunt. Causa autem commotionis haec fuit, quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consuevit, de coelo jaculatus est judicium, atque omnem victoriam ad religiosum Imperatorem transtulit Theodosium.

§ **16**. Extincto itaque Eugenio a satellitibus ejus, cum scripta acciperet Imperatoris, non illi alia major cura fuit, quam ut pro

his interveniret, quos renatos invenerat. Obsecravit primo scriptis Imperatorem, misso diacono: postea vero quam directus est Joannes, tunc tribunus et notarius, qui nunc praefectus est, ad tuitionem eorum, qui ad ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquilejam perrexit, precaturus pro eis: quibus facile venia impetrata est, quia Christianissimus Imperator, provolutus pedibus sacerdotis, testabatur meritis et orationibus ejus se esse servatum. Revertens itaque de urbe Aquilejensi, uno die praecessit Imperatorem. Nec diu clementissimae memoriae Theodosius Imperator, susceptis filiis in ecclesia et traditis sacerdoti, in hac luce fuit. Post cujus obitum fere triennium supervixit. Quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum, ad basilicam Apostolorum, quae est Romana, transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo jacebat corpus Martyris (qui quando sit passus, usque in hodiernum diem scire non possumus) sanguinem martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore, quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum? quandoquidem Dominus hoc in Evangelio ante promisit, quod capillus de capite eorum non periret. Etiam odore tanto repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Levato corpore Martyris et in lectica composito, statim ad S. Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus. Nunquam tamen illum antea orasse in eodem loco, compertum habemus. Sed hoc erat signum revelati Martyris, si sanctus Sacerdos ad locum, ad quem nunquam antea fuerat oratum, isset. Cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus, illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum, eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere magni thesauri, quos non aerugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt et furantur; quia custos eorum Christus est, et locus eorum aula coelestis: quibus vivere Christus fuit, et mori lucrum. Translato itaque corpore Martyris ad basilicam Apostolorum, ubi pridem sanctorum Apostolorum reliquiae summa omnium devotione positae fuerant, cum tractaret Episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo, clamare coepit se torqueri ab Ambrosio. At ille conversus ad eum, ait: « Obmutesce, diabole: quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum et invidia tua, quoniam illo vides ascendere homines, unde tu dejectus es: nam Ambrosius nescit inflari. » Quo dicto, ille qui clamabat, obmutuit, prostratusque in terram est, nec amplius vocem, qua obstrepere posset, emisit.

§ **17**. Per idem tempus, cum consulatus sui tempore Imperator Honorius in urbe Mediolanensi Libycarum ferarum exhiberet

munus, populo illuc concurrente, data copia est, missis militibus ab Stilicone Comite, hortatu Eusebii praefecti, ut Cresconius quidam de ecclesia raperetur. Quem confugientem ad altare Domini, sanctus Episcopus cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quae duces suos habebat de perfidia Arianorum, praevaluit adversum paucos; atque, ablato Cresconio, exultantes ad amphitheatrum reverterunt, ecclesiae luctum non modicum relinquentes. Nam Sacerdos prostratus ante altare Domini, factum diu flevit. Sed cum revertissent et renunciassent his, a quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi, saltu celeri ad eundem locum, in quo sèderant, qui de ecclesia triumphabant, ascendentes, graviter laniatos reliquerunt. Quod ubi vidit Stilico Comes, poenitentiâ motus est, ita ut per multos dies satisfaceret Sacerdoti; et illaesum quidem illum, qui ablatus fuerat, dimisit, sed quia gravissimorum criminum erat reus, et aliter emendari non poterat, ad exsilium destinatur, non multo post indulgentia prosequente.

§ 18. Per idem tempus cum ad palatium pergeret, eumque pro loco officii nostri sequeremur, Theodulo tunc notario, qui postea summa cum gratia Mutinensem rexit ecclesiam, cum casu quidam pede esset lapsus, atque prostratus jacèret in terra, ridente, conversus Sacerdos, ait: « Et tu, qui stas, vide ne cadas. » Quo dicto, statim is qui alienum lapsum riserat, suum doluit. Fritigildis vero regina Marcomannorum, cum a quodam Christiano viro, qui ad illam forte de Italiae partibus venerat, referente sibi, audiret famam viri, Christo credidit, cujus illum servulum recognoverat; missisque Mediolanum muneribus, ad ecclesiam, per legatos postulavit, ut scriptis ipsius, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit praeclaram in modum catechismi, in qua etiam admonet, ut suaderet viro, Romanis pacem servare. Qua accepta epistola, mulier suasit viro, et cum populo suo se Romanis tradidit. Quae cum venisset Mediolanum, plurimum doluit, quod sanctum Sacerdotem, ad quam festinarat, minime reperisset. Jam enim de hac luce migraverat.

§ 19. Temporibus vero Gratiani (ut retro redeam) cum ad praetorium Macedonii, tunc magistri officiorum, pro quodam intercedendo perrexisset, atque praecepto supradicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: « Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam nec tu ingrediere, januis licet non clausis. » Quod factum est: mortuo Gratiano, confugiens Macedonius ad ecclesiam, patentibus januis, aditum reperire non poterat. Ipse autem vir venerabilis Episcopus erat multae abstinentiae et vigiliarum multarum et laborum, quotidiano jejunio macerans corpus. Cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die sabbato et Dominico, vel cum natalitia celeberrimorum Martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte.

Nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus ejus attenuaretur. Erat etiam in illo sollicitudo omnium ecclesiarum, interveniendi etiam magna assiduitas et constantia. In rebus etiam divinis implendis fortissimus, intantum, ut quod implere sòlitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi a tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimium pro pauperibus et captivis. Nam in tempore, quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum, quod habere poterat, ecclesiae vel pauperibus contulit. Praedia etiam quae habebat, reservato usufructu germanae suae, donavit ecclesiae: nihil sibi, quod hic suum diceret, derelinquens, ut nudus atque expeditus miles Christi, Dominum suum sequeretur: *Qui cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopiâ ditaremur* (2. *Cor*. VIII).

§ **20**. Erat enim gaudens cum gaudentibus, et flens cum flentibus. Siquidem quotiescumque illi aliquis, ob percipiendam poenitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum jacente jacère. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint magis, quam accusatores apud homines. Nam et secundum Apostolum, circa hujusmodi hominem confirmanda charitas est, quia ipse sui accusator est; nec exspectat accusatorem, sed praèvenit, ut confitendo suum àllevet ipse delictum, nec habeat, quod adversarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (*Prov*. XVIII). Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam, paratos ad praedam criminationis infestae, peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia, et qui vult vitam magis peccatoris quam mortem. Nam ipsi poenitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur et emendatio facti, ut poenitens non faciat poenitenda. Humiliet etiam animam suam, sicut David sanctus, qui postquam audivit a propheta: *Dimissum est peccatum tuum* (1. *Reg*. XII), humilior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem sicut panem manducaret, et potum suum cum fletu misceret. Flebat etiam amarissime, quotiescumque forte nunciatum illi fuerat de cujuscumque sancti obitu Sacerdotis, intantum ut nos illum consolari niteremur, ignorantes pium affectum viri, nec qua ratione ita fleret, intelligentes. Quibus ille hujusmodi responsum reddebat: « non se flere quia recesserat, qui fuerat mortuus nunciatus, sed quia se praecesserat; vel quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur. »

§ **21**. Ipse autem de sua morte ante praedixit, quod usque Pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Dominum obsecrando, quo maturius hinc liberaretur. Ingemiscebat enim

vehementer, cum videret radicem omnium malorum avaritiam pullulare, quae neque copia, neque inopia minui potest, magis magisque crescere in hominibus, et maxime in iis qui in potestatibus erant constituti, ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur. Quae res primo omne malum invexit Italiae, et deinde omnia vergunt in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum, aut propinquorum causas praetendere, ad excusandas excusationes in peccatis, quandoquidem plerosque ceperit etiam caelibes Sacerdotes vel Levitas, quibus portio Dei est, ut etiam ipsi illam appetant? Et vae mihi misero, quia nec fine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quo demergimur ad profundum inferni, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in aeterna tabernacula! Attamen beatus ille, qui quandoque conversus, diruptis vinculis atque projecto jugo hujusmodi dominationis, tenebit et allìdet parvulos ejus ad petram, hoc est, omnes intentiones ejus allìdet ad Christum, qui secundum Apostolum petra est, quae omnes ad se allisos interimit, ipsa inviolabilis manens, nec reum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi uteri deteriores partus, sed innocentem: ita ut securus possit dicere: *Portio mea Dominus* (*Ps.* 141); quia cui nihil in seculo est, illi portio est Christus; et qui contempserit pauca, multa percipiet, insuper et vitam aeternam possidebit.

§ **22**. Ante paucos vero dies, quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis, ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius, tamquam in domum habitator, ingressus est, et facta est facies ejus velut nix, postea vero reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quae ab illo dicebantur, nisi posteaquam visio ipsa transibat. Dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturae divinae, quod ego optime retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit. Sed quidem ipsum psalmum explere non potuit. Ego vero id, quod visum a me fuerat, honorabili viro Casto diacono (sub cujus cura degebam) statim retuli. At ille repletus gratiâ Dei Spiritus Sancti adventum me in illo vidisse edocuit ex lectione Actuum Apostolorum. Superioribus autem diebus, cum Stiliconis tunc Comitis servus, qui daemonio laboraverat, in Ambrosiana basilica jam sanus maneret, commendatus a domino suo (ferebatur enim, quod libenter ab eodem haberetur), facere falsas epistolas tribunatus compertum est, in tantum ut tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant. Sed ubi ad personam servi sui pervenit Comes Stilico, ipse in servo suo noluit vindicare. Homines etiam, qui decepti fuerant, interventu Sacerdotis dimisit; de ipso vero

servo, Sacerdoti questus est. Quem Vir sanctus cum de ecclesia Ambrosiana egrederetur, requiri fecit atque ad se perduci. Quem cum interrogasset, et deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait: « Oportet illum tradi satanae in interitum carnis, ne talia in posterum audeat admittere. » Quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore Sacerdotis sancti, spiritus immundus arreptum discerpere coepit. Quo viso, non minimo timore repleti sumus et admiratione. Multos etiam diebus ipsis, imponente illo manus et imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

§ **23**. Per idem tempus Nicentius quidam, ex tribuno et notario, quodam pedum dolore tenebatur, ut raro in publico videretur. Cum ad altare accessisset, ut sacramenta perciperet, calcatusque casu a Sacerdote exclamaret, audivimus: « Vade, et amodo salvus eris. » Nec se amplius doluisse pedes tempore quo sanctus Sacerdos de hac luce migravit, lacrymis testabatur. Sed post dies hos, ordinato sacerdote ecclesiae Ticinensi, incidit in infirmitatem. Qua cum plurimis diebus detineretur in lectulo, Comes Stilico dixisse fertur: « Quod tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiae. »

§ **24**. Unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi a sancto Sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum Sacerdotem, suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum. Quod ille ubi ab illis audivit, respondit: « Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus. » Per idem tempus cum in extrema parte porticus, in qua jacebat, in imo positi Castus, Polemius, Venerius et Felix tunc diaconi secum tractarent, voce ita repressa, ut vix invicem se audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset, atque cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani *, tamquam interesset tractatui, cum longe positus ab ipsis jacèret, approbans exclamavit tertio: « Senex, sed bonus. » Erat enim Simplicianus aevi maturior. Qua voce audita, expavescentes fugerunt. Defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotio, nisi is quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius **, quem supra memoravimus, successor fuit; Felix *** vero nunc usque Bononiensem regit ecclesiam. Castus autem et Polemius, nutriti ab Ambrosio, bonae arboris boni fructus, in ecclesia Mediolanensi diaconii funguntur officio. In eodem tamen loco, in quo jacebat (sicut referente beato Bassiano episcopo Laudensis ecclesiae, qui ab eodem audierat, didicimus), cum oraret una cum supradicto Sacerdote, viderat Dominum Jesum advenisse ad se, et arridentem sibi. Nec multos post dies ablatus est.

* Festum S. Simpliciani die 16 augusti recolitur.
** Festum S. Venerii die 4 maji celebratur.
*** Memoria S. Felicis, Episcopi Bonon., die 4 decembris, recensetur.

§ 25. Sed et eodem tempore, quo a nobis migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit. Nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem, sacerdos ecclesiae Vercellensis, cum in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: « Surge, festina, quia modo est recessurus. » Qui descendens, obtulit Sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum *; bonum viaticum secum ferens, ut in virtute escae anima refectior, angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, et Eliae societate laetetur; quia, ut Elias nunquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est. Atque inde ad ecclesiam majorem antelucanâ horâ, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est, ibique eâdem fuit nocte, qua vigilamus in Pascha: quem plurimi infantes baptizati, cum a fonte venirent, viderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra tribunali dicerent; alii vero ascendentem suis parentibus digito ostenderent: sed illi videntes, videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant. Plurimi autem stellam supra corpus ejus se videre narrabant. Sed, lucescente die Dominico, cum corpus illius, peractis sacramentis divinis, de ecclesia levaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in qua positus est, ita ibi daemonum turba clamabat se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non posset. Quae gratia Sacerdotis non solum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis usque in hodiernum diem manet. Jactabant etiam turba virorum ac mulierum oraria vel semicinctia sua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pene aetatum, non solum Christianorum, sed etiam Judaeorum et paganorum: majore tam gratia ordo praecedebat eorum, qui fuerant baptizati.

§ 26. Eodem, quo obiit, die, sicut textus epistolae loquitur, quae a successore ejus venerabili viro Simpliciano suscepta est, de partibus Orientis ad ipsum, tamquam adhuc nobiscum viventem, directa, quae nunc usque Mediolani habetur in monasterio, quibusdam viris sanctis apparuit, orans cum illis et imponens illis manus. Habet enim diem epistola, quo directa est, qua lecta, invenimus diem esse, quo ille defunctus est. Intra Tusciam civitate Florentia, ubi nunc vir sanctus, Zenobius nomine, episcopus est, quia promiserat, petentibus illis, illos se saepius visitaturum, frequenter ad altare, quod est in basilica Ambrosiana, quae ibidem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo, in qua

* Obiit sanctissimus Episcopus nocte, quae diem quartum aprilis praecedit, anno, ut superius notavimus, 397.

declinans Eugenium mansit, tempore, quo Radagaisus * supradictam civitatem obsidebat, cum jam de se penitus desperassent viri civitatis, per visum cuidam apparuit, et promisit alio die salutem illis affuturam. Quo referente, civium animi sunt erecti. Nam altero die, adveniente Stilicone tunc Comite cum exercitu, facta est de hoste victoria. Haec Pansophia, religiosa foemina, matre pueri Pansophii, referente cognovimus. Mascezeli ** etiam desperanti de salute sua vel exercitus, quem ducebat contra Gildonem, baculum tenens manu, in visu noctis apparuit, atque cum provolveretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens in terram senex baculo, quo regebatur, tertio (hac enim illi specie apparuerat), ait: « Hic hic hic; » signans locum, deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, ut agnosceret se in ipso loco, in quo sanctum Domini viderat Sacerdotem, die tertia victoriam adepturum, atque ita securus bellum et inchoavit, et consummavit. Nos tamen ea Mediolani positi, ipso Mascezele referente, cognovimus. Nam et in hac provincia, in qua nunc positi haec describimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus, securius ante nobis cognita, huic libro adjungere arbitrati sumus. Sisinni etiam et Alexandri martyrum ***, qui nostri temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosii in Anauniae partibus, persequentibus gentilibus, martyrii coronam adepti sunt, cum reliquias Mediolani summa cum devotione susciperemus, adveniente quodam caeco et referente cognovimus, qui eodem die tacto lectulo, in quo sanctorum reliquiae portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset navem appropinquare littori, in qua erat multitudo albatorum virorum: quibus descendentibus ad terram, cum unum de turba precaretur, ut sciret qui essent ii viri, audierit, Ambrosium ejusque consortes. Quo audito nomine, cum deprecaretur ut lumen reciperet, audierit ab eo: « Perge Mediolanum, et occurre fratribus meis, qui illo venturi sunt (designans diem), et recipies lumen: » erat enim vir (ut ipse asserebat) de littore Dalmateno, nec se ante venisse in civitatem asserebat, priusquam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset nondum videns: sed tacto loculo, videre coepisse.

§ 27. His itaque decursis, non arbitror grave videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, ut Domini dictum, quod per os Sanctorum prophetarum locutus est, completum esse doceamus: *Sedentem adversus fratrem suum et detrahentem occulte, persequebar* (*Psal.* 100), et alibi: *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Ut quicumque forte hujusmodi captus est consuetudine,

* Radagaisus cum immenso barbarorum exercitu, anno 406, in Italiam irruperat. Sed quum Florentiam obsideret, ab Honorii exercitibus mirum in modum devictus fuit; ipseque, a fuga retractus, in carcere strangulatus est.

** Mascezel, maurus, Romanis copiis praeerat, ac pro Honorio militabat.

*** Horum memoria die 29 maji recolitur.

cum legerit qualiter in his, qui sancto Viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur. Igitur Donatus quidam, natione Afer, presbyter tamen Ecclesiae Mediolanensis, cum in convivio positus, in quo erant nonnulli religiosi viri, detraheret memoriae Sacerdotis, aspernantibus illis et deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus gravi, de eodem loco, in quo jacebat, alienis manibus sublevatus, in lectulum positus est, atque inde ad sepulcrum usque perductus. In urbe etiam Carthaginensi, cum apud Fortunatum diaconum, fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi, ad convivium venissem, una cum Vincentio Colossitano episcopo, Murano etiam episcopo Bolitano, sed et aliis Episcopis et diaconibus, Murano episcopo detrahenti sancto Viro, retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille de alio dictum, de se oraculum, maturo suo exitu comprobavit. Nam de eodem loco, in quo jacebat, cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum portatus est; atque inde ad domum, in qua hospitabatur, reductus, diem clausit extremum. Is finis virorum detrahentium fuit, quem videntes, qui tunc aderant, admirati sunt. Unde hortor et obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, ut imitetur vitam viri, laudet Dei gratiam, declinet detrahentium linguas, si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitae, quam cum detrahentibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, ut pro me humillimo peccatore Paulino, cum omnibus sanctis, qui tecum invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in veritate, orare digneris, ut, quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi praemium, fugisse supplicium.

## ITEM DE B. AMBROSIO

EX ECCLES. HISTORIA THEODORETI LIB. V, CAP. XVI ET XVII, INTERPRETE JO. CHRISTOPHORSONO ANGLIAE EPISCOPO.

§ 1. Omnes communis humani generis adversarii tenticulas vitare, non adeo facile est. Nam qui morbum intemperantiae effugerit, idem avaritiae laqueo irretitus tenetur. Quod si ab illo etiam vitio sit victoriam consecutus, ex altera parte patet invidiae vorago, ad eum absorbendum parata. Sin autem hanc quoque transilierit, reperiet rete sibi objectum iracundiae. Alias denique pedicas tendit diabolus hominibus prope infinitas, quibus eos illaqueatos ad exitium perducat. Habet quoque corporis perturbationes

inservientes machinis, quas contra animos hominum fabricatus est. Sola autem mens sua vigilantia reportat victoriam: et inclinatione, qua in rerum divinarum amorem propendet, impetum machinarum diabolicarum frangit. Quapropter admirabilis iste Imperator (Theodosius senior) humanae naturae particeps, a perturbationibus minime vacuus fuit: quippe immoderata animi concitatione, cum justa iracundia conjuncta, impulsus facinus crudele et nefarium commisit: quod quidem ad legentium utilitatem hoc loco commemorabo. Nam ejusmodi profecto est, ut Imperator iste admirabilis ob id tum in crimen merito vocari, tum contra summa laude ac praedicatione efferri debeat.

§ 2. Thessalonica urbs est amplissima illa quidem, et multis hominibus frequentata: quae tametsi subjecta ditioni Macedonum, prae cunctis tamen urbibus Thessaliae, Achajae et aliarum gentium plurimarum, quas praefectus Illyriae moderatur, primas obtinet. In hac cum forte seditio concitata esset, magistratus aliquot obruti lapidibus fuere, et gravibus contumeliis vexati. Quibus rebus nunciatis, Imperator bile accensus, flammam neutiquam repressit iracundiae, neque freno rationis ejus impetum cohibuit: sed illius arbitrio permisit pronunciandae sententiae de supplicio Thessalonicensibus irrogando potestatem. Iracundia igitur hanc auctoritatem nacta, velut tyrannus omnia suo nutu gubernans, ruptis habenis, et jugo rationis excusso, gladios inique contra omnes distrinxit, et insontes pariter cum sontibus trucidavit. Nam septem hominum millia, uti ferunt, interfecta fuere: in qua occisione non judicium antecesserat, neque auctores tam orrendi facinoris justa et legitima sententia condemnati, sed omnes simul, veluti spicae in messe desectae, concisi fuerunt.

§ 3. Hac miseranda et lugubri calamitate cognita, Ambrosius ille, de quo supra diximus, Imperatori Mediolanum adventanti, et in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula obviam procedit, vetatque in templum intrare, et his fere verbis eum affatur: « Est verisimile, o Imperator, te ignorare caedis abs te perpetratae magnitudinem, neque post sedatam iracundiam, ratione admissum facinus pervidere. Nam Imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verum quae sit natura nostra, et quam fragilis ac fluxa, considerandum est, et in avitum pulverem, ex quo orti sumus, et in quem recasuri, acies mentis intendenda: neque ipse splendore purpurae deceptus, corporis illa operti imbecillitatem ignorare debes. Quin etiam illis imperas, qui et ejusdem sunt naturae participes, atque adeo conservi. Unus enim Dominus omnium et rex, hujus universitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Qui, quaeso, manus injusta caede et sanguine respersas extendere audes, et eisdem

sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum ejus sanguinem ori admovebis, qui furore irae jubente tantum sanguinis tam inique effudisti? Recede igitur, et ne conare novo scelere scelus ante editum augere, sed capesse vinculum, quo ut ligeris, Dominus omnium coelitus sententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet, et morbum animi depellendi, et te ad sanitatem restituendi. »

§ 4. Huic orationi obsecutus Imperator (nam divinis educatus eloquiis, accurate norat, tum quae essent officia sacerdotum, tum quae Regum propria) cum gemitu et lacrymis ad palatium revertitur. Atque longo temporis spatio dilapso (octo enim menses jam praeterierant) Servatoris natalitia fuere celebrata; Imperator autem considet in palatio, lamentis se dedens, et magnam vim profundens lacrymarum. Quod cum animadvertisset, Ruffinus, qui tum magister aulae fuit, magnaque apud Imperatorem auctoritate, utpote familiaritate ei conjunctior, ad illum accedit, rogat causam fletus. Tum Imperator lugens acerbius, et majorem in modum flens: « Tu, inquit, Ruffine ludis: nam quantis ipse in malis verser, non sentis. Ego vero gemo, et meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quam facilis aditus ad sacrum templum servis et mendicis pateat, liberque illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem non modo ad illum locum, verum etiam ad coelum ipsum accessus praeclusus sit. Nam venit mihi in mentem sententiae a Domino prolatae, quae palam dicit: *Quemcumque ligaveritis super terram, erit ligatus et in coelis* (*Matth.* XVIII). » Cui Ruffinus: « Curram, inquit, si placet, ad Episcopum, ei supplicabo persuadeboque, ut tua solvat vincula. » — « At non est, inquit Imperator, tibi morem gesturus. Novi enim adeo justam aequamque Ambrosii esse sententiam, ut non metu potestatis Imperatoriae sit legem divinam violaturus. » Verum cum instaret Ruffinus, polliceretur que se Ambrosio persuasurum, Imperator jubet propere abire; ipseque falsa spe inductus, et Ruffini confisus promissis, paulo post sequitur.

§ 5. Ut primum autem Ruffinum sanctus vidit Ambrosius: « Videris mihi, inquit, Ruffine, canum impudentiam imitari: nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est caedes, tu tamen ita perfricuisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insanivisse. » Ubi vero Ruffinus obnixe eum oraverat, dixeratque Imperatorem brevi eo venturum, sanctus Ambrosius divino zelo accensus: « Ego, inquit, Ruffine, praedico me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum. Quod si imperium mutarit in tyrannidem, caedem lubens equidem excipiam. » Quibus auditis, Ruffinus Imperatori per internuncium significat, hortaturque ut maneat in palatio. Quae cum Imperator in medio foro accepisset: « Eo, inquit, illuc nihilominus, quo justas debitasque contumelias subeam. » Ubi vero ad sacros templi parietes advenit, non ingreditur

in templum ille quidem; sed ad Episcopum, qui in aedicula salutatoria sedebat, accedens, obsecrat ut vincula sibi solvat. At Ambrosius ejus adventum dixit esse tyrannicum, eumque ipsum contra Deum insanire, et illius leges proterere. Tum Imperator: « Non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio, sed oro, ut mihi solvas vincula, et proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui est Dominus omnium, et ne mihi occludas januam, quam ille omnibus quos peccatorum suorum poeniteat, patefecit. » Cui Ambrosius: « Quam tu, inquit, poenitentiam post tam grave scelus admissum ostendis? Quae medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu sananda adhibuisti? » — « Tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, eaque temperare, et vulnera, quae aegrius curantur, obligare; meum autem, quae sunt adhibita, accipere. » Tum sanctus Ambrosius: « Quoniam, inquit, iracundiae permisisti judicium, et non rectae rationi, sed animo irato obsecutus sententiam pronunciasti, conscribe legem, qua deinceps sententiae per iracundiam pronunciatae irritae sint et nullius momenti: cognitionesque causarum de caede, et publicatione bonorum ad triginta dies scriptis proditae maneant, uti recta ratione de illis judicium des. Atque diebus illis confectis, qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Ac cum quidem compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta, et ita perspicies iniqua ne sint, an aequa. Quod si iniqua deprehenderis, certum est ea decreta scriptis mandata te dilaceraturum: sin aequa, confirmaturum, sicque manifesto intellecturum, numero dierum interjectarum, nihil de auctoritate decretorum recte sancitorum omnino detractum esse. »

§ 6. Istud consilium Imperator, quoniam prudentissimum esse censebat, libenter amplexatus, jubet extemplo legem conscribi, suaque subscriptione confirmat. Qua re confecta, S. Ambrosius ejus vincula solvit. Itaque Imperator fidelissimus in sanctum templum ingressus, non stans Dominum precatus est, neque genibus flexis: sed pronus humi abjectus, versum illum Davidis recitavit: *Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum* (*Ps.* 118); atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lacrymarum guttis solum rigare, veniamque supplex petere coepit. Ubi autem tempus postulavit, ut dona sacrae mensae offerret, surgit, atque non minorem lacrymarum vim, quam antea, effundens, in sanctuarium ingressus est. Cum vero dona, uti solebat, obtulisset, intus prope cancellos mansit. At rursus magnus ille Ambrosius non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit; ac primum sciscitatur, ecqua re egeret; et cum respondisset Imperator, se exspectare divinorum mysteriorum perceptionem, significavit illi per primarium diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditum patere, eademque

aliis omnibus inaccessa esse, nec debere tangi. Jubet igitur, ut exeat, et cum reliquis laicis consistat. « Nam purpura, inquit, Imperatores, non sacerdotes efficit. » Quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus, responditque se non animi confidentia inductum, mansisse intra cancellos, sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse. « Quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam. » Tantis et tam eximiis virtutis ornamentis enituit, tum Episcopus, tum Imperator. Utrumque enim admiror, alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam, et illum propter divini zeli ardorem, hunc autem propter sinceram fidem. Imperator autem pietatis praecepta, quae ab illustri illo Episcopo didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim, observavit. Nam cum divino quodam festo ad templum denuo veniret, statim ut dona sacrae mensae obtulerat, exivit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius ecclesiae antistes fuit, rogaret cur non maneret intus, gemens inquit: « Aegre tandem didici, quid inter Imperatorem intersit et Episcopum: aegre tandem reperi veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium novi Episcopum, dignum eo nomine. » Tantum commodi reprehensio, a viro virtute praestanti adhibita, secum apportare solet.

§ 7. Idem Theodoretus lib. iv, cap. 6 Historiae Ecclesiasticae: « Paucis post diebus, inquit, cum D. Ambrosius valde libere apud Imperatorem (Valentinianum seniorem) verba faceret, resque nonnullas tamquam minus recte a magistratibus administratas coargueret, respondit Imperator: Novi jampridem tuam in loquendo libertatem: qua explorate cognita, non modo non tuae in Episcopum ordinationi restiti, verum etiam suffragatus sum. Quare sicut divina praescribit lex, nostrorum animorum erratis medicinam facito. »

# DE INVENTIONE S. AMBROSII

## NEC NON SS. MM. GERVASII ET PROTASII

### ANNO MDCCCLXXI PERACTA.

*Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini* PII *divina Providentia* PAPAE IX LITTERAE APOSTOLICAE, *quibus judicium super identitate corporum S. Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris ac martyrum Gervasii et Protasii ab Archiepiscopo Mediolanensi prolatum confirmatur.*

## PIUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§ 1. Qui attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit omnia suaviter, Deus omnipotens Sacrosanctae Ecclesiae Immaculatae Sponsae Unigeniti Filii sanguine acquisitae, et in Apostolicae Confessionis petra solidatae, iter jugiter contra invalescentem seculi nequitiam ac tenebrarum potestates in Sanctis suis firmamentum constituit ac munimen, ut qui jam viventes in carne eam sua passione illustraverant, doctrina exemplisque excoluerant, in coelesti deinde patria recepti adhuc suis gloriosissimis decorarent trophaeis ac perpetuo tuerentur patrocinio. Pientissimum hoc divinae bonitatis consilium tum maxime innotuit, cum obortis in Christianum populum universamque Catholicam Ecclesiam vehementissimis tempestatibus, plura Sanctorum Corpora, quae diu latuerant, in lucem denuo prodiere, ut eo adspectu ad sua sectanda vestigia opemque implorandam dejectos erigerent animos, ac proxime secuturum de humani generis hoste praenuntiarent triumphum. Id praeteritis evenisse temporibus, acta inventionis Corporum plurimorum Sanctorum in Christo quiescentium evidenter ostendunt; idipsum aetate hac nostra, qua abundante delicto, refriguit charitas multorum, repertis sacrosanctis Exuviis Ambrosii Mediolanensis Episcopi et Ecclesiae Doctoris, neque non Beatorum Martyrum Gervasii et Protasii, futurum sane confidimus.

§ 2. Et hi quidem invicti Fidei Pugiles sub Nerone in prima Ethnicorum adversus Christianos persecutione, fuso glorioso pro Christo sanguine, martyrii palmam adepti sunt; quorum deinde Corpora cum diu in Basilica SS. Felicis ac Naboris Mediolani delituissent, a Sancto Ambrosio, Dei admonitu, reperta, in Basilicam ab Eo extructam translata fuere, ibique honorifice sepulta.

Cum autem anno Christi CCCLXXXXVII ipse Ambrosius mortale hoc exsilium cum perpetua aeternitate commutasset, ad Sanctorum eorumdem Corpora in hypogaeo praefatae Basilicae, prouti de se vivens disposuerat, conditus est. Hoc vero sepulcrum Deus reddidit gloriosum, tum frequenti populorum concursu, tum plurimis Sanctorum intercessione patratis miraculis. Ac licet non semel Urbs Mediolanensis barbarorum incursionibus ac direptionibus obnoxia fuerit, attamen sacra èadem Pignora inviolata semper ipso in loco, ubi primum in ea Basilica fuerant condita permansere. Quibus omnibus permotus Angilbertus Mediolanensis Ecclesiae Antistes anno reparatae salutis DCCCXXXV Ambrosii ac Sanctorum Fratrum corpora e primo Conditorio sublata in insignem porphyreticam arcam transtulit, quam desuper pretiosissimum ac miri operis altare extruxit. Ex tunc in Ambrosiana quidem Basilica, ceu explorato dormitionis loco, ea Sacra Pignora, totius Orbis veneratione coli nunquam cessarunt, sed ea palam intueri, illoque adspectu veluti ad certandum bonum certamen fidei roborari hucusque nemini datum fuerat.

§ 3. Providens tamen Deus, qui suis novit medicinam aptare temporibus, auspicatissimum ejusmodi eventum aetati nostrae reservaverat, qua Ambrosii praeclara monita, ac Martyrum exempla ad informandos fidelium animos spiritu intelligentiae ac fortitudinis, sunt quammaxime necessaria. Cumque itaque anno MDCCCLXIV ad Ambrosianam Basilicam a fundamentis instaurandam manus fuisset apposita, subfosso pavimento, disjectoque vetusto lateritio, quod Confessionis hypogaeum circumambiebat, primum duo sepulcra detecta sunt, mox porphyretica arca quae illis in transversum insistebat. Hisce autem reseratis sepulcris, aliqua Sacrorum Corporum lypsana reperta sunt, una cum numismatibus, epocham praeseferentibus illorum depositionis, seculo quarto, atque eorumdem recognitionis ineunte seculo sexto factae a Sancto Laurentio Archiepiscopo Mediolanensi. Vix hac de re, non sine animi laetitia, nuncium accepimus, pro ea quae nobis incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudine, per speciales Sacrae Rituum Congregationis Litteras datas Romae die XVIII mensis Februarii supraenunciati anni ad bo. me. dilectum Fratrem Episcopum Famaugustanum, qui licet Mediolanensis Sedes suo tunc Archiepiscopo non careret, Vicarii Capitularis et Ordinarii partibus adhuc fungebatur, significavimus Voluntatem Nostram, ut acta singula in recognitione peragenda Sacrorum Corporum conformarentur instructioni de Mandato Nostro a dilecto Filio Petro Minetti S. Fidei Promotore opportune digestae: ac praeterea ut in repositione et collocatione earumdem Sacrarum Exuviarum declararet illas sub immediata protectione S. Sedis, ita custodiendas esse ut urnam aperire et Reliquias distribuere nullatenus liceat, nisi impetrata a Nobis vel Nostris Successoribus opportuna venia.

§ 4. Verum cum deinceps ad annum usque MDCCCLXXI nihil praeterea de SS. Corporibus actum fuisset, die tandem VIII Augusti, coram dilecto Fratre Nostro Aloysio Archiepiscopo Mediolanensi, ejusque Curia, ac frequente ex omnibus civium ordinibus concursu, arca illa porphyretica demum detecta fuit, ibique tria Sacra Corpora reperta aquis penitus demersa. Inde vero die XI ejusdem mensis et anni educta, a peritis anathomicis in compagem suam restituta fuere, ac singula singulis corporibus ossium fragmenta coaptata. Nedum autem periti viri ossa ex arca educta cum reliquiis eorumdem e sepulcris erutis comparantes exinde certissimum identitatis momentum eruere, verum etiam, ex peculiaribus notis, quas veneranda majorum traditio Ambrosio ac Sanctis Martyribus tribuerat, ejus corpus ab aliis tuto secernere valuere. Tum denique, cum acta omnia exquisita solertia expleta essent, et jam nihil addi posse censeretur ad certitudinem assequendam quae in hisce rebus postulatur, accedente eruditissimorum virorum suffragio, praedictus Frater Noster Mediolanensis Archiepiscopus solemniter edixit die XXIII Aprilis vertentis anni *Tria corpora, Nobis adstantibus, reperta in arca porphyretica die* VIII *Augusti* MDCCCLXXI *sub altari Maximo Basilicae Ambrosianae hujus Urbis, esse vere et proprie SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii, scilicet illud minoris altitudinis S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis Ecclesiae Doctoris, alia vero procerae staturae et florentis aetatis Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii ab ipso Ambrosio in sepulcro condita.*

§ 5. Quibus omnibus uti supra rite absolutis, idem Frater Noster Archiepiscopus Mediolanensis acta Judicialis Inquisitionis ab anno MDCCCLXIV iterato ac tertio institutae ad Nos transmittenda curavit; hisce Supplices Litteras adjecit, praeclarissimis Ambrosii sententiis intextas de Primatu Cathedrae Petri, ejusque inerrantiae praerogativa, quibus humillime exorabat, ut sententiae ab se latae robur Apostolicae Nostrae Auctoritatis adjicere dignaremur. Nos itaque ejusmodi preces benigne excipientes, quamvis de veritate editae Sententiae haud ambigi posse censeremus, nihilominus, ut obstruatur os loquentium iniqua, qui Catholicam Ecclesiam, non solum propter cultum Sacrarum Exuviarnm, quae olim viva Christi membra fuere, ac templa S. Spiritus, ab eodem iterum ad vitam suscitanda et glorificanda, verum etiam propter falsas, ceu blaterant, Sanctorum Reliquias fidelium venerationi propositas, impietatis et superstitionis insimulare non verentur, eam diligentiam in casu adhibendam esse voluimus, qua in rebus tanti momenti semper Apostolica Sedes procedere consuevit. Quare nonnullorum Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, et quorumdam ejusdem S. Congregationis Praesulum Officialium peculiari Coetui a Nobis delecto, totius negotii examen commisimus.

§ 6. Quae quidem peculiaris Congregatio mature perpendens jugem et constantem traditionem authenticis uberrimisque documentis consignatam, Imperatorum ac Regum diplomata, acta Episcopalium Visitationum, vetustissima Calendaria ac Martyrologia, numismata in sepulcris reperta, ipsam denique urnae ac circumstantis lateritii operis structuram, sane intellexit nullum cieri posse dubium quoad sacrorum Corporum identitatem. Probationi cumulum imposuit accurata ab anathomiae peritis ossium aliorumque in arca et sepulcris repertorum instituta analysis. Cum itaque ex hisce omnibus, praesertim simul sumptis, peculiaris eadem Congregatio eam exsurgere probationem censuisset, qua amplior in hisce negotiis desiderari vix posset, die XXIV Julii vertentis anni ad Nostras Vaticanas Aedes coadunata, omnibus ad Sanctuarii lancem libratis atque perpensis, ita rescripsit *Sententiam Archiepiscopi Mediolanensis esse confirmandam si Sanctissimo placuerit: et Corpus S. Ambrosii, nec non Corpora SS. Martyrum Protasii et Gervasii, quibus hactenus S. Doctoris exuviae, ex ipsa ejus voluntate, conjunctae fuerunt, unita semper in futurum maneant, sub immediata S. Sedis protectione, ita ut nemo audeat adsportare aut distribuere quamlibet eorum particulam, sub poena excommunicationis latae Sententiae Summo Pontifici reservatae: supplicandum autem eidem Sanctissimo censuit, ut de hoc confirmationis judicio expediantur Litterae Apostolicae sub plumbo.*

§ 7. Quae cum accurate per dilectum Filium Dominicum Bartolini Secretarium ejusdem S. Congregationis Nobis relata fuissent, ingentes benignissimae divinae bonitati egimus gratias, quae Nos in tantis angustiis ac periculis constitutos solari ac fovere dignata sit inventione Corporum Beatorum Martyrum Gervasii ac Protasii, et praesertim tanti Ecclesiae Doctoris, cujus illa aurea ac plena spei sententia est: *Non turbatur illa navis in qua prudentia navigat, abest perfidia, Fides spirat. Quemadmodum enim turbari poterit cui praeest is in quo Ecclesiae firmamentum est?* Propterea libentissime praefatae peculiaris Congregationis sententiam in omnibus probavimus ac ratam habuimus, ceu patet ex Decreto eâdem die edito.

§ 8. Volentes itaque ea quae per idem Decretum jam constituta sunt solemniori Apostolicae Auctoritatis documento novoque Nostrae confirmationis patrocinio communire, ut devotio erga Sanctum Ambrosium Doctorem et fortissimos Christi Martyres in dies inflammetur, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes ac praesertim fel. rec. Benedicti XIII, qui sententiam super identitate Corporis S. Augustini Episcopi Hipponensis et Ecclesiae Doctoris, quem ipse Ambrosius Christo peperit, latam a Papiensi Episcopo per Apostolicas Litteras datas sub plumbo Decimo Kalendas Octobris anni MDCCXXVIII solemniter approbavit; nos quoque judicium Archiepiscopi Mediolanensis quoad identitatem Sacrorum Corporum

Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris ac Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica Auctoritate undequaque approbamus et confirmamus et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse et fore decernimus. Praeterea mandamus, ut sacra haec Corpora, unita semper maneant, ceu hactenus fuerunt, eaque sub immediata Sedis Apostolicae protectione recipimus; adeo ut absque ejusdem venia nemini liceat, postquam peracta fuerit solemnis illorum repositio, ea denuo reserare, vel quamlibet sacratissimi ejus depositi partem unquam auferre, adsportare, aut distrahere, sub poena excommunicationis latae sententiae, cujus absolutionem Nobis ac Nostris Successoribus omnino reservamus.

§ **9**. Ut autem auspicatissimum ejusmodi eventum ampliori devotione et gratia Christifideles celebrent, atque eo validiore apud Eum patrocinio pro Ecclesia, pro universa Christiana Republica S. Ambrosius atque inclyti Martyres intercessores existant, quo ferventiore obsequio eos contigerit honorari; omnibus et singulis Christifidelibus, qui vere poenitentes, die eorumdem Sacrorum Corporum solemnis repositionis, vel alia per locorum Ordinarios indicenda, confessi et Sacro Christi Corpore refecti in Metropolitana sive Ambrosiana Mediolanensi Basilica, vel ubilibet locorum in templis Ambrosii nomine Deo dicatis * pro instantibus Ecclesiae necessitatibus ejusque exaltatione, Sanctorum Ambrosii ac Martyrum Gervasii ac Protasii suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possint benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

§ **10**. Quocirca committimus et mandamus Universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum Praelatis, ut praesentes Litteras in suis quilibet Provinciis, Civitatibus et locis solemniter publicari curent, ea meliori ratione quam expedire censuerint.

Ipsas quoque Litteras et quaecumque in eis contenta nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu Intentionis Nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cujuscumque gradus, ordinis, praeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes ut earumdem praesentium Transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

* In locis ubi nulla extat ecclesia vel saltem aliquod altare sub titulo enunciati Sancti Doctoris eadem visitatio fieri debet in ecclesia per Ordinarium dioecesanum designanda.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, confirmationis, Decreti, Mandati, receptionis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo tertio — VII Idus Decembris.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimo octavo.

A. Card. VANNICELLI *Pro-Datarius*. F. Card. ASQUINIUS.

# DE CONCEPTIONE B. VIRG. MARIAE

**MULTA PRAECLARA EXTANT DOCTISSIMORUM VIRORUM SCRIPTA, AD QUAE LECTOREM REMITTIMUS. INTERIM IN LAUDEM TANTAE VIRGINIS LIBUIT HUC ADSCRIBERE SERMONEM B. EPIPHANII * EPISCOPI CYPRI, QUEM E GRAECIS CONVERTIT JOANNES PICUS CAN. PARIS. POTEST AUTEM HINC FACILE COLLIGERE LECTOR, QUANTI FECERINT HANC SINGULAREM VIRGINEM PATRES ANTIQUI.**

Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparae, radios, terribiles et incomprehensas facultates, coeli et terrae inhabitatae mysterium, admirandumque propitiatorium verbis consequi tentavi. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quae exprimere conabatur profundae memoriae, et altissimae speculationis miraculum. Verumtamen, carissimi, et timor multus et gravis continuit me. Nam memoria contemplationis horrendae exagitans tremebundam animam meam, et cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed et graviter vexavit. Concutit enim mentem meam maximae contemplationis, ac velut incomprehensi mysterii memoria, nempe quae illud eloqui minime possit. Quis enim hujusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? Quale vero os pronunciare, quaeve lingua proferre? Nequaquam potest dicere, quod latet. Jam vero audebo. Dicam de sola Deipara, quatenus assequor: denuo tamen vereor, utpote qui linguâ non sim praeditus idoneâ ad ea dicenda, quae sunt valde magna. Sum enim exili voce, tardaque lingua, et minime disertus, ut sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta et Deipara Maria, Matre Domini, de qua leviter loqui non debet

* Vita S. Epiphanii in Vol. v, pag. 347 etc., habetur.

humana lingua. Pertenuem enim habet vocem, illius habita ratione, et imminuta est lingua, quae pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Illa siquidem vel coelorum Virtutes in stuporem convertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubim ac Seraphim, et Angelorum universus exercitus, timore tremoreque gravi detenti: quia cernebant illum, qui habitat in coelis, per eam versari in terra, et exhorrescebant. Spectabant Virginem, coelum et thronum, et formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem a throno Cherubico, in utero virgineo sedere. O beata radix, quae hanc produxit! De hac Isaias propheta turturis more gemendo submurmurat, igneâ linguâ exclamans: *Exsurget virga de radice Jesse, et flos de radice ascendet, et requiescet super eum spiritus timoris Dei* (*Isa.* XI). De radice Jesse ortus est Rex David, et de tribu Regis Davidis sancta Virgo, sancta, inquam, et sanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim et Anna; qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejusmodi germinarunt, sanctam virginem Mariam, templum simul et Matrem Dei. Joachim porro, Anna et Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur praeparatio Domini, eo quod ex illo praeparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim et Anna gratiam acceperunt, ut, accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti. Joachim siquidem precabatur in monte, et Anna in horto suo. Anna vero gravida effecta, coelum et thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur esse coelum, templum et thronus: quia Mariam, interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud, Maria, interpretatur myrrha maris. Myrrham vero dicet aliquis (quod ego etiam ajo) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est, in mundo. Mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem et tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursum itaque praeclarae puellae Mariae beatum nomen, interpretatur illustrata, utpote quae illustrata sit a filio Dei, et cunctos usque ad terminos terrae credentes Trinitati, illuminaverit. Sancta enim puella virgo Maria, est sponsa Trinitatis, et thesaurus dispensationis plane arcanus, cui Gabriel inquit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I). Subjunxit Gabriel. Et Pater misit arrhabonem de coelo Spiritum Sanctum, praeparavit Virginem Unigenito Filio, coelesti sponso: Quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit. Ipsa est enim sponsa et thalamus, et ex ea sponsus procedit Christus, virgineum indumentum, juxta suavem Davidis prophetae cantionem: *In sole posuit tabernaculum*

*suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Ps.* 18). O sponsi desiderium summae puritatis! Propriam ancillam propensiore affectu constituit sponsam et matrem. Gabriel effectus hospes Virginis, coeli et terrae incensum atque suffimentum una copulavit: quam quidem Virginem prophetae clare descripserunt, dum praedicarunt seriem nuptiarum. Quomodo Virgo invenitur esse coelestis sponsa et mater, quae donorum antenuptialium nomine, Spiritum Sanctum accepit, dotis vero gratiâ, coelum una cum paradiso? Quaerebat igitur Virgo conspicere quem desiderabat, inquiens: « Ubi est sponsus, cujus pulcritudinem exopto? Ubi est pulcritudo sole splendidior? Ubi totius formae gloria ineffabilis? Ubi lumen, quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro? Ubi sol, qui radium exquirit? Ubi ipsorum Cherubim cithara? Ubi oculus Seraphim, nunquam dormiens, Christus? Ubi angelorum adoratio, quam Gabriel indicavit? Ubi solus ac solius Patris Unigenitus Filius, quem Virgo exoptans redamat, perquirens salutat? » Cui Gabriel ait: « Ave, gratia plena, Dominus tecum. Ave, gratia plena. » Gratia sanctae Virginis est immensa. Ave, gratia plena, multis virtutibus exornata, Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidiorem. Ave, gratia plena, hami esca spiritalis: in te siquidem hamus divinitas. Ave, gratia plena, gloriae arca spiritalis. Ave, gratia plena, quae es urna aurea, continens manna coeleste. Ave, gratia plena, quae sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave, gratia plena, mare spiritale, habens gemmam coelestem Christum. Ave, gratia plena, splendidum coelum, quae in coelis incomprehensum contines Deum. Ave, gratia plena, quae Cherubicum thronum divinitatis fulgore superas. Ave, gratia plena, quae coeli circulum habes, et Deum incomprehensum angusto potissimum loco in teipsa contines. Ave, gratia plena, nubes columnae similis, quae Deum habes, qui populum deduxit per desertum. » Quid dico? et quid proloquar? Quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit; natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, et omni exercitu angelico: cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo èloqui pro dignitate potuerunt. Laetabantur vero Angeli, tamquam ipsi dumtaxat Deum haberent: quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in coelis, concepit in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, et versaretur cum hominibus. Ipsa enim est coeli et terrae mediatrix, quae unionem naturaliter peregit. O beata Virgo, columba pura, et sponsa coelestis Maria, coelum, templum, et thronus divinitatis, quae coruscantem in coelo et terra solem habes Christum! Nubes lucida, quae fulgur de coelo lucidissimum, ad illuminandum mundum, deduxisti

Christum! Nubes coelestis, quae tonitruum Spiritus Sancti in seipsa reconditum, deduxit in mundum, et imbrem Spiritus Sancti in universam terram ad producendum fidei fructum cum impeditu demisit! Ave, gratia plena, porta coelorum, de qua propheta vociferatus est his verbis: *Ecce porta clausa, et nullus ingredietur per eam, nec egredietur, praeterquam Dominus Deus solus; et erit porta clausa duci, quia dux ipse vocabitur, et in ipsum sperabunt omnes gentes* (*Ezech.* XLVI). De hac porta etiam in Canticis propheta in discursu orationis plane et aperte proloquitur, inclamans: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV). Mansit in virginitate sancta et praeclara puella Maria, quae est nubes lucida, habens intus Deum verbum: ad quam vocalissimus Isaias: *Ecce nubes levis, et veniet in Aegyptum* (*Isa.* XIX): mons nullatenus incisus, praeruptam habens petram Christum. De qua sapientissimus Daniel ait: *Abscissus est lapis de monte sine manibus* (*Dan.* II); hoc est: Absque viro solidam petram Christum Virgo peperit. Ipsa templum minime compositum, quae lapidem coelestem habet Christum. Ipsa nubes tonitrui formis, quae fulgur interius in utero gestat: sermonique meo attestatur divina Scriptura, dum ait: *Venter tuus acervus frumenti, vallatus in liliis* (*Cant.* VII). Ipsa est ager minime cultus, quae verbum velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinavit. Ipsa clibanus intellectualis, quae ignem et vitae panem habebat. Ipsa es sancta Mater Salvatoris, quae Verbum Patris, ex te incarnatum, peperisti. Ad quam Isaias: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII). O Virgo pura, sancta Mater Domini, beata sponsa Trinitatis individuae, beata tu inter mulieres, quae Deum et hominem omnium Creatorem, velut infantem in terra peperisti. Beata tu inter mulieres, quae sola in terra Deum coelestem concepisti. Beata tu inter mulieres, cujus ubera suxit is qui alit universa. Sancta Maria, Virgo Deipara, beata tu inter mulieres, quae nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formavit Adam e luto. Tu enim es Deipara, quae Verbum ex te incarnatum peperisti. Deipara existis, quae Deum Verbum in forma servi concepisti. Deipara existis, quia Deum Verbum suscipiens, incarnatum peperisti. Deipara existis, quae sola solius Dei Unigenitum Filium genuisti. Non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum, sed aeternum, qui ante te est, et ante omnia. Ovis immaculata, quae peperit agnum Christum. Juvenca nunquam jugum experta, quae vitulum genuit. Fidei mensa intellectualis, quae panem vitae mundo suppeditavit. Quid dicam? et quibus verbis explicabo gloriam radicitus fundatam? De hac sancta puella, semper, inquam, puella et virgine, Deus per prophetam ait: *Ex te mihi exibit dux, qui sit dominator Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis: propterea dabit eos usque ad tempus parientis: pariet,*

*et reliqui filiorum ejus convertentur ad filios Israël. Et stabit, et videbit, et pascet ovile suum in potentia Dominus* (*Mich.* v). O Virgo sancta, lucis aeternae mater! Lucis, inquam, quae in coelis illuminat copias Angelorum; lucis, quae illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum; lucis, quae illuminat solem splendidis facibus; lucis, quae fines terrae illuminat ad credendum Trinitati; lucis, quae dixit: *Ego sum lux mundi* (*Jo.* VIII); lucis, quae dixit: *Ego lux in mundum veni* (*Jo.* IX); lucis quae assumpta est, et illuminavit cuncta, quae sunt in coelis et in terra. O Virgo sanctissima, quae exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! Stupendum enim est miraculum in coelis, mulier amicta sole. Stupendum miraculum in coelis, mulier gestans lucem in ulnis. Stupendum miraculum in coelis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in coelis, mulieris filius, qui et ipsius et seculorum est pater. Stupendum miraculum in coelis, thalamus Virginis, habens Filium Dei, Deum sponsum Christum. Stupendum miraculum in coelis, Dominus Angelorum, infans Virginis effectus est. O sanctissima Virgo, Mater Salvatoris, quae genuisti principio carens Verbum, Filium scilicet eumdem cum Patre habentem thronum, consubstantialem Patri et Spiritui Sancto, qui cum Patre et Spiritu Sancto est ante secula, qui concameravit coelos, et terram condidit. Ave, sanctissima Virgo, quae velut rubus intellectualis, absque combustione divinitatis ignem tenes. Clibanus intellectualis, qui ignem et panem vitae calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi, Christus, ait: *Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum* (1. *Cor.* XI). Locuples est, carissimi, virtutibus plena mensa Virginea, optimis quibuscumque cibis abundans, quibus terra fruatur. Largita est sancta Virgo et Mater Christi, quae splendidam lucernam relucentem in coelo et terra Christum gestavit, ad quam propheta Zacharias: *Ecce candelabrum aureum, et facula super ipsum* (*Zach.* IV). Quin etiam David canticum hoc suavissimum inclamat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Ps.* 118). O candelabrum Virgineum, quod illustravit tenebris involutos! O candelabrum Virgineum, repellens tenebras, et lucem splendere faciens! O candelabrum Virgineum, quod ignem et oleum inseparabile ad illuminandum intulit! O candelabrum Virgineum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem, unum inextinguibilem, consubstantialem, et ad illustrandam terram resplenduit! O candelabrum Virgineum, de quo per prophetam Deus inquit: *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo* (*Ps.* 131). Corona regia, pretiosissimum habens lapidem, et gemmis similem Christum. Purpura regia, quae coeli terraeque Regem induit universale corporis indumentum, purpuram referens, constantissima Christianorum fides, liber incomprehensus, quae Verbum et Filium Patris mundo

legendum exhibuisti. Beata inter mulieres, quae Verbum ex te incarnatum peperisti; Verbum, inquam, Patris, filium Verbum, ante secula Deum, Verbum initio carens et aeternum, Verbum cum Patre et Spiritu Sancto unitum, Verbum, eumdem cum Patre habens thronum; Verbum, sedens super Cherubim; Verbum, quod glorificant animalia, quadruplicem faciem habentia; Verbum, quod creavit Angelos; Verbum, quod fecit, ut principatus et potestates essent; Verbum, quod extendit coelos, et terram condidit; Verbum, verum Deum, ipsum Christum Dominum nostrum, quem sanctissima Virgo peperisti, et denuo post partum virgo, quae gemmam produxisti, et coronam regiam plexuisti. O beata Virgo, quae gloriam coelestem portasti, et ex multis floribus paradisi, mundum odore bono replesti! Virgo est lilium immaculatum, quae rosam immarcescibilem genuit Christum; vitis veritatis fertilissima, et quod ad virginitatem, minime vindemiata: quae licet non fossa, uvarum tamen feracissima, nempe quae maturam uvam germinavit Christum. Quamobrem, sanctissima Virgo, fac nobis fidem, qua ratione germinaveris, quo pacto suscipiens Verbum, quod est ante secula, Mater Dei visa sis super terram. « Ego Virgo incorrupta, quae in utero gestavi, effecta sum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei, nuptiarum expertis. Emmanuelem gestavi in utero incorrupto, in ventre impolluto, similis effecta throno Cherubico: in qua caro factum est Verbum Patris, qui Deus est initio carens: et licet invisibilis, spectabilis tamen per dispensationem assumptae carnis factus est. Non experta nec cognoscens virum, peperi Deum, qui est ante secula, ipsum Christum. Nam etiam nunc sum virgo, post partum purior (si dicere liceat) quam antea: sine labore peperi, non ut omnes mulieres: dissimiles enim fuerunt res meae ac illarum inter pariendum. Non novit natura humana partum meum, excepto solo Deo, qui in me habitavit. » O Virginem, stupendum Ecclesiae thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium. Virginem appellat, velut sacerdotem pariter et altare: quae quidem mensam ferens, dedit nobis coelestem panem Christum in remissionem peccatorum. O uterum impollutum, habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensum, in te vero comprehensum, portasti! O uterum coelo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O uterum, qui coelum es septem circulis constans, et capacior illis existis! O uterum septem coelis sublimiorem atque latiorem! O uterum, qui es octavum coelum, septem firmamentis celsiorem! O uterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiae! Quid dicam, aut quid loquar de praeclara et sancta Virgine? Desiderium me trahit, ut de Deipara verba faciam, et formido me retinet in silentio, ut qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, et metus deterret: ille quidem trahit me, iste vero me abstrahit. Cum ergo ab utroque

distinear, expedit mihi, ut sermonem habeam de percelebri et sancta Virgine. Dico enim illam esse coelum, thronum, simul et crucem: extendens enim sanctas ulnas, Dominum portavit. Thronus Cherubicus, cruciformis et coelestis: de qua per Scripturas in coelos incumbo, et conspicio illam ab Angelis adorari. Hinc Gabriel in primis salutat Virginem: « Ave, gratia plena, quae es splendidum coelum. Ave, gratia plena, quae habes radium de coelo, lucidis facibus coruscantem, utpote solem Christum. » Virgo plurium nominum et multocula, effecta est Seraphim incomprehensae visionis; quae inventa est velamentum quoddam intellectuale corporis universalis, Cherubim transcendens. Illa enim avertuntur, cum nequeant spiritalem ignem divinitatis fixis oculis intueri; haec autem, apertis oculis, fixe intuens incomprehensibilem et somni expertem oculum Christi, cum desiderio et osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes, nec videre possunt, nec contingere: haec vero labra labris conjungens, incomprehensum salutabat. O Virgo incomprehensi mysterii ferens miraculum, quae fidem ter optatam orbi praedicasti! Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim et Seraphim, placens Christo Regi, a Deo in honore habita, tamquam ancilla digna et mater. Sancta Mater immaculata, quae genuisti Christum, qui est ante te, et dixit: *Prius quam Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* VIII): quae stabulum gloriae exornasti, et praesepe illustrasti. Virgo siquidem, spelunca et praesepe, coeli circulum prae se ferentes, Deum incomprehensum gestabant, utpote tres, Trinitati aperte ministrantes; quando Virgo in spelunca citra laborem praegnans, coeli et terrae Dominum deposuit in praesepio, tunc etiam ordines Angelorum circumstabant Virginem, cum clamore dicentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax in hominibus bona voluntas* (*Luc.* II). Quapropter etiam pastores, qui ruri pernoctabant, hujusmodi glorificationem Angelorum audierunt de Salvatore, et celeri cursu properantes, lucem adoraverunt, spectantes miraculum insolens, ancillam Domini et Virginem in terra versantem, evasisse sponsam coelestem. Ipsa enim et sponsa, et thalamus, et Dei Mater visa est in stabulo, quando peperit infantem Christum, juxta propheticam Isaiae vocem, nempe: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis: cujus imperium super humerum ejus, et vocatur nomen ejus, magni consilii angelus, Deus fortis, potestate pollens, princeps pacis, pater futuri seculi* (*Isa.* IX). Tum post haec et Magi a partibus Orientis, a stella splendida illustrati et deducti, peracta itineris ab Oriente longitudine, venerunt Bethleem ad adorandum partum. Unde cum ad civitatem Jerusalem pervenissent, occultari coepit stella; illi vero tumultuantes, eo quod viae ducem perdidissent, necessitate cogente, interrogabant incolas civitatis, et sciscitabantur ab eis, ubi natus esset Christus, quod quidem

miraculum inauditum omnes existimabant. De quo cum audisset Herodes, turbabatur vehementer; et vocatis sacerdotibus, percontabatur eos, ubi Christus nasceretur. Illi autem dixerunt, et non negaverunt; confessi sunt, et non sunt mentiti. Solis radios abscondere non poterant, vocem scilicet per prophetam de Salvatore clare pronunciatam, testato dixerunt, in Bethleem nasci Christum. Hunc enim in modum per prophetam clamat: *Et tu, Bethleem, nequaquam es minima in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui sit dominator in Israël* (*Mich*. v). O infidelem Israëlem! Confessus est legis effectum, et legislatorem denegavit; testificati sunt ipsi, ubi nasceretur Christus, et hi rursus Christum natum abnegarunt. Quid igitur Magi? Quorum vis animi propria immutata erat, quorum cor admodum turbabatur, et extinguebatur prae dolore, quorum suspiria fluctuum violentorum instar navem submergebant; quorum oculi lacrymis, gemmas prae se ferentibus, terram irrigabant; quorum afflictio intolerabilis erat, ductorem ab Oriente requirentes, quam non habebant, habentes quaeritabant, ubi esset Magorum dux stella. At vero perpende veritatem, quonam pacto occultatur eis stella, et intuere miraculum, et ejus significationem. Hac de causa absconditur eis stella, ut dum percontarentur incredulos sacerdotes, manifestum redderetur omnibus coeli et terrae mysterium. Quapropter ubi cognoverunt omnes, rursum apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potius in coelo (ubi enim Christus, ibi et coelum). Nam stabulum, visum est esse coelum in terra. Illi vero cum vidissent stellam, immo potius Salvatorem, gavisi sunt gaudio magno; et incurvantes se adoraverunt, obtuleruntque dona, aurum, thus et myrrham: aurum quidem velut Regi, thus autem tamquam Deo, et myrrham tamquam mortali, vel potius, ut indicarent sepulturam Creatoris et Opificis omnium Christi, quem peperit sponsa coelestis Maria, quae est coelum, templum et thronus divinitatis, inexplicabile paradisi monile. Angeli accusabant Evam; nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quae mulierum infirmitatem vere gloriosam reddidit, quae lapsam Evam erexit, et Adamum e paradiso dejectum, in coelos misit, quae paradisum clausum aperuit, et per latronem rursum Adamum complantavit. Per te enim, o sancta Virgo, medius obstructionis paries, inimicitias dissolvit, per te pax coelestis donata est mundo, per te illuminati sunt fines terrae, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt amici, servi, et filii Dei; per te homines meruerunt esse conservi Angelorum, et cum eis familiariter conversari; per te notitia coelestis, a terra transmittitur in coelos; per te homines fiduciam habent in coelo erga altissimum; per te Crux resplenduit per universam terram, in qua quidem Cruce pependit Filius tuus Christus Deus noster; per te mors conculcatur, et spoliatur infernus; per te ceciderunt idòla,

et excitata est notitia coelestis; per te cognovimus Unigenitum Filium Dei, quem sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum, quem omnes Angeli atque homines adorantes, dicimus principio carentem Patrem, carentem principio Filium, et principio carentem Spiritum Sanctum, Trinitatem individuam et consubstantialem glorificantes in secula seculorum, Amen.

## MARTYRIUM SS. ALEXANDRINORUM

SUB DECIO IMPERATORE PASSORUM

# MACARIS SCILICET, EPIMACHI, ALEXANDRI, AMMONARII VIRGINIS, ET SODALIUM EJUS; HERONIS, ISIDORI ET DIOSCORI, AC SOCIORUM EORUM

UT HABETUR APUD S. DIONYSIUM ALEXANDR.

ECCLES. HISTORIAE EUSEBII CAESAREENSIS LIB. VI, CAP. XXXIV.

JOANNE CHRISTOPHORSONO INTERPRETE.

**Passi sunt anno 250.**

§ 1. Sanctus Dionysius Alexandrinus Antistes, ad Fabium * Episcopum scribens certamina et dimicationes eorum qui sub Decii imperio martyrium pertulerunt, caeteris martyribus praemissis, isto modo persequitur: « Alius quidam genere Afer, qui et appellatione Macar (et ob vitam beatam, quam divinae gratiae subsidio degisset, vere *Macar* **, id est, beatus fuit) cum ad fidei negationem, judice eum ad eam rem magnopere cohortante, adduci non posset, vivus crematus est.

§ 2. Epimachus etiam et Alexander ***, non longo post tempore quam vincti tenebantur, post horum martyrium multos dolores perpessi, dilaniati novaculis, et flagellis lacerati, ad extremum ardentissimis flammis circumjectis absumpti fuerunt. Quibus quatuor mulieres martyres adjungebantur: quarum prima fuit Ammonarium, sancta virgo, quae, cum judex diu illam admodum torsisset, utpote constanter asserentem se nihil eorum aliquando dicturam, quae ille jussisset, eâque in sententia firme perstaret, ad supplicium abducitur. Mercuria, secunda erat, anus, in primis veneranda. Tertia, Dionysia, quae quamquam erat multorum

* Alibi *Fabianum*.
** Graece enim μάκαρ idem sonat ac latine *beatus*.
*** Eorum natale Martyrologium Rom. ad diem 12 decembris refert.

liberorum parens, illos tamen Domino in amore minime praetulit. Quarta, Ammonarium altera; quae tres, cum praeses vereretur ne in cassum tormenta illis infligeret, et quodammodo evinceretur a mulieribus, nullum cruciamentorum genus amplius subire cogebantur: sed statim capite obtruncato, mortem oppetunt. Pro omnibus enim prior Ammonarium, tamquam in prima dimicationis acie locata, satis tormentorum exceperat *.

§ 3. Heron praeterea, Ater, et Isidorus, Aegyptii, et Dioscorus ** una cum illis, adolescens quindecim annos natus, judici traduntur. Et primum judex adolescentem, tamquam facilem ad persuadendum, blandis verbis in fraudem inducere, tum velut remissum et flexibilem ad fidem negandam, tormentis impellere tentat. Sed Dioscorus neque persuasione quicquam commotus est, neque judicis omnino cessit sententiae. Caeteros acerbissime crudelissimeque verberibus dilacerat: quos cum tormenta magno et fidenti animo, pro fide tolerare cerneret, rogo cremandos tradit. Dioscorum autem, cum propter singularem animi magnitudinem, quam palam ostenderat, tum propter prudentissima responsa, quae ad singula rogata dederat, judex magnopere admiratus, dimisit: affirmans, se propter aetatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Jam ergo Dioscorus summa pietate eximius, nobiscum est, exspectans cum certamen prolixius, graviusque, tum amplius praemium et diuturnius.

§ 4. Porro Nemesis *** quidam, et ille etiam Aegyptius, falso in crimen vocabatur, quod cum latronibus societatem coivissiset: sed istam calumniae notam ab eo alienissimam quidem, cum coram Centurione diluisset, iterum per judicem fuit delatus, quod Christianus esset, vinculisque constrictus ad praesidem venit. Iste injustissimus praeses, beatum Martyrem tormentis et verberibus duplo gravioribus, quam latrones ipsos, affligens, exemplo Christi inter latrones interjectum (unde non parum honoris adeptus est) fervido ignis exurit incendio.

§ 5. Quaedam porro militum turma derepente accedit: nimirum Ammon, Zeno, Ptolomaeus, Ingenes, et pariter cum illis senex Theophilus ****, qui ante tribunal astiterunt. Cum igitur quidam, quod Christianus esset, in quaestione versaretur, et jam ad fidei negationem propenderet, isti assistentes, pro rei indignitate dentibus frendere, vultum mutare, manus extendere, toto denique corpore gestus quosdam agere coeperunt. In quos cum omnium ora essent conversa, priusquam ulli alii in eos injecerunt manus illi ipsi ad subsellia *****, accurrere, se Christianos profiteri sic,

* Omnes hae sanctae Mulieres in Martyrologiis die 12 dec. recensentur.

** SS. Heronis et trium sequentium memoria die 14 dec. recolitur: sed Ater a Baronio *Arsenius* vocatur.

*** Nemesius die 19 novembris memoratur.

**** Et hi quinque Martyres die 20 dec. recoluntur.

***** Locus nempe in quo rei interrogabantur.

ut cum praefectus, et assessores qui aderant ei in concilio, timore obstupescerent, tum Christiani, in quos jam inquirebatur, ad ea tormenta quae post essent perpessuri, toleranter sufferenda maxime confirmarentur, tum denique judices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu exhorrescerent isti vero e foro gloriantes abscedere, et prae testimonio quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare, Deo per illos gloriosos triumphos agente. Alii praeterea complures in urbibus et pagis, a gentibus distracti erant, et quasi membratim discerpti: ex quibus unum, exempli gratiâ, commemorabo.

§ 6. Ischyrion * cujusdam magistratus negotia, mercede conductus, procurat. Is qui eum conduxerat, jubet idolis sacrificare: quem, cum mandato minime obsequeretur, coepit conviciis lacerare; ac cum constanter fidei adhaeresceret, gravibus affecit contumeliis, atque ubi vidit eum pacate et tranquille omnia sufferentem, arrepto fuste praeacuto, intestina ac viscera illius transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet percensère multitudinem eorum, qui in solitudine et montibus vagi, errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestiis fuerunt extincti? Quorum electionis beatae et eximiae victoriae quamquam testes sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat, tamen unum aliquod facinus proferam, quo res istae sint exploratius cognitae, perspectaeque.

§ 7. Chaeremon Episcopus ** civitatis quae Nilus *** dicitur, cum jam plane grandis esset, et aetate prope exacta, una cum uxore sua ad montem Arabiae confugiens, neque post reversus est, neque usquam eos quispiam videre potuit. Et licet fratres jam aliquoties eum cum uxore quaererent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum uspiam reperire potuerunt. Permulti certe in eo Arabico monte erant, a barbaris Sarracenis facti captivi: quorum alii aegre quidem, et vix ingenti pecuniae summa redimi poterant, alii hactenus nullo modo. Atque ista, mi frater, non frustra equidem dicendo persecutus sum: sed ut cognoscas quantae et quam acerbae calamitates apud nos obtigerint, quas qui fuerint magis experti, plura de illis et sciunt et dicere possunt.»

* Ejus festum die 22 dec. celebratur.
** Et ipse die 22 dec. recolitur.
*** Nilus sive Nilopolis, in occidua Nili fluminis. Ibi postea sedes episcopalis erecta est.

# VITA *

# SS. SYRI ET IVENTII, SEU JUVENTII

## TICINENSIUM EPISCOPORUM

### GRAVITER CONSCRIPTA.

CUJUS AUCTOREM CUM NON EXPRIMANT MSS. LIBRI, INCERTUM EST, ILLANE SIT, QUAM B. SYRI DISCIPULUS POMPEJUS, AN VERO, QUAM EX HOC PAULUS DIACONUS EDIDIT, A QUIBUS SCRIPTO RELICTAM DOCTISSIMUS PETRUS GALESINIUS ANNOTAVIT. PORRO S. JUVENTII NATALIS IN VI ID. FEB. INCIDIT, QUAMVIS MARTYROLOGIA PASSIM HOC LOCO HABEANT.

**S. Syrus floruit sec. I. — S. Juventius sec. II.**

§ 1. Caelestis exorta prosperitas, dulci revelata facundia, erga aures fidelium circumquaque clarescit. Nullius enim assertionis imbecillitas sacra valet enarrare mysteria, nisi superno magisterio fuerit erudita, dicente sapientissimo Salomone: *Dominus dat sapientiam, et ex ore ipsius scientia et prudentia* (*Prov.* II). Quod et beatus Jacobus Apostolus affirmat, dicens: *Omne donum optimum, et omne datum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). His itaque veritatis assertionibus praemissis, qualiter Ticinensium urbs, quae proprio Papia nomine vocitatur, divinae respectu misericordiae et visitatione supernae gratiae sit illuminata, vel in quibus diebus, quibusque praedicantibus, intimetur. Nam ut a primo statu crescentis Ecclesiae et Apostolorum vicinia Ticinensis civitatis populus ad Domini sit fidem conversus, actus beatissimorum Syri et Iventii, qui hujus urbis primi praedicatores ac praesules extiterunt, scripta informant. Redemptore etenim nostro, peractis pro quibus venerat carnis passionis mysteriis, remeante ad coelos, reparato discipuli duodenario numero, ac sancti Spiritus adventu glorificati, universum mundum sortes mittentes diviserunt, ac ut quibusque sors dedit, proprias provincias susceperunt. Quibus etiam incarnationem Dominicam praedicantibus, crescebat numerus fidelium, ita ut, relicto infidelitatis errore, se eorum magisterio sociarent. Unde factum est, ut adjutores et successores Apostolorum existerent, per quos Ecclesia veris informata assertionibus ad fidem Christi et ad cultum coelestem proficeret. Quo in tempore fundata beatissimus Petrus

* Ad hanc diem e die 12 sept., ubi apud Surium habetur, Historiam hanc transtulimus. De sancto Iventio jam breviter egimus, die 8 febr., in Martyrol. Illustr., pagg. 123*, 124*.

Christi Apostolus Antiochena Ecclesia, in qua primum novellae gentis Christianum nomen exortum est, aedificaturus Romanam Ecclesiam, ad Romanam urbem transivit; ibique praedicans Christum crucifixum, omnesque virtutes faciens atque miracula, quae coram conspectibus Judaeorum fecerat, multos ad credulitatem sui convertit oraculi. Quibus in diebus Marcus Evangelista, adjutor et interpres ejus effectus, de omnibus quae ex ore illius didicerat mirabilibus salvatoris nostri Jesu Christi Evangelium edidit, quod plurimi etiam beati Petri esse confirmant, eo quod ejusdem documento eruditus Evangelista Marcus Evangelium illud conscripserit, et ejus sit auctoritate firmatum atque ad legendum Ecclesiae traditum. Marcus vero Evangelista post haec digressus Roma, ad Aegyptum perrexit, atque Alexandrinam ecclesiam ex doctrina Magistri operarius veritatis mira concordia et sanctissima conversatione fundavit. Evangelium autem, quod rogatus a fratribus Romae confecerat, secum deferens, beatum virum Hermagoram *, quem ipse educavit et enutrivit, ordine vicis suae Italiae prudentia et sanctitate reliquit insignem. Hujus auditores atque ministri venerabiles viri Syrus fuerunt atque Iventius. Ecce enim a fonte luminis inaestimabilis claritas procedens, per beata pectora derivata, Ticinensis populi animos circumfulsit: ita a Christo in Petrum, a Petro in Marcum, a Marco vero in Hermagoram, ab Hermagora in beatissimos viros Syrum atque Iventium transcucurrit, ut impleretur illud Psalmistae praeconium: *Qui emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo ejus* (*Ps.* 147).

§ 2. Porro his secundum divinae Scripturae traditionem praemissis, ordinem, quem ex sermonis vitae eorum narratione didicimus, exequamur. Igitur beatissimus Hermagoras dum apud Aquilejensem urbem populis insciis Christum Dominum innotesceret, coepit ex diversis partibus ad ejus dogmata infinitae multitudinis coetus concurrere, et superno afflatu veloci felicitate Christi Ecclesia germinare, ita sane, ut ad credulitatem praedicationis ejus mentes conferrent, ad quos verbi illius eruditio pervenisset. Convocans autem alumnum suum Syrum Episcopali fastigio dedicavit, atque consocians illi beatum Iventium, ad evangelizandum nomen Domini nostri Jesu Christi Papiam urbem direxit, quatenus ibidem honoris hujus fungeretur ministerio, et fidem Christi populo in eadem commoranti ostenderet, ac paganorum animos Christi gratiae copularet. Absoluti itaque a Patre, auctique benedictionibus ejus, viam sancti hujus ingressi sunt operis. Proficiscentesque dum Veronensium oppidum introissent, non potuit abscondi, juxta Evangelium, civitas super montem posita. Nam quaedam nobilissima foemina superno crebro nutu admonita, ingressum eorum agnoscens, summa ad eos cum festinatione cucurrit: orbatam se unico filio deplorans, pedibus

* S. Hermagorae natale die 12 julii recolitur. Vide Martyrol. Illustr. hac die, pagg. 615*, 616*.

sanctissimi prosternitur Syri, promittens se suosque Christianae religionis participes fieri, si orationibus ejus sobolem sibi cerneret restitutam. Cujus voci protinus vir Dei respondit: « Si ex toto corde credideris, omnia credenti possibilia sunt. » Illa autem in hac permanente constantia, vir Dei domum ejus protinus perrexit, ibique super jacentis corporis funus orationem ad Dominum fudit, atque vitae et saluti pristinae defunctum restituit. Coepit itaque adolescens glorificare Dominum, quod per orationem famuli ejus a tenebrosa fuisset ereptus custodia. Ad quod vero miraculum multi concurrentes, dicebant: « Verus est Deus Christianorum, quem praedicat hic famulus ejus, ipsum enim adorare debemus. » Illa autem nobilissima vidua, videns filium suum sanum, quod pollicita fuerat, festinanter implevit; statimque baptizata cum filio et utriusque sexus familia, relinquens sacrilegium idololatriae, Christi se collegio sociavit. Sed et immensa multitudo paganorum, hoc viso miraculo, baptizata est, Christum Dominum confitentes.

§ 3. Egressus dehinc a Veronensi urbe vir Domini Syrus, cum Papiam tenderet, fama praecurrente, relatus est. Jam vero ante ingressum ejus plurimae populi turbae ex civitate confluxerant, exspectantes summo cum desiderio adventum tanti Patris et Praedicatoris salutis suae. Ad quem advenientes vestigiis prosternuntur, his vocibus exclamantes: « Ingredere, ingredere, desiderabilis Pater, revoca errantes, suscipe abjectos, doce imperitos, libera, quos captivos crudelissimus detinet hostis, erue nos, ac institutis salutaribus informa, et transfer nos in coetum veri Dei, ut cognoscamus quem nos adorare oporteat.» Hora autem eadem, operante Dei clementia, quinque tetigerunt eum infirmi, et confestim integerrimae saluti sunt restituti. Ingressusque urbem, futurae prosperitatis ejus annuncians depromisit praesagium: Delectare gaudiis, urbs gloriosa, Papia, quia veniet tibi ab aeternis montibus exultatio, nec vocaberis minima, sed copiosa in finitimis civitatibus; et vae tibi, Aquileja, cum in impiorum incideris manus, destrueris, nec ultra reaedificata consurges *. Populi autem multitudo clamabat: « Ipse vere solus est Deus, quem praedicat hic beatissimus Pater; qui autem idola colunt, vanitate stultitiae pleni sunt. » Annuens autem universo collegio vir Dei, dixit: « Constantes estote, carissimi filii, certatimque implete opere quod voce profertis. Credite Jesum Christum Dei esse filium, ante secula cum Patre manentem, Deum ex Deo, invisibilem de invisibili, omnipotentem de omnipotente; et ut nos redimeret assumpsisse carnem ex Virgine, et per tempora et actus crevisse ut verus homo, in Deitate permanens verus Deus. » Secutusque Dominicae passionis et resurrectionis, atque in coelos ascensionis gloriam, omnibus audientibus aperuit sacramentum, annuncians

* Vaticinium hoc refert Liutprandus Ticin. lib. 3, cap. 2.

illis et diem judicii, atque credentium gloriam sempiternam sanctorum, dicens: « Haec si credideritis, erit semper vobiscum Deus, sicuti nobiscum, et quicquid fideliter petieritis in nomine ejus, consequemini. » His autem et aliis multis sanctis exhortationibus populus ad fidem convertitur Christi, atque baptismatis gratiam consecuti, Patrem et salutis suae ostensorem miro omnes venerabantur affectu.

§ 4. Eo vero tempore dum orta esset persecutio Christianis in Mediolanensium urbe a quodam paganissimo Comite Anolino nomine, et aliquanti ex Christianis pro amore Christi punirentur, beatos Protasium et Gervasium *, gloriosos viros professione Christiana, idem crudelissimus Praeses carceralibus tenebris mancipavit, plurimis Christi fidelibus latitantibus. Beatus vero Nazarius, claris ortus natalibus, ea tempestate Christi nomen constantissime praedicans, despectis hujus aerumnosae vitae negotiis, multorum animos illustrabat. Sed detentus impiorum manibus, marinis fluctibus immergitur. Succurrente autem divino praesidio, naufragium tanti periculi verus Christi athleta liberatus evasit. At post ista divina magnalia incunctanter praedicans, Dominum Jesum Christum Dei esse filium, ad eamdem Mediolanensium urbem pervenit, in qua videlicet jussu nequissimi Neronis ab eodem Comite mortis sententiam sustinuit: et quia erat nobilis, praeclaroque ex genere, metuens saevissimus persecutor, intempesta nocte capite eum truncari praecepit cum assecla suo parvulo nomine Celso **.

§ 5. Cumque relatione multorum beatissimus Syrus haec cognovisset, venerandum virum Iventium alloquitur: « Summa, inquiens, alacritate ac celeritate Mediolanum transcurre, omni sollicitudine inquirens Christianos viros alloquere: Supernae vos ardor charitatis detineat, et erga Christi Martyrum reverentiam vincat, ut corpuscula fratrum nostrorum Nazarii et Celsi, quorum sanguis pro Christi effusus est nomine, dignae sepulturae cum maximo honore tradantur, atque epitaphium certaminis eorum sacris apicibus conscribentes simul recondite. Protasium autem et Gervasium dignissimos Confessores, qui a pestifero Praeside clausi carcere detinentur, cum pro Christi fide et ipsi fuerint martyrio coronati, debito honore et merito condentes, certaminis eorum libellum pro futuris temporibus ad laudem Domini nostri Jesu Christi et gloriam ipsorum ad capita eorum reponite. Quia praedestinatum est a Deo, veris fidelibus, qui tempore opportuno credituri sunt, ob confirmandas mentes eorum, sanctorum corpora revelari, et honoribus atque virtutibus praefulgere, multorumque infirmantium valetudinibus restituere medelam salutis.»

§ 6. Cumque omnia sereno pectore Patris monita suscepisset,

* SS. Gervasii et Protasii MM. festum die 19 Junii celebratur.
** SS. Nazarius et Celsus die 28 Julii memorantur.

laetus ac festinus hujus praecipue legationis iter arripuit, atque ad eamdem urbem licet anxius jam noctu pervenit; inventisque, quos sanctus Pater praedixerat, Christi fidelibus, quaeque ei commissa fuerant, auribus retexuit. At illi corpora Martyrum Nazarii et Celsi se condidisse responderunt. Quibus beatus Iventius: « Obsecro, inquit, vos, ut dum certaminis sui hi, qui supersunt, beatissimi Protasius et Gervasius finem acceperint, aliquid pro amoris dulcedine eorumque reverentia, de vestibus vel corporibus eorum pignus retinentes, nostris desideriis offeratis. » His vero auditis, qui aderant responderunt: « Quandam Dei famulam, dum S. Nazarii caput ab impio lanista abscissum fuisset, vidisse se, linteo sanguine ejus recepto fugam petisse. » Quo vir Dei Iventius responso commonitus, anxius tali insinuatione, dum remearet, in ipso itinere eamdem convenit Christi ancillam. Quae, divina admonitione praemonita, gratuita voluntate Martyris ei obtulit cruorem, quem ferebat. At ille, accepto tanti muneris, quem quaerebat, thesauro, laetus ad moenia Ticinensis reversus est civitatis. Cujus portam tanti doni portitor dum intrasset, quidam daemonio puer arreptus volutabatur in platea, ex cujus ore dolens ac luctuosa voce ejulans clamabat diabolus: « Vae mihi, quia torqueor Martyris ingressu cruoris. » Quod ut audivit miles Christi Iventius, super vexatum puerum S. Nazarii Martyris sanguinem imposuit, statimque ab eo daemonium, quod vociferabatur, expellit. Contigit autem, ut pro confirmanda fide Catholica ipse prudentissimus vir Iventius, operante Christo in multis signis, probabilem faceret sancti Martyris cruorem Nazarii. Nam positus super caecorum oculos, lumen restituit: et varias infirmitates concurrentium ad se frequenter curavit. Atque ex hoc tempore, beati Nazarii meritis et patrocinio promerente, plenae credulitatis augmentum hujus urbis Ticinensis populus est adeptus.

§ 7. Post non multorum dehinc temporum curricula, cum sanctorum Martyrum Protasii et Gervasii apud Mediolanum finita essent certamina, pretiosa corpora eorum a Christianis occulte sublata, sepulturae sunt reddita, ne impiorum atrocitas, sicut viventes, ita persequerentur et mortuos. Tunc quidam Christi fidelis Liberius nomine, cum reverentia et amore a sanctis eorum exuviis fidissima temeritate, quandam quae fas fuerat detrahens particulam, beatissimo Syro Ticinensis urbis Patri et doctori idoneo, ut ab eo fuerat postulatum, amicabiliter detulit. Vir autem venerabilis suscipiens pignora beatorum Martyrum, multis in eis virtutibus usus est. Cumque signa sanitatum longe lateque splendescerent, coepere languentium etiam ex inopinatis partibus ad eum turbae concurrere, eumque immensa frequentia perurgere. Inter haec sacerdos Dei eximius exultans de mirabilibus quae per merita sanctorum martyrum Christus Dominus sedulo faciebat,

concepit animo non procul ab hujus urbis moeniis extra civitatem templum Domino in memoriam nominum eorum erigere, idque in modum Crucis, ut aggressus est, consummavit. Atque hoc primum coelestis Regis vexillum in hac urbe erectum est, et ovile Dominicum: intra cujus caulas pastor verissimus oves regebat Dominicas, quas pervigili custodia a faucibus extrahebat serpentis nequissimi. Quod et David fortissimus designabat, quando brachia confringens ursorum, conterensque colla leonum, ex cruentis dentibus raptas oviculas auferebat.

§ 8. Perfectis igitur templi sive altaris dedicationis insignibus, quotidianas Deo laudes in eo et hostias offerebat. Una autem dierum dum Missarum solemnia singularis Pontifex ibidem celebraret, et copia filiorum ejus, quos verbi semine juxta Apostolum Deo genuerat, devota sanctis mysteriis interesset, audenter Judaeus ecclesiam ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, atque in sterquilinium projicere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei perveniens, ausu nefario immundo ore corpus suscepit Dominicum. Quod ut animo rejiciendi os aperuit, digna ultione percussus, sine affatu verborum cunctis audientibus et videntibus clamare coepit. Volebat labia jungere, nec valebat: conabatur verba edere, sed lingua rigida officium loquendi non praebebat, et quasi ignitum jaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa ecclesia ineptae vocis clamoribus, et tam egregii virtute miraculi Christi fidelium laetabatur conventus. Impleturque illud: « Derisores ipse deridet. » Et quod Apostolus ad Galatas scribit: *Nolite errare, Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet* (*Gal.* VI). Judaeus ergo incredulus nec audierat nec legerat ista praeconia Scripturarum, qui putavit Spiritus Sancti deesse praesentiam. Quem vir Dei suo conspectui praesentari praecepit, atque advenienti dixit: « Incredula et perfidiae mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium? aestimasti corpus Christi vilissimum? Ecce quod clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis divina virtus ostendit. » Judaeus autem nimio dolore superatus, voces emittere absque sermonibus non cessabat, habens in gutture suae malitiae cruciatum: quia secundum sanctissimi vaticinium Simeonis, ut incredulis est pernicies et ruina, ita fidelibus suis vita et exultatio est verbum Dei. Nam subtilius adspectantibus, mirabili ratione corpus Dominicum in ore videbatur Judaei dependere, ut nec linguae subter compagi insideret, nec desuper immundo adhaereret palato. Sed postulantibus fidelibus pro ejus miseria, vir Dei beatus Syrus manum tetendit, et sanctae Eucharistiae mysterium a sacrilego ore abstraxit, dicens: « Ecce nunc liberatus es, decaetero cave hujusmodi simile ne facias, et ne ulterius repetere hoc praesumas. » Judaeus autem pedibus ejus advolutus, clamabat

se Christo Deo crediturum, si sacri eum baptismatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui copularet: « Tibi, inquit vir Dei Syrus, tibi, Omnipotens, refero gratias, qui Judaicam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui Unigeniti fidem ampla pietate convertis. » Baptizato autem illo, multi ex Judaeis credentes, cum eo sacro renati baptismate, Christi fidelibus ac spiritali coetui sunt uniti.

§ 9. Igitur dum multa per hunc Patrem nostrum Syrum laudanda Deus ostenderet, et quia jam spiritu prophetiae illuminatus enitebat, quendam ad se superbo spiritu sub figura pietatis advenientem intuens: « Silere te magis oportet, inquit, quam loqui; quia quae cogitas manifeste clarescunt. » Obmutescens vero ille, nec aliquid profari valuit, sed pedibus sancti viri advolutus, gemitibus ac lacrymis iniquae cogitationis pandebat arcanum. Vir autem Domini lacrymis ac gemitibus ipsius inclinatus loquendi mox ei officium restituit, atque divini muneris reddidit ei ministerium. Diffundebatur autem Dei gratia in civitate Papiana, et divulgatâ sancti viri famâ, ex diversis partibus multorum ad eum frequentia concurrebat populorum. In qua felicissima urbe instituit ecclesiasticos ordines, discipulumque suum Iventium et Pompejum mitissimos Diaconos fecit. Chrysanthum autem virum illustrem, et Fortunatum clarissimum, presbyteros ordinavit; ejusdemque urbis expletis octo hebdomadarum curriculis sedem obtinuit, multorumque a paganissimis idolorum cultibus retrahens animos, ad Dei servitium et credulitatem perduxit.

§ 10. Egressus autem quodam tempore ex urbe memorata, dum vicos ac villas civitatesque circumquaque peragraret, et praedicationis sanctae verbo ignorantium corda imbueret, vir quidam pedibus ejus prosternitur, qui mutum surdumque se habere filium clamabat, eumque sanctae ejus praesentiae rogitabat offerri, si dignaretur forsitan loquendi ei audiendique gratiam condonare. Cujus jussu ejus praesentiae puer oblatus, cunctis audientibus orationem fudit ad Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe, qui humanam formam cum Patre et Sancto Spiritu sine vitio ad tuam similitudinem psalmare dignatus es, et dedisti ei libertatis arbitrium, qui mutis loquelam, caecis visum, surdis auditum, mortuis vitam reddidisti, respice super hunc puerum, et os atque aures ejus obturatas adaperi, quia tibi plasmatori haec pertinet reformatio, cujus digito compacta sunt universa congruentia corporum membra humanae substantiae. » Completa autem oratione, in ore et auribus ejus signum Crucis digito suo fecit, statimque apertae sunt aures ejus, et lingua ipsius absoluta est, ita ut voce clara confiteretur puer, ac benediceret Deum. Quod miraculum videntes increduli, crediderunt in Dominum Jesum Christum, perceptaque fide baptizati sunt.

§ 11. Dehinc exorta adversus Christianos gravissima persecutione, intantum ut per diversa loca plurimus sanguis effunderetur, ad eamdem civitatem, in qua vir Dei talia signa faciebat, operarii iniquitatis properare gestierunt, sed pene factos omnes cives Christianos cognoscentes, minime ausi sunt appetere eam, vel impias super eos manus inferre, sed ad virum Dei properantes, quasi comminantes dicebant: « Quis tibi dedit hanc potestatem, ut nobiles et ignobiles Christianae sectae oppressionibus arguas, et nolentes magicae artis tremore concutias, ut Christum, quem Judaei crucifixerunt, quasi filium Dei adorent, quem nec viderunt, nec visuri sunt, et deos veros, quos Romana colit religio, detestentur? Si hoc ad aures invictissimi Principis relatum a nobis fuerit, simul te cum his omnibus, qui tuo consilio adhaeserunt ac dogmati consentiunt, multis suppliciis punire praecipiet. Placeat tibi consilium nostrum, recede ab hac stultitia, et noli subversionem facere animarum, quae vero cultui servientes, vivunt pacifice. » His eorum sermonibus beatissimus Syrus dulcissima benignitate respondens: « Nolite, ait, falli, dilectissimi filii, neque antiquus error in vestra mente permaneat, qui parentum vestrorum obcaecata corda possederat. Nolite adorare idola muta, surda atque vanissima, sine sensu et anima, quae humana providentia facta sunt diabolo suggerente, quia nequeunt vobis conferre medelam; sed credite potius in Deum coeli et terrae, omniumque creaturarum factorem, qui mundum fecit ex nihilo, et terram fundavit super aquas; qui limitibus maria circumdedit, et fecit omnia, quae in coelo sunt sursum, et in terra et in aquis deorsum; qui firmavit terram super abyssum, et aquas fluere fecit ex summitate petrarum et montium; qui producit flumina ex abditis, et discurrentia marinis miscet in fluctibus. Credite huic Christo filio Dei, qui propter nostram salutem dignatus est formam servi suscipere, quem Gabriele Angelo nunciante integerrima Virgo concepit Maria; qui novem mensium plenitudinem, Virginis matris crescendo adimplevit in utero; natum per novae stellae apparitionem Magi agnoverunt, et ea praevia in Bethleem Judae adorare venerunt, et ut Regi Regum munera obtulerunt; qui ab Herode ut inveniri possit atque necari exquisitus est; qui in sanctis innocentibus persecutus est, qui in multis fulsit miraculis, suscitavit mortuos, leprosos mundavit, caecis visum reddidit, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, atque jussu ac voluntate universa curavit; qui ut verus homo dormivit, et ut verus Deus ventorum flatibus imperavit; qui ut verus homo esuriem sensit, et ut verus Deus de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia populi satiavit; qui ut verus homo sitivit, et ut verus Deus fontem indeficientem in se credentibus dedit; quem principes Judaeorum per invidiam sub Pontio Pilato flagellatum crucifixerunt; quo crucifixo, tenebrae

factae sunt super universam terram ab ora diei sexta, usque ad horam nonam. Quid plura? Mortuus est et sepultus, sed tertia die surrexit, conversatusque cum discipulis suis per dies quadraginta, ipsisque adspicientibus atque mirantibus ascendit in coelos, promittens in se credentibus discipulis sempiternam gloriam: non credentibus autem, aeternas flammas supplicii, quae praeparatae sunt iis et patri eorum diabolo; quoniam unusquisque cujus opera agit, ejus est filius. Ego vero polliceor vobis, confidens in Domino, quia si credideritis in filium Dei Jesum Christum, et malis actibus atque vanissimis idolis, abrenunciaveritis, quod possidebitis perpetuam vitam, in qua lux indeficiens erit, et tenebrae nullae; in qua nec esuries, nec indigentia tegumentorum, sed Christus ipse vera refectio suorum fidelium, qui dat credentibus in se candidissimas stolas et quotidianae felicitatis gloriam sempiternam. »

§ 12. Cumque eos vir Domini his alloqueretur sermonibus, divinae respectu clementiae conversae omnium mentes, quasi ex uno ore dixerunt: « Tali ergo nos convenit credere Deo, qui non in lapidibus sed in coelis habitat. » Omnesque provoluti ad sancti viri vestigia, postulant se baptismi gratiam adipisci. Quibus vir Domini aperiens fidei Catholicae sacramenta, tradensque omnibus donum sancti baptismatis, corpori Catholicae conjunxit Ecclesiae. Die autem quadam egressus ab urbe Ticinensi causa sanctae praedicationis, dum ad Brixianae civitatis tenderet plebem, quidam puerulus Eustachius nomine, plenus daemonio exclamavit: « Quis est hic, qui hanc urbem penetrat? Aut quo genere collactaneos et compatriotas meos suo subdidit imperio? » Et occurrens ei obviam: « Sufficit tibi, dicebat, Syre, quantis in locis me persecutus es; vel hic habitandi mihi concede licentiam. Quis te misit, ut de meis me excutias domiciliis? De longinquis partibus egressus es, nulla tibi hic causa, nulla tibi hic consanguinitas, nostra possessio facta est tibi haereditas. » Vir autem Domini hilari in eum vultu respiciens, dixit: « Quis tibi, miser, tribuit hunc licentiam possidendi? Possessio tua ignis aeternus est. » Daemon respondit: « Nec solius mei arbitreris possessionem ejus incendii, quia multi mecum de hac urbe illuc ituri sunt, qui meas nunc faciunt in omnibus voluntates. Tu autem solus e contrario me debellas, et frequenter de mea angeris eversione. » Protinus vir Dei in coelum oculos elevans oravit, imperavitque daemoni, dicens: « Immunde ac deceptor animarum spiritus, exi ab eo, et ne ulterius audeas ingredi ad eum; sed vade ad praeparata tibi aeterna tormenta. » Mox autem ad vocis ejus imperium gemens et dolens, discerpensque puerum, exiit ab eo, nec ultra eum ausus est appetere. Hora autem eadem multi, haec videntes mirabilia, crediderunt in Jesum Christum. Puer vero tota cum domo sua et multitudine maxima credentium populorum baptizati sunt.

In qua urbe sanctissimus Pater plurimis diebus apud fideles remoratus Christianos, sanctae Ecclesiae plures auxit filios spiritales.

§ 13. Egressusque e civitate Brixiana vir Dei, dum Laudensium oppidum introiisset, obviam ei caecus a nativitate occurrit, subnixe postulans ejus se precibus adjuvari. Cui vir Dei: «Credis, inquit, in Dominum Jesum Christum Dei filium?» Caecus respondit: «Credo, tantum illuminentur oculi mei.» Sanctissimus Syrus dixit: «Si ex toto corde credis, ipse in quem credis aperiet oculos tuos;» statimque oculorum suorum percepto lumine, caecus coepit glorificare Dominum nostrum Jesum Christum, Unigenitum ac Verum Filium Dei; baptizatusque cum omni domo sua ac multitudine maxima, permansit in fide Christi. Sequenti quoque die dum Papiam reverteretur, multi eum, sancta ejus eloquia diligentes, secuti sunt; quique morati diebus plurimis apud ipsum, fundamentum verae fidei perceperunt. Cives autem sancti viri cognoscentes regressum, et mirabilia quae in memoratis urbibus fecerat, exeuntes obviam tam viri quam foeminae laudabant et glorificabant Deum, qui eis talem et tantum dignatus est Patrem concedere. Revertens autem ad propriae functionis cathedram, accersivit ad se prudentissimum virum Iventium: «Non te lateat, ait, fili carissime, tertium te post me ad hujus officii honorem pertingere. Confortare et viriliter age, ne terreat te perturbantium rabies;» admonensque eum de universis ecclesiasticis disciplinis, migravit ad Dominum, expletis cunctae vitae suae octo hebdomadarum geminatis recursibus. Cujus sancti corporis reliquias conventus fidelium populorum, quos venerabilis Pater praedicatione sua Domino acquisivit, cum sacerdotali coetu et copia clericorum, in basilica sanctorum Martyrum Protasii et Gervasii, quam ipse construxerat, debito honore et summa diligentia condiderunt *.

§ 14. Post cujus decessum Pompejus **, quem ipse gradu Diaconatus sublimaverat, simplicitate et humilitate praeclarus, ejus sedis est infulas assecutus: quique paucos atque pacificos agens annos, migravit ad Dominum. Post quem beatissimus Iventius dum peteretur ad suscipiendam curam Pontificii, occultari maluit, tanto se indignum honore judicans. Sed declinare non valuit denunciata sibi a Patre pontificalis dignitatis insignia. Dumque aliquantum temporis apud Laudensium urbem confugiens delituisset, diligentissime inquisitus a populo Ticinensis urbis reperitur; et coactus Papiam reducitur, et Ecclesiae conventui repraesentatur. Qui summa vi sacerdotale culmen suscipiens, gratissimae

* Urna, in qua sacrae S. Syri exuviae adservantur, quum diu latuisset, tandem, anno 1876, communi omnium plausu et laetitia, in eadem SS. MM. Protasii et Gervasii Basilica, inventa est. In ea hic tantum brevissimus titulus legitur: SURUS EPC. Ossa autem Sancti Praesulis, anno 1870, recognita fuere.

** S. Pompeji festum die 14 dec. recolitur.

plebi Cleroque aptatur, Patris ac nutritoris sui sequens vestigia. Copiosus in Dei laudibus, in orationibus, in jejuniis, vigiliisque assiduis persistens. Erat pauperum munerator, viduarum ac pupillorum defensor. Nam quaedam vidua dum a creditore quodam durius opprimeretur, atque crudelis nummularius duplum pecuniarum ab ea exigeret quam dedisset, ad virum Dei protinus confugiens, misericordiam postulabat. Cognito vir Dei hoc negotio, Diaconum suum, nomine Exuperantium, cum eadem vidua ad praedictum creditorem direxit, dicens: « Vade ad eum, qui hanc viduam crudeli exatione opprimit; admone eum vice meae postulationis, dicens: Pater tuus rogat, sufficiat tibi quod tuum est, nec exigas quod minime dedisti, ne id quod habere videris amittas. Si autem te audire noluerit, ecce do tibi summam pretii, porrige ei et revertere. » Implens autemDiaconus sancti jussa Antistitis, ibat cum ea, atque universa quae ei injuncta fuerant, avaro creditori per ordinem retulit, sed immutare eum a pravitate cordis nullatenus potuit. Mox autem ut aureos, quos vir Dei pro vidua miserat, accepit, corruens in terram exspiravit. Factus est autem timor circa omnem regionem atque incredulos, qui haec audiebant, Christi vero fideles laetanter glorificabant Dominum Jesum Christum.

§ 15. Alio quoque tempore dum quidam de exactoribus fisci, fluenta vellet transmeare Ticini, deportans secum talentum pecuniae, arreptus a fluminis unda, corruit: dimersusque sub aquis, omnem illam auri pecuniam amisit, vix semivivus evadens. Cum vero recognovisset se amisisse pecuniam, multa tristitiâ afflictus, concitus ad virum Dei cucurrit Iventium, dicens: « Nisi me tua merita liberent, Pater, mortis supplicio subjacebo. » Cui vir Dei: « Quid est, inquit, quod tantâ tristitiâ affligeris, fili? » — « Publicum, ait, dum transvaderem Ticini alveum, in ejusdem fluminis fluctibus pecuniam perdidi. » Cui vir Dei: « Illuc ubi amisisti, ait, pecuniam, me ducito. » Cumque ad locum pervenisset, ait beatus Iventius: « Tibi dico, aqua, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui pedibus super te ambulavit, ne retineas pecuniam, pro qua affligitur homo iste. » Continuo autem vasculum, in quo pecunia erat recondita, super aquas natare coepit, et undarum impulsibus revocatam, ad viri Dei vestigia, in loco quo stabat applicuit. Quam pecuniam apprehendens restituit tribulanti. Dignus imitator Elisei, qui ex Jordanis gurgite coram oculis filiorum Prophetarum ferramentum, quod in eum dilapsum ceciderat, super aquas natare fecit, missoque in aquis manubrio, qui amiserat, moerenti restituit. Quod quum miraculum omnes qui aderant vidissent, gratias egerunt Deo, qui suis fidelibus praesto esset per orationes Patris sui.

§ 16. Beatissimus vero Iventius spiritalibus inflammatus desideriis, ambulansque de virtute in virtutem, Mediolanum perrexit

propter saevientium contumaciam paganorum. Quam urbem dum ingredi coepisset, ministri daemonum adnisu ingenti conabantur ei resistere, dicentes: « Resipisce; ne urbem deludas, sicut alii tui complices, ne et tu similiter puniaris. » Et coeperunt eum variis afficere injuriis. Vir autem Dei in coelum elevans oculos, dixit: « Domine, ignosce illis, quia ignorantia pleni sunt. » Sed quia dat Dominus verbum evangelizantibus virtute multa: eadem hora procellosus turbo emicuit, et fortissima super eos grando descendens, capita, brachia, et ossa inimicorum veritatis validissime contundebat: neque aliquis eorum ex tanta tempestate valebat effugere, sed fixis stantes vestigiis, ictibus immensae grandinis fundebantur. Tandem reminiscentes pravitatem reatus sui, clamare coeperunt: « Sancte vir, Iventi, Pater et domine, libera nos, ut non in tali poena moriamur, et credemus in eum quem tu credis et praedicas. » Orante autem beatissimo Iventio, mox ab eis recessit tempestas. Quique tali supplicio liberati, pedibus ejus se protinus prosternenentes, postulabant ut baptismatis undam mererentur percipere. Et quia ad hoc miraculum multi concurrebant, omnes cum eis ab eo sunt baptizati. Qua in urbe moram faciens beatissimus vir, et apud fideles Christianos Clerum sacerdotiumque ordinans, Papiam urbem regressus est. Sed in ingressu ipsius, paralytica quaedam jacens in lectulo, salutis ab eo auxilium postulabat: quam vir Dei intuens, extenta dextera, signum Crucis super eam imposuit, statimque plenissime reddita sanitati, omnis ab ea paralysis et dolor aufugit.

§ 17. Alio quoque tempore dum impiissimus Vespasianus * Caesar adversus Christianam religionem exarsisset, Porphyrium quemdam Praefectum urbis Romae direxit, qui peragraret omnes civitates ac vicos, ut si quos invenisset Christianos, adscriptos ei pictaciis litterarum apicibus nunciaret, et quicquid de ipsis ageret suae jussionis exspectaret sententiam. Jamque tua, Christe, miseratione omnis haec provincia, fidelium turba repleta erat, et infinita multitudine stipata adcreverat: quod nec describere nec denunciare valebat Porphyrius. Cumque urbem Papiam introisset, idem Porphyrius a plebe susceptus est. Hora vero eadem vir Dei Iventius in basilica S. Nazarii, quam ipse aedificaverat, Missarum celebrabat solemnia. Porphyrius haec audiens, nimio furore vexatus, effero in eam corde ingrediens cum armata manu, populum Dei ac tantum Praesulem suppliciis atque injuriis affligere cogitabat. Sed priusquam impetum in Christi famulum faceret, arreptus daemonio cum omnibus secum ingressis alterutrum pugnis, ora, guttur et faciem caedente, extra atrium ecclesiae seipsos coeperunt expellere. Ipse quoque Porphyrius ex

* Miramur Surium non advertisse foedum hunc errorem chronologicum. Nec enim Vespasianus Christiano est persecutus, neque, eo imperante, Episcopatum gessit S. Juventius. Caeterum circa primos Ticinenses Antistites, plures et gravissimas obscuritates, quae non sunt hoc loco exquirendae, Eruditi notavêre.

ore et naribus sanguinem profluens madefaciebat superficiem terrae. Et amentes effecti, luctuosis vocibus nimium clamorem super sua capita emittebant, quousque vir Dei Missarum adimpleret solemnia. Completo autem mysticae oblationis ministerio, egressus cum omni plebe ecclesiam, grande vidit miraculum. Nam chori ad choros circulum facientes, unus super alterum immensis fletibus ululabat. Tunc vir Domini Iventius omnes fideles in terram prosterni praecepit, ut pro eis Dominum exorarent, quatenus a tali poena ereptos ad intellectum mentis suae eos Deus reduceret, et ad fidem sui nominis aggregaret. Ipse quoque S. Iventius orationem faciebat pro eis, dicens: « Domine Deus, Pater coeli et terrae, qui omnibus gentibus sanctum tuum nomen praedicari jussisti, et misisti Unigenitum Filium, redemptorem nostrum, ut nos liberaret ab omni iniquitate et praecipitio, suscipe preces nostras pro stultitia istorum, et exime eos de manu inimici, qui in eis potestatem accepit, et dirige corda eorum in viam salutis, ut cognoscant te Creatorem suum, et nullum alium praeter te, te solum adorent et quem misisti Jesum Christum. » Orante autem sancto viro et omni populo terraemotus factus est magnus, et circumsepsit eos subito cunctis videntibus ignis de coelo, et statim relictis fletibus coeperunt quasi ex uno ore clamare, dicentes: « Vere magnus est Deus Christianorum, idola autem qui colunt, omnes vani sunt. » Porphyrius autem incessanter clamabat: « Iventi, prudentissime vir, ora pro mea miseria verum atque tremendum Deum quem colis, ut dignum me faciat ditione sua, quia ab hac hora pro nihilo habeo imperialia jussa et idolorum culturam. » Cui vir Domini respondit: « Superna pietas non vocis auditrix est, sed cordis rimatrix; tu tamen si ex toto corde credideris, quicquid petieris, impetrabis. » Die vero eadem antequam sumeret cibum, omnibus qui cum Porphyrio venerant baptizatis, et ipse Porphyrius baptizatus est. Iterumque Missarum celebratis solemniis, secum omnes mensae refectionibus adesse praecepit; omnisque civitas, visis his miraculis, laetabatur. Porphyrius vero sequenti die gaudens et exultans migravit ad Dominum. Qui autem cum eo advenerant, fide recepta ad sua habitacula sunt reversi, parvipendentes imperialia jussa.

§ **18**. Divulgabatur autem fama tanti Pontificis longe lateque per mundi spatia et virtutes quas per eum Christus Dominus faciebat: nam sicut Eliae Eliseus, ita hic prudentissimus vir S. Syri haeres virtutum extiterat ac spiritualium successor in omnibus gratiarum. Ordines autem Mediolanensium urbis Cleri, qui ab eodem fuerant constituti, quotidianis ejusdem augebatur exhortationibus in fidei religionisque gratia. Ad quos idem beatus vir pro eorum ac fidelium mentibus confirmandis, ibat frequentius, ibique multorum mirabilium virtutes operans, ad urbem

revertebatur Papiam; in qua triginta et novem annis Episcopalem Cathedram possedit. Habitâ secuturae post tertium diem obitus sui a S. Syro revelatione, immenso laetatus gaudio, biduo intra Basilicam S. Nazarii consistens pèrvigil, tertia die, Missarum solemnia celebrans, omnibus benedixit, ac sacerdotes, ministros, cunctosque clericos coelestibus alloquiis admonens, ad lucidae mansionis beatissima transiit habitacula. Sanctas vero ejus exuvias in eadem Basilica honorifice prope altare posuerunt, sexto Idus Februarii, ubi ossa ejus quiescentia, praestante Deo, virtutibus florent atque miraculis.

# MARTYRIUM S. EULALIAE VIRGINIS

AUCTORE PRUDENTIO * HYMNO 3 περὶ στεφάνων.

**Martyrii coronam meruit anno probab. 303 — Hispana.**

Germine nobilis Eulalia **,
Mortis at indole nobilior,
Emeritam *** sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples:
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus atque novem,
Tres hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyrâ trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Jam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium:
Nec sua membra dicata toro,
Ipsa crepundia repulerat,
Ludere nescia pusiola.

* Aurelius Prudentius Clemens, Caesaraugustae in Hispania natus, vir Consularis, egregius Poëta Christianus, anno 413 vitâ functus est.
** Eulalia hisp. *Olalha*.
*** Vulgo *Mèrida*, urbs celeberrima, sub Romanis Imperatoribus, Lusitaniae caput.

Spernere succina, flare rosas,
Fulva monilia respuere:
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris,
Canitiem meditata senum.

Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta jubet
Thura cremare, jecur * pecudis
Mortiferis adolere deis:

Infremit sacer Eulaliae
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Foemina, provocat arma virum.

Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure, et ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.

Illa perosa, quietis opem
Degeneri tolerare morâ.
Nocte fores sine teste movet,
Septaque claustra fugax aperit:
Inde per invia carpit iter.

Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ et vepribus,
Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.

Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium:
Scindere qui tenebrosâ potens,
Nocte viam face perspicuâ
Praestitit, intereunte chao.

Non aliter pia virgo viam
Nocte secuta, diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica ** cum fugeret,
Et super astra pararet iter.

* Jecur in sacrificiis offerebatur.
** Aegyptum intellige, ita vocatum a Canopo, urbe episcopali ad Nili fluminis ostium.

Illa, gradu cita pervigili,
Millia multa priu speragit,
Quam plaga pandat Eoa polum:
Mane superba tribunal adit,
Fascibus adstat et in mediis,
Vociferans: « Rogo, quis furor est?
Perdere praecipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
Quaeritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? En ego sum
Daemonicis inimica sacris;
Idola protero sub pedibus,
Pectore et ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil:
Illa nihil, quia facta manu;
Hic, manuum quia facta colit:
Frivola utraque, et utraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum:
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem.
Ergo, age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto;
Solvere rem fragilem, facile est:
Non penetrabitur interior,
Exagitante dolore animus. »
Talibus excitus in furias
Praetor, ait: « Rape praecipitem,
Lictor, et obrue suppliciis;
Sentiat esse deos patrios,
Nec leve Principis imperium.
Quam cuperem tamen ante necem,
Si potis est, revocare tuam,
Torva puellula, nequitiam!
Respice gaudia quanta metas,
Quae tibi fert Genialis honor.

Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus et thalamo.
Non movet aurea pompa tori?
Non pietas veneranda senum;
Quos temeraria debilitas?
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque ululanda tuis,
In cineres resoluta flues.
Haec, rogo, quis labor est, fugere?
Si modicum salis eminulis
Thuris et exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Poena gravis procul abfuerit. »
Martyr ad ista nihil; sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa jacit; simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam
Thuribulis, pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant,
Et latus ungula virgineum
Pulsa utrinque, et ad ossa secat,
Eulaliâ numerante notas.
« Scriberis, ecce, mihi, Domine:
Quam juvat hos apices legere,
Qui tua Christe trophaea notant?
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti. »
Haec sine fletibus et gemitu
Laeta canebat et intrepida.
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore novo
Fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica
Crate tenus, nec arata cutis:
Flamma sed undique lampadibus
In latera stomachumque furit.

Crinis odorus et in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque latèret honos,
Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exsuperatque apicem:
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogum.
Emicat inde columba * repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliae
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt, abeunte animâ,
Et rogus igneus emoritur;
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in aethere plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer.
Vidit et ipse satelles avem
Foeminae ab ore meare palam;
Obstupefactus et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit,
Lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce nivem glacialis hyems
Ingerit, et tegit omne forum:
Membra tegit simul Eulaliae,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lacrymantum hominum,
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat et officium:
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi, virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vectoniae **:
Quam memorabilis amnis Ana ***
Praeterit, et viridante rapax
Gurgite moenia pulcra lavat.

* Hujus columbae meminit Missale Gothicum.
** Vettones sic olim dicti populi inter Durium et Tagum Hodie pars est Extremadurae, et pars provinciae Legionis nuncupatae.
*** Vulgo *Guadiana*.

Hic, ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
Et peregrinus, et indigena:
Relliquias, cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque caesa solum variant,
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite;
Non caret his genialis hyems,
Laxat et aura tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus e foliis
Munera, virgo puerque date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum:
Illa Dei sita sub pedibus *,
Prospicit haec, populosque suos
Carmine propitiata fovet **.

# VITA S. DANIELIS STYLITAE

### UT HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE, ET IN TOMIS ALOYSII.

**Ad superos evolavit anno 489 — Syrus.**

§ 1. Quemadmodum viris fortibus usuvenit, ut quando quis de bellis et certaminibus disserit et trophaeis, eis statim excitetur animus, et quaerat instructas acies, et manus conserere cupiant cum hostibus; et quo plura de his verba fieri audiverint, eo magis eis crescit desiderium, et talia facinora statim aggredi cupiunt: ita etiam virtutis amatoribus, si quis eis narret vitas, quae in monastica versantur exercitatione, et per omnem

* Tum Sanctorum Reliquiae non super altaria, sed subtus ponebantur.

** Praeter Aurelium Prudentium, Eulaliam summis laudibus exornavêre S. Gregorius Tur., Isidorus Hispal., Fortunatus, aliique Scriptores; qui ejusdem miracula describunt. Aliam [illegible] Eulaliam, virginem et martyrem, Barcinone natam, quam aliqui cum Eulalia Emeritensi confundunt Hispani celebrant.

pervadunt virtutem, quae Deo conciliat, simul inflammantur, et ea cupiunt, quae sunt sibi convenientia, et ad summam, iis quae dicuntur, ut quae sint sibi propria, afficiuntur, et se parant ad imitationem. Admirabilis itaque vita hujus Danielis, quemadmodum vel non sola maxime sufficit ad animum, qui captus est amore virtutis, majore zelo accendendum, et ipsum omnino movendum et demulcendum, et suavissimorum laborum exercitationis afferendam voluptatem, quae non habet satietatem? Quo est enim admirabilior, eo est etiam utilior: et si quis eum voluerit aemulari, in modico multam, et quae cum paucis conferri potest, inveniet virtutem.

§ 2. Huic ergo beato patria quidem erat, quae inter Euphratem et Tigrim sita, et est, et nominatur Mesopotamia. Natus est autem in quodam vico, vicino urbi Samosatorum: eorum, qui illic habitant, lingua eum vocat Maratha. Ei pater quidem erat Eliu; mater vero Martha. Fuit autem hic modus conceptionis: matris ejus uterus erat admodum mancus ac mutilus; erat enim sterilis ad liberorum procreationem. Cum itaque mille probris eam in dies insectarentur maritus, noti, cognati, et omnes alii, et liberorum egestatem ei acerbe objicerent, illa ab eis male affecta et corde cruciata, quid facit? Confugit ad eum, qui haec potest curare: et clam domo media nocte egressa, manus in coelum tollens, et terram lacrymis irrigans: « Domine Rex, inquit, qui ab initio masculum et foeminam fecisti, qui dixisti: *Crescite et multiplicamini;* qui dedisti in sterilitate Sarae quidem Isaac, Annae autem Samuelem, Elisabethae vero Joannem : tu quoque meae similis miserere calamitatis, et me misericorditer intuere, et solve sterilitatem, et aufer opprobrium, et sterilis uteri da mihi fructum: ut eum quoque tibi offeram, qui dederis, quomodo prisca Anna Samuelem. » Cum tam acerbe flevisset in contritione spiritus, domum rursus ingreditur: et cum parum dormitasset, videt in somnis duo luminaria, praeclara pulcritudine, ingenti magnitudine: figura autem disco similia. Ea videbatur videre coelo relicto sensim descendentia, desuper ejus imminere capiti. Cum mane autem surrexisset, et marito visionem et suis cognatis communicasset, alius quidem aliquid aliud dicebat eventurum: illud vero erat praesignificatio ejus, quod ex ea erat processurum vel ipsis stellis lucidius.

§ 3. Non multum temporis intercessit, et cum concepisset, peperit beatum Danielem, et partu, utrisque mox liberatur, nempe et sterilitate, et animi aegritudine. Haec beato Danieli vitae fuerunt prooemia: sic prodiit in lucem is, qui erat revera foetus luminis. Atque puer quidem quintum annum jam attigerat: nondum autem ei ullum nomen fuerat impositum a parentibus, ut qui hoc quoque ei vellent dari a Deo, quomodo ejus quoque in vitam productio ab eo processerat. Duxerunt ergo parentes puerum i

quoddam monasterium. Simul autem tulerunt quoque, quaecumque piae manus Deo solent offerre, ut hic vere sacer etiam in sacro loco susciperet appellationem. Cum vero accessissent, et dicerent Praefecto mandrae spiritalis: « Quodnam nomen est imponendum puero?» Ille vir divinus, divino veluti instinctu afflatus, dicit id esse imponendum, quod Dominus omnino revelaverit; et simul ad puerum intuens, ad hunc, inquam, ipsum intuens, jussit afferre unum ex iis libris, qui erant supra mensam (mos enim erat eis ponere libros super aram sacram, propter communem monachorum utilitatem). Protinus ergo facit puer id, quod ei fuerat imperatum; et affert librum, non forte fortuna, sed divina voluntate et ductu Dei, librum illum, qui prophetae Danielis habebat eloquia. Cum ille ergo vir judicasset e coelo datum esse hoc signum, eodem statim nomine, quo prophetam, vocat eum, qui erat ei moribus similis: et ut Deo placuit, puerum vocat Danielem.

§ 4. Atque si parentum quidem verbis acquievisset hic vir divinus, tunc fuisset Deo Daniel continuo dedicatus, et ab infantia fuisset cooptatus in numerum monachorum. Cum is autem non posset persuaderi; sed teneram causaretur aetatem et nimiam infantiam, tunc quidem reversi sunt domum cum Daniele, cum ita visum esset ei, qui est superior: ut non aliorum, sed sua, sententia puer bonum eligeret. Atque protinus quidem primum germen significabat, qualis futura esset arbor: et virtutum umbrae jam sequebantur eum, qui per lucem ambulabat. Paulatim autem ei procedente aetate, aperte ostendit, quantum incrementum spiritus accepisset praeter aetatem. Nam jam quidem attigerat Daniel annum duodecimum, et cum nemini quicquam dixisset, neque voluntatem animi protulisset, despicit quidem parentes propter Christum, despicit et cognatos, mundumque et quae sunt in mundo: omnibusque relictis, amicis, aequalibus, vico illo, qui eum tulit, cum procul ab eo abfuisset circiter duodecim stadia, venit quidem in quoddam coenobium monachorum. Procidens autem ad pedes Praefecti sacri gregis, rogabat ut ipse quoque cooptaretur in numerum illorum, et eum monastico amictu indueret. Cum autem ille et corporis imbecillitatem, et teneram aetatem objiciens, dixisset non posse eum ea subire quae subeunt monachi; fore enim, ut brevi defatigetur laboribus, qui sunt multi et vel ipsis viris difficiles: vigiliae, humicubationes, jejunia, corporis et ejus voluntatum perfecta mortificatio; et ideo suaderet, ut aliquantum temporis maneret apud parentes, et non tantos susciperet labores in aetate tam immatura, et corpore non satis robusto et adulto: « Ego quidem, inquit Daniel, ideo accessi, ut sic quidem Christo vivam, moriar autem carni. Quod si dum hos pulcros suscipiam labores, mors sequetur, melius erit mihi

mori, quam abire vacuum, et mittentem manum ad aratrum, ut cum Evangelio dicam, retro converti. »

§ 5. Cum ergo multa quidem dixisset, multa autem etiam audivisset Praefectus sacrae mandrae, nec potuisset ejus vehementem retardare impetum, et acrem hunc amorem, fratres adhibet in consilium, an oporteat eum in ipsorum admitti monasterium. Illis vero pueri magnam mirantibus constantiam, alacreque et intensum ejus animi studium, et existimantibus esse Deum, qui eum moveret, et ut admitteretur, lubenter assentientibus, decaetero est cum eis quoque Daniel, immo vero supra ipsos, quod ad vitam ex Deo agendam attinet, et ardorem ad virtutem. Intercessit parum temporis, et cum cognovissent parentes, ubinam sit, et apud quos, illi quidem ad eum accedunt cum admiratione. Cum vidissent autem puerum seipsum dedicasse et Deo consecrasse, nequaquam eis accidit quod solet hominibus et parentibus; neque petierunt carissimum filium, ut eum acciperent, et domum reducerent: idque cum nondum esset monastico habitu consummatus; sed revera volentes ostendere se esse illius parentes, valde laetati sunt de eo quod factum fuerat, et multis precibus a monasterii Praefecto contenderunt, ut ante suos oculos monastico eum amictu induerent. Ille vero hanc rem rursus communicat monachis; et postquam illos quoque vidit assentiri, cum jussisset omnes congregari in Dominico, et Danieli sacram recitasset regulam, et tondet ei capillos, et monastico eum induit habitu, qui jam sicut monachi vivebat, et vivere statuerat. Cum ejus autem praecepisset parentibus, ne ad filium frequenter accederent, laetos emittit, quod quidem est valde novum, parentes privatos filio.

§ 6. Erat ergo illic beatus Daniel proficiens, et invalescens spiritu: et ei crescenti simul quoque crescebant omnia semina virtutis, et alia quoque haud ita multo post accesserunt. Quod autem excellentioris ei fuit vitae principium, et radix fructuum, qui postea provenerunt, hoc jam sum dicturus. Cor ejus accendit amor divinus, et in eo vehemens excitat desiderium videndi loca illa, in quibus Christus pro nobis est passus, et ubi est sepultus, et unde, cum surrexisset, ascendit in coelos. Simul autem divina quoque quaedam cupiditas ejus inflammabat animum, videndi virum illum magnum in exercitatione, Simeonem, inquam, qui erat in columna: et accedens ad Praefectum monasterii, id quod volebat, ei communicavit, et rogavit, ne quod petebat, sibi denegaretur. Ille vero tunc quidem sua sponte non concessit: paulopost autem vel invitus dimisit. Nam cum ei necesse esset venire Antiochiam, propter curas ecclesiasticas, tunc cum secum assumpsisset Danielem, et quosdam alios fratres, incipit iter ingredi. Et postquam fuissent in illo vico, qui nominatur Telada, ubi magnus ille in sanctitate Simeon, magnos illos peragebat labores exercitationis, cum ad ipsam jam venissent columnam,

contemplabantur et columnae altitudinem, et loci asperitatem, et quemadmodum vir ille generosus et hyemis ferebat algorem, et aetatis calorem, et minas imbrium, et vim ventorum, et omnem aliam corporis tolerantiam. Cum haec viderunt, alii quidem insipientiores, existimabant sanctum vanâ gloriâ adductum, tanta sustinere certamina; beatus autem Daniel non solum ea stupebat et mirabatur, sed etiam incitabatur ad imitationem, et boni zeli stimulum accepit animo. Cum vero, ubi inferne clamassent, magnus ille desuper prospiciens, dixisset oportere admovere scalas, et ad ipsum ascendere, tunc pulcre licuit videre animorum probationem: alius quidem causatus pedum imbecillitatem, alius renum, alius senectutem, alius aliquid aliud, recusabat ascendere; Daniel vero cum cucurrisset, et magistrum rogasset, et ab eo jussus esset, ascendit prompto et alacri animo, et magnum salutat Simeonem cum gaudio et admiratione.

§ 7. Neque vero fuit hic labor Danieli inutilis, et ad eum ascensio; sed primum quidem ad virtutem excitatur et instruitur, et redditur vehementius ejus desiderium. Deinde autem ab eo quoque, ut oportebat, consequitur benedictionem manus impositione, et futuri suscipit praedictionem: eum enim audivit dicentem vel maxime prophetice: « Esto fortis, fili, et confirmetur cor tuum. Multos enim et difficiles labores propter Christum es suscepturus, qui et sufficiens erit tibi consolatio, et ad eos fortiter ferendos tuum roborabit animum. » Descendit ergo Daniel post hanc suavem cum eo congressionem, et rursus ad sacrum redit monasterium. Postquam autem monasterii Praefectum ad se vocavit Deus, egregius vero hic Daniel, qui pasci pulcre didicerat, modo recte posse pascere putabatur, et vi ad hoc trahebatur a suis condiscipulis; ipse qui gratam consectabatur quietem et silentium, et hoc ambibat, ut esset remotus ab omnibus negotiis: et sciens, quantum ea possit conferre ad virtutem, minime statuit cedere: sed alium adduxit, qui esset eis utiliter praefuturus: sibi autem optime consuluit: « Ecce, dicens, liber factus est Daniel, nemini obnoxius. Ecce tempus, quod ante desiderasti. Tuum ergo persequere scopum, et viae institutum; et quod proposuisti, perge exequi. » Cum sic ergo omnia reliquisset, et nulli animi sui arcanum aperuisset, egreditur clam e monasterio, et venit ad mandram illam, in qua erat sita columna beati Simeonis. Infra enim circa eam erat quoddam monasterium: in quo cum totos quatuordecim dies transegisset, volebat Simeon Danielem adhuc apud se manere (simile enim simili delectatur); ille autem non sustinuit, cum alio teneretur desiderio. Desiderabat enim videre sacra loca, et interiorem quaerebat solitudinem: sed viam, quae vergit ad Palaestinam, audiens esse difficilem, et prope inviam, utpote quod Samaritani bello invaderent Christianos, ipse non ferens de hoc suo prompto et alacri animi studio aliquid remittere, cum se

confirmasset, et sibi mortem contemnere persuasisset, paratus erat exequi id, cujus studio tenebatur.

§ 8. Cum vero iter esset ingressus, ei in via occurrit vir quidam, cui erat aetas senis, monachi vestitus: cana autem coma, et qui erat in omnibus similis Simeoni qui erat in columna. Syra vero lingua allocutus Danielem, et eum complexus, rogavit, quonam iter suum dirigeret. Ille autem: « Si Deo, inquit, videtur, vado ad loca sancta. » Is vero excipiens: « Recte dixisti, inquit, si Deo videtur. Nunc autem certo scias, id quod est tibi propositum, non esse ex Dei sententia. Non enim audivisti seditionem et tumultum, qui est in Palaestina?» Ille vero: « Audivi, inquit, sed in Deo confido eum mihi futurum adjutorem; et maxime quidem spero omnino fore, ut nec mali aliquid nobis omnino accidat. Sin autem aliquid tale acciderit, seu vivamus, seu moriamur, sumus Domini.» Illo autem hoc propheticum proferente responsum: «Ne dederis in commotionem pedem tuum, et non dormitabit, qui te custodit, angelus;» cum ad hoc prompto et alacri animo respondisset Daniel, dicens, omnino bonum esse mori propter Christum, id aegre ferens canus, avertit faciem, et: « Non fero, dixit. Non enim permisit Deus, ut nos intempestive in mortem conjiciamus, et ut per vim interficiamur, procuremus. Ille est enim, qui dixit: *Si persequantur vos ex hac civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x). » Cum autem concessisset sanctus objectioni, et dixisset: « Si tibi ita videtur, nihil moror reditum; » — « Non consulo, inquit ille, tibi, ut ab hoc coepto omnino desistas; stultus enim essem; sed si mihi credas, jubens multum valere regiones Orientales, conversus, vade Byzantium, quae, quod attinet ad sanctificationem, est secunda Jerusalem: immo vero est prima. Illius enim privilegia ei nunc a Deo data sunt: in qua multis quidem tibi licebit frui templis, multis vero sacris spectaculis; et si tibi cordi fuerit vivere in quiete et silentio, aut in superiore Thracia, aut in ipso ore Ponti, ejus rei tibi erit magna facultas, et Deus hac in re tuum implebit desiderium. Praeterea non oportet existimare te Deum quidem esse conventurum Jerosolymis, Byzantii autem minime. Deus enim nequaquam loco circumscribitur, o dilecte. »

§ 9. Hos sermones cano illo conferente cum Daniele, sol erat in occasu; et accidit, ut diverterent ad quoddam monasterium. Cum audivisset autem Daniel hic esse diversandum: « Tu quidem, inquit senex, prior ingredere; ego autem te sequar e vestigio. » Existimans itaque sanctus eum urgere aliquam corporis necessitatem, portam ingressus, exspectabat. Postquam vero ille non amplius aderat, ratus Daniel eum in aliquo alio loco diversari, solus accedens ad Praefectum monasterii, et ad eos qui erant sub ipso fratres honestum dedit osculum, signum dilectionis. Deinde etiam sumpsit cibum sibi appositum. Postquam autem somni tempus esse cognovit, ei rursus assistens senex,

suadebat illa facere, quae prius dicebat, et quamprimum proficisci Byzantium. Atque ille quidem excitatus, cogitabat quisnam is esset, et an esset homo aliquis, an unus Angelus. Is vero erat magnus ille Simeon, qui jubebat eum frequentissimam et civitatum reginam adire civitatem, ut haec esset multis via ad salutem. Cum ergo sic ei visum esset facere, neque ulli quicquam dixisset, postquam nocturna cecinit cantica, omnibus valere jussis egressus, propere contendebat Constantinopolim; et cum in ostium Ponti esset ingressus, eum excipit templum Michaëlis militiae principis, quod illic pulcre est positum: et septem illic dies est versatus. Cum autem audivisset aliquos dicentes de alio templo, quod situm quidem erat supra id, quod dicitur Hieron, locus vero ab iis, qui incolebant, nominabatur Philemporus; et cum accepisset, in eo malos habitare spiritus, et nonnunquam submergere navigantes, et invadere eos qui transeunt, et malos esse vicinos accolis, et non posse aliquem eum transmittere illaesum, non mane, non meridie, non vespere, revocans in memoriam magnum Antonium et res illius, et quam multas ille quoque a daemonibus sustinuerit tentationes, et quod eos tandem virtute Domini omnino superaverit, et quam multos illis superatis honores sit assecutus: ipse quoque se ad aggredienda exuit certamina; et cum jussisset eos, qui aderant ei, templum ostendere, et venisset in atrium, medium templum ingreditur, Christi Crucem tamquam arma inferens inexpugnabilia, et simul psallens: *Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo* (*Ps.* 26)? Quamobrem vel ante conflictum perterrita ipsa phalange daemonum, obibat omnes angulos, quaerens fugientes daemones, et in unoquoque eorum flectens genua *.

§ **10**. Atque jam quidem erat vespera, et aderat princeps tenebrarum, et jaciebantur lapides in Danielem, et sonus audiebatur, et confusa vociferatio et strepitus excitabatur. Ille autem rursus perseverans in oratione, stabat quietus. Deinde ad eos: « Si adversus me, dicebat, structa constiterit acies, non timebit cor meum. ». Primam ergo illam noctem, et secundam, quae postea est consecuta, sic transmisit. Tertia autem vidit homines magnitudine maximos, forma alienos, crudelitate, quantum licebat conjicere, carnivoros, horribiliter stridentes, et minantes Danieli, et metui admiscentes suae causae defensionem, et dicentes: « Quis tibi, o infelix, ut huc venires, persuasit, quando etsi nihil aliud, tempus quidem certe, quo hic fuimus, nos loci dominos utique effecit? » Et ex iis alii quidem minabantur se eum in mare esse jacturos; alii autem rursus maximos lapides immittebant. Nemo vero audebat ad eum accedere propius. Quid ergo facit? Credit Domino, qui dixit hoc genus expelli solo jejunio et precatione. Et sic quidem facit, et eos minantes, atque etiam jacientes parum

* S. Daniel hoc in loco videtur constitisse anno 452.

aut nihil curans, primum quidem ipse quoque contra minabatur: tantum enim in Christi virtute confidebat. Deinde cum eos adhuc videret se magis impudenter gerere et tumultuari, ipsis omnino despectis, obstruit omnem templi aditum, ostendens se solum velle cum eis luctari, et nec fuga quidem egere, si ipsi irruperint: solam autem aperit fenestram, ut videret accedentes, et ut corpore exiguum acciperet nutrimentum. Non multum intercessit temporis, et Christi quidem virtute deleta est omnis illa mala daemonum operatio: redditus est autem universus locus liber ab illorum insultibus: et deinceps libere, et sine ullis insidiis ambulabant, et mare navigabant.

§ 11. Hujus vero rei fama manavit in omnes partes; et licebat videre viros simul et mulieres, juvenes et senes, pauperes et divites, et qui habitabant circumcirca in locis finitimis, tamquam fluentum aliquod, continuo tractu ad eum ferri, et admirari, quonam modo, ubi nuper quidem erat exitium, illic sit salus: ubi autem daemonum vociferationes, illic noctu et diu canantur ad Deum cantica. Invidus vero satan, et hominum inimicus, neque de se partam victoriam, neque sancti patientiam, neque piorum videre sustinens utilitatem, ad secundum aggreditur callidum commentum: et quibusdam ex iis, qui in templo cooptati erant in clerum, tales immittit cogitationes, quales olim Judaeis adversus Christum, non bonum esse permittere homini hic habitare, quem ignoretis unde sit. Ille autem et fama omnes ad se attrahit, et illius honor est omnino diminutio vestrorum vectigalium. Sed significate, dicebat, haec Episcopo, et eum cito expellit. Et sator quidem hic est: tale est autem semen. Qui vero acceperant, non ex alio noti, quam quod haec continuo produxerint. Cum primum semen acceperunt, fructum produxerunt: et accedunt ad Episcopum, et de sancto renunciant. Episcopus autem Constantinopolitanus (is erat Anatolius): « Et quomodo, inquit, de homine male dicitis, et expellere aggredimini, quem, unde sit, nescitis, neque quaenam sit ejus vitae ratio; cum contra oporteat quidem eum illic sinere, ut, si sit quidem bonus, nos quoque faciat participes utilitatis: sin autem contra, ipse quidem hinc jure expelletur, vos vero et ego hac in re vacabimus reprehensione. » Sic illi a seipsis capti (res enim est ejusmodi vitium: ipsum quidem in seipsum cadit, et a rebus suis capitur), prae pudore vultus tegentes, cessarunt ab improbitate.

§ 12. Postquam autem eorum insidias sic vidit malignus esse irritas, longum esset dicere, quam multas quidem rursus visiones prioribus graviores beato intulerit: quam multas autem molestias et vexationes, nunc quidem minans se eum interempturum: nunc vero in mari submersurum: nunc autem aliquid aliud facturum eorum quae nollet, etiamsi maxime et ipse et malus ejus exercitus ab ipso haec erant passuri. Nam postquam ille surgens oravit, et

audacter est locutus, dicens: « Dominus Jesus Christus, in quem credidistis * et credo, ipse vos in ultimam abyssum demerserit: » illi tunc acerbe ululantes, et flebiliter clamantes, et suas facies, ut videbantur, pulsantes assimilati vespertilionibus, illo ipso haec adspiciente sancto, egressi sunt et abierunt. Ille autem nunquam cessans injuriam facere, existimans quod si eum saepe tamquam in urbis obsidione invaderet, tandem poterit beati spiritus et generosum animum deprimere ac frangere, accedit ad maleficii tertiam probationem, et adversus eum rursus commovet priores calumniatores. Qui cum accessissent ad Episcopum, perinde ac jam maximis affecti injuriis, sanctum vocabant maleficum, simulatoremque et deceptorem, dicebantque ejus consuetudinem esse eis intolerabilem, ut qui vel solo adspectu sit molestus et importunus. Ille vero jam victus a tot vexationibus, ad se accersit Danielem: et rogat quisnam sit, et unde, et quibusnam rebus opus habens: et postremo, quamnam in Deum tenens opinionem, in has partes venerit. Ille autem cum ejus, quod est maximum et primum, nempe orthodoxae in Christum fidei, primum meminisset, alia deinde contexuit, patriam, et genus, et finem: nempe quod eum divina moverit revelatio, ut videret Byzantium, et in haec loca veniret. Haec cum audivisset Episcopus, assurrexit, et eum est amplexus; et eum tamquam virum revera divinum honoravit. Atque haec quidem sic recte gesta fuerant a magno Daniele. Fieri autem omnino non poterat, ut qui Christi vitae institutum susceperat, non etiam ejus vitae agendae ordinem pro viribus videretur imitari. Quomodo ergo ejus Dominus cum tentationibus signa videtur inchoasse, ita hic quoque, nisi quatenus ille hunc movebat, et hic illius virtute faciebat miracula.

§ 12. Non multi dies praeterierunt, et vehemens morbus invadit Patriarcham; qui etiam efficit, ut is fieret Sancto supplex, et eum continuo accerseret, ut pro ipso Christum rogaret, ut laboranti opem ferret. Cum is autem solum genua flexisset ad orationem, adfuit Christus exaudiens, propemodum antevertens petitionem; convaluitque et sanus evasit Patriarcha. Et sic quidem miraculum: non magis autem est admirandus propter curationem, quam propter benignitatem in curatione. Nam postquam eum sanavit, petiit mercedem sanationis: ea vero erat, ut iis, qui calumniati fuerant, remitteretur debitum. Pontifex autem ei lubenter concessit petitionem, et, « Quomodo enim, inquit, non remittam, quibus parum abest, quinetiam agam gratias, quod effecerint, ut te viderem, qui mihi dedisti salutem, et fuerunt causa, ut tu ad nos venires? » Cum autem apud eum et monasterii, et donorum, et ut cum eo perpetuo esset, meminisset: « Si vis me, inquit ille magnus, magno studio prosequi, sine

* *Credidi*, forte legendum videtur. Aut intelligendum ut Jacobus ait, *daemones credunt et contremiscunt.*

me ea facere, quae Deo et mihi videntur. » Et sic ad templum missus cum magno et praeclaro comitatu, cum eadem fecisset quae prius, et aditum obstruxisset, per parvum quoddam foramen colloquebatur cum iis, qui accedebant. Novem interim anni praeterierant, et eum ad vitam perfectiorem vocans providentia, aperte ostendit futura. Cum enim fuisset in ecstasi, videt columnam nubis, et ea admodum sublime erat sublata, et ex adverso ejus pendebat in aëre: et admirabilis Simeon stabat super caput columnae. Simul autem cum eo duo adstabant adolescentes: eratque eis vestis clara et refulgens. Desuper vero ex capite columnae audit vocem dicentem: « Huc ad me ascende, Daniel. » Cum is autem respondisset: « Et quomodo potero ego, Domine, in tantam extolli altitudinem? » Jussit Simeon iis, qui cum ipso erant, adolescentibus, ut descenderent, et assumptum ad se deducerent. Qui cum imperata fecissent, eum tollunt, et prope ipsum statuunt. Ille autem eum statim amplexus, simul in coelum eum tollebat, et magna voce clamabat: « Esto fortis, Daniel: te strenuum ac robustum praebe, et sta pulcre ac generose. » Postquam vero vox admodum clara eum circumsonabat (visa est enim terribilis, et tonitrui similis), Daniel, cui percussae et conturbatae erant aures, ex somnio quodammodo ad se rediit.

§ **11**. Hoc futurum ejus vitae institutum, Simeonis instituto conveniens, prius significavit, et quod oportebat eum et columnam ascendere, et transire ad locum, columna longe excelsiorem. Sic sententia et voluntate omnipotentis, ab eo effecta sunt omnia, et ad eum paulo post missa est pellis ovilla ab Elia, ad eum, inquam, qui moribus erat Eliseo similis. Sic autem missa est. A Simeone ad Imperatorem * missus quidem erat Sergius, ejus discipulus, ad eum deferens donum, omnia mala depellens, nempe tegmen quod habebat in capite; solent autem id vocare cucullam. Cum autem Imperator haberet animum aliis intentum, et esset in curis publicis occupatus, Deo haec omnia providente et dispensante, hic, quem diximus, Sergius statuit navigare et redire: et contendebat pervenire ad monasterium, quod nominant Acoemetorum, id est, *non dormientium*. Cum ergo ipse revertens cum quibusdam aliis accessisset prope locum Danielis, statim tamquam signo dato, beatus erat in ore omnium; et alii quidem meminerant ejus tolerantiae, alii autem precum, alii vero curationum: alii vero, quod mansuefecit locum, qui possidebatur a daemonibus; et nunc quidem qui sunt in mari, sine periculo navigant; illaesi autem iter obeunt ii, qui sunt in via pedites. Haec intelligit Sergius, cui commissum fuerat donum pretiosissimum: et cum ejus desiderio motus fuisset animus, rogat quisnam hic sit, et ubi, et an liceat eum convenire. Illi vero et locum alacriter

* Qui tunc temporis erat Leo I (457-474), Magnus vel Senior dictus, qui Asparis factione adjutus, imperium obtinuerat.

ostenderunt, et cum in terram appulisset, ipsi accedunt ad sanctum, et una cum eis Sergius. Qui cum benigne admodum beatum salutasset, alia quidem ipse exponit, Simeonis, inquam, hinc decessum, et quod ab ipso donum ferret ad Imperatorem, dicens Danieli, id ad eum potius esse missum, quam ad illum, ad quem ipse id mitti opinaretur. Alia autem rursus audit a Daniele, quae ei Deus significavit de Simeone, et de vita, ejus vitae instituto congruenter agenda. Quae quidem cum audiisset Sergius, sacrum statim donum ejiciens, id donat Danieli, a patre Simeone dicens migrare ad patrem Danielem. Et haec quidem sic fiebant.

§ 15. Deus autem rursus consueta faciens, incitabat Danielem visione quadam diviniore, ut aggrederetur vivendi rationem majorem et sublimiorem, vas eum electionis, quomodo Paulum, praesciens futurum. Apparuit vero visio non Danieli, sed potius Sergio. Videbantur enim tres ad eum venisse adolescentes, et dixisse: « Surge, Sergi, dic Abbati Danieli: expletum est tempus tuae in templo habitationis. Adesto deinceps, et ad majora parare certamina. » Cum ergo ei Sergius divinam aperuisset visionem, quoniam is statuerat non repugnare omnibus nutibus omnipotentis, et alioqui priori quoque visioni secunda consentiebat; et praeterea Simeonis etiam indumentum erat arrha talis vitae degendae, mittitur Sergius, ut disceret loca magis solitaria, quae illic sunt, ubi oporteat ponere columnam, et aptum ad agendam vitam in quiete et silentio. Qui cum partes quasdam fastigii montis pulcre esset perscrutatus, postquam venisset in illum locum, in quo oportebat stare columnam, tu Deus omnium hoc quoque ostendis. Videt ergo protinus dictus Sergius albam columbam, quae alas frequenter expandens, et parum rursus subvolans, iterum decidebat. Arbitratus ergo eam esse captam et vinctam laqueis, ad eam festinat, et contendit eam capere manibus. Illa vero cum statim evolasset, ne oculis quidem poterat apprehendi. Cum tam evidens accepisset signum statuendae columnae, et ipse quoque satis intellexisset, quam esset aptus locus, descendit ad sanctum, et omnia sigillatim renunciat cum ea, quam viderat, visione. Ille autem et laetatus est, cum audivisset, et ad locum venire cupiebat. Dat vero Marcus quidem ei amicus et alioqui familiaris columnam. Cum autem factus esset is quoque, qui solet vocari modius, et capiti columnae fuisset adaptatus, jubet circa mediam noctem perforari sibi templi parietem : et ita, omnes latens, ascendit. Deinde etiam cum gaudio concipit preces, quae ita habebant: « Gloria tibi, Christe Deus, quod me talibus bonis et tali vitae instituto es dignatus. Sed tu scis, o Domine, quod te solo fretus hanc ascendo columnam, et hoc certamen subeo. Suscipe meum propositum; confirma me ad cursum; coeptum meum absolve. » Sic beatus ille non spiritu solum esse coelestis, sed etiam, quoad ejus fieri

poterat, corpore esse contendebat; et de caetero solus erat in columna, seipsum collocans in coeli et terrae confinio: ab hac quidem recedens carne et spiritu, ad illud autem contendens.

§ 16. Haec autem non poterat invidus ferre oculus; neque patri invidiae erant illa tolerabilia. Sed cum loci dominus ad horum venisset cognitionem (erat autem illi nomen Gelasius), inconsiderate ira animo perturbatus, aut potius daemonis importunitate commotus, et adversus sanctum virum furore percitus (causa autem praetexebatur, quod non eam posuisset voluntate illius), Imperatori quidem renunciat id quod factum fuerat. Renunciat autem etiam Gennadio (is enim constitutus fuerat Episcopus Constantinopolitanus post decessum Anatolii). Atque ab Imperatore quidem dicens non fuit exauditus; Episcopus vero, invidiâ motus; seu ei qui rogarat concedens, non solum censebat sanctum e columna dejiciendum, sed etiam poenae subjiciendum. Redit ergo Gelasius totus irâ percitus, alios quoque multos secum assumens, et e columna sanctum volens detrahere. Sed qui semper in sanctis suis est admirabilis Dominus, qualia nunc quoque fecit, illum audacter insultantem reprimens, et ejus servum, qui erat occultus, gloriosum efficiens. Nam cum esset maxima serenitas, essetque aër purus et limpidus, nubes repente concurrerunt, et orta est caligo, et vehemens pluvia et grando deorsum ferebatur. Tantusque erat ejus impetus, et tam ingentes minae irae supernae, ut etiam vitium caderent folia et pampini, non solum fructus; erat enim tunc tempus vindemiae. Sed nec haec quidem reprimebant amentis stultitiam. Sed cum non multum abfuisset quin ille periret, ne sic quidem discebat sapere, et se moderate gerere: neque volebat scire quanta superna gratia locupletatus esset Daniel. Sed anhelans, et madefactus, cum iis qui circa eum erant, aggressus, indignabatur, minabatur, clamabat, et dejicere Sanctum aggrediebatur.

§ 17. Sed postquam qui cum eo erant, ei quae erant optima, suggesserunt, dicentes nec esse columnam agro propinquam, et hinc ei nullam futuram molestiam; immo vero eum percepturum fructum multarum orationum, et ei futurum valde utilem, cum sit bonus vicinus: postquam haec dixerunt, persuaserunt, et tunc quidem jussit descendere, pudore, ut arbitror, motus propter eos qui aderant, ne videretur frustra venisse: postea autem ei rursus pollicebatur ascensum; et cum rursus ascendisset quantum voluisset, mansurum. Cum autem, columnae admotis scalis, sanctus descenderet, et jam in sexto gradu pedem figeret, eum qui erat inflexibilis, cepit misericordia, dum illos videret pedes tamquam alias columnas: quos per totas noctes et dies stationes reddiderant tumidos et ulceratos, et vulneribus plenos. Quae ille cum stupore contemplatus, et sanctum adjuravit ut rursus rediret, et audacis sui coepti petiit veniam. Postea vero ei quoque columnam

posuit excelsiorem, et crassitudine validiorem, basique et caeteris magnificentiorem, et de illius patientia et tolerantia Imperatorem reddidit certiorem. Atque haec quidem sufficerent, quae sunt plurima et maxima ad sancti vitam ostendendam, et gratiam, quam ipse a Deo erat assecutus. Oratio autem haec parva esse considerans, et tamquam elementa ac principia quae sunt his longe majora, properat declarare.

§ 18. Venit paulo post quidam ad sanctum, Thrax quidem genere, aetate autem senex, qui ex scribendis contractibus sibi victum parabat: νομικὸν, id est, legis peritum, vocant Graeci. Is filium ferens unigenam, qui a maligno detinebatur spiritu, cum eum posuisset ad columnam, et ei lacrymae fluebant ex oculis, et adjunxit verba, lacrymis magis miserabilia. « Vide enim, quam multas fletus habebat occasiones: naturam, canitiem, filii adolescentiam, quod propter eum solum laboraret, quod longe esset profectus, et magni itineris labores esset perpessus, idque cum esset puer daemoniacus, et tanta esset ejus vexatio et immoderatio. » Et cum postremo addidisset, esse jam tricesimum diem, ex quo nomen illius malignus clamaret spiritus, ejus animus, qui facile movebatur misericordiâ, ipsius statim est misertus. Quidni enim misericordia movendus erat Christi discipulus? « Si tu ergo, inquit, credis fore, ut per me sanetur tuus filius, dabitur tibi secundum fidem tuam, » et simul eum jussit potari oleo a sanctis, qui illic erant. Quod cum factum esset, statim quidem eum humi jacit saevum daemonium, eumque valde laniat ac lacerat. Deinde magna voce cum luctu clamans: « Egredior heu, inquit, egredior. » Cum dies jam adesset octavus, ubi daemoniacus nigrum et concretum evomuisset sanguinem, gloriosi Patris sanatus est precibus, et sanus et recte se habens, suo patri est traditus. Ille autem cum accepisset filium, linguâ quidem utebatur ad agendas gratias; lacrymis vero, ad laetitiam. Sunt enim etiam laetitiae lacrymae, quando summam animi aegritudinem summae excipientes laetitiae, nubem quae premebat, protinus depulerint, et naturali fluxione lacrymarum usae fuerint cum voluptate. Sic puer non solum curatur a malo daemone; sed etiam continuo armatur adversus daemones, cum pater post curationem eum Deo consecrasset, et ut monasticum amictum et vitam susciperet, effecisset, et medico corporis eum tradidisset, et rogasset, ut esset etiam medicus animae: qui etiam purus ad purum accessit, omni mundanae vitae relicta vanitate. Hoc quidem fuit unum ejusmodi: alterum autem, eo non inferius.

§ 19. Cuidam Cyro, qui prius quidem fuit Praeses, postea autem ascendit etiam ad sedem Episcopalem civitatis in Phrygia, cui nomen erat Cotyajum, et ab illo postea discesserat propter quamdam motam adversus eum calumniam, erat filia nomine Alexandria. Ea eodem modo erat affecta, quo ille quem prius

diximus, et graviter vexabatur a daemone. Ejus ergo pater, cum Sanctus ei venisset in mentem, ad ipsum ducit filiam, naturali benevolentiae alium commiscens ardorem, nempe fidei. Simul atque ergo Sancti manus ejus capiti fuerunt impositae, fugatus est spiritus: et quae laborabat, statim conspecta est sana. Porro autem huic quoque miraculo fuit alterum conjunctum. Jam enim Cyrus Sancto valde confidens, ejus utebatur gratia. Unde etiam uxorem ejus, cui suorum agrorum fuerat mandata cura, quae ipsa quoque erat daemoniaca, duxit ad ipsum. Neque eam sua fefellit fiducia: sed ea quoque cum filia mundata fuit a rabie daemonis. Pro quibus is utique magnas ei habens et agens gratias (erat enim vir doctus, et humanis litteris eruditus) in posita illic columna epigramma postea insculpsit, quod sic habet: *Hic stat vir, qui undique impetitur, et ventos non timet: Ambrosio autem utitur alimento, et siti experte sanguinis: Actis vero radicibus, fundavit aedificium columna duplici. Est autem radix Simeon, filium praedicans matri, quae non est experta nuptias*. Sed haec quidem sic.

§ 20. Deinceps vero erat quidem dies, omnium dierum praecipuus. Vir autem quidam ex iis, qui prope Euxinum Pontum habitabant, venit afferens filium, qui ipse quoque possidebatur quidem a daemone; sed erat alioqui et surdus et mutus, et qualem curasse Christum docent Evangelia. Cum autem columnae jam appropinquarent filius cum patre, excutiens puerum daemon, et avellens eum ab iis qui ipsum tenebant, impulit eum ad scalas, quae tunc quidem fuerant admotae columnae: et ille quidem protinus ascendebat scalas: Sanctus vero desuper adspiciens, Deum rogabat. Quomodo enim non a daemone e scalis projectus, fuisset confractus, nisi is retinuisset daemonem precatione? Non ergo ei manus imposuit, neque fecit quae aliis facere consueverat: sed ille quidem precabatur superius: puer autem cum esset adhuc inferius, et ad medias scalas nondum pervenisset, sanitatem est assecutus. Cum unius tantum fecero mentionem, aliorum suo tempore meminero.

§ 21. Magnus Leo, qui Romanum quidem regebat imperium: naturam autem regere non poterat, sed proles ei deerat mascula, quid facit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele usus intercessore. Ille vero paruit, et anno sequenti parituram esse uxorem protinus significavit. Res ergo, ut dixerat, successit, et natura cessit precibus, non solum ad hoc ut daret filium; sed ad hoc etiam, ut daret illo tempore quo Sancti os divinum praedixerat. Sic ille non solum erat filius precationis, sed etiam per preces dabat aliis, ut haberent filios. Idcirco eum remunerans Imperator, tertiae columnae ei jecit fundamentum.

§ 22. Cum fama ergo Sanctum ubique praedicaret, ad eum venit etiam Imperatrix Eudocia, quae nuper servata ex Africa:

et magnam quidem ei reverentiam, multum autem tribuens honorem, et rogans ipsum, ut de columna quidem descenderet, ad sua vero loca veniret et ea habitaret: « Sunt autem, dicebat ea, mihi multa, et simul quidem amica silentio, et quae possint aliam praebere consolationem. » Ille vero bonam ejus mentem accipiens et laudans, statuit non transmigrare, sed in eo loco perseverare, in quo fuerat a Christo plantatus: et virtutis radices in eo agere, et fructum convenientem dare suo tempore. Cum haec et alia dixisset ejusmodi, et benedictione eam impertiisset, emittit. Tunc autem transit ad columnam Gelasii, et simul cum columna (erat enim excelsior) ei quoque aucta est virtus: et vitae institutum aggressus est excelsius. Non erant autem futura haec tolerabilia, neque diabolo, neque illius asseclis. Propterea ipse quidem ei rursus accendit fornacem tentationum: usus est vero ministris haereticis qui erant Bizantii. Isti cum quamdam sumpsissent mulierem ex meretricibus, quae erat quidem genere Asiana, ei autem erat nomen Basiana: cum navigasset vero Byzantium, improbum, proh dolor, quaestum faciebat suo corpore. Eam cum verbis decepissent, et promissa pecunia, totam ad id quod volebant, incitassent, efficiunt ut vadat ad sanctum, et vel illum, vel unum ex suis discipulis, ad amorem illiciat, et ad foedam provocet libidinem. Proficiscitur ergo impudica ad pudicum, impura anima ad mundam, comitum secum ducens multitudinem, splendida externa utens specie, et libidinosis gestibus, aureoque amictu et alio intertexto ornatu, arbitrata se allecturam et inescaturam illos oculos, qui nihil terrenum, nihil ex materia concretum dilexerunt. Manens autem in quodam agro, qui erat ex adverso columnae, et mandrae rationis compotum pecorum hujus egregii pastoris Danielis, simulabat se aegrotare: ut si fieri posset, vel ipsi quidem sancto aegrotationis animi causa esset: sin minus, illius saltem discipulis afferret perniciem.

§ 23. Cum autem postquam longo tempore mansisset, inane et irritum erat callidum ejus coeptum, descendit quidem ad eos, qui miserant: dicit vero execranda, et ea mentitur de sancto, quae non solum magno illi nunquam in mentem venerunt (hoc enim ne qui valde quidem a mente discessit, crediderit), sed nec ulli ex ullius discipulis: multum quidem abest. Haec autem erant: « Mei amore, dicebat, valde quidem captus erat Daniel, animo vero telum acceperat; et tandem cum jussisset suis discipulis, ut me sursum ad ipsum per scalas deducerent, ego autem, inquit, passa non essem, me occidendi consilium ceperunt, ut haec lateret intemperantia. Et ecce vix manus eorum effugiens, mihi fuga consului. » Sic mentiente Maenade, et ea dicente quae probari non poterant, haec verba illi attendentes, arripuerunt perinde ac verissima (quae enim volebant, ea etiam vera putabantur), et ea ad alios transmittebant. Verumenimvero hic quoque erat idem

Deus, et justitia, quae neque potest vitari, nec oblivioni mandari. Quid ergo accidit? et quomodo haec dispensantur? Malus spiritus statim mittitur ad malam et mendacem foeminam, et invitus invitam cogit effari fraudem haereticorum in illam, et suum rursus mendacium et machinationem. Cum eam ergo accepissent cives, et ad Sanctum duxissent, rogabant Sanctum ut curaret. Ille autem verus Christi discipulus, qui dixit septuagesies septies oportere fratribus remittere debita, et diligere inimicos, ambo simul praecepta una executus est actione: illud quidem, condonando injuriam; hoc vero, miserendo calamitatis, immo vero eam plene erigendo, et sanitati restituendo. Nam cum oratione usus, eam oleo sanctorum tamquam salutari aliquo potasset medicamento, malum quidem spiritum, tamquam aliquid venenatum, statim expellit: eam autem, quae laborabat, suis sanam reddit. Quae etiam illius complexa columnam, magnas quidem agens gratias, et deinceps multa Deo promittens, ut quae duplicem morbum effugisset, non solum eum, qui apparebat, et damnum afferebat rei quae videbatur, sed multo magis eum qui latebat, eratque voluntarius, et sua sponte susceptus, et animam immortalem punire poterat immortaliter.

§ 21. Non solum autem morbum, qui modo inciderat, poterat curare sanctus; sed etiam ritu bonorum medicorum, et futurum nosse, et quod erat eventurum, prophetice et videre et dicere certissima poterat conjectura. Magnam quidem certe urbem magnas adorturas esse minas, cum a superis accepisset revelationem, eam Episcopo significat Gennadio, jubens contentiore uti precatione. Quinetiam Imperatori Leoni praedicit similia, et bis in hebdomada jubet communes fieri supplicationes. Sic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ii quidem sancti praeceptis contemptui habitis, erant ipsa intellecturi experientia, ea quae multitudo peccatorum effecit, ut ad effectum deducerentur. Procedens autem id declarabit oratio. Quoniam autem divini quoque agni sacrificatorem oportebat esse Danielem, qui jam ei prius sacrificaverat et corpus et animam, e superis quidem movet Imperatorem spiritus: movet autem Gennadium quoque Imperator, et ad eum scribit, ut acceptis multis ex ecclesia, veniat ad magnum Danielem, et eum consummet ordine sacerdotali. Cum is vero haec fecisset, qui praevidendi quidem futura magnam habebat potestatem, primum quidem spiritu praecognoscit futurum ad se adventum. Deinde cum ille jam venisset ad columnam, dixit se jampridem desiderasse ad eum ascendere; sed curas prohibuisse ecclesiasticas, ne finem imponeret suo desiderio: nunc autem venire, ut et ipsum videret, ejusque precibus frueretur et sermonibus. Rogabat vero ut scalae quoque adhiberentur. « Frustra, inquit ei praedicendi magna vi praeditus Daniel, hunc laborem ut susciperes, procuravit, qui te ad nos movit. » Hoc simul

et stuporem et metum affert sacerdoti: stuporem quidem, quonam modo sic ejus cognovit adventum: timorem autem quod mens ejus magno erat Danieli manifesta. Neque enim nisi coactus fuisset ab Imperatore, ad eum unquam venire annuisset.

§ 25. Cum autem et Episcopus, et qui sequebantur Episcopum, multum rogavissent ut admoverentur scalae, et ad eum ascenderet, prohibebat vero invictus Daniel: imminebat autem jam sol mediis eorum capitibus, calidis eos feriens radiis, et videbat Episcopus multitudinem siti et aestu torreri, jubet inferius quidem Archidiacono preces dicere consuetas. Ipse autem cum esset precatus, ordinat magnum Danielem etiam non praesentem, presbyterum, et simul multitudo de eo, qui erat vere dignus, clamabat: Dignus. Cum sic Patriarcha Gennadius Danielem nominasset sacerdotem, et « ecce, dixisset, et tibi populus justam de more propterea emisit vocem, et Deus desuper tibi per me manum imposuit; et omnia, ut semel dicam, suscepisti signa sacerdotii. Restat ergo ut scalae admoveantur columnae, ut sis etiam sacri particeps sacrificii, et Deo vocanti omnino cedas. » Tunc cum beatus cognovisset Daniel haec non fieri sine Dei numine, sed ei quoque grata esse et accepta quae facta sunt, jubet poni scalas, et coelestem margaritam, divinam, inquam, communionem, et dat et accipit. Deinde cum etiam fecisset alia omnia quae solent fieri a sacerdotibus, et precatus esset pro multitudine, eos dimisit laetantes simul et admirantes: partim quidem propter praescientiam et vere laudabilem timiditatem; partim autem, quod vix quidem, persuadetur tamen ipse quidem accipere sacerdotium, illis vero praebere preces et benedictionem. Haec Imperatori quoque significantur, et simili eum replent laetitia et admiratione.

§ 26. Cum non ergo ingentes, qui sunt imperii proprii, sumpsisset spiritus, sed didicisset quantum sit virtus imperio praestantior, ipse quoque ad eum ascendit, et perinde ac si regium fastum et supercilium reliquisset inferius, et se exuisset, se quidem humi prosternit: tangit autem sacros illius pedes, quasi haec faciendo magis honoraretur, quam quod esset Imperator. Quos cum tetigisset, impletur admiratione, sicut prius Gelasius: erant enim illi pedes valde tumentes, et omnino scatentes ulceribus; eratque simul horribile et miserabile illos videre et tangere. Tunc ergo Imperator donat eum basi geminarum columnarum, quas ipse posuit, duplicem eam columnam nominans. Quam ascendens laetabatur Daniel. Nam et illa erat sublimior altitudine, et haec etiam extendebatur ad exercitationem, aestate quidem, ardentius eum sole feriente; hyeme autem, aëre frigidius. Cum vero et vis ventorum, nivisque et grandinis vehementer impeteret, et violentiam ostenderent minime tolerabilem, certe multa consequebantur miracula: quae quidem mihi, vitanti prolixitatem orationis, non sunt omnia dictu facilia, sed solum, quae sunt

praecipua, ut sum pollicitus. Quod autem nec si velim quidem, possum praeterire, hoc nunc, quantum potero assequi oratione, conabor narrare.

§ 27. Jampridem quidem principium habebat anni ambitus, et mensis instabat, quem Romani vocant Septembrem, in quo magni martyris Mamantis festum pii celebrant. Vespere ergo, quando festum a piis praeparatur, et tota nocte agitur vigilia, finem accipit magni Danielis prophetia: et repente in maxima et regia civitate incipit incendium *, quod usque adeo est excitatum, et adeo invaluit, ut fere universam contriverit civitatem. Nam coepit quidem a muro, qui est propter mare, quem etiam nominant navale: pervenit autem usque ad forum Constantini, et pertigit ad portum Juliani, quasi mediam cinxisset civitatem. Quo in loco et comprehensa sunt universa corpora: quaecumque vero fuere comprehensa, facile perierunt; et sic pastus ignis, in maximam crevit flammam: eratque malum inexpugnabile: quippe cum quicquid ad opem ferendam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas quidem domos, multa autem templa, virorumque et mulierum proserpsit depascens multitudinem: multi vero, partibus et membris corporis, quae invaserat ignis, statim mutilabantur: erantque semiustulati, et media parte caesi: miserabiliores iis, qui omnino cum suis perierant. Erat ergo periculum, ne, quod vulgo celebratur orbis terrae miraculum, Constantini, inquam, civitas, cerneretur pati similia incendio Sodomorum. Vix tandem, ut in tanto malo, eis venit in mentem sancti Danielis praedictio, et credunt fore, ut illius solum precibus malum vincatur. Hinc factum est, ut ad eum magna celeritate currerent, ille quidem pecuniae deflens privationem, hic servorum, alius domus, alius amicorum: et hic quidem cognatorum, ille vero uxoris et suorum filiorum, alius autem omnium facultatum. Propter quae sanctum tanto dolore affecere, ut totus repletus lacrymis, eos damnaret negligentiae, quod ipso eis multum testificante et praedicente, malum poenitentia vitare non curarint: ut qui in patiendo solum fuerint Ninivitae, non etiam in poenitendo. Haec dicens, illis quidem sic suadebat curam gerere orationis et jejunii. Quinetiam ipse quoque manus in coelum tollens, illinc implorabat auxilium: et post orationem, cum eis dixisset finem calamitatis, eos dimisit. Post septem, inquit, dies cessabunt minae ignis. Sic ille dixit, et res est consecuta. Septimo enim die non erat amplius ignis. Tunc et alios, et eos qui gerebant magistratus, quin etiam ipsum Imperatorem incessit metus: et secum assumpta Imperatrice, fit supplex beato Danieli, pro eo quidem, quod praeterierat, misericordiam: securitatem autem in futurum postulans.

§ 28. Atque jam quidem post autumnalem conversionem mutato

* Anno 465.

tempore erat hyems, et hyems major, quam ut eam possit explicare oratio, quae tamen superabatur ab invieto generosi animo. Cadebant autem imbres plurimi, et ventorum erat procella vehemens. Venti vero etiam inter se agitabant seditionem, et multi simul spirabant, et adeo violenti et immanes, ut ferreas ansas columnarum, quae duas columnas inter se committebant et conjungebant, et Danielem in alto ferebant, violenter avellerent: ille autem in parva sola contineretur columnella, quae inter eas erat injecta. Simul ergo et procella irruebat, et conquassabantur columnae: et justus superne, tamquam ramus arboris, huc et illuc circumferebatur, et flatu circumagebatur. Inferius autem vociferabantur discipuli lacrymantes: et in illum solum convertebant oculos, et una eis erat acerba exspectatio, patris eorum privatio. Sed non itidem lababat spes Danielis in Dominum: sed super hanc firmam petram fundatus beatus, nemini quicquam loquens, neque si hoc evenerit pertimescens (quid enim ei grave erat mori, cui hic manere, Davidi congruenter, erat carcer?) perseverabat mentem sursum erigere, et orare. Clamavit ergo justus, et Dominus statim exaudivit eum, et desuper coelo, sicut eum e navi prius, ventos increpat, et repente tranquillitas fuit et serenitas. Et ventorum quidem res ita habuit,

§ **29**. Cum autem non spiritus solum, sed etiam quosdam ex iis, qui Ariana laborabant insania, coërceri oporteret a perturbatione; hoc quoque prudentissime, ut consueverat, per illum providetur. Et videte, quam vario uti consilio et multiplici dispensatione, et alia per alia contexere saepe scit providentia. Noverat Imperator, quae justo Danieli acciderant; et contendit ad videndam columnam, partim quidem poenas sumpturus de iis, qui ansas non effecerant firmas et validas: partim vero, ut eas tuto decaetero committeret. Sed illos quidem magni Danielis mansuetudo eripit a minis Imperatoris, mortem eis minantis. Descendenti autem de monte Imperatori non parvum accidit periculum. Nam cum quidam metus equum forte fortuna perturbasset, quem ipse ascenderat, isque conterritus, pedes erexisset anteriores, supinus quidem statim humi jacebat equus, supinus autem etiam cum eo Imperator: id vero, quod ante stabat super sellam regiam, frontem contrivit Imperatori, et quae erat in capite, coronam procul expellit. Quo tempore contingit, eas, quae erant in ipsa, margaritas, aliam alio, dispergi. Sed Daniel quoque cum oratione praevenisset malignum, a mala morte servat Imperatorem: et sic reversus fuit sine periculo. Sed hoc in loco est caput narrationis, et quomodo novit providentia admirabili uti consilio et dispensatione.

§ **30**. Equiso Imperatoris, aut, ut eum vulgaris et consueta lingua vocat, Comes equorum, omni quidem anteriori tempore laborabat nefariâ Arii insaniâ. Tunc autem et Imperatoris timens

periculum, et ne, quod acciderat, ei iram conciliaret, cursu venit ad sanctum. Ille vero non solum eum metu ab Imperatore, sed etiam mala est pollicitus se esse liberaturum opinione, quae est quovis alio periculo gravior. Haec audivit Equiso, et cum mitibus ac placidis ejus suasionibus opinionem Arii abjurasset, ea sentit, quae Orthodoxi. Atque Sanctus quidem scribit ad Imperatorem, quod et Jordanes, abnegata deceptione, in rectis incedit dogmatibus; et quod vel propter hoc ipsum est justissimus: quinetiam huc ad me venit, ut a te veniam consequeretur. Ille autem contra rescribit: « Periculi quidem mei causâ non alius fuit, quam ipse mihi, qui sic ausus sim ascendere ante tuos oculos, et non pedes procul abii a sacra columna. Hoc autem deinceps diligenter cavebo. Jordani vero non modo non irascor, ut etiam valde laeter, quod meus ex equo casus, ei causa fuerit, ut, qui jacebat, surgeret. » De caetero autem tanta erat Imperatoris in Sanctum reverentia, ut non solum ipse honoraret eum iis, quae oportebat; sed etiam aliis eum, tamquam rem coelestem, ostenderet.

§ 31. Itaque cum paulo post contigisset, Regem Lazorum * venire ad Imperatorem Romanorum, causa faciendi foederis, aliis quidem praetermissis, eum vero accipiens et ducens ad Sanctum: « Hoc est, inquit, mei imperii miraculum. » Ille autem usque adeo obstupuit, ejus videns tolerantiam atque fortitudinem, ut non solum Sanctum, sed etiam columnam, in qua erat positus, cum lacrymis adorans, multas voces emitteret barbarus valde eruditae mentis, et quae multa didicerat: « Ago tibi gratias, dicens, Rex coelestis, quod mihi, qui ad terrenum Regem veneram, coelestem hujus viri vitam ostenderis, et dignum me censueris, qui essem spectator talium mysteriorum. » Adeo autem utrisque magnus ille visus est dignus admiratione, ut ambo illum ad definienda foedera arbitrum constituerent. Porro autem cum domum revertisset Gubazius Rex Lazorum, et subjectis sibi populis narrabat miraculum, et Sancti semper meminerat; neque unquam mittebat Byzantium, quin ad eum quoque scriberet litteras, quae non terminabantur solis salutationibus, sed etiam plurimi faciebant ejus meminisse, et rogabant, ut oraret pro suo regno. Adeo stupebant omnes, justi tolerantiam, et propinqui et hospites, et privati et Reges, et Romani et barbari; et accedentes, accedebant tamquam ad Angelum; et abeuntes, ejus invocabant auxilium, et precibus ab eo aliquid petebant, et impetrabant.

§ 32. Atque sufficiunt quidem ea quae nuper dicta sunt ad significandam illius fortitudinem: et quod quae ab eo suscipiebantur certamina, erant majora, quam ut homini convenirent. Quoniam autem hoc maxime studeo, nihil praetermittere eorum, quae sunt praecipua, adjiciam iis quae dicta sunt, majus

* Hic populus inter Pontum Euxinum et Caspium morabatur.

quiddam, quod attinet ad fortitudinem et tolerantiam, et ad eum admirandum, qui dedit illi vires. Erat hyems, eaque glacialis, et valde aspera; vehementes vero rursus ventorum procellae, et graviores praecedentibus; simul autem cum vento densa quoque nix decidebat. Venti itaque vehementius ingruentes, ei ex pelle confectam cucullam flando expellunt, et in vallem quamdam subjectam jaculantur. Cum ventis autem multa quoque nix, et frigida ejus faciem impetebat. Ille autem (neque enim habebat tectum, ad quod confugeret) tota nocte (o invictam animam!) omnia suffert vinculis corporis, temporis acerbitatem, nivem, ventos, asperam circa auroram concretionem et conglaciationem. Apparebat dies, et malum non cessabat, sed magis invalescebat, et hyems intendebatur. Discipuli autem nullo modo poterant e porta prospicere, neque erat ullus, qui ei opem ferret. Totum ergo illum diem et sequentem noctem, quae fuit multo acerbior, hic vir generosus fortiter et constanter pertulit. Jam tertius quidem erat dies tempestatis; desierat vero effera glacies; et cum scalas admovissent, qui erant ferventiores ex discipulis, et propere ascendissent, vident, o Domine Deus! horrendum spectaculum, et quod antequam vidissent quidem, ab eis exspectabatur, ipso tamen adspectu visum est terribilius: Sanctum amictu quidem jam nudatum, glacie vero omni ex parte comprehensum, et capite, et facie, et reliquis partibus corporis; neque hoc solum, sed etiam ipso corpore omnino concretum, et in glaciem, si frigus spectes et concretionem, conversum: eum quis glacialem hominem nominaverit (quid enim aliud?) aut mortuum, quod existimaretur ne posse quidem spirare. Cum calidis ergo aquis solvissent glaciem, quinetiam corpus adspersissent, et spongiis abstersissent, postquam ille ad se rediisset, et tamquam a morte suscitatus, spiritum recepisset, vocem quoque accepit, et dixit: « Cur mihi vultis exhibere negotium, et suaviter dormientem vexatis? Nam cum modo Domini invocarem auxilium, accidit mihi, ut parum dormitarem. Caeterum bene sit vobis, o filii, qui patris tantam curam geritis. Date autem mihi, inquit, quo me induam: erubescens, ut arbitror, propter nuditatem, non autem calore indigens. » Illi vero alium amictum ad eum attulerunt, et eum induerunt, tunica divinae laetitiae indutum, ut dicam cum propheta.

§ **22**. Postea autem multum eum rogante et obsecrante Christi amante Imperatore (haec enim ad eum usque pervenerunt), et dicente: « Si non tua causa, at nostra et nostrae utilitatis, parce istis nimis praecipitibus et projectis periculis, et ne tibi ipsi mortem propemodum consciscens, et nos orbos relinquas, et ipse te ante tempus videaris e vita educere. » Haec et his plura dicente Imperatore et rogante, et pedes simul prehensante, vix sustinuit, ut sibi parvum saltem fieret tectum, reveritus lacrymas Imperatoris. Hoc quidem jam a me dictum est, nihilominus

tamen nunc quoque dicam. Nullum erat, nec videbatur Imperatori majus miraculum magni Danielis tolerantia et vita. Omnes ergo, qui apud eum fungebantur legatione, sive essent reges, sive legati, aliquos quidem per alios, alios vero etiam per se deduxit ad Sanctum. Illi vero magis stupebant videntes, quam audientes: et sic redibant benedicentes, et anima effecti meliores. Quod autem ut futura quoque videret, tamquam jam praesentia, a superis acceperat, a me quidem jam saepe superius ostensum est. Est vero hujus quoque rei manifestum indicium. Quaedam fama in omnes partes manabat, Genserichum regem Vandalorum, bellum gerere adversus Romanos magno apparatu et majore audacia, et quod jam cum magna manu pervenit Alexandrìam, eam sibi volens belli facere praemium. Non parum ergo animo angebantur magistratus, et ipse Imperator: qui etiam cito currit ad consuetum medicamentum animi aegritudinis, et Sancto famam significat. Ille vero tamquam non praevidens, sed jam videns oculis ea quae erant eventura, dixit protinus, non solum Genserichum Alexandrìam non esse occupaturum, sed in omnibus etiam aliis, re infecta, domum esse reversurum. Omnino nihil opus est adjicere id, quod evenit iis, qui virum norunt. Factum est enim non multo post, sicut divina Danielis lingua praedixit.

§ 84. Propter haec ergo, et multa alia his admirabiliora, volens Imperator magnum remunerari Danielem, quoniam alia ratione non licebat, rogat ut fiat saltem domuncula illius discipulis: « Ut habeant, inquit, suo corpori habitationem. » Sanctus vero : « Si dixisti quidem, inquit, de extruendo aedificio, non potest id mihi esse gratum. Neque enim beato Simeoni hoc unquam adfuit. Tu autem si velis facere mihi rem gratam, festina huc adducere illius reliquias; et rem mihi gratissimam, acceptam tibi feram. » Tunc lubens jubet Imperator, tum ut sacra domus aedificetur Simeoni, ante columnam Danielis ad boream, tum vero, ut domus quoque fierent hospitibus, qui ad montem ascendebant, et magni Danielis discipulis, etsi ei sanctus tunc multum prohiberet. Cum autem qui missi fuerant Antiochìam, sic jubente Imperatore, reliquias attulissent, significat quidem magnus Daniel Episcopo urbis, ut praedicet et publice annunciet exportationem tabernaculi, et ut ipse sedeat in vehiculo Imperatoris, sinu tenens reliquias, et sic iter faciat cum psalmis et hymnis, et cum eas deduxerit ad templum militiae principis Michaëlis, illic divinam celebrent mystagogiam. Quae cum peragerentur, et magno et splendidissimo comitatu deducerentur, multa per ipsa in transitu facere miracula conspectus est Dominus: quae quidem sigillatim omnino narrare, non est praesentis temporis. Postquam autem finem acceperunt ea, quae pertinebant ad reliquias, et ipse sacerdos, et omnes qui simul consequebantur, cum gaudio ad Sanctum ascenderunt, maximas suavissima anima in eos verbis effudit

gratias, et mellis plurimum revera scatere fecit in illorum animis, de amore in pauperes et in fratres, de charitate, et judicio, et remuneratione, et de aliis hujusmodi apud eos verba faciens.

§ 35. Non solum autem in iis, quae ipse faciebat, ostendebat praestantiam suae virtutis: sed etiam in iis, quae patiebantur ii, qui non erubescebant eum maledictis insequi. Cum quidam certe aliquando ex iis, qui ad eum accedebant (fuerat vero is lapsus in vera religione), Sanctum maledictis incesseret, et qui aderant et audiebant, eum increparent, ipse cum manum intra indumentum injecisset, et piscem assatum eduxisset: « Ecce, inquit, hunc et alios multos comedebat, qui vestro judicio est abstinens. » Statim autem justitia virum est persecuta. Postquam enim et ipse paulo post re vera de pisce comedit, uxorique eum dedit et liberis comedendum, eos invadit furor, et a daemone possessi conspecti sunt ab omnibus. Qui ergo aderant, cum causam sensissent, duplicem furorem miserati, eos accipiunt et ducunt ad Sanctum. Ille vero cum non solum esset mitis erga peccatores, sed etiam calamitates converteret in contrarium: postquam vidit confitentes, precatus, eos liberavit a furore et a graviore daemone, nempe a mala opinione. Qui etiam postea tantum fructum acceperunt ex ejus curatione, ut volentes esse descriptam suam gratiarum actionem, ex argento illius figuram effinxerint, et seipsos sub ejus pedibus posuerint, et nomen scripserint, et gratiarum actionem adscripserint, et militiae principis templo dedicaverint. In beati autem Danielis labris tanta erat salutaris persuasio, et ejus oratio propemodum aeque ac vita, poterat delinire animum, et persuadere, ut viam angustam eligerent: ut non solum eos, qui ad hoc ipsum ad eum ascendebant, aut erant alioqui mites et mansueti, flere et ejus magno amore capi persuaderet: sed eos ipsos, qui erant etiam impudentes et agrestes, similiter afficeret. Hujus autem rei apertum est indicium.

§ 36. Quidam nomine Edranus, genere Galata, fortis alioqui et manu strenuus, in sanguine et bellis educatus, qui etiam in multis locis se praeclarissime gesserat, et suo imperio parentes habebat multos, et eos omnes in bello fortes. Ejus fama pervenit usque ad aures Imperatoris. Is autem cum illum, et eo qui ejus parebant imperio, accersivisset, eos quidem aliis afficit honoribus: illi vero tradit curam suorum equorum, solet is vocari Comes, sicut superius diximus. Porro autem ipsum quoque mittit, ut solebat, ad magnum videndum Danielem, et accipiendam ejus benedictionem. Cum vero ad eum venisset, et ejus vitam didicisset, et sermonibus ea, quae vere erant utilia, doctus esset, et divina quadam mutatus esset mutatione, et ex lupo in ovem esset conversus, militias quidem et bella et honores Imperatoris multum valere jussit, et qui toto ante tempore ad sanguinem et caedem erat exercitatus, et quid aliud, quam miles, idque barbarus,

is repente philosophus, et mitis Christi erat discipulus: et rogabat, ut referretur in numerum ejus discipulorum. Postquam autem vidit magnum Danielem suis precibus annuere, illius discipulus fit doctor multorum aliorum: et cum omnes, qui erant cum ipso, advocasset, familiares et notos, et qui alioqui ad eum attinebant, suadet illis, ut eâdem, qua ipse, via ingrederetur. Adhortatio vero fuit ejusmodi, quae posset vel cum lingua certare oratorum, et ferre victoriam. Ejus ego memoriae mandabo, quae sunt jucundissima, et scio fore, ut ea quoque vobis placeant.

§ 37. « Ego, inquit, statui deinceps Regi militare coelesti. Mihi enim persuasi nihil profuturum homini, si totum mundum lucrifaciat, et damnum suae animae patiatur. Quodnam autem ad nos ex bello lucrum redit, nisi omnino gladii, caedes, sanguis et strages? Quaenam vero in his non inest calamitas, et praeterea detrimentum animae? In quibus, et qui cecidit, juste cecidit. Quid enim bellum gerebat cum iis, qui sunt ejusdem generis? Et qui interficit, est omnino parricida et execrandus. Cur enim propter pecuniam aut inanem gloriam tantum facinus ausus est suscipere? Sed leones quidem, o homines, et pardi, et lupi, et si quid est his agrestius, nunquam commune inter se bellum gerunt. Nobis autem quibus naturâ adest mansuetudo, et oratio quae comprimit feritatem, quae est praeter naturam: quin etiam movet misericordiam, et communem naturam revocat in memoriam: ante omnia vero, quibus, ut neque injuriam faciamus, neque contradicamus omnino, si nobis fiat injuria, est maximum praeceptum: idque cum prope habeamus exemplar, illum ipsum scilicet nostrum Dominum, qui cum traheretur ad caedem, sequebatur (atqui quanta est differentia inter Dominum et servum?): quomodo haec se recte habent, quando et si haec non faciamus, multas habemus remunerationes: si faciamus autem, multa supplicia? Quod si etiam oportet vicissim invadere eos, qui nos invadunt, oportet omnino magnam manum et excelsam invocare ad nos defendendos ac vindicandos: ut sic nos potius facientes ea, quae ille praecipit, vehementiores plagas imponamus inimicis. Haec ergo si vultis, sinite: mecum autem manete: et vitam quae est ex Deo, eligamus. Sin minus, unusquisque viam suam ineat. Nullam ego majorem imponam necessitatem, in hoc quoque Christum sequens: qui cum nos multis quoque aliis honorasset, primum honoravit libero arbitrio. »

§ 38. Haec etsi non videantur esse barbari hominis, si quis tamen reputaverit gratiam divini Spiritus, et quod is dignus esset eam assequi, inveniet omnino eum potuisse haec dicere, et his excelsiora. Mox autem ostensa est etiam vis suasionis. Duobus enim barbaris, qui divinam doctrinam ne auditione quidem acceperant, persuasit, ut omnibus dimissis, simul cum eo viverent; aliis vero cum dedisset pecunias ex iis quas habebat, et eos

valere jussisset, permisit ut irent quo vellent. Ille autem et qui cum eo erant, renunciationis sacram sequentes regulam, habitum monachorum Sancti manibus accipiunt, et Edranus mutato nomine pie vocatur Titus. Neque vero ipse Imperator ignoravit id, quod factum fuerat; sed cum rescivisset, id aegre ferebat; et mittit, qui Edrano exprobret ejus recessum. Postquam autem, qui missus fuerat, cognovit illum immutabilem, et fuit hoc etiam Sancti litteris confirmatum, desperato reditu, statuit nihil amplius addere. Ipsum vero Titum tantus subiit magni zelus et imitatio, ut illius etiam nutrimentum curiose inquireret, et magnifaceret scire quidnam comederet; et quoniam non videbat, aliis fratribus post cantica vespertina se ad quietem conferentibus, ipse clam egrediens e dormitorio, latebat post columnas, et Sanctum curiose indagans, praebuit fratribus speciem quandam et opinionem socordiae. Sed cum totis septem diebus nihil amplius rescivit, cogitationem suam Sancto aperit, et rogat, ut dicat an quid comedat et bibat. Cum is autem se comedere quidem et bibere affirmasset, sed adjecisset: « Tanto utor alimento, quantum sufficit ad vinculum corporis continendum. Non enim vivimus gratiâ deliciarum, sed potius nutrimur, ut possimus vivere; » ille quidem adoratione suam significans submissionem, abiit: de caetero autem in cibo et somno tanta cautione usus est et observatione, ut cibi quidem tantum sumeret, quantum sufficit ad vivendum.

§ 39. Adversus somnum autem qualem ostendit generosus hic vir decertationem? Cum se funibus ab axillis medium suspendisset in aëre, ad pectus extendit tabulam, et librum imponit tabulae, ut utrumque faceret, nempe ut et sic suspensus posset legere, et si a labore aliquando oporteret ad somnum converti, tabula caput exciperet, parum consolans vim naturae. Atque erat ipse quoque Titus Imperatori carus propter virtutem: et quando ad sanctum ascendebat Imperator, ad ipsum quoque ibat et redibat, ex eo magnam capiens utilitatem. Atque ille quidem cum sic vitam instituisset, in pace ibidem obdormiit. Non solum autem ipse sic adspexit ad virtutem, sed unus quoque ex ejus famulis, nomine Anatolius: qui illo vivente, una cum eo ferebat jugum vitae ex Christo agendae: et eo abscedente, adhuc magis virtutem exercuit, et multos alios participes fecit utilitatis. Sic spiritalis patris in triplici prole conservabatur gloria, et sic fuit genus fertile, quod ad virtutem attinet, Anatolio. Duodecim discipuli ei chorum implebant, parem illi zelum spirantes ad ea, quae sunt pulcra et honesta: et ei postea sacra aedes constituitur et monasterium, et vir erat clarus et insignis. Sed haec quidem hactenus.

§ 40. Nobis autem revertendum est unde digressi sumus. Quaenam sunt ea, quae postea facta sunt ab admirabili Daniele? Et quibusnam miraculis vitae convenienter effectus est gloriosus? Imperator quidem Leo suam filiam Ariadnam jam nubilem conjungit

matrimonio Zenoni Isaurico *: et nuptiali ** eum honore consulatus afficit. Deinde etiam eum mittit adversus barbaros, qui populabantur Thraciam. Ille autem simul cum iis, qui ejus imperio parebant, principibus ad velox auxilium, nempe beatum ascendit Danielem. Ille vero prophetice effatur et praedicit illaesum reversurum Zenonem: et aliquos quidem esse ei postea structuros insidias: eum autem insidiis fore superiorem. Sufficiebant haec quidem, et nihil amplius dicere oportebat, sed ex iis, quae praecesserunt, quod haec quoque ita, ut dixit, facta sunt, certo scire. Dicentur tamen haec quoque sigillatim: apud pias enim aures habetur oratio, et quae omnia scire sitiunt. Jam quidem ex hominibus Leo excesserat Imperator: et filius ex Zenone susceptus, parvus, inquam, Leo, qui etiam ab avo fuerat renunciatus Imperator, quoniam propter nimis teneram aetatem non erat omnino aptus ad tantum administrandum imperium, Zeno pater pueri, a senatu ad sceptrum est perductus. Huic ergo Zenoni, ejus quidem in imperio collega filius statim decessit: imperium autem ad solum patrem redit. Omnibus vero rebus Romanis quietis ac tranquillis, gravis in eum exarsit invidia a cognatis: et, ut dicam cum Propheta, iniquo odio oderant ipsum. Insidiatores autem erant Armatus et Basiliscus. Cum ergo saepe Zeno sensisset insidias, omne quidem aliud despicit auxilium; ascendit autem ad Sanctum, et ei renunciat universum. Ille vero quid non ei praedixit eorum, quae erant eventura? Quid vero non factum est eorum, quae praedicta fuerant? Praedixit quidem fore, ut ex imperio expelleretur, et in exsilio aleretur, et prae cibi inopia herba vesceretur; et ab iis, qui ipsum oderant, postea revocaretur, et ad imperium reverteretur, et in eo vitae finem acciperet. Ille autem cum primum quidem praedicti, ab Imperatrice Verina incitati, ei struebant insidias, lubens cessit imperio, sciens fieri non posse aliter, ei ad fugam opem ferente nocte et multo imbre: et cum Ponti fretum clam transmisisset, cum uxore venit in Isauriam.

§ **41**. Sed cum ad hunc locum pervenit oratio, nescio quo me vertam, cum me multa simul vocent et vicissim trahant, quae sunt et utilitate paria, et ordine aequalia. Multa enim a magno Daniele simul praeclare gerebantur, et simul effecta reddebantur ea, quae praedixerat: et ipse in acie stabat pro veritate. Utrum ergo sunt illa, an haec, narranda? Existimo praedictionum vos quidem jam cepisse satietatem, neque plures cupere: ejus autem zelum pro pietate, requirere. Sceptra quidem, ut dictum est, arripit Basiliscus: horribiliter vero statim sibilat adversus Ecclesiam, et de carnis a Christo susceptae dispensatione nugatur

* Qui, quum Leoni in imperio successisset, non ut augustus, sed ut tyrannus imperavit. Vultu non minus quam animo et moribus fuit deformis.

** Videtur deesse *dic*, aut aliud quippiam.

quaedam blasphema et adulterina. Acacium autem, qui tunc sedem tenebat pontificalem, qui rectam quidem defendebat rationem: illius autem dogmatum tempestati, spiritus fervore, et dicendi libertate vehementer resistebat, vult iniqua morte mulctare. Hoc cum multos quidem congregasset ex iis, qui vitam agunt solitariam, et ex iis, qui promiscue vivunt et communiter, et grex concurrisset universus, servavit pastorem, qui, ne periret, veniebat in periculum. Decretum fuerat magnum quoque Danielem vocare in auxilium, et viro miti Sacerdos Imperatoris rabiem significat. Cum autem qui erat sapiens ad malefaciendum hoc cognovisset Imperator, ipse quoque Danieli significat, hunc ipsum potius Sacerdotem fuisse causam hujus tumultus. Nam et facit civitatem adversus me insurgere, et milites corrumpit ac pervertit, et in me maledicta congerit, et probra inurit: et adversus me facit innumerabilia. Quo circa oportet te, ajebat, precibus tuis Imperatori potius opem ferre contra Episcopum.

§ 42. Sed hic mihi consideret aliquis, admirabilis Danielis et in discernendo summam sapientiam, et in dimicando pro Christo fortitudinem et generositatem. Quorum illud quidem ostendit in deprehendendo maleficio; hoc vero, quod non solum probro affecerit eum, qui susceptam a vero Deo humanitatem probro afficiebat; sed etiam maximas minas in eum intenderit, et prophetice ei effatus sit: « Disrumpens, inquit, disrumpet Deus regnum tuum; » et alia adjecerit, quae cor ejus usqueadeo poterant mordere et tangere, ut nec ille quidem, qui minister erat futurus verborum, ausus fuerit haec ore renuntiare Imperatori: sed a magno petierit, ut litteris, iisque obsignatis, haec significarentur Imperatori. Et sic ille quidem recessit. Pontifex autem cum omnes fere eximios congregasset Episcopos, mittit ad magnum Danielem, eum adhortans, ut suum pro Christo daret auxilium, dicens illius esse solius linguae et virtutis adversus adeo absurdam depugnare blasphemiam, et suscipere bellum pro Ecclesia. Atque isti quidem profecti, haec significarunt. Quoniam vero Sancto erat valde difficile e columna descendere, et renuebat, quid rursus machinatur Patriarcha, volens eum ad id flectere? Rursus mittit Episcopos, jubens eos ei apparere moestos, utique miserabilibus et verbis et gestibus; et profundere lacrymas, validissimum medicamentum ad persuasionem, et omni ratione conari eum flectere. « Imitare, dicentes, primum magistrum et praeceptorem. In iis enim, quae sunt facienda pro Christo, pulcrum est Christum imitari. Declinavit ille quoque e coelis et descendit, procurans salutem hominum. Quid ergo absurdi fuerit, si tu quoque aliquantisper e columna descenderis, et quae venit in periculum, ne pereat, servaris Ecclesiam, pro qua ipse eam amans proprio non pepercit sanguini? Existima tibi ipsam adstare Ecclesiam, et vocem emittere, et extendere manus ad auxilium. »

§ 43. Cum his et aliis pluribus Episcopos prius instruxisset Patriarcha, et omnino exercuisset, ut aptissime ad movendam misericordiam, et maxime miserabiliter ad proponendam accederent petitionem; illis autem imperata facientibus, et inferne supplicum ritu cum lacrymis clamantibus, primum quidem ea quae fiebant, aegre ferebat Sanctus, et angebatur animo. Deinde cum videret magis perseverantes, et vehementius precantes, et cum miserabili clamore calidas lacrymas emittentes, nesciebat quid ageret illa misericors anima, ad utrasque distracta cogitationes. Quando enim ad Sacerdotes, et ad Sacerdotum intuebatur lacrymas, movebatur: quando autem ad columnam, et eos qui sunt in ea labores, et optabilissimam quietem, erat inflexibilis. Sic ergo inter se contendentibus cogitationibus, et in aequilibrio quodammodo positis, quaerit momentum superni judicii: et eo stante ad orationem, vox statim e coelo extitit, quae jubet ei, ut et descendat, et rursus revertatur ad columnam. Sic eum cum gaudio excipientes Episcopi, deduxerunt ad Pontificem; qui dici non potest, quantâ rursus fuerit plenus laetitià, et quanto eum honore exceperit. Atque statim quidem Christi miles vertit adversarium, etsi ei in conspectum non venerit: verbis autem solum, tamquam eminus emissis jaculis, usus sit, sicut etiam per eam, quam prius miserat, epistolam, novum appellans Diocletianum: et cum per utraque eum terruisset, nempe et praesentis seculi, et futuri supplicia, tamquam improbum mancipium, persuasit ut fugeret. Minarum enim timore affectus cum respondisset: « Ecce, tibi concedo civitatem, et omnes qui sunt in ea, ipse praetextu exercitationis processit extra terminos civitatis. »

§ 44. Sed ne sic quidem eum dimisit vir fortissimus; sed fugientem, tamquam qui clypeum abjecisset, persequebatur militem, et contendebat eum apprehendere, ut argueret, et cum eo singulari certaret certamine. Init ergo viam, quae illuc ferebat. Vide autem mihi zelum athletae. Nam cum ei pedes laborassent exercitatione, et non possent ingredi, commodato accipit alios pedes, et ducebatur portatus ab aliis. Fuit ne vero ejus iter inane et absque miraculis? Nequaquam: et lubentissime quidem omnium meminissem: sed cum tria prohibeant, nempe et prolixitas narrationis, dicendi facultatis imbecillitas, et ne, si velim omnia dicere, cum vos exsatiavero, sitis socordiores in iis, quae sunt praecipua, multis praetermissis, paucorum meminero. Quidam leprosus ad eum in via accedens, emisit vocem, quam olim etiam ad Christum, nisi quod ille quidem filium, hic autem servum Dei vocabat, et rogabat, ut ab eo assequeretur curationem. Ille vero: « Quid tibi vis, inquit, quod eo relicto qui haec potest curare, accessisti ad hominem, qui est similibus obnoxius affectionibus, ea postulans, quae ejus vires superant? Verumenimvero si quidem credis, non illum solum, sed etiam ejus ministros posse haec

curare, erit tibi per nos quoque, ut credidisti, sanatio.» Cum autem ille haec confitebatur, et adhuc magis rogabat ut sanaretur, misericordia simul et admiratio magnum subiit Danielem: misericordia quidem, propter morbum; admiratio autem, propter fervorem fidei; et conversus, significat iis, qui sequebantur, ut et manus tollant in coelum, et Deum placent lacrymis. Deinde cum illius jussu is mari corpus lavisset, et fuisset mundatus (non procul enim aberat), ostensus est totus sanus iis qui aderant. Qui cum adspexissent id, quod factum fuerat, et nudum accepissent eum, qui fuerat curatus, quid non faciebant? Quid non dicebant? Quo non animi motu afficiebantur? Admirabantur, clamabant, glorificabant, obstupescebant; movebat quidem fides eis linguam ad gratiarum actionem; verba autem sustinebat admiratio, et efficiebat, ut prae stupore obmutescerent. Quin etiam dicentes, nesciebant quidnam dicturi essent, hujusne fidem, an illius gratiam, an Dei potentiam. Oculi autem omnium in illum solum erant conjecti: voxque una erat et narratio, leprosus et illius mundatio. Ut ergo essent plures testes hujus rei admirabilis, veniunt ad maximum Dei templum, et virum illum in suggesto statuunt, facientes sicut Zachaeus. Nam illi quoque persuasit fides, ut ascenderet sycomorum; et his rursus, ut in alto statuerent eum, qui curatus fuerat, persuasit similis fervor spiritus. Quis, quae tunc propter magnum Danielem fiebant, narraverit?

§ 45. Confluit ad eum universa fere civitas, aegrotantes quidem, desiderio sanationis, prope habentes exemplar, leprosum qui fuerat curatus: sani autem, ut viderent eos, qui curabantur, et spectaculo miraculorum minime privarentur. Quae vero eorum, qui accedebant, fidem sequebantur miracula sunt majora quam ut verbis exprimi possint et auribus percipi. Cum autem sic splendide comitatus magnus ille Daniel ad locum in quo erat Imperator, fuit prope palatia Septimi, vir quidam Gotthus genere, desuper prospiciens per fenestram, cum Sanctum vidisset sic deduci et portari, ejus irridet mollitiem, et ironice eloquitur: « Ecce, inquit, novus consul. » Haec dixit, et statim accepit fructum suarum nugarum; illinc enim deturbatus, humi jacebat mortuus. Vident quod factum fuerat satellites: et dolore simul et ira repleti, et alioqui timore correpti, ne vel alius ex suis, vel ipse Imperator simile quid adversus magnum illum locutus, in eadem incideret, non sinebant Sanctum ingredi regiam. Cum vero iis qui cum eo erant, conantibus ingredi, alioqui magna erat perturbatio, tunc cum Evangelice pedum suorum excutere pulverem, eos qui cum ipso erant hortatus esset Sanctus, et ipse hoc fecisset, reversus est: sed neque tunc vacuus. Multi enim milites qui cum eum parum solum vidissent, mores et habitum stupuissent Evangelicum, eum statim sunt consecuti. Et sic quidem vadit Byzantium homo Dei.

§ 46. Imperator autem viri reveritus virtutem, et veritus ne quid ei grave accideret propter illius contemptionem, mittit ad eum quamprimum, et rogat ut revertatur. Ille vero non modo flexus, sed etiam magis irritatus, cum dixisset quod qui coelestem Regem conatur exacerbare, ipse multo magis malorum thesaurum sibi recondit, et deinde adjecisse etiam fore ut hic brevi excidat ab imperio, et eas quae illic sunt minas non effugiat: haec cum dixisset, et si quis in tunica remanserat pulvis, eum excussisset, processit fidenti animo. Cum haec nunciarentur Imperatori, simul etiam sua sponte cecidit turris palatii, perinde ac si per res inanimas arrogantem et insolentem hominem Deus vellet erudire. Quaenam autem ab accedente Sancto facta sunt miracula (quomodo enim ex urbe cum eis est egressus, ita etiam ingredientem ipsa rursus sequebantur, quodammodo ipsa, ut ita dicam, Dei virtute famulum deducente), cum ex his pauca, eaque propter satietatem, veluti cursim adduxero, transibo ad ea quae supersunt.

§ 47. Duo quidem ab ipso adolescentes primum sanantur, qui vexabantur a daemonibus. Deinde mulier quaedam alia fide Chananaea, quae habebat filiam, et veluti aestuantis animi testes lacrymas profundebat ex oculis, et per eas quaerebat curationem, sanam quidem accipit filiam: laetitiam autem referens pro moerore, domum rediit. Deinde cum Sanctus per mediam procederet civitatem, patricius quidam ex senatu, qui ipse quoque Zachaeum est imitatus, cum eum ferventi fide domo sua accepisset, Zachaeo quoque similem consecutus fuit benedictionem. Postquam autem fuit in ipso maximo Dei templo, et simul versatus fuit cum Patriarcha, qui ipsum cum magna simul laetitia accepit et honore, hîc quoque aliis quidem nova, sibi vero solita facit miracula. Serpens qui alicunde prorepserat, et se magni Danielis pedibus per spiras involverat, erat terribile spectaculum: et cum ad eum descendendum, qui aderant, accurrissent, illos quidem insimulat timiditatis: ipse autem serpenti audacter ac fidenter minatus, cum ei tamquam ministro magna imperasset auctoritate, « Vade, inquit et tuas latebras repete et specus subterraneos.» Ille vero perinde ut qui non posset contradicere, statim repit ad parietem, et in conspectu omnium disrumpitur.

§ 48. Haec cum de magno Daniele didicisset mulier Rais, fide quidem ferventissima et maxime pia, gloria autem valde insignis prompto et alacri animo ad eum accurrens, et similiter atque illa meretrix, illius pedes rigans lacrymis, precibus ab eo contendit ut sibi nasceretur filius. Cum autem humi dejecta, vidisset ejus pedis soleam, exercitatione a tendine discissam, stupet tolerantiam, et emittit voces Chananeae similes: dans enim funiculum, rogat ut cum circa illius pedem involuerit, ei rursus reddat; haec est inquiens, summa meae petitionis. Ille vero primum quidem non

sustinebat. Deinde motus etiam illius lacrymis, et praeterea Episcopi et caeterorum verbis flexus, non solum cum funem circumvolvisset, ei reddidit: sed etiam significavit fore ut ipsa pareret filium, et praedixit etiam nomen filii, Zenonem, dicens, o mulier, vocabis filium. Et sic quidem Sanctus: ego autem nihil dicam amplius. Clarum est enim ita evenisse; nihil enim excidebat ex iis, quae ab illo praedicebantur. Propterea Sanctum quoque timens Imperator, et ei omnino repugnare declinans, eum aggreditur arte et blanditiis; et cum ipse saepe eum, et per multos, ut ad ipsum veniret precatus, non persuadebat, ipse ad eum venit, et ritu supplicis adorat, et illius pedes prehensat, rogans ut sibi detur venia. Ille autem (quis enim ad ea videnda erat ipso perspicacior) illum quidem multis tunc probris insequitur. Deinde etiam aperit id quod multos latebat: « Humilitas illa, dicens, et contritio est artificiosa simulatio, densa pelle tegens importunitatem ejus et immanitatem: sed cito videbitis, qui omnia perspicit Dei, oculum, et validam manum, quae etiam potentes dejicit. » Atque cum sic quidem Sanctus tam multa fecisset miracula, Deique vertisset et profligasset hostem, et res Ecclesiae bene constituisset, quin etiam futura praedixisset, revertitur ad columnam, et certamina ac labores magno et forti animo suscipit.

§ 49. Non multum interfluxit temporis, et Basiliscus quidem, ut a magno praedictum fuerat Daniele, a regia expellitur, et Zeno rursus sceptra tenet *: et finem acceperunt ejus praedictiones: et ad magnum Danielem venit Zeno cum uxore, videns quidem convenientes exitus praedictionum: eventu autem dignas redditurus gratias. Jam vero finem quaerente oratione, et cum magni Danielis vita volente simul requiescere, in illius miraculis adhuc parumper jucunde immorabimur. Vir quidam artificio aurifex, habebat puerum, qui septimum quidem jam annum attingebat, nondum autem poterat ingredi: sed serpentium ritu ventre utens, se movendo reptabat. Sumpserunt eum parentes, et posuerunt ante columnam: ipsi autem infra miserabiliter et flebiliter ejulantes, ipsos quoque qui videbant, provocabant ad lacrymas. Sanctus vero ex alto despiciens, cum partim quidem increpando, partim autem admonendo eorum luctum sedasset, jubet ut perseverent in sacra aede Simeonis, et venerandis utantur reliquiis, et ea unquam aliquod solvens medicamentum, morbo vinctis imponant pedibus. Dixit, et facta sunt: et septimo die cum de more precatio fieret a beato (o admirabilium operum opifex Domine !), vident statim puerum salientem, et gradus ascendentem, et columnam amplectentem.....

§ 50. Verumenimvero sufficient haec ad ostendendum quanta ille fiducia esset dives apud Deum, et quanta ei cum illo intercederet conjunctio. Hoc autem solum dicam, et ea quae dicta sunt,

* Anno 477. Basiliscus autem in Cappadocia relegatus, fame periit.

veluti obsignabo, quod cum multis et maximis miraculis, tanta erat ei lenitas et moderatio: et non solum moderatio, sed, ut cum divino David dicam, contritio et summa humilitas, ut non magis eum quis admiretur propter operationem miraculorum, quam quod cum talia operaretur, nihil existimaret se plus habere aliis. Quinetiam cum virtute tantum praestaret, in judicio de aliis ferendo erat admodum cautus et parcus. Quam vero esset in omni re a fastu et superbia alienus, quis dixerit? Eorum autem quae supra nos sunt, adeo timebat et cavebat docere aliquid, ut cum quidam, qui de Theologia lubenter sciscitabantur, quaedam etiam absurda proponerent, quae audebant facere sacerdotes, et ei exhiberent molestiam: « Si a vobis quidem, inquit, de Deo disceptant, vobis sufficit chorus Apostolorum, et quae de Deo disserunt patrum voces: neque opus est curiose ulterius inquirere. Quod si de rebus humanis et sacerdotibus vobis est controversia, sunt haec omnia Dei judicio relinquenda, et iis, qui ab illo talem acceperunt administrationem: nobis vero satis esse debet, si ab aliis pascamur, et ea consideremus et inquiramus quae ad nos pertinent; non autem has supervacaneas et noxias persequamur quaestiones. » Et haec quidem sic habent.

§ 51. Oratio autem, cum jam veniat Sanctus ad finem, desitura est ipsa quoque in silentium. Verumenimvero cum hic quoque pauca quaedam ante finem dixerimus, sic sistemus orationem. Cognovit quidem vir ille propheticus cum reliquis omnibus, suam quoque ad Dominum migrationem; idque aperte suis praedixit discipulis. Cum autem praestitutus dies jam appropinquaret, benedictionem eis relinquit in scriptis; sicut quidam alii facultates; eique deserviit scriba, et tale fuit ejus testamentum: « Ego, inquit, o filii et fratres (ambo enim vos estis, tum quod vos genui spiritaliter: tum vero, quod Deus est communis pater omnium), ad hunc communem patrem jam vado; sed non orbos relinquam mihi dilectos, deflentes patris solitudinem: sed illi patri, vestri relinquo curam, qui cum vobis omnibus me creavit. Ipse ergo, qui omnia fabricatus est ratione et sapientia, et deinde coelos quoque inclinavit, et descendit in terram, et mortuus est, et resurrexit pro nobis, ipse erit vobiscum. Ut sapiens quidem, vos servans a maligno; ut Dominus autem, ad suam conservans voluntatem; ut pater vero, si forte aberretis, benigne revocans, et spiritaliter ulnas vobis extendens. Ut autem qui se pro nobis ad mortem tradiderit, vos etiam inter vos invicem conjunget concordia, et efficiet, ut sitis unum patri. Sectemini humilitatem, servite obedientiae, amate hospitalitatem, jejunium, vigiliam, paupertatem, et quod est primum et maximum praeceptum, charitatem. Quae ad pietatem pertinent, recte tenete. Haereticorum zizania cavete: a matre vestra Ecclesia minime separemini. Si haec omnia feceritis, eritis virtute perfecti. »

§ 52. Haec piis labris dictavit, et jussit legi ab omnibus monachis, stantibus ad scalarum gradus, et deflentibus illius separationem. Dicitur autem hoc visum esse circa eum: nempe tribus diebus ante mortem, jam media nocte concurrisse et ad eum convenisse sanctos, qui fuerunt a seculo, Prophetas, Apostolos, martyres, et omnes denique sanctos, qui et magnum benigne salutarunt, et jusserunt eum divinum celebrare mysterium. Quod quidem celebravit, et intemerata ipsa sumpsit sacramenta, et iis quibus par erat impertiit. Atque jam quidem magnus extremum agebat spiritum, et ipse Antistes Episcoporum (is erat Euphemius) jam enim mortuus erat Acacius, cum aliis veniebat ad emigrationem. Aderat autem Rais quoque fidelissima; et vir quidam, qui possidebatur a daemone, pergebat ad columnam, qui et sanctorum ad sanctum adventum clamando aperte significabat, et eos suis appellabat nominibus: et ipsorum, ut qui convenissent, meminerat Angelorum. Deinde etiam adjiciebat, fore ut tertia hora hujus diei ipse Daniel excedat ad Dominum, et a diuturna habitatione immundus expellatur spiritus. Quae utraque suo tempore evenerunt. Quae prius dicta est autem Rais, magnifice parabat ea quae pertinebant ad sepulturam: et cum multos adduxisset artifices, et jussisset fieri tumulum in inferiori parte basis columnae, et usque ad fastigium, statuit ex utraque parte tumuli homines, qui faces ferrent, et lampades tenerent manibus, et ea canerent quae cani solent in decessu. Cumque illa corpus infra detulisset, in plumbeo id ponit loculo: in hoc quoque servans magni Danielis testamentum. Ille enim mandavit discipulis, seu Imperatores, seu reges, aut ulli alii, se invicem superare contendant in loculi sumptu et magnificentia, nolite suscipere: sed illic et sic corpus deponi sinite, ubi et quomodo voluerit Rais fidelissima. Haec ergo peracta sunt, et expulsus est immundus daemon, cum multum hominem discerpsisset. Talis fuit vita magni Danielis ab ortu usque ad decessum: talia ejus sunt benefacta. Qui cum obiisset omnem exercitationem, et omne genus certaminis, et tam multis clarus fuisset operibus, effectus plenus dierum, tam humanorum quam spiritus, in senectute bona excedit e vita, cum ad octogesimum annum pervenisset et menses tres.

§ 53. Ajunt autem eum quoque capillis capitis processu temporis adeo evasisse comatum, ut quadruplici quidem coma discriminarentur: longitudo autem eorum, ad quatuor cubitos produceretur. Barba quoque erat ei densa, quae ipsa quoque bifariam discriminabatur. Atque ille quidem cum sic vixisset, requievit; nobis autem pulcrum exemplar suam reliquit vitam, non solum ut laudemus, aut etiam ut admiremur: sed ut pro viribus quoque imitemur. Laus enim ad eum fertur solum, imitatio autem facit, ut simus etiam participes bonorum quae ei debentur: gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: cui

gloria et potentia cum Patre ejus qui caret principio, et sanctissimo et bono et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

# VITA ET CERTAMINA S. SPIRIDONIS

## ARCHIEP. TRIMYTHUNTIS *

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

**Sec. IV claruit — Cyprius.**

§ 1. Ad utilitatem animae res est maxima, vita generosorum et piorum virorum, et quae potest parare magnas opes virtutis. Non solum enim resecat id quod est deterius, sed etiam magnam efficit mutationem ad id quod est melius. Sive enim fuerit aliquis vitiis praeoccupatus, talibus fruens narrationibus, facilius ab eis se continet. Sive sit aliquis virtutis studiosus, auditâ historiâ, exusrgit alacrior, et amore ejus, quod est simile, incitatur ad imitationem. Imitatio autem et aemulatio magnorum et admirabilium virorum quantum possit, et alii quidem ostenderunt, eorum qui praecesserunt praeclarum virtutis studium imitati: maxime vero omnium, vita admirabilis Spiridonis, qui Jacob simul et divinum David summe est aemulatus; et sicut illi, amplexus est lenitatem ac mansuetudinem, et a simulatione alienam simplicitatem. similiter vero ad Abrahami adspexit hospitalitatem, et suas facultates effecit communes indigentibus. Hincque factum est, ut non terrae propter mansuetudinem, ut habet promissio, sed ipsorum coelorum assequeretur haereditatem; et propter divitias quas despexit, Christi plane divinas compararit divitias; miraculorum autem dilatatus sit fluviis, qui semper quidem hauriuntur, nunquam vero desinunt.

§ 2. Eum tulit quidem insula Cyprus **. Erat autem non garrulus aliquis, neque urbanus et elegans moribus; neque qui multitudine et foro delectabatur, sed simplex et quietus, et a negotiis curisque remotionem colens, si ullus alius. Quocirca ad Patriarchae Jacob vitam se omnino effingens, sicut diximus, fuit ipse quoque pastor ovium: non tamen omnino pastor, aut nimia simplicitate, aut feris et agrestibus moribus, sed commodis et valde facilibus, et qui a vulgi quidem se abducebat congressione; pauperibus

* Ejusdem natale in Martyr. Rom., die 14 hujus, recolitur.

** Cyprus, insula in Mediterraneo mari, in Issico sinu, coeli clementiâ solique fertilitate vere beatissima: unde *Macaria* antea dicta fuit. Cyprus autem vocatur ab aere (*cupro*), quod illic primum inventum creditur.

autem et hospitibus tam facilis ad eum patebat aditus, et se eis tam praebebat affabilem, ut esset omnibus hominibus in sermone jucundior, et ad facultates suas communicandas longe liberalissimus. Praeteriisse certe aliquem ex iis qui accedebant, qui non fuisset ab eo hospitio acceptus, erat ei longe molestissimum, perinde ac si re aliqua maxima et quaestuosissima esset fraudatus. Et erat quidem alioqui ei liber animus, et alienus ab omni illiberali assentatione et humilitate: ad eorum autem qui iter ingrediebantur, labores recreandos, et ad pedes qui erant fatigati, abluendos, et ad mensam apponendam, et alia administranda jure amicitiae et moderationis, erat adeo dexter et officiosus, ut ipse solus hoc magis praestaret, quam famuli, qui sunt in suos dominos maxima praediti benevolentia. Erat enim ei contemperata cum gravitate quidem simplicitas; cum animi vero magnitudine, lenitas; cum intensa autem et ardenti charitate, grata florebat temperantia: quam non minus dilexit, et ardenter est amplexus, quam reliqua omnia, ut qui cum legitima quidem et pudica uxore non diu versatus, et liberorum pater ex ea effectus, deinceps voluptate et omni alia mundana cupiditate permansit superior. Hinc mel virtutis conficiens diligentius, et in lege Domini studiose meditans, benignissimus evasit et clementissimus. Et ut semel dicam, erat Spiridon divinum virtutum exemplar archetypum: habens quidem omnes in se scriptas, sed ad quarum imitationem pauci poterant accedere.

§ 3. Cum sic ille resplenderet benefactis, magnamque vitam et insignem attulisset, multa quoque dona majora consequitur, tam quae sunt hic, inquam, quam quae futurorum describunt magnitudinem. Haec autem erant: morbo confecta confirmabat corpora, membrorum mutilationes sanabat incurabiles, malignos increpabat spiritus; quos cum primum increpasset, nulla mora interjecta fugiebant, et statim recedebant; alia quoque ab eo fiebant his majora, virtute divina ei opem ferente. Quamobrem ex pastore constituitur pastor, loco ovium cura gregis ei commissa, quo tempore magnus Constantinus Romanorum tenebat imperium, Trimmythuntinorum * creatus Episcopus. Quantam autem, postquam perductus fuit ad sedem, virtutis curam gesserit, ostendent, quae similiter a sedem adepto facta sunt miracula. Verum enim vero omnia illius persequi, stulti et ineruditi fuerit hominis; neque vero id quis assequi potuerit: quomodo etiam omnia praetermittere, nimis magnum damnum attulerit. Quaecumque autem et dici possunt, et auditu valde sunt utilia, ea dicam.

§ 4. Castigabat Deus insulam pluviae egestate, et gravis premebat siccitas; et siccitatem quidem consequebatur fames: famem autem pestis; et populi quidem magna pars jam interierat; altera vero id mox credebatur passura. Opus autem habebat illud

* Urbs in Cypri insula, apud Salaminam.

gloria et potentia cum Patre ejus qui caret principio, et sanctissimo et bono et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

# VITA ET CERTAMINA S. SPIRIDONIS

## ARCHIEP. TRIMMYTHUNTIS *

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

**Sec. IV claruit — Cyprius.**

§ 1. Ad utilitatem animae res est maxima, vita generosorum et piorum virorum, et quae potest parare magnas opes virtutis. Non solum enim resecat id quod est deterius, sed etiam magnam efficit mutationem ad id quod est melius. Sive enim fuerit aliquis vitiis praeoccupatus, talibus fruens narrationibus, facilius ab eis se continet. Sive sit aliquis virtutis studiosus, auditâ historiâ, exusrgit alacrior, et amore ejus, quod est simile, incitatur ad imitationem. Imitatio autem et aemulatio magnorum et admirabilium virorum quantum possit, et alii quidem ostenderunt, eorum qui praecesserunt praeclarum virtutis studium imitati: maxime vero omnium, vita admirabilis Spiridonis, qui Jacob simul et divinum David summe est aemulatus; et sicut illi, amplexus est lenitatem ac mansuetudinem, et a simulatione alienam simplicitatem. similiter vero ad Abrahami adspexit hospitalitatem, et suas facultates effecit communes indigentibus. Hincque factum est, ut non terrae propter mansuetudinem, ut habet promissio, sed ipsorum coelorum assequeretur haereditatem; et propter divitias quas despexit, Christi plane divinas compararit divitias; miraculorum autem dilatatus sit fluviis, qui semper quidem hauriuntur, nunquam vero desinunt.

§ 2. Eum tulit quidem insula Cyprus **. Erat autem non garrulus aliquis, neque urbanus et elegans moribus; neque qui multitudine et foro delectabatur, sed simplex et quietus, et a negotiis curisque remotionem colens, si ullus alius. Quocirca ad Patriarchae Jacob vitam se omnino effingens, sicut diximus, fuit ipse quoque pastor ovium: non tamen omnino pastor, aut nimia simplicitate, aut feris et agrestibus moribus, sed commodis et valde facilibus. et qui a vulgi quidem se abducebat congressione; pauperibus

* Ejusdem natale in Martyr. Rom., die 14 hujus, recolitur.
** Cyprus, insula in Mediterraneo mari, in Issico sinu, coeli clementiâ solique fertilitate vere beatissima: unde *Macaria* antea dicta fuit. Cyprus autem vocatur ab aere (*cupro*), quod illic primum inventum creditur.

autem et hospitibus tam facilis ad eum patebat aditus, et se eis tam praebebat affabilem, ut esset omnibus hominibus in sermone jucundior, et ad facultates suas communicandas longe liberalissimus. Praeteriisse certe aliquem ex iis qui accedebant, qui non fuisset ab eo hospitio acceptus, erat ei longe molestissimum, perinde ac si re aliqua maxima et quaestuosissima esset fraudatus. Et erat quidem alioqui ei liber animus, et alienus ab omni illiberali assentatione et humilitate: ad eorum autem qui iter ingrediebantur, labores recreandos, et ad pedes qui erant fatigati, abluendos, et ad mensam apponendam, et alia administranda jure amicitiae et moderationis, erat adeo dexter et officiosus, ut ipse solus hoc magis praestaret, quam famuli, qui sunt in suos dominos maxima praediti benevolentia. Erat enim ei contemperata cum gravitate quidem simplicitas; cum animi vero magnitudine, lenitas; cum intensa autem et ardenti charitate, grata florebat temperantia: quam non minus dilexit, et ardenter est amplexus, quam reliqua omnia, ut qui cum legitima quidem et pudica uxore non diu versatus, et liberorum pater ex ea effectus, deinceps voluptate et omni alia mundana cupiditate permansit superior. Hinc mel virtutis conficiens diligentius, et in lege Domini studiose meditans, benignissimus evasit et clementissimus. Et ut semel dicam, erat Spiridon divinum virtutum exemplar archetypum: habens quidem omnes in se scriptas, sed ad quarum imitationem pauci poterant accedere.

§ 3. Cum sic ille resplenderet benefactis, magnamque vitam et insignem attulisset, multa quoque dona majora consequitur, tam quae sunt hic, inquam, quam quae futurorum describunt magnitudinem. Haec autem erant: morbo confecta confirmabat corpora, membrorum mutilationes sanabat incurabiles, malignos increpabat spiritus; quos cum primum increpasset, nulla mora interjecta fugiebant, et statim recedebant; alia quoque ab eo fiebant his majora, virtute divina ei opem ferente. Quamobrem ex pastore constituitur pastor, loco ovium cura gregis ei commissa, quo tempore magnus Constantinus Romanorum tenebat imperium, Trimmythuntinorum * creatus Episcopus. Quantam autem, postquam perductus fuit ad sedem, virtutis curam gesserit, ostendent, quae similiter a sedem adepto facta sunt miracula. Verum enim vero omnia illius persequi, stulti et ineruditi fuerit hominis; neque vero id quis assequi potuerit: quomodo etiam omnia praetermittere, nimis magnum damnum attulerit. Quaecumque autem et dici possunt, et auditu valde sunt utilia, ea dicam.

§ 4. Castigabat Deus insulam pluviae egestate, et gravis premebat siccitas; et siccitatem quidem consequebatur fames: famem autem pestis; et populi quidem magna pars jam interierat; altera vero id mox credebatur passura. Opus autem habebat illud

* Urbs in Cypri insula, apud Salaminam.

malum omnino aliquo Elia, aut alio illi simili, qui coelum aperiret oratione, is vero erat Spiridon. Nam cum plaga graviter urgeret, et populum valde persequeretur, ipse pro grege magnum capiens angorem, et paternis inflammatus visceribus, rogat quidem ut clemens Deum clementem. Ille autem statim implet coelum nubibus ex extremo terrae: et quod est mirabile, ne aliquem motum elementorum existimaret consequi pluviam, Deus eas procul ostendit. Sistit autem, non prius permittens eas ascendere insulam, quam sanctus eum rursus oraret. Nondum enim ille guttam emiserat lacrymarum, et protinus multa erupit pluvia: et pinguescit quidem terra; aluntur autem fructus, et crescunt segetes, et omnia simul mala solvuntur. In hoc Spiridon fuit ipso Elia, ut aliquid dicam audacter, benignior. Nam Elias quidem cum pluviam retinuisset, deinde rursus remisit; ille vero primum non imitatus, existit ei par in secundo. Et hoc quidem est ejusmodi. Alterum autem est illo nihilo inferius.

§ 5. Affligebat rursus communis calamitas, et fructum non ferebat insula. Frumentarii autem et frumenti cauponatores, in tantis Dei minis volentes frui deliciis, et tempore callide et malitiose utentes, magis augebant calamitatem, frumenti, ut dicit Scriptura, trahentes et augentes pretium; et e propinquorum malis impium sibi lucrum parantes. Ad unum ergo horum divitum cum quidam pauper accessisset, et pecunias quidem non haberet, quibus emeret quae erant sibi ad usum necessaria; lacrymas autem, quas, proh dolor!, habebat, exsolveret, et flebiles voces miserabili habitu et obtutu emitteret, illum inflexibilem conabatur flectere, pedes prensans, totam domum complens ejulatu: quid non faciens, quid non dicens, quod posset attrahere ad misericordiam? Postquam autem nihil horum omnino lapideam illam animam movit ad miserationem, unum refugium invenit pauper, nempe sanctum. Ad quem cum accessisset, et suam inopiam, et summam divitis refert egestatem misericordiae. Cum is autem hoc audiisset, misertus quidem est calamitatis; divitis vero odio habuit immanitatem, et veluti a Deo afflatus, praedixit imprimis prophetice: « Tu autem nec gemas, nec lacrymeris. Tua enim domus cras abundabit bonis: qui autem nunc est dives, simul erit et miserabilis, et irridebitur, et invitus tibi cedet iis, quibus eges: promptoque et alacri animo rogabit, ut accipias. » Haec pauper putabat Sanctum quidem solum dicere ad consolandam, qua premebatur, calamitatem. Unde etiam abibat tristis, ut qui sacram anchoram, nempè eam, quam in magno Spiridone spem habebat, invenisset inanem et irritam.

§ 6. Cum nox autem jam adventasset, Deus quidem annuit: repente vero coelum aquam effundit in terram, tanta copia et tanto impetu, ut divitis una attraherentur horrea; frumentum autem et omnis alius fructus sparsim ejiceretur, et jacèret paratus

ad rapiendum volentibus. Orto autem die, dives quidem miser, et luctu plenus, et huc et illuc circumcursans, et justam deflens calamitatem, rogabat eos, qui accedebant, ut sibi opem ferrent ad fructus colligendos. Cum multi vero, utpote esurientes, ad rapiendum concurrissent, accedit etiam ille pauper, miraculo quidem obstupefactus: divitem autem irridens suavissime et meritissime, et domum replens fructubus, et omnia nullo negotio habens, ut dicitur, nec seminata, nec arata. Deinde cum confluentem videret multitudinem saevus ille et immisericors (oportebat enim nihil manere imperfectum eorum, quae praedicta fuerant a Spiridone), et res omnes illius secure ambabus haurire manibus, et eum quoque, qui heri fuerat supplex, una cum reliquo populo abunde, sicut diximus, frui iis, quae jacebant, perinde ac ei sua sponte dare volens, liberalisque esse et munificus, qui sordidissimus erat et parcissimus, jubebat eum ad satietatem accipere ex iis, quae aderant. Ille autem satis irrisa ejus ignorantia, domum est reversus, Deo praecipue, deinde etiam Spiridoni id accepto ferens. Sic sciebat Spiridon, non solum propter multos, sed etiam propter unum, supernos saepe aperire fontes; et simul quidem praedicere tempus, quo hoc esset futurum, simul autem pauperibus quoque prodesse, et castigare divites. Nam etsi parcus ille nihilo melior evasit; multis tamen similibus fuit occasio, ut emendarentur. Haec quis ex praesentibus non lubenter audiit? Quis autem cum audivisset, non fuit alia quoque audiendi avidior, et cupiit scire? quisnam erat adeo ignavus aut invidus, ut sitientem animam tali privaret alimento?...

§ 7. Oratio autem adhuc amplius iis, quae dicta sunt, parata est ostendere, quod spectat ad prophetiam simul et commiserationem: quod, inquam, peccata hominum videret ex occulto, et ea remitteret, animi benignitate et gratiae abundantia. Ubique suos mores servabat magnus ille Spiridon; delectabatur maxime tenuitate et frugalitate, ut qui vellet suum imitari Dominum. Neque enim equo utebatur iter ingrediendo, neque se removebat ab omnium sermone et congressione, tamquam qui ex eo videri vellet gravior et severior. Cum ergo aliquando vehementer ambulasset, et defatigati essent pedes itineris longitudine: et a quodam suorum amicorum, et bona sui gregis pecude hospitio esset exceptus, ipse tamquam ovis boni pastoris, et qui ad illius vitam tamquam pulcherrimum exemplar intueretur, magistri, vel potius Domini et primi magistri Christi, ostendit moderationem. Nam cum accepisset aquam, et eam in lavacrum immisisset, paratus erat sancto lavare pedes. Qui autem erant in vicinia, cum sensissent sanctum accessisse, ipsi quoque concurrerunt, et volebant nihilosecius hoc ipsum facere illius pedibus: eamque rem ducebant hujusmodi, ut de ea re esset inter eos decertandum, et inter se contendebant de benedictione.

§ 8. Inter eos autem erat etiam quaedam mulier, quae complures in hoc certamine superabat, urgebatque, et hoc maxime volebat facere. Ea vero fuerat haud ita pridem capta carnali amore, et victa, proh dolor! a peccato. Ipse autem revera in cor intuens, et ut qui sciret, quemadmodum res ejus se haberet, sensim quidem avertit mansuetam illam et suavem suam faciem; sensim vero ei quoque dicit: « Ne me tangas, mulier; » non, ut dixerit quispiam, sibi placens et se magnifice circumspiciens, aut mulierem abominans (quomodo enim, qui erat illius discipulus, qui vescebatur cum publicanis, meretricibus, et peccatoribus?), sed eam pudore afficiens, et turpem ei actionem revocans in memoriam, et sic eam placide vocans ad poenitentiam: quod quidem est ab eo perfectum, et scopum est assecutus. Quo enim illa magis contendebat facere quod studebat, magisque urgebat et instabat, ille eo acrius eam tetigit, aperte dicens id, quod illa fecerat. Tunc ipsa sapienti quidem reprehensione animo sauciata, obstupefacta autem, quod qui sub oculos non cadebant, animae livores adspexisset, non amplius quidem aquis, lacrymis autem pedes emundat, et contrito corde enunciat id quod factum fuerat. Quid ergo? Illa quidem ei ea, quae meretrix; ipse autem ea, quae Dominus, ei dicit liberrime: « Confide, filia: dimissa sunt tibi peccata tua. » Et rursus: « Ecce sana facta es: noli amplius peccare; » simul et morbum curans, sicut sapientes medici, et providens ne rursus in eadem incidat. Atque sic illa quidem curationem assequitur pulcherrime et utilissime, ut non solum ei esset sanitas immutabilis; sed etiam aliis narrans, multis esset occasio consequendae salutis.

§ 9. Quoniam autem ex miraculis quidem sumitur de vita conjectura, oportet vero declarare, qualis esset ei zelus circa fidem, hoc indicabit id, quod est propositum. Quando Romanis imperabat magnus ille Constantinus, et primus inter Imperatores Christianus, consul autem erat Paulinus et Julianus, a regno vero Alexandri Philippi filii agebatur sexcentesimus tricesimus et sextus annus *, tunc Niceae congregata fuit insignis illa patrum synodus, ut Arium quidem deponerent, qui rem creatam impie nominabat filium; decerneret vero Filium esse ejusdem essentiae cum Patre. Erant autem ex iis quidem, qui ejus suffragabantur blasphemiae, primi et maxime insignes, Eusebius Nicomediae, et cum illo Maris et Theognis: quorum hic quidem Niceae, Maris autem erat Episcopus Chalcedonensis. Isti, Ario duce illius insaniae, Dei filium et Deum, creatum esse (o insaniam!) improbi et scelerati homines decernebant. Eorum autem, qui pro pietate decertabant principes, quorum et doctrina simul et vita erat praestantissima, erant hi: magnus inter sanctos Alexander, qui erat presbyter, tunc vero vicem gerebat beati illius Metrophanis, ut

* Anno scilicet Christi 325.

qui ipse non adesset: quod abesset autem, causa erat morbus; et clarissimus ille Athanasius, qui nondum sacerdotali sede erat decoratus: sed in Ecclesia Alexandrina munus obibat Diaconi. Quocirca non parva in eos irrepsit invidia, quod cum nondum dignitate praestarent, in ratione fidei alios superarent. Erat autem cum eis quoque magnus ille Spiridon: cujus vita et quae cum eo habitabat gratia, erat utilior ad persuadendum, quam linguae aliorum, et inevitabiles ansae syllogismorum, splendidaeque et elegantes periodi orationum.

§ 10. Cum autem hic adesset (hic enim jam res est jucundissima), interessent autem synodo etiam Philosophi, cum ita videretur Imperatori, qui ab ambulando se jactabant *, et in animos inducente sophistica arte erant summe eruditi. Quidam vero unus inter eos primas partes tenebat in agendo, qui habebat persuadendi vim inexpugnabilem, et cujus eloquentia linguis celebrabatur omnium. Is congressus cum Episcopis, fortiter defendebat Arium, et valde resistebat, suscipiens ejus patrocinium, adeo ut magnam partem populi attraheret ad audiendum, aventem scire, utri ex contradicentibus futuri essent superiores. Nihil enim erat adeo solutu difficile, quod non ille redderet facile solubile sua dicendi copia et facultate. Cum autem saepe in arctum cogeretur responsio, instar anguillae elabebatur, furtis persuasionis et escis sophisticis. Erat ergo veritatis et artis contentio: illis quidem, qui veram tuebantur rationem, sententiis non artificiose et callide excogitatis, sophistam ferientibus: hoc autem, tamquam arma, objiciente varietatem orationis, fallacemque et subdolam ratiocinationem, et ea se magis arbitrante posse vincere.

§ 11. Sed ne dicendi facultatis esset victoria, verum Christi et veritatis, aliis viris doctis praetermissis, ea fuit Spiridonis viri simplicis: qui cum nihil aliud sciret, nisi Christum, eumque crucifixum, sicut ait Paulus, cum vidisset Philosophum se jactantem sophismatibus, et linguam maledicam moventem contra Christum, et nostra conantem subsannare, accedens petiit, ut sibi liceret parumper cum eo colloqui. Qui autem erant earumdem partium, cum scirent quam esset ei simplex et prisca pietas, et praeterea quod Graecorum doctrinam ne summis quidem labris gustasset, prohibebant ne veniret in medium, et congrederetur cum sophista. Is vero ab eis minime persuasus (sciebat enim quid superna quidem esset sapientia, quid autem humanae vires, et quae inanes redduntur et abolentur), ad virum accessit, et dixit: « In nomine Jesu Christi, o Philosophe, mihi jam quoque animum adhibe, et audi ipse quae volo dicere. » Cum is autem dixisset: « Tu quidem dic, ego vero audiam. » — « Unus est Deus, inquit Spiridon, coeli et terrae et aliorum omnium quae intercedunt, opifex. Is

* Quapropter *peripatetici*, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, quod est *ambulare*, nuncupati fuere.

est, qui coelestes produxit virtutes. Is est, qui e terra formavit hominem, et omnia constituit tam quae sub adspectum cadunt, quam quae non cadunt. Hujus verbo et spiritu productum quidem est coelum; producta est autem terra, diffusum est mare, extensus est aër, generata sunt animalia, homo formatus est, magnum hoc animal et opus admirabile; omnia facta sunt, astra, luminaria, dies, nox, reliqua omnia. Hoc ergo verbum Dei nos scientes esse Filium et Deum, ex Virgine propter nos credimus esse natum, et crucifixum, et fuisse postremo sepultum, deinde etiam resurrexisse. Deinde cum resurrexerit, et nos simul fecerit resurgere, et ab interitu alienam et aeternam nobis vitam praebuerit, eum dicimus etiam rursus venturum judicem omnium: nostrorumque factorum, sermonum, et cogitationum incorruptum, et qui falli minime potest, judicem: eum esse ejusdem cum Patre essentiae, et simul considère, et esse ei honore aequalem. Non haec quoque ita tibi esse videntur, o Philosophe? »

§ 12. Ille quidem interrogavit. Philosophus vero, ut qui non eamdem, quam prius, haberet animam, nec eamdem mentem et linguam, quae tam facile opponeret et contenderet, auribus quidem fuit attonitus, animo vero obstupefactus; ei autem vox est extincta, et cum aliquandiu conticuisset, nihil aliud habuit quod responderet, nisi: « Haec quoque ita mihi se habere videntur. » Sanctus autem: « Age, ergo, inquit, quoniam haec tu mecum confiteris, nec factis velis discrepare: sed cum scias, quis sit Deus, et quis hoc fecerit universum, surge et accede ad ecclesiam, et accipe signum rectae fidei. » Haec postquam audivit Philosophus, statim quidem mutatus fuit ad accuratam ac perfectam religionem. Conversus autem ad discipulos et alios auditores eorum, quae dicebantur: « Quamdiu, quidem, inquit, o viri, certatum est verbis, ego quoque arte restiti. Quando vero non amplius quidem verba, sed divina virtus fuit opposita, et in verborum simplicitate arcanam quamdam et ineffabilem ostendit virtutem, tunc me non pudet esse victum. Quinetiam et mihi ipsi, et aliis libenter consuluerim, si non sit aliquis nimis sinister et perversus, aut qui se in veritatem velit improbe gerere, ut credat Christo, et hunc senem sequatur: cui lingua quidem omnino est hominis, verba autem sunt Dei. » Quantum putatis hoc Arianis quidem dedecus piis autem honorem attulisse et voluptatem? Illi autem fuere superati, cum omnes fere quidem rectae assensi essent sententiae: sex vero soli relicti essent Ario, futuri mala pars et improba patris mendacii, et ab initio implacabilis inimici veritatis. Tam aperte confutatis iis, quorum mala erat opinio, reversi sunt Episcopi, victoriâ quidem laeti, miraculo autem obstupefacti, et propter haec ambo Deum laudantes: nempe quod et adspexissent admirabilia, et quae erant praeter opinionem: et quod vicissent Arii insaniam. Porro autem ipse quoque Imperator miraculo

omnino obstupefactus, Spiridonem omni honore prosequitur; et cum postulasset, ut per ipsum, Deum haberet propitium, eum domum dimittit.

§ 13. Interim vero dum haec agitarentur, moritur quidem sancto filia, quae nata ei fuerat ex honorabili conjugio, et florenti aetate longe speciosiorem ostendens temperantiam, permansit virgo toto tempore, res quae puro sponso digna est thalamis coelestibus. Reversus autem magnus Spiridon, cum eam ita tulisset calamitatem, ut par est virum talem; ad eum vero, qui paulo ante advenerat, accessisset quaedam mulier, tristis admodum et deflens mirabiliter, quod apud filiam ejus adhuc superstitem ornamentum quoddam aureum deposuisset, cumque illa celeri morte praerepta esset, quod ejus fidei creditum fuerat, apud eam mansisset, fuit hoc sancto curae (quidni enim, cum esset animo tam benigno?) et nisi restitueretur depositum, violatum jus esse judicabat, et ei putabat fieri injuriam. Cum ergo totam suam domum diligenter scrutatus, nusquam id, quod quaerebatur, poterat invenire, quidnam fit, et quemnam affert exitum multiplex Dei sapientia? Accedit ad loculum, sicut meus Christus prius ad Lazarum, ut qui omnino esset ejus discipulus, et, quoad ejus fieri posset, res illius imitaretur. Multi autem eum sequebantur ex iis, qui cum illo versabantur. Deinde perinde acsi non in sepulcro, sed in thalamo adhuc esset viva, conveniens filiam, ea suo nomine vocata, omnibus qui cum eo aderant audientibus; « Filia Irene, inquit, ubi est ornamentum, quod apud te fuit depositum? » Illa tamquam ex molli aliquo somno expergefacta, simul sanum servans et spiritum et vocem: « Domine mi, inquit, in hac parte domus fuit a me repositum aureum illud ornamentum. » Invasit post haec stupor eos qui aderant. Deinde miraculum etiam sequitur aliud miraculum. Nam perinde acsi ille esset vitae et mortis dominus, et hoc dono a Christo quem desiderabat honoratus, qui ad breve tempus propter usum eam vivificaverat, jubet rursus mori: « Dormi decaetero, inquit, filia, donec communis Dominus te cum omnibus communiter excitaverit. » Ipse autem cum accessisset ad illam filiae domunculam, et, ut dixerat filia, ornamentum invenisset et sustulisset, id tradit mulieri, sic et augens miraculum, et ejus majorem fidem faciens. Et haec quidem in insula.

§ 14. Ut autem Antiochia quoque posset videre Spiridonis virtutem et gratiam, et de ea ferre testimonium, hoc quoque fit valde mirabiliter, et contra opinionem. Quomodo vero, jam ostendet oratio. Nuper quidem magnus Constantinus, relicto imperio, e vivis * excesserat: id autem filii diviserant. Et Constantius quidem, cui sorte obtigerat, ut teneret imperium Orientis, in magna urbe Coelesyriae, nempe Antiochia, versabatur. Eum

* Anno 337.

autem gravis morbus invadit *, qui medicorum manus et artem reprobabat. Hac de causa, aliorum omnium spe abjecta, eum precabatur solum, qui potest curare animas et corpora. Cum vero precatione uteretur intensius, noctu in visione ei apparet angelus, ostendens ei chorum sanctorum multorum Episcoporum. In quos cum Imperator defixisset oculos, in medio quidem eorum videt quosdam duos stantes, qui erant ipsi quoque Episcopis similes: videbantur autem esse duces et praesides aliorum. Cum eos ipsi ostendisset angelus, solos eos esse dicebat ejus morbi curatores. Cum eum vero dimisisset somnus, considerabat quidem, quinam ii essent: non poterat autem somnium conjicere. Quomodo enim, cum eorum nec nomen, nec patria ei esset nota? Maxime cum alter eorum, qui apparuerat ut Episcopus, nondum re vera erat factus: sed quod futurum erat, tamquam quod jam factum fuerat, apparuerat. Cum propter haec ergo esset animi dubius Imperator, et simul quidem visione moveretur, cruciaretur autem doloribus, nesciebat quidnam ageret. Fervor vero fidei illum optime admonebat, non adeo temere illam apparuisse visionem. Unde etiam ei persuadet, ut praeclarum et Imperatore dignum, et in praesentia quidem sapientia minime vacuum, caperet consilium. Quotquot enim Episcopi per universum Romanorum Imperium vitae ex virtute agendae curam gerebant, jussit convenire, ut cum simul convenissent, duo quoque, qui ei apparuerant, ei noti evaderent.

§ 15. Missae sunt ergo litterae per universam regionem, quae parebat Romanis, et vocabant Episcopos: et quoniam cum alii accessissent, ii qui quaerebantur, nequaquam agnoscerentur, mittit etiam in Cyprum insulam, accersens Spiridonem, et illius gratiam. Ille autem omnia quidem spiritu praeviderat de Imperatore. In somnis enim ei singula significabat gratia. Cum vero Imperatoris quoque verba ei consentirent, non invitus ad eum proficiscitur, illum quoque virum secum ducens, qui in ea, quae prius apparuerat, visione cum illo adstiterat Imperatori. Ei nomen erat Triphyllius, qui nondum quidem erat adeptus sacerdotium, a superis autem, antequam eligeretur ab hominibus, fuerat designatus. Cum eo ergo simul ingreditur Spiridon in regiam, tenuiter admodum ornatus et simpliciter. Nam vestis quidem erat admodum vilis; in manu autem habebat virgam ex palma, et tiaram gestabat in capite. Praeterea vero vasculum quoque quoddam fictile ei pendebat ex collo, ut qui, sicut mos erat, iis qui sanctam habitabant civitatem, statuisset ferre oleum sanctae Crucis.

§ 16. Quoniam autem non satis erat tenuitate, et a rebus superfluis aliena simplicitate, sed etiam in ferendis injuriis moderatione suum imitari Dominum: quidam in regia, ejus irridens tenuitatem, et indecorum esse arbitrans, eum ingredi in regiam

* Anno 338.

qui ita esset vestitus, illi sacrae maxillae incussit colaphum. Fulmen autem non fuit e coelo missum in eum qui percusserat: sed id omnino passus est, qui ipse quoque in seipso divine id erat passus. Ille vero (o generosum animum, et ad patiendum ambitiosissimum!) ei qui ipsum afficiebat injuriâ, praebuit et alteram, promptus ad Dominicam legem implendam, et se promptum exhibendo ad patiendum, vincens illam nimiam celeritatem manus et impudentiam. Hoc illum insolentem et injuriosum cepit hominem, et magno pudore affecit, et maxime, quod acceperat eum esse Episcopum, qui affectus fuerat injuriâ. Unde etiam mutatus, fit ei supplex, et petit veniam, inconsideratae lapsum audaciae curare contendens calore poenitentiae. Ille autem (didicerat enim, sicut ferre injurias, ita debita remittere: immo vero eum, qui ipsi molestiam attulerat, remunerari bonis) verbis quibus potuit, eum affecit beneficio, paterne consulens, et meliorem ejus reddens animam. Quo factum est, ut qui apud Imperatorem primos honores obtinebant, eum reverenter prosequerentur, et, ut par erat, ducerent ad Imperatorem.

§ 17. Non sunt autem praetermittenda, quae interim evenerunt, quae sunt studio digna, et quae possunt magnam afferre utilitatem animis studiosis sapientiae. Videns ille magnus suum discipulum Triphyllium perfectum mox futurum, et ei similem: in praesentia vero ea, quae in mundo sunt magna, et pro quibus multi esse contendendum existimant, magna esse existimantem, ut qui esset adhuc aetate juvenis, et haberet aetatem ad hoc opitulantem, et ea quidem admirantem, quae erant in regia: vestes, inquam, splendidas, et auri nitorem; et ante omnia quidem ipsum Imperatorem, qui in excelso quidem praesidebat, conspiciebatur vero terribilis, et specie insignis; cum propter haec omnia videret eum stare sublimem et erectum, et quasi a se discessisse, ei veluti somnum solvens, et quae vere habebat somnia, manu palpans et depellens: « Sed mihi, inquit, Triphylli, illum ipsum ostende Imperatorem: neque enim possum scire, quisnam sit. » Is autem non intelligens, quid magnus sibi vellet Spiridon; « Hic est, inquit, manu ostendens Imperatorem. » — « Quid est ergo, inquit Spiridon, hic aliis admirabilior, nisi eum etiam dixeris justiorem ob fastum et splendorem? Non aeque ac quivis pauper ignotus morietur; similiter vero sepulturae mandabitur et interibit; similiter quoque sistetur ante incorruptum judicem? Cur quae fluunt, tamquam quae sunt stabilia, honoras: et quae nihil sunt, habes in admiratione, cum liceat potius ea, quae sunt materiae expertia et aeterna, quaerere, et gloriam amare coelestem, in quam non cadit interitus? »

§ 18. Cum haec autem diceret Triphyllio, Imperator ex excelso tribunali in Sanctum conjicit oculos; et primum quidem eum attrahebat habitus et amictus, formae, quae visa fuerat, conveniens.

Sic enim visus fuerat ei adesse in somnis, et erant omnia eadem, virga, tiara, vas e collo dependens, et vestis. Eum ergo statim cognovit ex alto: Triphyllium autem non poterat conjicere; neque enim curabat ejus speciem curiose inquirere, quoniam eum non videbat Episcopum, sicut somnus ei significabat. Quamobrem statim surgens e sede, vadit ad magnum Spiridonem. Desiderium enim recuperandae sanitatis faciebat eum alia contemnere. Splendorem certe imperatorium et imperii magnitudinem postponens honori magni Spiridonis, se admodum humiliter et abjecte in eum gerit, humilitate captans misericordiam, et ostendens quantum intersit inter Regem, qui est ad tempus, et eum, qui servit Regi aeterno. Ille ergo, inclinato capite, placabat eum lacrymis, et ejus petebat preces, tamquam validissimum aliquod medicamentum, quod omnem molestiam potest facile solvere. Postquam ergo manus illius tetigit caput Imperatoris, statim fugatus est morbus, et convaluit Imperator:

§ **19**. Quis, quae postea consecuta sunt, narrabit, eorum qui aderant, et ipsius Imperatoris, quemadmodum toto die festum agebant, et propemodum exiliebant, et neque se prae gaudio poterant continere? Solus Spiridon erat in labris omnium; adspiciebatur Spiridon; Spiridon erat id quod studio erat omnibus. Imperatori itaque fuit quidem corpus restitutum sanitati: ut autem sana esset ejus anima, nunquid ut parvum et a medico contemnendum fuit despectum? Ubinam vero hoc fecit sacrosancta illa anima? Sed ei quoque omnino conveniens adhibuit medicamentum, ut qui suaserit quidem, ut meminisset Dei beneficii, in eos autem qui ejus parebant imperio, iis quidem qui offendebant, et aliquam attulerant molestiam, clementem se praeberet et misericordem, iis vero qui secus se gesserant, benignum et liberalem, iis autem qui privati erant rebus necessariis, patris et curatoris munus obeuntem, manumque et viscera iis benignissime aperientem. « Quantum enim, inquit, praestas caeteris, tantum te esse oportet virtute excelsiorem. Qui enim non sic est affectus in subjectos, tyrannum eum oportet potius vocare quam Imperatorem: qui non est censendus beatus propter potestatem, sed qui censetur miser et odio habetur propter superbiam. » Postremo adhortatus est, ut accurate teneret et observaret ea quae pertinent ad pietatem, et ne tantillum quidem admitteret, quod non Dei videretur Ecclesiae. Et haec quidem Magnus.

§ **20**. Imperator autem volens eum remunerari propter acceptam ab eo curationem, dabat ei vim auri innumerabilem. Ille vero ei dixit lepide: « Non sic oportebat, o Imperator, odio remunerari amicitiam. Quae enim a me propter te facta sunt, sunt revera amantis, domum relinquere, et tantum maris transmittere, et hyemis ferre difficultatem, et ventorum in aqua immanitatem. Pro horum ergo remuneratione aurum accipiam, quod est omnis

mali causa, et facile perdit quidquid est justum? Quomodo non me ipsum aperte accusarem, et summae damnarem improbitatis?» Haec illo dicente, et se nihil accepturum affirmante, violentius instabat Imperator, ut daret: dedecus quodammodo existimans, ut qui beneficio esset affectus, beneficium non remuneraretur; sed expulso morbo corporis, vinceretur in animi probitate. Quocirca magis instabat ut vinceret sic affectus eum, qui vinci non poterat. Et persuadet quidem illi ut accipiat: non autem, ut quod datum fuerat, apud eum maneat. Cum enim valere jussisset Imperatorem, distribuit omnia iis qui erant in regia: re ipsa docens quomodo oporteat eos affectos esse ad opes et pecunias, si velint esse liberi. Magna enim ad eas propensio, et nimis victum esse ab earum possessione, quid est aperte aliud, quam voluntaria servitus? Hoc cum audiisset Imperator, dixit se non amplius mirari, si hic vir qui ita vivit tam magna faciat miracula. Quantum itaque fructum percepit Imperator ex verbis Spiridonis? Usqueadeo et benignitatem adspexit et humanitatem, ut omnibus quidem egentibus, et viduis, et orphanis, illis quidem viduitatem, his vero orbitatem, his autem etiam inopiam, magno et excelso animo recrearet et sustentaret. Porro autem omnibus quoque qui sunt partium ecclesiasticarum, Sacerdotibus, inquam, et Diaconis, primus lege decernit immunitatem: absurdum esse judicans, eos qui Regi immortali attributi sunt ad ministerium, Regi mortali solvere vectigalia. Et haec quidem ita se habebant.

§ 21. Vult autem oratio etiam aliorum meminisse miraculorum quae sunt ornata laeto flore gratiarum et cum utilitate * magnam spirant utilitatem. E regia Sanctus egrediens, hospitio excipitur a quodam Christi amante. Ad eum autem accedit mulier barbara, et linguae graecae imperita, quae suum filium mortuum ferens in manibus, eum deponit ad sancti pedes: quin etiam ipsa quoque prona cecidit deflens miserabiliter: et iis quidem qui aderant, ea dicens quae non poterant intelligi propter barbariem, solis loquebatur lacrymis, significans se flere propter filium et petere a Pontifice ut eum suscitaret. His frangitur vir animi misericordis, et duabus rebus, moderatione scilicet et commiseratione mulieris, distrahitur. Quando enim ad ejus dolorem et viscerum ardorem adspiciebat, aggrediebatur miraculum, et incitabatur ad orandum Deum ut puer revivisceret. Quando vero rursus intuebatur ad magnitudinem petitionis, cum esset modestus ac moderatus, cordeque pius et cautus, cedebat et differebat, et esse judicabat conatum impudentem. Quocirca statuit adhibere in consilium unum ex iis qui erant secum: is autem erat Artemidorus, qui jam erat Diaconus, vir qui omnia quidem diligenter exercuerat quae pertinent ad virtutem. Unus vero veluti communis quidam color erat contemperatus omnibus, ut recte gerens, nulli esset omnino

* Forte *veritate*.

manifestus. Eum ergo rogavit Sanctus, quid eis esset faciendum. Ille autem ei dixit quod illum omnino oportebat dicere, et hunc audire. « Quid enim, o pater, inquit, interrogasti? Quid est autem aliud faciendum, et tibi maxime, nisi Christus vitae dator invocandus, quem jam in multis fuit evidens tuas exaudire orationes? et alioqui si per te salvus evasit Imperator, pauperes et inglorii judicabuntur esse despiciendi. »

§ 22. Pulcherrimo consilio paret Pontifex: et corde accensus misericordiâ, et oculos habens plenos lacrymis, genibus in terram flexis, et eam rigans fletibus, ardenter admodum clamat et miserabiliter; et bonum Christum benigne rogat ut miseri mulieri infantem vivificet, et matrem reddat, congruenter scripturae sacrae, propter filium laetantem. Qui ergo per Eliseum et Eliam Sareptanae filio et Sunamitidis immisit spiritum, et vitam est largitus, ipse rursus etiam audivit Spiridonem: et puer qui mortuus jacebat, conspectus est veluti plorans ante oculos matris. Lacrymis mihi sunt suffusi oculi prae gaudio. Sic enim meum affecit animum id, quod dicetur, revocatum in memoriam. Vos quoque id audite. Cum enim vivum vidit mater suum charissimum (o arcana tua, o Christe, judicia!) nimiam non ferens laetitiam, in terram cadens exspiravit. Ostendit id quod factum est, nihil nimis, esse longe optimum. Ecce enim non mortalem solum esse doloris exsuperationem, sed etiam gaudii novimus immoderationem. Vos quoque, sat scio, affecti estis animo, ex laetitia mutati in dolorem. Sunt enim homines natura misericordes: sed prope adest magnus Spiridon, qui vestram tristitiam mutabit in gaudium. Rursus enim morem gerit Artemidoro, et ad hoc, ut det matrem filio, vir modestus inducitur. Ad coelum ergo intuens, et Dominum, qui in eis habitat, mente agitans, illum precatus, qui vitam inspirat mortuis, et sola voluntate omnia transmutat ac transformat, dicit ei quae jacebat: « Surge, et sta supra pedes tuos. » Illa autem repente, ut quam somnus potius, quam mors, oppresserat, surrexit et ei adstitit, et infantem in ulnis accepit. Ille vero, ut diximus, erat vivus, et in ulnis maternis exiliebat. Haec ille quidem Magnus, propter insignem, ut dixi, moderationem nolebat efferri in vulgus. Artemidoro certe, et mulieri per eum, indicit silentium. Sed Artemidorus post ejus mortem nefarium esse judicans, fraudare viros pios tam pulcra auditione, immo vero tam magno miraculo, id aperit, et tradit auribus fidelium. Et haec quidem sic habent.

§ 23. Postquam autem magnus Spiridon Antiochiâ reversus est in Cyprum, quispiam ad eum accedens, volens emere capras gregis, numero centum, jussus a Sancto prius pretium solvere, deinde accipere, ipse cum nonaginta et novem solum solvisset pretium, unius retinuit, lucrum, ut dicitur, melius dedecore existimans, aut etiam opinans fore, ut lateret illius simplicitatem, remotam ab omnium negotiorum sollicitudine. Cum ergo ambo fuissent intra

mandram, ille quidem jussit, quantum solverat pretium, tot capras accipere. Ille autem ne sic quidem intelligens, centum exigebat e mandra. Una vero ex capris, tamquam bona ancilla, cum sensisset se non fuisse venditam a domino, cito rursus est reversa, et perrexit ad mandram. Ille autem rursus abduxit, et per vim retraxit impudens. Hoc bis jam vel ter factum erat, quod est mirabile: et capra quidem revertebatur: ille vero retrahebat manu violenta et animo. Quid ergo? cum sic nihil proficeret, eam humo sublatam, et humeris impositam, abducebat. Illa autem maxima et asperrima voce clamans, et eum cornibus feriens, et in illius caput impingens, vim illius aperte praedicabat, et avari hominis quodammodo puniebat injuriam: adeo ut qui aderant, fuerint hac re obstupefacti, causam non valentes conjicere. Magnus autem Spiridon nolens eum aperte arguere, sensim dixit ei qui faciebat injuriam: « Vide, fili, ne non frustra haec faciat animal, et non sine causa aegre ferat se abduci: sed quod forte imprudens ejus non solvisti pretium. » Sic ille piscator animo sauciatus id tulit: et cum sensum ejus quod fecerat accepisset, id et confessus est, et ejus petiit veniam. Deinde etiam cum pro una solvisset pretium, ea non amplius clamabat et resistebat, sed tacite alias sequebatur. Et hic quidem sic...

§ 24. Est civitas in Cypro ejusdem nominis, cujus Cyrene in Lybia. Ad eam ex Trimmythunte, cum usus ita vocaret, abibat magnus Spiridon. Eum autem sequebatur Triphyllius quoque discipulus, qui jam Callinicensium civitatis (ut visum fuerat in somnis) factus erat Antistes. Cum vero visum esset ei venire per montem qui dicitur Pentadactylus, ubi fuit in loco qui dicitur Parymne (est autem is locus bonus et amoenus, et multis rebus jucundis affluens), Triphyllius eo loco delectatus, desiderat ipse quoque fieri dominus alicujus agri in Parymna, et eum suae consecrare Ecclesiae. Haec magnifaciebat Triphyllius, et animo versabat quae neque effugiebant conspectum internorum oculorum Spiridonis: sed et ille pulcre vidit, et placide reprehendit discipulum: « O curnam, dicens, o Triphylli, haec vana et inania assidue mente versas? Agros cupiens et vineas, quae revera quidem sunt nullius pretii: solum autem videntur et nomine demulcent. Habemus possessionem in coelis, quae non potest auferri. Habemus domum non manufactam. Illa persequere; illis vel ante tempus spe fruere quae non possunt ab alio transferri ad alterum: sed qui eorum semel fuerit dominus, manet habens haereditatem quae minime aufertur. » Haec cum audiisset Triphyllius, non temere audiit: sed melior evasit animo, et ea celavit in cordis penetralibus, et rogavit Sanctum ut ei ignosceret: et postea vitam egit accuratam et perfectam, adeo ut fieret vas electionis Christi, sicut Paulus, et innumerabilia dona sit assecutus. Sic magnus Spiridon alios quidem corrigebat volentes:

iis autem qui correctionem nolebant admittere, malus eveniebat exitus...

§ 25. Cum unius adhuc ex Sancti miraculis meminerit oratio, vadet ad ejus decessum. Ajunt, quod cum Sanctus esset adhuc superstes, et praeesset Episcopatui, Patriarcha Alexandrinus indicta synodo omnium, qui ei subjecti erant, Episcoporum, volebat gentiles statuas et imagines communibus precibus evertere, et eas in terram dejicere. Rebus enim ejusmodi adhuc plena erat civitas: et quomodo Paulus, ipse quoque inflammabatur spiritu, et ardenter spirabat adversus impietatem. Cum omnes ergo concurrissent, et se dedissent precibus, aliae quidem statuae Dei nutu et viribus devolutae fuerunt et in terram dejectae; ex iis autem una sola, etsi et separatim, et simul cum illo Patriarcha multas preces fudissent, manebat in suo loco: non quod Deus non attenderet, aut despiceret sacras illorum preces, sed hoc sapienti consilio vellet suo famulo gloriam tribuere, et ostendere id, quod a multis ignorabatur, qualis esset inter Episcopos Spiridon. Cum nox ergo jam adventasset, ipse quidem Patriarcha adhuc vacabat orationi: quaedam vero divina ei apparens visio, jussit eum non angi animo, quod non caderet simulacrum, reservatum enim esse Spiridoni, ut id ab eo solo deturbatum caderet: sed cum eum quamprimum e Cypro accerseret. « Is enim est, ajebat, Episcopus Trimmythuntinus. » Fecit, ut ei imperatum fuerat, Patriarcha; et litteris ad eum missis, accersit Sanctum: et litterae significabant causam, cur accerseretur, et eam, quae apparuerat, visionem, et nequaquam esse recusandum adventum. Ille autem paret continuo. Simul atque enim desiit legere, quae scripta fuerant, iter iniit, et navem conscendens, navigavit Alexandriam. Atque navis quidem appellit Neapolim (est autem hic insignis portus Alexandriae); ipse vero de nave descendens, execrandam imaginem, cum multis templis, precibus nondum peractis, evertit, et in pulverem comminuit. Hoc Sancti adventum, qui nondum erat manifestus, Papae significat. Cum enim qui illud simulacrum sua sponte cecidisse viderant, ei renunciassent, Papa continuo: « O amici, inquit, adest Spiridon ex Trimmythunte. » Illi autem praeparantes (eos enim jusserat ei ire obviam) offenderunt Magnum, qui adhuc descendebat. Quis adeo remotos habitat orbis fines, qui non hoc miraculum acceperit auditione? Noverunt quidem Byzantini; novit autem ipse Imperator. Senserunt omnes quoque urbes, quae intercedunt: et universum fere orbem terrae persuadens miraculum, dici non potest, quantam paravit utilitatem tam fidelibus, quam infidelibus, his quidem conversis ad pietatem, et sacrum baptismum accipientibus, illis autem stabilius fundatis super ejus petram. Haec non quaedam nuda et minime probata auditio, sed etiam imago loquitur et testatur, quae stat inter porticum, qui dicitur Archonticus, et templum Trimmythuntis, ubi sunt sacrae

reliquiae Spiridonis. Atque his quidem cum aliis dimissis, accedendum est, ut sumus polliciti, ad divinam illius mortem.

§ 26. Tempus erat aestatis, et uberes segetes, fructusque copiosus et multiplex erat Sancto. Ipse autem, ut qui suis manibus plurimum uteretur in opere faciendo, dextra accipit falcem, et incipit metere: repente vero admodum tenues guttae roris, Deo tunc minime pluente, solum sacrum illius caput petunt: Deo hoc ei ostendente, quod ille quoque florens virtutibus, tamquam pulcra aliqua seges, rore appetitur, et quod illico hic quoque fructus portatur ad Dominum et agricolam. Hanc rem admirabilem alia quoque consecuta fuit admirabilior. Cum enim ille suum caput tenens dextera, iis qui aderant, ostendebat roscidum, continuo capilli effloruerunt simul flavi, nigri et albi: nescimus, quidnam Deo per haec significante. Ille autem cum, ut videtur, cognovisset: « Sciatis, o amici, dixit praesentibus, quod ego quidem jam excedo e corpore: magna vero gloria Dominus mei excessus circumdabit memoriam et multis hominibus dies mei adventus erit festi argumentum, idque omnis aetas peraget splendide et magnifice, tam puerorum, quam juvenum et senum. » Cum haec et multa alia dixisset et praedixisset, et alia, quae oportebat, admonuisset, et quicquid erat bonum et salutare apud eos, qui aderant, oratione, ut semel dicam, esset persecutus, et maxime de generali et omnium aliarum virtutum maxima, de charitate, inquam, in Deum et proximum, disseruisset, non multo post, ut dixerat, castam illam et sacram emisit animam, in Angelorum quidem chorum merito admissus: neque tamen omnino discedens ab hominibus, sed nunc quoque maximam curam gerens, quando et Deo est propinquior, et majori apud eum fiducia utitur et libertate. Atque multa quidem post ejus decessum et facta sunt ab illo, et adhuc fiunt. Nos autem, ne et fine vitae protinus etiam circumscribamus miracula, neque rursus scriptionem nimium extendamus, cum unius aut duorum meminerimus, Deo volente, finem imponemus orationi.

§ 27. Dixit quidam ex iis, qui sunt Christi amantes, et sanctum quidem ardenter amant: amant autem nihilominus etiam veritatem: quod cum ejus dies festus celebraretur (celebratur autem duodecimo mensis Decembris), accessit ipse quoque ad sepulcrum, tamquam vivum allocuturus, magnam in eum vultu significans reverentiam et venerationem. Cum autem prope fuisset, et oculos esset admoturus, dicebat se tantam divinam sensisse visitationem intus operantem, et cor ejus adeo penetrasse, ut sublime quidem fuerit raptus spiritu, et solas, quae illic sunt, visione perciperet pulcritudines: oblitus quidem omnium terrenorum; oblitus vero ipsius quoque corporis, vocisque et sermonis prope expers; jejunus quoque, et neque apud ullum vocem emittens, neque cibum aut potum toto illo die admittens, nisi solum,

quod sumpsit divinum corpus et sanguinem Dominicum. Porro autem alias quoque ei extitit miraculum evidentius: est vero modus ad narrandum jucundissimus. Ille quidem, ut dixit, cum eum rursus ejus dies festus invitaret, accessit Trimmythuntem, et capsam, quae Sancti continebat reliquias, adorans et amplectens, similiter quidem habuit cor repletum lumine: impletus est autem ei quoque animus voluptate, et quaenam bona exspectant sanctos, per praesentia, quoad ejus fieri potuit, conjecit. Deinde ivit ad nundinas, ut supellectilem quandam emeret, et vestimenta, ut iis indueret pauperes et egenos, utpote quod tempus anni ad id vocaret: erat enim frigus. Cum ea ergo adornasset, et domum eundum esset, usu ita poscente, erat quidem nubium concursus, ut solet hyeme: intentabantur autem minae vehementis futurae pluviae; et non parum erat sollicitus, num ita afflictus, cum onus tradidisset pluviae, deberet compendio domum iter ingredi. Bonam itaque spem sibi proponit: et cum supellectilem, et quicquid erat vestium, jumentis imposuisset, ipse currit ad templum Domini, et loculo circumfusus, et tamquam vivum ardenter amplexus, rogat, ut sit ei viae comes et bonus dux, eique et suis omnibus faustum et felix iter praebeat, imbrium minas et vim reprimens ventorum. Ille quidem haec precatus, exit e Trimmythunte. Sanctus autem, sicut ipse fuerat precatus, non solum fugiens obtutum, sed etiam cadens sub oculos, per totam viam simul aderat, tamquam unus ex viatoribus. Pluvia vero ex confusione aëris, et concursu nubium, ut semel dicam, impendebat: ejus autem virtute cohibebatur, et reprimebatur illius impetus. Quando vero is pervenit domum, ille quidem protinus evanescit: ejus autem cor rursus ineffabili luce illustrabatur, et gaudio diffundebatur: perinde ac si Sanctus id tetigisset, et ipsum impertiisset sua laetitia et voluptate. Cum autem Sanctus quidem evanuisset, vir vero domum esset ingressus, statim quidem admodum vehemens pluvia est consecuta: quae tamdiu duravit, ut tres totos dies non defecerit. Et tunc quidem sic viae difficultatem, alias autem ei etiam aliam depulit animi aegritudinem.

§ 28. Agebatur quidem dies festus magni Spiridonis: non licebat autem huic viro eo venire; et ea res ei quaedam gravis videbatur calamitas, rogabatque, ne consueta visitatione privaretur et gratia. Quid igitur? Nondum finitae erant preces, et visus est sibi ire ad templum, et simul illius sensit adventum, illuminationisque et dulcedinis de more fuit particeps, et sibi visus est templum ingredi: et cum ipse esset precatus, fuisse cum eo per totam glorificationem. Qui cum omnibus, qui aderant, benedixisset, tandem recessit.

§ 29. Mihi quidem oratio, si non res omnes illius, at eas quidem certe dixit, quae viris bonis et virtutis studiosis sufficiunt. Quomodo autem quotidie eorum qui eum rogant curam gerat et

eos protegat, non alii, ut par est, dixerint, quam ii soli, qui ejus miraculis singulis horis fruuntur et gratia. Oportet vero ne hoc quidem fraudare viros pios. Si quis dubitans quaerat, undenam sit Spiridoni tantum mare miraculorum, et quibusnam benefactis effectum est, ut esset tam gratus Domino, sciat omnia quidem bona et honesta, tamquam ex consensu in eum concurrisse, et eum fuisse praestantissimae vitae exemplar definitum. Unum autem signum quo cognosceretur Spiridon et insigne aliorum praestantissimum, erat summa humilitas et insignis moderatio, et quod cum omnes fere alios superaret, qui sunt miraculorum gratiam consecuti, se nihil existimaret, neque putaret se praestare alicui ex vilibus, et abjectis, et gravatis peccatorum multitudine. Talia quidem sunt ejus vitae benefacta, talia autem miracula. Concedatur vero nobis quoque ut illius aliqua (vix enim fieri potest ut omnia) ejus auxilio imitemur, ut efficiamur etiam cum eo participes paratorum bonorum, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi; cum quo Patri simul cum Sancto Spiritu, gloria, honor, potentia et adoratio; nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

# MARTYRIUM

# SS. EUSTRATII, AUXENTII, EUGENII, MARDARII ET ORESTIS

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

**Martyrio decorati seculo IV.**

§ 1. Imperante Diocletiano et Maximiano, universum Romanorum Imperium completum fuerat cultu simulacrorum, et omnes homines perciti mutua quadam inter se invicem aemulatione, proficiebant in hac falsa religione: maxime cum edicta imperatoria quotidie, ut semel dicam, mitterentur ad loci magistratus, quae jubebant ut Calendis magnifice offerrentur diis sacrificia, et fore ut ab Imperatoribus honorem consequerentur, eisque noti evaderent, qui ad haec suum studium contulissent, significabant: ii autem, qui in eis colendis essent aliquo modo socordes, et ad aliam inclinarent religionem, privati iis bonis quae habebant, post multos cruciatus subjicerentur mortis extremae sententiae. Erat itaque magna persecutio in toto orbe terrarum, cum quotquot

erant ubique magistratus et Praesides, magnam curam gererent, ut de medio tollerent universum *.

§ **2**. Accidit autem ut cum illo tempore ad hos tyrannos esset delatum, quod tota magna Armenia et Cappadocia illorum edicto repugnarent, et jam unanimes spectarent omnes ad defectionem, immutabilem habentes animum in Dominum nostrum Jesum Christum: propter haec fuit conturbatus Caesar Diocletianus, et cum omnes suos accersivisset proceres, et tribus diebus a mane usque ad vesperam cum eis consultasset, deposuit eos, quibus commissae fuerant rectiones utrarumque harum gentium, eos simplicitatis damnans et stultitiae. Misit vero duos viros, qui e Graecia ducebant originem: patriae autem doctrinae magnam consecuti fuerant cognitionem: erat vero ingentis et immanis spiritus, aures ** ad cogitandum, et ad dicendum promptissimi: et qui mores habebant et calliditatem, quae non poterant indagando et perscrutando cognosci. Ex quibus cum unum quidem, nomine Lysiam, jussisset curam gerere omnium limitaneorum ***; alterum, qui vocabatur Agricolaus, jussit totius Praefecturae administrare imperium: decernens, ut non solum eis deserviret manus limitaneorum, sed etiam quicumque milites erant collocati in propinquis civitatibus.

§ **3**. Cum hi ergo in has venissent provincias, protinus omnis aetas hominum immisericorditer et absque ulla venia excindebatur: cum neque ulla inveniretur opportuna occasio: parva autem et quaelibet calumnia, aut ab inimicis, aut a malevolis hominibus sequeretur. Innumerabilis vero multitudo Christianorum indagabatur, et quotidie comprehendebatur, et his sanguivoris bestiis tradebatur ad interitum. Dux ergo Lysias versans in Sateleon, si hujus regionis inveniebat aliquos sanctos viros et sanctas foeminas, post multas interrogationes et tormenta, sub tutissima custodia transmittebat vinctos ad Agricolaum in metropolim Sebastenorum ****, ut ab illo de medio tollerentur, et non sinerentur in sua regione, et nec eorum cognati et necessarii ullam eorum curam gererent, nec justa fierent eorum corporibus; provinciae quoque Praeside similiter transmittente eos qui apud Sebastenos orti erant, Sateleon, hoc improbo diu ante inter se inito consilio. Impia enim sua mente cognoverant, Christi athletis non futurum hoc parvam partem supplicii.

§ **4**. Cum haec sic fierent, quidam Eustratius, qui erat Ducalis ordinis scriniarius *****, et eo tempore primas partes in ea obtinebat, vir pius et Deum timens, et qui vitam agebat citra ullam

* Deest hic, *Christianismum*, vel *Christi cultum*, aut aliquid tale.

** Forte *acres*.

*** Milites nempe, quorum officium erat Imperii fines custodire et defendere.

**** Sebastes, scilicet Augusta, ita dicta in Augusti honorem, hodie *Sivas*. Ad Argaeum montem posita est; antiquitus autem in Cappadociae provincia continebatur.

***** Scriniarii, a *scrinio* seu *archivio*, dicebantur ii qui instrumenta, publica scripta, et similia asservabant.

reprehensionem, angebatur animo propter ea quae fiebant quotidie, suppliciterque et miserabiliter vociferabatur ad Dominum nostrum Jesum Christum, in jejunio perseverans et oratione, ut propitius esset suis famulis, et intueretur populum suum in salute, et in malorum consolatione. Cupiebat autem ipse quoque idem, quod sancti, subire certamen, et assequi martyrium: sed varias minas et saevitiam insuperabilem, multiplicemque molitionem et machinationem Praesidis pertimescebat. Sui tamen scopi et instituti periclitationem faciebat hoc modo: nam cum zonam suam accepisset, dedit famulo suo fidelissimo: et jussit eam portare in ecclesiam Araucenorum, ex qua processerat, et in ara deponere: eum ipsum autem, cum eam latenter occultaverit, servare; et si viderit quidem quemdam Auxentium Dei servum, cui ferunt omnes pietatis testimonium, qui eo tempore erat presbyter hujus ecclesiae, ingressum ad orandum, eam sustulisse, ut habeat zonam, sinere, et ad ipsum reverti. Si aliquis autem alius hoc faciat, nequaquam ei permittere, sed eam zonam repetere: hoc in mente judicans, quod si presbyter zonam abstulerit, futurum sit id divinum consilium et providentia, quae significet felicem successum martyrii, quod desiderat. Sin vero hoc non evenerit, debere eum latère, nec audere uti fiducia et dicendi libertate.

§ 5. Cum hoc ergo factum esset, et famulus paucis post diebus revertisset, et dixisset quod ea ipsa hora, qua zonam in ara posuerat, sicut jussus fuerat, presbyter Auxentius, tamquam ab aliquo missus, ingressus sit Ecclesiam, et zonam acceperit. His auditis, laetatus est vir pius, et ex Praetorio accipiens omnes suos amicos hora prandii, venit laetus, et magnam vultus alacritatem quantam nunquam antea, ostendens in convivio: adeo ut propter insuetum hoc spectaculum adducerentur omnes in admirationem, et scire causam, magnifacerent. Unus autem ex iis qui simul accumbebant, aetate junior, ejus carus amicus et civis, nomine Eugenius, fidenter eum percontatur, dicens: « Nunquid, o maxime Eustrati, propterea quod a nostro Praeside in crastinum diem sunt parata, et publice producenda omnia tormentorum instrumenta adversus Christianos, accessit tibi profusus hic risus, ut qui ex eo speres aliquid lucrari? Hoc vero dixit, propterea quod in illum annum esset ipse Commentariensis *. » Sanctus autem respondit Eustratius: « Recte existimasti, o amice. Spero enim ego quoque die sequenti ex hac re consequi thesaurum qui auferri non potest. » Sequenti vero die Lysias, ei erecto excelso tribunali in media civitate in signostasio, jussit omnes qui erant in custodia, produci ut interrogarentur. Sanctus autem Eustratius profectus in carcerem, rogavit omnes sanctos ut pro eo orarent. Dixit enim se illo die futurum paris socium certaminis. Cum omnes autem orassent, et genua flexissent, et extremum *Amen*

* Scilicet custos carceris, vel notarius.

dixissent, secuti sunt sanctum Eustratium, cum eos tenerent milites.

§ 6. Cum autem cohors, ut consueverat, adstitisset ante Judicem, jussit Lysias sigillatim adduci ad suum tribunal eos qui prius fuerant interrogati. Eustratius dixit Commentariensis: « Litteris imperatoriis pridie rursus lectis in judicio, quae decernebant, ut omnes qui ubique inveniebantur Christiani, cujuscumque essent dignitatis, judicio tuo subjicerentur, Auxentius, qui olim quidem fuit opibus et vitâ actâ insignis, probatior autem et ornatior ex ea quae nunc ei inventa est generositate et animi fortitudine, ut qui sit servus Christi Regis coelestis, paucis his ante diebus assistens in hoc tribunali, transegit certamen immortalitatis, tuam, o Judex, arguens impietatem, verborum sapientiâ et operum tolerantiâ: et quoniam ab illo die eum inclusum in publica custodia jussisti adduci hodie examinandum cum coetu qui cum eo erat, stans mecum omnes forti et robusto animo, tuas machinas quae a patre tuo diabolo sunt tibi suggestae, dedecore affecturi et omnino deleturi. » His auditis Lysias, hanc inopinatam viri admiratus libertatem, et caedem spirantibus oculis eum intuitus, ex imo pectore et iracundo ejus animo emisso suspirio, voce intonuit sic dicens: « Acerbius mihi, quam unquam antea extitit hoc judicium, et graecâ patriâ austeritate repletum, oratore mihi proposito scelerato hoc carnifice. Ab eo ergo stante tollatur, qua indutus est, laena et zona: et ex his signis ostendat omnibus se alienum ab ea quae ad ipsum pertinebat hucusque, militia. Deinde nudus corpore, funibusque expansis manibus et pedibus, humi extensus, pergat exequi eam, qua se defendit, concionem. »

§ 7. Hoc autem facto maxima celeritate, dixit Dux: « Nulla, o Eustrati, duceris poenitentia ob ea, quae a te sunt inchoata perniciose, ut, quae mihi inest clementia, effugias supplicium? Sed exordire, et dic ante tormenta, cum tuo nomine, patriam quoque quae te tulit: et aperi nobis novitatem ejus, quae in te latebat, religionis. » Dixit sanctus Eustratius: « Natus sum in oppidulo Araucenorum, nomine Eustratius, cognomine Cyrisices paterno sermone. Sum autem servus Dei, Domini universorum, et adorandi ejus filii Jesu Christi, et Sancti Spiritus. Ex maternis fasciis didici, quam colo, religionem. » Dux dixit: « Deponat cohors: quot annos transegit in hac militia? » Cohors dixit: « Vicesimus septimus annus completur hoc anno, ex quo, cum esset adhuc parvus aetate, functus est munere Exceptoris*. » Dux dixit: « Nunc, o Eustrati, videns quod ex tua inobedientia tibi imminet periculum, et resipiscens ex eo, qui tibi accidit furore, sapienti utens ratiocinatione, ne relinquas eam, quae a te tot annis recte et ordine gesta est militiam, propitiam deorum invocans potentiam.

* *Exceptor* vocabatur qui acta judiciorum describebat, et judicis sententiam excipiebat.

et Imperatorum benevolentiam, et judicii clementiam.» Dixit sanctus Eustratius: « Execrandos daemones, et surda simulacra ab hominibus constructa, nullus unquam homo, qui compos esset mentis, censuit adoranda. Dictum est enim alicubi in nostris Scripturis: *Dii, qui coelum et terram non fecerunt, pereant* (*Jerem.* x). » Dux dixit: « Sed estne is compos mentis, qui Deum adorat Crucifixum, sicut vos pleni superstitione? » Sanctus Eustratius dixit: Si tibi non essent mutati sensus mentis, et perturbationum conspersione non esset ad res terrenas tibi transmutatus animus, ostenderem tibi, hunc Crucifixum verum esse servatorem et Dominum, et universae creatae naturae opificem, qui est cum Patre ante secula, et ineffabili sapientia per regenerationem suscitavit nostram mortificationem. »

§ 8. Cum autem vellet adhuc Sanctus contexere orationem, interrumpens dixit Dux sceleratus: « Funibus in aërem feratur hic vir generosus: ignis autem congeries accensa admoveatur ejus pectoribus ad hoc, ut comburantur. Supra humeros vero tripliciter uno impetu virgis verberetur, ut oratione nobiscum decertet elegantius. » Cum hoc autem factum esset, et multis horis Sancti inferne viscera et venter ab igne substrato combureretur, et acerbissimis plagis ejus tergum virgis flagellaretur, nulla vox emittebatur: sed neque ulla vultus apparebat mutatio, cernique poterat et conjici, quod in alieno corpore subibat supplicium. Propterea obstupefactus sceleratus Judex, vix tandem jussit eum relaxari a tormento, et vultu subridens, dixit: « Quisnam tuus est sensus, Eustrati? Vis parvam aliquam aliam tibi impositis plagis excogitem delectationem? » Sanctus ait Eustratius: « Maxime. » Dux dixit: « Quoniam ergo quae vobis placent, a tacente illo sunt approbata, jubeo muriam aceto contemperatam magno fluento infundi membris igne combustis, et acutis testis fortiter ei affricari, donec a nostro ministerio eorum, quae sunt jucunda, plurimo sensu percepto satiatus fuerit. »

§ 9. Cum magna autem celeritate eo quoque ei allato tormento, eadem usus est constantia et animi fortitudine, et neque ullus, quantumvis levis, gemitus audiebatur emitti. Dux dixit: « Tamquam in scena superstitionem ostentat et jactat hic, sicut dicit, athleta Crucifixi. Nunc ergo dicat, si per haec castigatus, sibi persuaserit ad sacras deorum aras accedere adoraturus. » Sanctus dixit Eustratius: « Propter eam, quae est in te, superstitionem et falsam religionem haec, sicut existimas, mihi inferens supplicia, imprudens et insciens me hodie multis affecisti bonis, quae mihi maxime erant in votis, o Judex. Circumfusam enim caliginem et obscuritatem, quae ex crassitie corporis meo inerat animo, his a me tormentis depulisti; et quae principatum obtinet, rationem, earum, quae longo tempore intentabantur, tentationum victricem conservasti: et effecisti, ut funderem ac profligarem eas, quae

in me magnô impetu insurgebant, animi perturbationes, nullo tumultu oppugnandum mihi largitus praesidium interni spiritus, qui mihi vitam regit in immortalitate: in quo sunt mihi reconditae divitiae incorruptionis, et ostendisti viam compendiosam et ab afflictione remotam, per quam potero in fictili hoc corpore degens, vitam amplecti angelicam, et coelesti frui aeternitate. Nunc scio me esse templum Dei, et sanctum ejus in me habitare spiritum. Festina ergo et decerta, minister adversarii, et quod in te est, nihil remitte: et proba me sicut aurum in fornace magis magisque: et in me non invenies sordem, quae est tibi amabilis. et re vera quaeritur. Tui enim dii sunt abominationes, quae tuae et tui Imperatoris dominantur egestati rationis. »

§ **10**. Dux dixit: « Mentis fortasse, ut videtur, emotio consecuta est corporis imbecillitatem: quo factum est, ut multis verbis usus sis obscuris et supervacaneis. Si enim posset ille tuus, ut dicis, Deus te participem reddere immortalitatis, a praesenti utique te plaga liberasset. Mittens ergo vanae spei agitari somniis, propera ad salutem, quae a me ostenditur. » Dixit Eustratius: « Vis persuaderi, o tu qui es orbus omnibus sensibus, nihil esse quod meus non possit Deus? Attende, et me intuere, quem tuis tormentis existimas morte esse mulctatum. » Cumque omnes in eum defixissent oculos, repente veluti quaedam squammae ejectae sunt ex ejus corpore; et stetit Sanctus totus sanus, corpus nihil habens omnino laceratum. Cum propter miraculum autem, quod factum fuerat, omnes Deum glorificassent, quidam Eugenius vir Arauracenus, qui erat ipse quoque oppiduli officialis ejusdem cohortis, et permanebat apud sanctum Eustratium, magna voce exclamavit. dicens: « Lysia, ego quoque sum Christianus, et tuam anathematizo religionem, et jussui Imperatorum et tuae resisto voluntati, sicut etiam dominus meus Eustratius. » Dux ergo propter haec indignatus, et eum execratus, ipsum quoque comprehensum jussit duci in medium, et sic est effatus:

§ **11**. « Cum horum, quos punire est difficile, interrogatio tempore et otio opus habeat opportuno, nunc autem urgear ad suscipiendam consuetam rerumpublicarum defensionem, hunc praestigiatorem et incantationibus miraculorum effectorem Eustratium et Eugenium, quem nuper apparuit idem quod ipse sentire, toto corpore ferro vinctos jubeo conjici in carcerem cum reliquis, qui sunt mihi servandi ad aliam examinationem. » Haec cum pronunciasset, descendit e tribunali. Sancti vero ducebantur omnes laeti et exultantes propter tantam tolerantiam sancti Eustratii, constansque testimonium, et propter salutare, quod in ipso factum est, miraculum Domini nostri Jesu Christi. Postquam autem ingressi sunt custodiam, psallebant omnes una voce: *Ecce quid aeque bonum et jucundum, atque habitare fratres in unum?* (*Ps.* 132); et quae sequuntur; et postquam preces implessent, sedentes

docebantur a sancto Eustratio, promptique et alacres ab eo reddebantur ad propositam eis decertationem.

§ 12. Die illo in his transacto, sequenti nocte Dux cum surrexisset, professus est se velle ire ad civitatem Nicopolitanam: et interim dum soliti ad iter se parabant ministri, prosiliit ipse in custodiam, ubi erant Sancti, et solum beatum Eustratium jubet trahi foras. Cum autem esset adductus, vultu ridenti dixit ei: « Laetare, carissime Eustrati. » Sanctus vero respondit: « Deus omnipotens, cui ego servio, te vicissim digne salutet, o Judex. » Dux dicit: « De Deo sit tibi curae: in praesentia autem cape et gesta hanc, quae tibi datur, crepidam, ut lubens nobiscum iter facias: erat vero crepida longis et acutis clavis transfixa, ut tamquam fibulis perforaretur quaelibet pars pedum ejus. » Cum hac ergo crepida eum induisset, et loris adstrinxisset, suo obsignavit annulo: et jussit eum, dum duceretur, per totam viam verberari et trahi cum reliquis sanctis. Ipse autem cum toto, qui cum eo erat, exercitu iter persequebatur, et post duos dies pervenerunt ad castellum, quod est prope Arauracos. Cum Sancti autem accessissent, quotquot erant illius regionis, egressi sunt ad spectaculum, desiderantes videre beatum Eustratium. Nullus vero cognatus nec amicus audebat ei appropinquare, ne ipsi quoque comprehenderentur: hoc enim a scelerato Duce quibusdam jam imperatum fuerat.

§ 13. Quidam autem Mardarius, vir quidem sorte privatus et suo contentus, cum illis diebus domum sibi construxisset, tegebat domum. Cum in omnes autem Sanctos defixisset oculos, vidit medium eorum tamquam stellam insignem Eustratium: et cum cito e domo descendisset, dixit uxori suae sermone Armenio: « Vides, o uxor, eum qui erat dominus ejus, quae est circumcirca regionis, qui et genere et opibus erat tam insignis et tamdiu fuerat militiae clarus, quemadmodum omnia despexerit, et abit, ut Deo fiat grata hostia et regnum coeleste consequatur? Beatus ille, quod et in hac vita fuerit gloriosus, et apud Dominum nostrum sit magnam habiturus fiduciam, et cum Angelis ineffabili voluptate fruiturus. » Egregia autem illius uxor respondit: « Dulcissime marite, quid obstat quominus tu quoque eo venias, et eamdem quam ipse, viam ineas et sanctam consequaris cum ipso consummationem, ut sis mei defensor et horum puerorum infantium, et totius tui generis? » Dixit ejus maritus: « Da mihi calceos, et ingrediar viam a me desideratam. » Illa vero hoc fecit velociter, et laeta eum dimisit. Qui cum accepisset calceos, et se veste induisset, et duos quos habebat filios ulnis esset amplexus, stetit ad Orientem, et Dominum invocavit, et dixit: « Domine Deus pater omnipotens, et Domine Jesu Christe, et Sancte Spiritus, una divinitas, una virtus, miserere mei peccatoris; miserere ancillae tuae, et eam suscipe et hos duos infantes, qui es defensor viduarum et pater orphanorum.

Ego enim, Domine, cum magno et alacri animi studio ad te venio. » Haec cum dixisset, osculatus est suos filios, et dixit: « Salva sis, mulier, et noli affici tristitia, nec flere; sed gaude et exulta. Te enim, et filios meos, et animam meam depono in manu boni Dei nostri, qui potest omnia. »

§ **14**. Et cum haec dixisset, cursim est egressus: et venit ad quemdam nomine Mucarorem, qui in regione Auracenorum habebat habitationem; et in ea obtinebat primas partes, et erat vir valde clarus et dives: et cum eum salutasset, dixit: « Ecce ego vado ad amicum tuum et cognatum Cyrisicem, et, Deo volente, ero ei comes in via, et cum eo subibo discrimen certaminis. Tu ergo esto post Deum defensor meae uxoris et meorum filiorum in hac vita: et pro hac gratia ego quoque tibi operam navabo in illo die, quando coram Deo sistemur, ut mercedem accipias. » Dixit vero vir ille pius: « Abi in pace, fili mi, et pulcrum hoc iter confice; et ne de eo sis sollicitus: satisfaciam tuo desiderio. Ero enim spiritali affectione uxoris tuae maritus, et pater tuorum filiorum. » His auditis, Mardarius cum ei valedixisset, jam de caetero prope castellum venit ad Sanctos: et sic vocavit sanctum Eustratium: « Domine Cyrisice, quomodo ovis simplex ad proprium currit pastorem, ita ego quoque ad te, volens esse vobis in via comes. Me ergo suscipe, et refer, licet indignum, in numerum sancti tui coetus, et adduc me, etsi indignum, testem Christo Domino. » Et haec cum dixisset, clamavit voce magna, dicens: « Ego quoque sum Christianus, sicut etiam dominus meus Eustratius. Audite, ministri diaboli, audite. » Tunc cum ipsum milites comprehendissent, colligarunt cum reliquis Sanctis; et cum in castello eum conjecissent in publicam custodiam, de eo quoque ad Ducem retulerunt.

§ **15**. Hac ipsa autem hora, tamquam leo rugiens, sedit ad examinationem: et pro more adducente cohorte lictorum, adductus est nudus, funibus manus habens vinctas sanctus Auxentius, Sanctis adstantibus, et singula videntibus: et adhuc vultu laeto Dux inquit: « Auxenti, nos quidem liberans a laboribus, te autem salute dignum censens, nunc saltem doce, an a vana illa et tibi perniciosa destiteris pervicacia, et cum diis redieris in gratiam. » Sanctus dixit Auxentius: « Paucis audi, o Lysia. Juro tibi eam, quae praeest et omnia adspicit, justitiam, esse mihi mentem immutabilem, unumque Deum me nosse, et ipsum colere, etiamsi innumerabiles alias mihi plagas imposueris et cruciatus, majores iis qui jampridem mihi sunt illati; etiamsi me ferro, etiamsi me igne consumpseris, nunquam poteris meam flectere cogitationem. De caetero fac quod velis. » Tunc Dux pronuntiavit sententiam: « Auxentius, qui post multa tormenta et cruciatus, etiamnunc permanet in sua perniciosa ignorantia, per ei paratam gladii amputationem, ferream suam, et quae molliri non potest, perdat

animam, in loco aliquo nemoroso et deserto finem hujus sententiae accipiens, ut justa sepultura infelix ejus corpus careat. Qui autem ausus est se nuper reliquorum coetui adjungere, perducatur in medium, celeriter consecuturus honorem, qui ab eo requiritur. »

§ 16. Sanctum vero Mardarium solventibus militibus, ab ei impositis collaribus, hic beatus dicebat: « Domine mi Cyrisices, ora pro me, rogo te, et doce me, quid sum responsurus huic exitioso et pestifero homini, ne me tamquam agrestem et illitteratum hominem irrideat immanis iste lupus. » Sanctus autem ei dixit Eustratius: « Dic solum constanter, frater mi Mardari, Sum Christianus, sum Christi servus: et nihil aliud respondeas, si quid contra dicat aut faciat. » Cum vero esset adductus, dixit cohors: « Adest Mardarius. » Dux dixit: « Qui se nuper tradidit interrogationi, is nomen doceat, studium, quae eum tulit patriam, conditionem, et quaenam sit ei religio. » Mardarius dixit: « Sum Christianus. » Cum autem rogaretur ab apparitoribus ut diceret nomen, et conditionem, et patriam, perseveravit clamare: « Sum Christianus. » Et cum diu rogaretur, nihil aliud dixit nisi solum: « Sum Christianus, sum Christi servus. » Cum ejus itaque simplicitatem et puritatem vidisset Dux sceleratus, dixit: « Terebrâ terebrentur calcanei pedum ejus, et funibus trajecti, ab orbe rotae pendeant: candentes autem obelisci, ejus tergo admoveantur, ut ex hoc ambitu fiat sanae mentis, et ad danda responsa idoneus. » Cum hoc autem factum esset, et ipse diu penderet a calcaneis, et ureretur subulis, emisit vocem, dicens: « Domine, ago tibi gratias, quod me his bonis sis dignatus. Desideravi salutare tuum, et amavi ipsum valde. Suscipe animam meam in pace. » Et cum haec dixisset, tradidit spiritum.

§ 17. Demissis vero Sancti ejus reliquiis, Dux dixit: « Nudo corpore adducatur etiam is qui est ex Sataleorum regione, Eugenius; qui cum de Eustratio haberetur quaestio, ausus est subire, quem non dico Christianum, ut ipsi errantes dicunt, sed plane achreston, hoc est, inutilem. » Cum ipse autem adstitisset, dixerunt apparitores: « Adest Eugenius. » Dux dixit: « Dic mihi, sceleratissime, quis malus daemon te malis fatis actum ad tantam impulit audaciam, ut cum tanta te ingereres impudentia, et nihili faceres judicii austeritatem? » Dixit sanctus Eugenius: « Deus meus, qui, quos tu colis, daemones abolet, ipse dedit mihi virtutem, et largitus est mihi fiduciam et dicendi libertatem, ut tuam conspuam infelicitatem, sordide canis, thesaure Satanae, qui tecum traditur in interitum. » Dux dixit: « Contumeliosa ejus lingua excindatur: ense vero privetur utrisque manibus, et baculis confringantur ejus tibiae, ut in nos se gerat temperantius. » His autem factis, ipse quoque tradidit spiritum.

§ 18. Haec cum fecisset Dux sceleratus, exiit in campum, ut

exerceret exercitum. Cum autem recenserentur, unusquisque ostentabat suam in armis experientiam, Duce contemplante. Quidam vero Orestes nomine, vir procerus et forma decorus, ad nomen vocatus et ordinem, adstitit Lysiae. Cum Lysias autem ejus laudasset speciem, et verum appellasset militem, jussit pilum torquere ad scopum. Cum is vero manum direxisset, et arma concussisset, quae ab eo in pectore ferebatur crux aurea, e veste ejus excussa, extrinsecus apparuit, ita ut omnes eam cernerent, et ipse etiam Lysias. Statim autem adductus, stetit prope Ducem : et cum manu Crucem accepisset Lysias, rogavit quidnam hoc esset: « Nunquid tu quoque es, inquit, ex iis qui sunt partium Crucifixi? » Ille vero dixit: « Sum servus Crucifixi Domini Dei mei: et hoc gesto amuletum ad omnia mala avertenda quae mihi ingruunt. » Dux dixit: « Hic quoque egregius miles, vinctus cum illo carnifice Eustratio, sit ei comes in via, cum opportune sit de eis habenda quaestio in civitate Nicopolitana. » Cum venisset autem Lysias in civitatem Nicopolitanam, magna multitudo legionis militum, quae erat in civitate, ad eum accesserunt, et omnes una voce clamabant: « Lysias, nos quoque sumus milites Domini nostri Jesu Christi: fac quod velis. » Ille vero primum quidem fuit obstupefactus, timens ne aliquid novi adversus eum innovarent. Deinde cum cognovisset quod sicut oves seipsos tradiderunt, solutis zonis suis, jussit ipsos comprehendi et vinctos conjici in carcerem: apud se autem considerabat quemadmodum in Sanctis perdendis se gereret, et non esset a Nicopolitanis aut ab eorum cognatis aliqua confusio. Praecipue autem timebat S. Eustratium ne si rursus ei inferrentur tormenta, faceret similiter aliquod miraculum: et non solum in fide confirmaret eos qui jam erant Christiani; sed gentiles quoque traduceret a cultu simulacrorum. Visum est ergo ei, cum mane surrexisset, transmittere ad Agricolaum in civitatem Sebastenorum sanctum Eustratium et sanctum Orestem. Cum esset itaque dies, jussit hoc fieri, publicam scribens epistolam ad Agricolaum hoc modo:

§ **19**. « Magnificentissimo Agricolao Dux Lysias: Cum in universa terra quae est sub sole neminem nossent divinissimi nostri Imperatores, qui melius scrutari posset arcana orbis terrae, regendae provinciae tibi dederunt potestatem. Aperte enim sciunt, te posse noctes, sicut dies, ad rempublicam defendendam consumere. Quae dormire non possunt itaque stellas prius somnus domuerit, quam tuos oculos sopierit, donec effectum fuerit id quod studes ad utilitatem universorum: et ut semel dicam, cum apud te solum summam inesse vidissent unamquamque partem, merito hujus quam nunc obtines, administrationis, quae nihil habet contemnendum, dignitatem permiserunt. Ideo ego quoque testis tam multarum quae in te insunt rerum praestantiae, hunc ad te vinctum mitto Eustratium, qui eorum qui dicuntur Christianorum magno morbo

laborat: maxime cum nihil possim invenire quod sufficiat ad avertendum audacia ejus coepta: sed etsi ejus, quae mihi servit, militiae honorem esset assecutus, majori superbia animo erectus, desiit in contumeliam. Quod si intentarem metum, sua arrogantia circumscripsit futurum, vim suae superstitionis reddens potentiorem: et licet videret alios eisdem affectos suppliciis, neque propter minas, quae in eos intendebantur, suam repressit audaciam: sed quod evenerat, existimabat esse potius fortunae insultum quam supplicium. Eum ergo et qui cum eo est Orestem, qui est ejusdem sententiae, ad tuam mitto sapientiam, sequens edicta imperatoria.» Cum has ergo litteras accepissent milites, et Sanctos haberent vinctos, viam persequebantur. Sanctus autem Eustratius simul cum Oreste sic canebat in via: *Viam justificationum tuarum elegi: instrue me, et discam mandata tua* (*Ps.* 118).

§ **20.** Impletis vero precibus, dixit: « Frater Orestes, narra mihi qua animi alacritate consummatus fuit sanctus Auxentius, et in quo loco. » Sanctus autem Orestes dixit: « Postquam Dux pronuntiavit in eum sententiam, rogavit milites qui eum abducebant ut veniret ad videndam tuam virtutem, et te juberet valere. Nemo vero eum audire sustinuit: erat enim tempus prandii; et festinabant illi, ventri servientes, implere id quod eis imperatum fuerat, et duxerunt eum in quamdam vallem, quam nos vocamus Ororiam. Veniens autem in via canebat Sanctus: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (*Ps.* 118), et usque ad ipsum locum implevit Psalmum, et flexis genibus oravit. Cum manus vero sustulisset, accepit tamquam oblationem, et dixit, *Amen*; et cum circumspexisset, vidit me prope eum stantem, et cum me vocasset, dixit mihi acriter: Frater Orestes, alloquere Dominum Eustratium, et dic ei ut oret pro me: et eum cito ad me venturum: eum enim exspecto; et sic fuit ei caput amputatum, omnibus, quos suspicio erat esse Christianos, passis persecutionem. Sanctae autem ejus reliquiae noctu furto sublatae sunt a presbyteris qui erant in Arabracis. Ejus vero capite non invento, coeperunt flere et Deum rogare ut eis aperiret sanctum caput martyris. Dei autem providentia stans cornix super ramum arboris in qua erat caput, coepit clamare. Cum adspexissent vero ad ramum arboris presbyteri, in qua cornix stabat clamans, vident id jacens prope cornicem: et cum ipsum honorifice sustulissent, sustulerunt etiam sanctas ejus reliquias, et eas transtulerunt in locum purum et insignem. » Haec cum sanctus audivisset Eustratius, flevit, et Deum invocavit, et dixit Orestae: « Pergamus nos quoque, et ad eum venire festinemus. »

§ **21.** Quinque autem post diebus Sancti adducti sunt Sebasteam, et traditi sunt a militibus; et accepta Lysiae epistola, Agricolaus jussit eos servari in tutissima custodia: et die sequenti cum publice sedisset in foro pro tribunali in civitate Sebastenorum,

jussit Agricolaus duci Sanctos. Universa autem civitate congregata ad eos videndos, dixit Agricolaus: « Epistola missa ab illustri Lysia, et quae est consecuta scriptis mandata examinatio, prius legatur. » Quae postquam fuit lecta, sic locutus est Agricolaus: « Ne existimes, o Eustrati, similiter cessurum hic tibi esse supplicium. Priusquam ergo ejus facias periculum, submitte te edictis Imperatorum: et accedens, sacrifica diis. » Dixit vero sanctus Eustratius: « O Judex, imperant ne leges etiam Imperatoribus, an non? » Dixit Praeses: « Maxime. Nam eae ab illis servantur. » Sanctus dixit Eustratius: « Tibi ergo ante omnes, et eos etiam qui tecum sunt, in scriptis solis sitae sunt leges. » Dixit Praeses: « Curnam hoc dicis, o caput impium? Quis unquam ausus est facere contra leges? » Dixit sanctus Eustratius: « Quoniam sic continetur in legibus Caesaris: vis quidem absit in omni sermone et facto; persuasione autem potius administretur respublica: et alterum duorum oportet, ut aut qui imperat, persuadeat ei qui paret ejus imperio, ut assequatur ea quae cupit: aut qui paret, persuasus, sua sponte faciat quod jubetur. Et rursus hoc continet post eumdem versum: Statuimus autem ut Praeses judicet miscens metum lenitati: ut neque alicui propter metum sint infensi neque peccent propter lenitatem. Haec, o Judex, ita scripta sunt an non? » Dixit Praeses: « Sunt. » — « Te ergo rogo, idem ordo in me quoque servetur. » Dixit Praeses: « Et in te, et in omnibus leges cum ea, qua par est, reverentia necesse est custodire. » Sanctus dixit Eustratius: « Sit ergo, rogo, tuus metus lenitate contemperatus, ut qui cum sis omnium experientissimus, velis potius persuaderi quam persuadere, judicans singula ratione. Sin autem hoc non licet, absque ulla ratione et constitutionibus, puni, occide, fac quod velis. » Praeses dixit: « Quod velis dic audacter et libere, cum gaudeat judicium hoc potius efficere persuasione. »

§ **22**. Sanctus dixit Eustratius: « Quibusnam diis jubes me sacrificare, majoribus an minoribus? » Dixit Praeses: « Jovi primum, et tunc Apollini, et Neptuno. » Sanctus dixit Eustratius: « Quibusnam parens sapientibus, aut interpretibus, aut prophetis, invenistis eos esse adorandos? » Dixit Praeses: « Platoni, Aristoteli, Hermeti et aliis sapientibus: quos si tu esses expertus, eorum coleres memoriam, o Eustrati, cum sint divini viri et admirabiles. » Sanctus dixit Eustratius: « Nullius horum mihi sunt ignota mysteria: sed ab ineunte aetate eorum habui experientiam. Quinetiam in musica pulcre sum versatus, ut cui obtigerit pater virtutis studiosus: et, si jubes, incipiamus primum a Platone. » Dixit Praeses: « Invenimus Platonem in libro, qui inscribitur *Timaeus*, descendisse in Pyraeum, et precatum esse deam. Tibine videtur hic esse sapiens, an non? » Sanctus dixit Eustratius: « Valde condemnat Plato Jovem deum tuum. Audi autem verba Platonis. Quoniam vero incepisti a Timaeo et civilibus ejus orationibus, audi

in secundo ejus libro ea quae sic sunt posita: Deus quoniam est bonus, omnium bonorum fuerit causa, sicut veluti dicimus: malorum autem nequaquam causa. Et bonorum quidem nullum alium dicemus esse causam, nisi Deum: malorum autem non esse causam. Sed quid opus est ab alio quaerere? Non est ergo admittendus Homerus et alii Poëtae, qui dicunt Jovem esse auctorem bonorum et malorum. Violati ergo jurisjurandi et confusi foederis a Pandoro adversus Graecos rationem, non hic Jupiter, ut dicit Poëta, procuravit per Minervam. Non laudabimus autem optionem ad quam ipse duxit eos, quos tu deos existimas. Dixit vero Aeschylus, Deum causam producere mortalibus, quando vult domos affligere et evertere funditus: Plato autem in sua civitate neminem vult haec dicere aut audire, neque juvenem, neque senem. Nefarium enim est, Deum fuisse parricidam, sicut hic Jupiter, qui nunc colitur a vobis, fecit, qui suum patrem Saturnum dejecit de coelis, et eum contrivit: aut factum esse cygnum, ut mortalem deciperet mulierem et eam vitiaret. Praeterea vero rursus aegre fert Plato, quod fletu et muliebri insania correptus deus tuus, o Judex, defleat inconsolabiliter mortem Sarpedonis. An non ita est? An non sunt scripta in libris vestris omnia fabulosa? Si ipse autem sapiens Plato vester scriptor, eum deum esse denegat, et jubet neminem hominem, cui virtus est curae imitari tales animi perturbationes: cur vos ipsos submittitis, quarum impii convicti fuerunt, actionibus, et nos eos hodie adorare cogitis? »

§ 22. Dixit Praeses: « Tuam fero audaciam propter eam; quae in me inest, philosophiam. Sed tu quoque dic mihi: Quem tu colis Deum, quomodo cum esset homo, deductusque fuerit ad judicium, et in crucem actus, Deus esse, est a vobis putatus? » Sanctus dixit Eustratius: « Si me patienter audias, primum te interrogabo ea, quae cogitationi meae sunt proposita: et tunc dicam ordine id quod a me quaesiisti. » Dixit Praeses: « Dabitur omnino tibi potestas et opportune et importune dicendi quod vis. Dic nobis quod velis. » Dixit Eustratius: « Omnem hominem qui est sanae mentis, convenit Deum existimare justum, qui comprehendi non potest, neque effingi, neque verbis explicari: estque immutabilis, et divinis suis bonis omnem superat potestatem; an non ita tibi videtur, Judex sapientissime? » Dixit Praeses: « Ita arbitror. » Dixit sanctus Eustratius: « Hoc quoque adjiciemus, ei omnino nihil deesse. » Praeses dixit: « Omnino. » Sanctus dixit Eustratius: « Quid ergo? Dabimus ne aliquos etiam alios esse deos, et eos consistere intra hanc, quam dicimus, ab interitu alienam essentiam? Sed est absurdum quod dicitur. Quod si vel parum quid eis desit hujus beatae conditionis, non arbitror, eos existimari deos ab hominibus. Deo enim nihil deest, ut prius dictum est: cui credere, et quem adorare oportet omnes homines. » Dicit Praeses: « Ita habet. » Sanctus dicit Eustratius: « Quid ergo? multi tui dii

consistunt ne intra haec intemerata bona et immortalia, et pares inter se vires habent? Qui sunt in una distincti essentia, et tamquam in unum verticem, conveniunt in virtutem divinitatis, dicantur non dii majores et minores, sed Deus unus: qui in virtute incomparabili est unicus, et nomen habet divinitatis: et ne a vobis existimetur alius quidem coelum habitare, alius vero mare, alius autem terram. An non tibi sic videtur? »

§ 24. Cum non posset autem Praeses ad haec respondere, diu siluit. Vix tandem vero respondit, dicens: « Mittens hos syllogismos, et multum valere jubens rationum tuarum probabilitatem, hoc doce, de quo fueras interrogatus: Quomodo vos Deum colitis Crucifixum? » Sanctus dixit: « Incipiam, quomodo tuus poëta Hesiodus: In principio erat Erebus et Chaos, hoc est, caligo et profunditas aquarum. Deus ergo cum tunc mundum in hunc ornatum distinxisset, et non ex subjecta, aut quae prius existebat, materia, sed omnia ex eo, quod non erat, ad essentiam produxisset, fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Malus ergo angelus, qui ipse quoque obtinebat principatum in ordine Angelorum, cum sua sponte rebellasset adversus eum qui ipsum fecerat, et elatus fuisset superbia, a suo ordine fuit expulsus, et a Deo assidendi potestate: et merito a Deo accepit sententiam, quae ejus puniret audaciam: et tunc propter eam ejus inobedientiam, projecit eum Deus a superna potestate, et Angelica eum privavit gloria: hominem autem posuit in paradiso, dans ei mandatum quod exercebat ad obedientiam; ut vesceretur quidem omnibus bonis, quae erant in paradiso: unam vero non tangeret arborem: hoc ei instituto certamine, ut si ei insidiante malo, non amplius Angelo, sed daemone, qui defecerat, et omnia contra eum machinante, posset primus homo non transilire ei datum a Deo praeceptum, et dedecore afficere adversarium, qui ei invidebat propter insignem honorem: si hoc, inquam, factum esset, homo esset immortalis, degens incorruptione. Sin minus, non sineretur amplius esse in paradiso: sed ex eo exterminatus, viveret et moreretur. Malus ergo daemon, qui invidia ferebatur in hominem, in eum variis usus est praestigiis, et cum ope serpentis decepisset uxorem primi hominis, per eam ipsum quoque induxit, ut praeceptum transiliret: ut ipse ideo expulsus ex paradiso a Deo omnipotente, deduceretur ad labores sudorum et interitum. Obtinuit itaque malignus victoriam, qui gloriabatur, quod propter eam sententiam hominem accepisset redactum in suam potestatem: et cum decaetero multiplicatum esset genus hominum, is tamquam tyrannus omnem animam redegit in servitutem.

§ 25. « Cum itaque ii in multam lapsi essent impietatem, inundatione Deus mundum perdidit. Conservavit autem Noë, quemdam virum justum, qui praeclare decertavit adversus malignum

hunc daemonem, et non fuit ab eo omnino superatus, in arca lignea cum uxore et liberis. Cum rursus vero restituisset omnem terram in pristinum statum, tamquam civem quemdam victorem eum in terra posuit. Procedente autem tempore, cum rursus multiplicarentur homines, omnis profecit impietas, et omnes vincebantur a peccatis, et morti subjiciebantur, et victi tenebantur apud inferos, ad interitum examinati a maligno daemone. Misertus autem Deus, qui nos formavit, et non amplius volens quod a se factum erat opus despicere, primum quidem Graecis hanc concessit sapientiam, ut immotis animae oculis agnoscerent Deum omnipotentem, et superarent daemonem adversarium. Hi ergo, etsi visi sunt paululum respicere, et rectum iter pietatis attendere, cum tamen tamquam in umbra verbis solum apprehendissent visionem, rursus cadebant in errorem Majorum, ipsi quoque superati a falsa religione, et in deteriorem prolapsi impietatem, et via invia aberrantes. Et nec sic quidem passa est insignis et ab omnibus celebranda Dei potestas nos jacere in delictis: unde etiam dedit legem, et misit Prophetas, et multifariam multisque modis generi Hebraeorum viam ostendit salutarem. Omnes autem retrocedentes, recidebant in Majorum suorum infirmitatem: et morti subjiciebantur omnes propter peccatum. Aequum itaque censuit aequale nobiscum certamen suscipere Dominus noster, Deus verbum, et nobis ostendere victoriam adversus adversarium, par nobis in omnibus factus praeter peccatum: et cum seipsum humilem reddidisset, et nobis servis formam similem suscepisset, natus est ex Virgine, non mutatus divinitate: sed ovis ferens pellem propter lupi progressum. Si enim per supernam divinam suam potentiam percussisset hunc adversarium (poterat enim, ut qui potest omnia, quae a me non possunt fieri), dedisset ei justam occasionem defensionis, dicendo: Hominem vici, et a Deo sum victus. Se enim tunc sic facile potuisset defendere, ut qui sciret, Deum quidem posse omnia efficere: et nec, si corpus quidem induisset, non esse ejusmodi, quod non posset facere.

§ 26. « Accipiamus autem, o Judex, aliquam similitudinem, quae conveniat huic meae narrationi. Si tu ipse, qui es dominus hujus civitatis, cum vidisses lupum, aut ursum, aut aliquam aliam bestiam invadentem tuam civitatem, dixeris servo tuo: Occide illam. Ille autem parens tuo jussui, et sine arte accedens, fuisset a fera dejectus et consumptus, sustineres ne iterum alteri servo tale certamen imperare, aut illum damnare, quod victus periisset? Nequaquam. Sed ne videaris eis imperasse, quae fieri non poterant, eos qui tecum sunt, opem tibi laturi, despicis: non uteris autem nec equo, nec aliquibus armis, cum et habeas et possis omnia: sed propter caeteros tuos servos, effectus similis servo, cui jusseras, et qui victus fuerat, sicut ille, nudus et omni alio auxilio defectus, ad hanc bestiam accedis: et ea percussa, tunc

famuli quidem, qui fuit consumptus, damnabis imbecillitatem coram omnibus: docebis vero caeteros, ut simili animo accedant et experientia, quoties tale quid occurrerit: et tunc minaberis, si non similiter eis ostensa assidue usi fuerint victoria, et se et sua custodierint. Sin minus, eos futuros inexcusabiles, et esse ad magnum ducendos supplicium: eos autem, qui se fortiter gesserint, et imitati fuerint virtutem eis a domino ostensam, et honorem et libertatem esse consecuturos, ut bonorum custodes, et praeclaros Imperatores.

§ 27. « Sic ergo Dominus quoque noster Deus, servator omnium, cum sui servi in certamine suscepto adversus daemonem, qui nunc a vobis colitur, ab ipso victi essent et contriti, ipse ineffabili quodam consilio seipsum exinanivit, descendens ad sanctam et venerandam Virginem, et servi formam accipiens, et in omnibus effectus iisdem, quibus nos obnoxii, affectionibus praeter peccatum, et progressus in hoc vitae theatrum, voluntaria sua et longe sapientissima et salutari humilitate latuit sceleratum ipsum daemonem, qui a vobis, ut dictum est, colitur: et eum, ut consueverat, tamquam nudum ac solum hominem invadentem, vicit, et ejus totam profligavit potentiam per suam pretiosam et nobis salutarem passionem, quam in Cruce subiit, docens nos, qui fuimus ejus victoriae spectatores, eodem exemplo contra eum pugnare, et ejus potentiam dejicere ac prosternere. Ipse ergo nostras accepit affectiones, et suam nobis dedit impatibilitatem, cum tam iis, qui prope erant, quam iis, qui erant apud inferos, largitus esset resurrectionem: et docuisset nos in filiorum adoptionem ascitos, in eo manum habere invictam, et coronari, si decertaverimus. Corpore ergo vincimur, et vincimus spiritu. Cadimus in interitum: et is casus, nempe mortis, eo nobis deducitur, ut efficiamur incorrupti, et ab interitu alieni. Aversamur vestram ebrietatem, qui ritu brutorum vitam agitis, et angelicam quaerimus aeternitatem. Non terram proni spectamus, sicut pecora: nec cum simus belluinis moribus, nominamur homines: sed erecti coelum intuemur: et cum simus in corpore, vitam quae illic est, angelicam amplectimur. Scimus animi nostri et corporis esse perpetuum et implacabile bellum, sapientique et moderata utentes ratiocinatione, aversamur conjunctionem cum hoc mortali corpore, ejusque titillationes et suaves libidinis motiones fortiter recusamus: cogitatione in altum exilire, et membra mortificare, semper exercemur per tolerantiam, et a rebus propriis abstinentiam. Utimur vero pura et perspicua Domini nostri memoria, et scaturit nobis sermo minime perturbatus. In nobis citra ullum impedimentum rationales operantur virtutes. Haec et his plura nobis largitus est Deus, cum hominem induisset. Vos autem, ut est probabile, corpori estis dediti: et cum corpori dediti sitis, eos deos appellatis, qui fecerunt probrosa opera

ignominiae: et eorum posita colitis simulacra: et alienati estis a conjunctione virtutum coelestium, et in dies angimini, non solum propter res adversas, sed etiam propter insolentes, et quae in somnis agitantur hujus vitae felicitates. Vos non solum corpore, sed etiam anima morimini ad eum, qui nunquam desinit, interitum. Nos autem a Domino nostro Jesu Christo didicimus, viventem spiritum corpus quoque, quod omnibus communi solvitur interitu, rursus animare, et ad immortalitatem ei essentiam praebere. Haec ergo breviter sum persecutus, ut et tuo Platoni parens, et a me discens ea, quae vera sunt, renuncies parricidae deo tuo et amabili cygno, qui multum flet propter mortem suorum filiorum. »

§ 28. Dixit Praeses Agricolaus: « Non potuimus nos divinorum et magnorum Regum virtutes discernere: sed solum iis cedere, quae jusserunt Imperatores. Quamobrem cessante omni supervacanea oratione et dilatione, veni, et diis sacrifica: alioqui periclitaberis multa supplicia, quae nunquam audivisti. » Sanctus dixit Eustratius: « Cur nos ergo fecisti tantum laboris capere, et non hoc diu ante coepisti? » Tunc jubet lectum afferri ferreum, et multum ignem substerni, ut ipse arderet, et candens evaderet: et sanctum Orestem primum ei jubet imponi, et dicit sancto Eustratio: « Aequum est, ut cum, quae te manent supplicia, prius in aliis fueris contemplatus, tunc subeas tormentum, ut constantiorem ostendas fortitudinem. » Sanctus vero Orestes cum ad lectum adduceretur, timuit: et sanctum intuens Eustratium, dixit: « Ora pro me: laborat enim mihi cogitatio. » Sanctus autem respondit Eustratius: « Noli animum despondere, frater Oresta. Solus enim adspectus affert timorem et cruciatum: nullus vero ejus tibi aderit sensus, si audacter et fidenti animo accesseris. Ipse enim Dominus adest nobis adjutor, et nos defendit. Memento generositatis sancti Auxentii, et reliquorum Sanctorum: neque iis videaris deterior. Haec enim mox deficiunt; manet autem nos thesaurus qui non potest auferri. » Haec cum sanctus audivisset Orestes, audenti et forti animo insiluit, et stetit supra ignitum grabatum, cum se signasset, et statim accumbens, toto corpore se expandit supra ignem: et magna voce clamans, dixit: « Domine Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum; » et Domino sanctam suam tradidit animam. Acclamavit autem S. Eustratius, *Amen:* et statim jussit Agricolaus sanctum Eustratium abduci in custodiam. Qui cum consuetas preces Deo emisisset, et famulum, qui erat cum eo, vocasset, dicit ei: « Age, fili, faciam testamentum. Spero enim fore, ut ego quoque cras sistar ante Dominum meum Christum. »

§ 29. Charta autem ei allata, fecit testamentum, in eo significans, se velle sanctas suas reliquias efferri in oppidulum Arabracinorum, et illic deponi: nemini vero licere omnino eas tangere,

sed salvas esse deponendas in loco, qui vocatur Analicozora, simul cum Auxentio, et Oreste, et Mardario, et Eugenio: quoniam hi Sancti sanctum Eustratium sacramento adegerunt, dicentes, ut, postquam esset consummatus, cum sanctis suis reliquiis, eorum quoque deponerentur reliquiae salvae et integrae. Quas autem Arabracis habebat facultates, assignavit ad eos alendos, qui erant permansuri in ministerio martyrii eorum: reliquorum vero omnium mobilium, dimidium quidem distribuit pauperibus, aliam autem suis sororibus, famulos vero suos, donata eis libertate, jussit accipere legata. Haec cum decrevisset, toto die jejunavit: tota autem nocte perseveravit Deum orare, et ei psallere.

§ **30**. Episcopus autem civitatis Sebastenorum, eo tempore latebat propter persecutionem: qui noctu venit ad eum, et datis custodibus pecuniis, ingressus est ad sanctum Eustratium; audiverat enim de magna ejus sapientia, et quod Praesidem cum diis suis pudore affecerat, et cum fuisset intra custodiam, pronus cecidit in faciem, et Sanctum adoravit, dicens: « Beatus es, fili Eustrati, quod Dominus Deus tantam tibi dederit virtutem. Memento autem mei quoque, te rogo. » Respondit vero sanctus Eustratius: « Ne sic facias, pater spiritalis; sed ad eam, quae est tibi data, dignitatem adspiciens, exspecta hoc a nobis implendum tibi debitum. » Cum ii ergo sedissent, dixit Eustratius Episcopo: « Quoniam, Deo volente, cras hora tertia sum sistendus ante Dominum meum Christum (ita enim mihi fuit aperte revelatum), ideo accipe chartam mei testamenti, et lege. » Cum ergo legisset Episcopus chartam ejus testamenti, rogavit illum cum iis, qui cum ipso erant, Clericis, ut testamento subscriberent: et eum adegit jurejurando, ut ille ipse surreptas eorum ferret reliquias, et deponeret in eorum regione, in loco qui continetur in testamento, et reliqua omnia impleret: dicens, pro eo labore esse ei reddendam mercedem a Domino nostro Jesu Christo in futura vita. Cum pollicitus autem esset Episcopus se singula eorum esse facturum, rogavit eum, ut ab ipso sanctam acciperet communionem. Sic enim dicebat Sanctus: « Ex quo tempore fui comprehensus, non communicavi. » Allato ergo eo, quod oportebat, ministerio, et impleto sacrificio, accedens sanctus Eustratius, coelestem accepit margaritam: et repente tamquam fulgur illuxit in carcere, et vox venit, dicens: « Eustrati, recte decertasti: veni deinceps in coelos, et accipe tuam coronam. » Hac voce audita, proni in faciem humi ceciderunt. Tota ergo illa nocte mansit Episcopus apud sanctum Eustratium, eum audiens, et voluptatem capiens ex sermone martyris.

§ **31**. Cum mane autem factum esset, recessit, jubens eum valere, et promittens se nihil praeteriturum eorum, quae in suo testamento statuerat. Agricolaus vero cum mane e lecto surrexisset, sedit in tribunali, et jussit sanctum Eustratium adduci. Cum

is autem adstitisset, eum vocavit Praeses, et dixit ei in arcano: « Testis mihi est, o Eustrati, quae omnia intuetur justitia, me de te valde angi animo, quod in animum non inducas, ut pareas edicto Imperatorum. Sed publice saltem simula, et specie deos adora: apud te autem crede, et adora Deum tuum, is autem tibi ignoscet propter impositam necessitatem. Nec, cum sis vir tanta doctrina et sapientia, male pereas tamquam unus maleficus. Si hoc enim esset remotum a periculo, ne id quidem a te requirerem, multos enim punivi tuae religionis, et nullius sum misertus, neque ab ullo sum flexus. Tui vero magnam curam gero, et propter te tota nocte magno sum dolore cruciatus. » Sanctus dixit Eustratius: « De hac re ne crucieris, neque propter me venias in periculum: sed quod Imperatorum tuorum continetur edictis, accurate exequere. Ego enim neque simulate, neque ullo alio modo diis tuis sacrificabo: sed semper Deo meo confitebor in omnibus, et in medio multorum laudabo ipsum. Tua vero tormenta me recreant ac juvant: et hujus rei, si velis, fac periculum. » Praeses autem cum diu manu vultum texisset, est lacrymatus, adeo ut universa quae circumsistebat turba, cum cognovisset Praesidem misereri Sancti, vocem emiserit lamentabilem: eratque magnus luctus in civitate. Dixit vero sanctus Eustratius: « Deus altissimus irritas faciet machinas patris tui satanae. Ille enim hanc quoque in me excogitat tentationem, ut mihi propositum impèdiat bravìum; fac quod velis: ego enim sum servus Domini Christi, et adversor edicto Imperatorum, et aversor eorum abominationes: quoniam sunt execrandi et ipsi, et qui eos colunt. » Cum ergo vidisset Praeses tam alacre et promptum ejus animi studium, vix tandem in sanctum Eustratium pronuntiavit hanc sententiam: « Eustratium, qui non paruit jussui Imperatorum, et diis noluit sacrificare, jubeo, igne combusta ferrea ejus anima, finem accipere. » Haec cum dixisset, cursu recessit in Praetorium.

§ 32. Cum autem sanctus abduceretur Eustratius, iis qui audiebant stantibus, sic oravit: « Magnificans magnificabo te, Domine, quoniam respexisti humilitatem meam, et non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, et ex necessitatibus eripuisti animam meam. Et nunc, Domine, tegat me manus tua, et veniat supra me misericordia tua. Quoniam conturbata est anima mea, et tristis est dum egreditur hoc corpore. Ne forte mala inimici potestas ei occurrat, et eam impediat in tenebris, propter peccata, quae a me in vita facta sunt in ignorantia. Sis mihi propitius, Domine, et ne videat anima mea tenebricosum vultum malorum daemonum: sed eam accipiant Angeli laeti et lucidi: et da gloriam nomini tuo sancto, et tua virtute deduc me ad divinum tribunal, dum judicor. Ne me comprehendat manus principis mundi hujus ad hoc, ut me peccatorem attrahat in profundum inferorum. Sed adsis, et sis mihi servator, adjutor et defensor:

haec enim corporis tormenta sunt gaudia tuis servis. Miserere, Domine, animae meae, quae fuit inquinata hujus vitae affectionibus, et eam puram suscipe: quoniam es benedictus in secula, Amen. »

§ **33**. Haec cum ipse esset precatus, jam accensa fornace et valde ardente, facto Crucis Christi signo, in eam est ingressus sanctus Eustratius, psallens et dicens: « Domine Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum: » et sic cum pace tradidit suum spiritum, cum ne ejus quidem pilum ignis tetigisset. Consummatus autem fuit sanctus Eustratius tertio decimo Decembris. Sanctissimus vero Episcopus Blasius, cum Sancti accepisset reliquias, easque cum sancti Orestis reliquiis composuisset, ea implevit, quae ipsi mandata fuerant in testamento sancti Eustratii: glorificantes Patrem, et Filium, et Sanctum Spiritum: cui gloria et potentia nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

# HISTORIA S. LUCIAE VIRG. ET MART.

UT HABETUR IN PERANTIQUIS MSS. COD.
QUIBUS ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA CONSENTIUNT.

**Martyrii coronam accepit probab. anno 304.**

§ **1**. Cum per universam provinciam Siciliae beatissimae Agathae fama crevisset, et Syracusanus populus per millia prope quinquaginta ad urbem Catanensium sitienter pergeret ad sepulcrum S. Agathae virginis venerandum, contigit Luciam virginem venerabilem, nobilissimam Syracusanorum **, simul pergere. festivitatis gratiâ invitante, cum matre Eutychia, quae annis quatuor fluxum sanguinis patiebatur, et nullo medicorum poterat remedio liberari. Igitur dum processionis mysteria agebantur, haec Evangelii lectio fuit recitata, qua legitur fimbria vestimenti mulier a sanguinis fluxu liberata. Et dum haec lectio recitatur, dixit S. Lucia matri suae: « Si credis, mater, his quae leguntur, crede Agathen passam pro Christi nomine hoc meruisse, ut semper in praesentia habeat eum, pro cujus nomine passa est. Continge ergo sepulcrum ejus credens, et liberaberis. »

* Teste Baronio, horum Martyrum sacrae exuviae, Romae, in templo S. Apollinaris, religiose, adservantur.

** Syracusae, urbs Siciliae olim praestantissima, a Graecis, anno 709, ante Christi adventum fundata. Quinque partibus distinctis constabat; eamque 600,000 oppidani, ut fertur, inhabitabant. Varias fortunae mutationes passa est; demum, anno 212 ante Christum, a Marcello, Romanorum duce, capta atque in Romanorum ditionem et imperium redacta fuit. Ex hinc omnis illius urbis potentia decidit. Anno porro 1757, dirus terraemotus eam pene omnino evertit. Multi viri inclyti Syracusis floruêre, nimirum Theocritus, Archimedes, Flavius Vopiscus, etc.

§ 2. Igitur cum peractis omnibus populus abscessisset, prostraverunt se ante sepulcrum sanctae Virginis mater et filia, et coeperunt cum lacrymis flagitare suffragium. Interea dum orationis prolixitas tenditur, somno Lucia virgo arripitur, et videt in somno beatam Agathen in medio Angelorum gemmis ornatam stantem, et dicentem : « Soror mea Lucia, virgo Deo devota, quid a me petis, quod ipsa poteris praestare continuo? Nam et matri tuae fides tua subvenit, et ecce salvata est: et sicut per me Catanensium civitas sublimatur a Christo, ita per te Syracusana civitas decorabitur: quia jucundum Christo in tua virginitate habitaculum praeparasti.» His auditis, expergefacta surrexit tremens, et ait matri suae: « Mater mea, mater mea, ecce sana facta es. Per ipsam te deprecor, quae te salvavit suis orationibus, ne tu mihi aliquando sponsum nomines, et ne tu velis de corporis mei posteritate fructum mortalitatis inquirere: sed omnia, quae mihi datura eras eunti ad corruptionis meae auctorem hominem moriturum, da mihi eunti ad integritatis meae auctorem Dominum Jesum Christum. »

§ 3. Cui mater ejus Eutychia ait: « Omnia quae sunt patris tui defuncti ante novem annos, incontaminata custodiens, ampliavi potius, quam minui, in patrimonio. Mea vero omnia quae sunt, vel esse possunt, ipsa melius nosti. Tege oculos meos, et quodcumque tibi placuerit, de istis facultatibus facito. » Lucia dixit: « Audi, mater, consilium meum: non satis Deo carus est, qui illi hoc dat, quod secum ferre non potest, et quo ipse perfrui non potest. Sed si tu vis gratum esse Deo, hoc illi da, quo poteris tu uti. Moriens enim nullo poteris uti; et quod das, ideo das, quia tecum ferre non praevales. Vivens ergo, et salutem tui corporis habens, da Christo, quod possides: et quicquid te mihi daturam spoponderas, vel etiam cogitabas, Christo incipe tradere. » Igitur cum quotidie de his sermocinaretur Virgo cum matre, fiebat rerum distractio, et quotidie necessitatibus pauperum impendebantur.

§ 4. Interea dum distrahuntur praedia, et gemmae venduntur, ad sponsi notitiam pervenit: isque sollicitus coepit inquirere a nutrice sanctae Luciae, quid hoc esset, quod distractionem repentinam praediorum, et gemmarum audisset. Cui haec nutrix cauta confinxit: « Sponsa tua invenit possessionem in venalibus, quae millenos et amplius solidos praestet. Hanc ea in tuo nomine cupiens comparare, videtur aliquanta distrahere. » Credidit stultus carnale mercimonium, et animum ab indagatione revocans, etiam ipse coepit auctor esse vendendi. At ubi universa pene distracta didicit pauperibus, viduis, orphanis, peregrinantibus et Deo servientibus erogata, proponit litem in judicio Paschasii consularis, dicens sponsam suam Christianissimam contra leges vivere Augustorum. Quam Paschasius corripiens, coepit ad sacrificia

daemonum invitare. Cui beata Lucia ait: « Sacrificium vivum et immaculatum apud Deum et patrem hoc est, visitare viduas et orphanos in tribulatione eorum. Ego per istos tres annos nihil aliud agens, sacrificavi Deo vivo. Jam quia nihil superest, quod sacrificem, meipsam offero in sacrificium Deo hostiam viventem. Quod ipsi placet, de hostia sua faciat. » Paschasius dixit: « Ista verba cuicumque tibi simili narrare potes Christianos; mihi autem, qui principum decreta custodio, ista frustra prosequeris. » Lucia dixit: « Tu principum leges attendis, ego Dei leges attendo. Tu principes times, ego Deum timeo. Tu illos offendere non vis, ego Deum offendere caveo. Tu illis placere desideras: ego, ut Christo soli placeam, concupisco. Tu vero fac quod tibi utile videtur: et ego hoc ago, quod mihi utile esse cognosco. »

§ 5. Paschasius dixit: « Patrimonium tuum cum corruptoribus tuis extirpasti et dilapidasti, et idcirco quasi meretrix loqueris. » Lucia dixit: « Patrimonium meum tuto loco constitui: corruptores autem nec mentis, nec corporis mei aliquando suscepi. » Paschasius dixit: « Qui sunt corruptores mentis et corporis? » Lucia dixit: « Corruptores mentis vos estis, de quibus dicit Apostolus: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (1. *Cor*. XV). Suadetis enim animas hominum meretricari, ut dimittant virum suum, id est, creatorem suum: et sequantur diabolum in idolis vanis, et inanibus simulacris. Corruptores vero corporis sunt ii qui temporalem delectationem praeponunt delectationibus sempiternis; et labentem laetitiam perpetuis gaudiis anteponunt. » Paschasius dixit: « Cessabunt verba, cum fuerit perventum ad verbera. » Lucia dixit: « Verba Dei cessare non poterunt. » Paschasius dixit: « Tu ergo Deus es? » Lucia dixit: « Ancilla Dei sum, et ideo dixi verba Dei, quia ipse dixit: *Non vos loquimini in conspectu judicum, sed Spiritus Sanctus ipse loquitur in vobis* (*Matth*. X). » Paschasius dixit: « In te ergo est Spiritus Sanctus, et ipse loquitur in te? » Lucia dixit: « Apostolus dicit, quod caste viventes, templum Dei sunt, et spiritus Dei habitat in eis. » Paschasius dixit: « Ego te faciam ad lupanar duci, ut cum fueris scortata, fugiat a te Spiritus Sanctus. » Lucia dixit: « Nunquam inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Nam etsi in manu mea thura ponas, et per manum meam jacias sacrificiis, Deus haec attendit et irridet. De sensibus enim et voluntatibus judicat. Nam sic patitur violatorem castitas, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. Nam si invitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. » Paschasius dixit: « Ibi te faciam sub turpitudine exspirare, nisi modo caeremoniis consenseris Augustorum. » Lucia dixit: « Jam dixi tibi: tu voluntatem meam nunquam poteris ad consensum provocare peccati. Caeterum quicquid feceris corpori, quod in potestate tua vidèris habere, hoc ad ancillam Christi pertinere non poterit. »

§ 6. Tunc consularis jussit venire lenones, et tradidit eam illis, dicens: « Invitate populum ad castitatem ejus, et facite eam tandiu illudi, donec mortua nuncietur. » At ubi eam coeperunt velle trahere ad lupanar, tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus, ut penitus moveri non posset. Accedentes autem simul multi ex officio, impellentes et trahentes, deficiebant sudore, et virgo Domini immobilis consistebat. Tunc miserunt funes in manus ejus et pedes, et coeperunt omnes pariter trahere, et illa quasi mons immobilis permanebat. Itaque angustari coepit Paschasius, et moerore deficere; et vocavit magos, et aruspices, et templorum omnium sacerdotes, qui quidem omnes exercebant superstitiones suas contra eam, ut moveretur: sed ita permanebat fixa corpore, ut penitus ejus vestigia non moverentur. Tunc Paschasius lotio eam perfundi jussit, credens quod maleficiis staret immobilis. Item adducta sunt multa paria boum, ut ab ipsis traheretur, et omnino moveri non poterat. Dicit ergo ei Paschasius: « Quae sunt ista maleficia tua? » Lucia dixit: « Ista meleficia non sunt mea, sed beneficia Dei. » Paschasius dixit: « Quae ratio est, quod puella fragilis, a mille tracta hominibus, non moveris? » Lucia dixit: « Si alia decem millia adduxeris, audient mihi Spiritum Sanctum dicentem: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* (*Psalm.* 90). »

§ 7. Torquebatur itaque animo Paschasius, et inter cogitationes et viscerum cruciamenta clamabat. Cui beata virgo ait: « Quid cruciaris? Quid per diversa mentis tuae tormenta torqueris? Templum Dei me esse si probasti, jam crede: si non probasti, disce magis. » Paschasius vero eo magis anhelabat, quod de seipso risum sibi exhiberi cernebat. Tunc ignem circa ipsam copiosum fecit accendi, ita ut picem, et resinam, et fervens oleum super eam jactarent. At illa in nomine Domini nostri Jesu Christi stetit immobilis, dicens ei: « Ego rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur in me, ut tibi insultent confidentes in Christo. Et ideo petivi inducias martyrii mei, ut credentibus timorem tollerem passionis, et non credentibus vocem insultationis auferrem. »

§ 8. Tunc angustari Paschasium non ferentes amici ejus, gladium in ejus viscera mergi fecerunt. Igitur percussa, quamdiu voluit, oravit; quamdiu voluit, allocuta est turbam circumstantem, dicens: « Annuncio vobis pacem Ecclesiae Dei redditam, Diocletiano de regno suo dejecto, et Maximiano hodie mortuo. Et sicut habet Catanensium civitas interventricem pro se sororem meam Agathen, ita me sciatis huic civitati datam a Domino, si voluntatem ejus facientes, susceperitis fidem. » Haec loquente famula Dei Lucia, ut diximus, visceribus gladio patefactis, ante oculos ejus ferro vinctus ducebatur Paschasius. Cucurrerant enim relationes Siculorum, quod fuisset praedatus provinciam. Inde perductus

ad urbem Romam, et ab omni Senatu Romano auditus, accepit sententiam capitalem. Dei autem martyr Lucia virgo sacratissima, de loco, in quo percussa est, penitus mota non est: neque exiit spiritus ejus, donec viventibus sacerdotibus, et mysteria ei dantibus, atque omnibus dicentibus, *Amen*, illa emitteret spiritum. In eodem autem loco fabricata est in suo nomine basilica, in qua orationes ejus florent nunc et semper, et quousque mundus iste steterit, Amen *.

# VITA S. AUTBERTI CAMERACENSIS EPISC.

AUCTORE, UT EQUIDEM SENTIO, FULBERTO. IS ENIM, TESTE CHRONICO CAMERACENSI, DOCTOR CLARISSIMUS, JUSSU GERARDI EPISCOPI SCRIPSIT EJUS VITAM, TAMETSI MS. CODEX EJUS NOMEN NON HABET **.

**Floruit sec. VII — Gallus.**

§ 1. Humanae perditionis sortem miseratus Deus et Dominus noster Jesus Christus, peractis paternae dispositionis sacramentis, ad coelum rediturus, novamque victricis carnis gloriam paternis vultibus praesentaturus, novos nascentis Ecclesiae cultores, quibus gregis novelli cura mandaretur, elegit: qui lumine fidei irradiati, Spiritus Sancti munere ditati, mundum ignorantiae tenebris caligantem, veritatis lumine illustrarent, et virulenta antiqui seductoris semina de agro Ecclesiae constanter resecarent. Hujus Dominicae institutionis executores primi discipuli, deinde successores eorum, sancti videlicet doctores extiterunt, quos in fine senescentis mundi ad excolendas mentes fidelium, providentia divina praeordinavit. Qui spiritualium talenta donorum a summo patrefamilias accipientes, et praedicandi negotio ad usuram animarum expendentes: tanto impensius amplificare studuerunt, quanto certiores erant de remuneratione largitoris, et Evangelicâ sententiâ conterriti de damnatione torpentis servi. De quorum numero sanctus vir Domini Autbertus et sacerdos Christi probatissimus refulsit temporibus Dagoberti *** Regis Francorum inclyti. Qui ab ipsis sacrae pueritiae annis superna gratia adspiratus, annosos viros sanctis praeibat moribus. Litteralibus denique studiis traditus, et Ecclesiasticis sanctionibus decenter informatus, per gradus singulos proficiens succedentibus virtutum

* Haec S. Luciae Virg. et Mart., Acta non habentur in Actis sinceris et selectis a Ruinartio editis.

** Nos *Auctoris Prologum* omittimus.

*** Hujus nominis I, qui ab anno 622 usque ad annum 638 sceptrum gessit. Is ut ministrum et familiarem S. Eligium sibi habuit. *Cfr.* S. Eligii Vitam die prima hujus.

incrementis, provectus est ad culmen sacerdotalis honoris. Exigente itaque sorte mortalis naturae, contigit Allcbertum Cameracensis * sedis Episcopum deposito carnis onere, de hoc mundo transisse. Divina igitur operatione cuncta salubriter disponente, Autbertus vir conspicuus et successor emeritus, proficiens de virtute in virtutem, ejusdem sedis pontificalem sortitus est ** dignitatem. Porro humanae salutis auctor praescius antiquum hostem tanto ardentius gregem Dominicum insecuturum, quanto vicinius instante fine seculi sciret nihil superesse, quod ad tentandum artibus suis ulterius patuisset, adversus tyrannidis ejus impetum, validum defensionis nobis paravit obstaculum, dans nobis Autbertum, videlicet gregis sui pastorem vigilantissimum, et custodem animarum fidissimum.

§ 2. Constitutus autem in sede pontificali, qualis quantusque in ea vixerit, non est nostrae possibilitatis evolvere: altius enim èminet, quam ullo sermone includi valeat. Animalis enim homo percipere non potest, quantus hic fuerit in oculis summi Creatoris: cui nihil erat commune cum amatoribus mundi, praeter quod curae pastoralis necessitudine videbatur arctari: quam si inoffense declinare potuisset, vera fides est, quia erèmum potius, quam monasterium delegisset. Frequentabatur igitur a populis, ex vicinis et procul remotis urbibus catervatim ad eum confluentibus: qui eximiae conversationis fama excitati, videre eum anxie sitiebant. Jam vero nisi sexus alternus impediat, cum personae dignitati faveat, videas Reginam Austri requirere sapientiam Salomonis, Regem videlicet festinantem ad consulta pontificis. Nam Dagobertus, qui tunc temporis inter Francigenas regni monarchiam regebat, celeberrimae opinionis nunciis semel excitatus, deposito fastu regalis excellentiae, crebro ad eum veniebat, et licet terreni regni imperio sublimatus, cupiebat tamen de coelesti acquisitione a viro Dei aedificari. Qui cum eum de temporalis regni sollicitudine, de futuri seculi beatitudine, de judicii metu, de spe aeternitatis familiari colloquio praemoneret, ille eum libenter audiebat, et audito eo multa faciebat: non ut incestus Herodes videbatur audisse Joannem arguentem, sed ut Ezechias fidelis Isaiam consolantem. Verum aestimari non potest, quanto Regis animus resultabat gaudio, quod tanti viri hospitio recipi, benedictione foveri, collocutione meruisset aedificari. Igitur ne ingratus tantis beneficiis videretur, aestuabat animo, quonam modo uberius sancti viri gratiam sibi conciliaret. Tandem a quodam familiari ejus audivit, hoc nullo alio pacto facilius se posse promereri, quam si res Ecclesiae beatae Mariae, cui ipse pater venerabilis, Deo auctore, deserviebat, de suo jure augendas curaret. Nihil enim in rebus transitoriis Episcopo placere, praeter

* Gall. *Cambrai*, oppidum munitissimum, in ea Galliarum regione quae *Hainaut* vocatur.
** Anno probab. 633.

quod expenderetur in usus Ecclesiae. Tunc Rex, ut erat hilaris dator, fratribus qui in oratorio beatae Mariae famulabantur, unum regalis munificentiae fiscum donavit ad subsidia temporalia fratrum, cui Oveng antiquitas nomen imposuerat.

§ 3. Sed nos dum Regis mansuetudinem extollendo praedicamus, in viro Dei quanta fuerit humilitatis constantia, non tam aestimare quilibet potest, quam admirari: qui inter tanta regiae sedulitatis obsequia, nullo vanitatis tentamine supplantari potuit. Quod vitium in multis nimium experti sumus, quod ad unius homunculi salutationem, aut simulatricem adulationem videas facile jactantiae spiritu inflari. Qui si aliqua signa vel falsa hominum aestimatione egisse dicerentur, proculdubio se prophetas aestimarent, cum dona non accepissent. Sed nullo impulsu jactantiae ab arce humilitatis vir justus dejici poterat, cui etiam ipsa pontificalis honoris sublimitas, quae plerisque pompae fomenta ministrare solet, plus adjectionis materiam praestabat. Quin etiam cum aliquando ex occasione cujusdam miraculi clamor populi excitaretur, ille altiori consilio vulgi admirationem compescere nitebatur, opus illud dicens, non suae fuisse fidei, sed divinae virtutis: pie secum reputans, meliorem esse infirmitatis conscientiam virtutum vanitate, ut cum Apostolo videatur dicere: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (2. *Cor.* XII).

§ 4. Unde nisi hodierna patris nostri solemnitas in laudibus Regis superni nos attentius adstringi commoneret, eos nimirum, quos adversum sanctum virum requirentes signa scandalizari audivimus, oportuerat Evangelicae severitatis verbere contundi, quae dicit: *Generatio mala et adultera signum quaerit* (*Matth.* XII): ut pharisaici livoris vitio ad purum excocto, fidei Evangelicae verba pensarent: quae ipse auctor signorum dixit: *Qui in me credit, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* (*Jo.* XIV): ut videlicet, cessantibus exterioribus miraculis, quibus olim carnales oculi, et infirmi auditores indigebant, jam tandem discerent vitam, et non signa, pensare, quae longe melius proficit ad aemulationem virtutum, quam ostensio corporalium miraculorum. Visibilibus enim miraculis audientium corda olim ad invisibilium fidem pertrahebant, dum per hoc quod mirum foris agebatur, hoc quod intus operabatur, sentiretur. Nunc autem vita, et non signa quaerenda sunt: quia, operante Deo, numerositas fidelium excrevit. Sed ne forte quilibet hoc beatum Autbertum indigère arbitretur, ut ad excusandam signorum inopiam, nos de vita potius, quam de miraculis, loquamur: certe praeter illa, quae, ut jactantiam vitaret, occultavit, neque in hominum notitiam passus est pervenire: multa quidem sunt, quae hominibus innotuere; neque enim celari potuerunt: ex quibus aestimari potest, quanta illa fuerint, quae, teste nullo, solus exercuit.

Verumenimvero cum Scriptura dicat: *Gloria patris est filius sapiens*, ea fidelibus auditoribus sufficere poterant de viro Dei ad insigne virtutis, quae per imitatores suos egisse videtur: quia hoc ab ipso sibi acceperunt, quod signis et miraculis enituerunt, quod mundi gloriam calcantes, et carnis illecebras declinantes, spretis rerum possessionibus, soli Conditori toto corde adhaeserunt.

§ 5. Sed quia signum de coelo quaerentes a Domino, signum Jonae audierunt, qui tamen signum Jonae a mortuis resurgentis non crediderunt, per revocatum hominem quasi de ventre ceti infernalis, pensanda sunt merita beati pontificis. Erat namque in Ecclesia beatae Mariae, quae intra muros Cameracae sedis est constructa, puer quidam nobilis prosapiae, in villa ortus, quae ab incolis Vallis nomen accepit, vocabulo Landelinus, quem parentes fonte baptismatis innovandum, et ob suarum salutem animarum, disciplinis sacris imbuendum beato Autberto tradiderunt. Qui, licet adhuc tenerae aetatis infirmitate detentus, praetendebat moribus quaedam signa futurae sanctitatis. Quamobrem antiquus humani generis inimicus, qui ab initio bonis actibus resistere contendit, invidiae facibus accensus, contra hunc in tentatione se erexit: quatenus et beato viro laboris sui fructum adimeret, et puerum mortis vulnere sauciaret. Futurum enim metuebat, ne per conversationis ejus exempla multi olim excitarentur ad normam justi operis exequendam. Sed unde hostis impurus adversum beatum Autbertum suae malitiae ausum excitavit, inde ei victoriae occasionem invitus ministravit. Nam quia sub districta providi magistri censura puer adhuc modicus agebatur, ex quo nulla sibi insolentiae patebat occasio, frustratam sibi malignus spiritus erubescebat victoriam. Ut autem in virilis animi robur adolescens evasit, quae aetas liberior ad quaeque audendum semper videtur, continuo hostis improbus se totis viribus ad rebellionis artes reparavit: coepit subdola tentatione juvenis animum pulsare, cogitationesque varias et illicitas ingerere: nunc quidem imminens ei memoriam terreni patrimonii, generis nobilitatem, familiae numerosam dignitatem, rerum gloriam, et reliqua vitae lascivioris blandimenta. Verum quidam cognati contubernales illius, qui eum puriore gratia dilectionis amare videbantur, dum se juveni consulere putabant, perniciosius eum malae persuasionis ictibus impugnabant. Qui et ipsi eodem spiritu agitati, referebant egregiam juventutis formam, indignum esse ecclesiasticis cultibus occupari: debere potius virtutem veterum imitari parentum, qui militiae secularis artibus magnam rerum gloriam acquisierunt. Illam autem monasterii regulam duram, intolerabilem, planam ad suscipiendum, arduam ad exequendum, nemini expetendam, nisi quem animus formidolosus, aut aetas debilior, aut nullum decus fortitudinis apta, vivere inglorium cogit et ignotum. Verum sicut solet fieri, ut omnis sermo malus

facile mentem audientis inficiat, cum assidua colloquia et diuturnus usus pestem animis infundere soleant, etiamsi morum tranquillitas sit: tamen sicut stagnum mite, ventis exagitantibus, in aestum assurgit: ita bona natura improbis monitoribus fluctuat. Patet certe fallaciae aetas juvenilis et facile decipitur, cum fraudulentorum insidiis circumvenitur. Vix etiam resistit dolis aetas senilis: nam et senum prudentia plerumque versutis circumventa insidiis irretitur. Ergo si maturior usus saepe labefactus, neque sibi prospicere potest: quid mirum, si aetas immaturior sibi adesse non potuit, quae tantis perurgebatur insidiis? Provida itaque Dei dispensatione permissum est, ad tempus praevalere improbi seductoris malitiam, non tamen ad fructum socialis * ruinae; sed ut manifestarentur opera Dei et meriti beati Autberti in illo. Sicque factum est, ut hostis impurus non se ab incepto ante compesceret, quam incautum juvenem sensim ad sententiam suam inflecteret.

§ 6. Qui malesuadae dilectionis blandimentis mollior factus, concito ceu equus infrenis, rectore contempto, monasterium deseruit, et secularis militiae armis intentus, postmodum se collegit totum ad studia rapinae: et quos hujusmodi negotiis voluntarios audivit, his tota familiaritate se non inferiorem dedit, tanto pronior ad scelera, quanto ei de impunitate securitas, et potentis generis adspirabat auctoritas. Timens vero, ne de se sollicitis parentibus requiri debuisset, neve indicio nominis invenire potuisset, mutato nomine, quo appellari consuerat, Maurosum se appellari jubet. Sane non incongruum talibus studiis agnomen, qui candido ecclesiasticae munditiae habitu exspoliatus, furtivam Mauritanae infidelitatis mentem latrocinandi studio induerat, et perditionis se latebris occultaverat. Qua rerum fama excitatus vir Dei, altius quam dici possit, ruina fratris ingemuit: sed et de praesumptione adversarii pro indignationis motu infremuit. Quid tamen ageret? Itaque unum, quod illi semper familiare erat subsidium, adiit orationis remedium, multisque pro errantis juvenis salute precibus Dominum rogat, quatenus respectu gratuitae pietatis animam captivam de laqueo inimici erueret, ne hostis immundus Dominici gregis damno insultaret. Non autem inanis esse potuit sancti viri petitio, quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Porro humanae salutis amator competentem famuli sui causam praevidit, qua et piae petitionis compleret effectum, et sanctae matri Ecclesiae erroneum restitueret filium.

§ 7. Contigit quidem, ut cujusdam divitis domum diripere cum suis complicibus solito more pararet. Cumque jam incumbentibus tenebris nox tetra inhorresceret, qua illi nefarium opus perficere festinabant, pia Dei dispositione contigit, unum ex

* Locus mendosus. Forte legendum est *ad effectum finalis*.

supradictis furunculis morte deprehensum spiritum exhalasse, cujus animam corporeo carcere resolutam, peccatis exigentibus, diabolus secum ad infernalia claustra traxerat. Ad cujus exequias dum inani religionis studio socii excubarent, et Maurosus defuncti dolore vehementer afflictus, se ex lassitudine et tristitia paululum daret quieti, divina voluntate, et suffragantibus meritis beati Autberti, datum est adolescenti videre, quantis poenis illa miserrima anima in inferno cruciabatur, quantis ultricis flammae incendiis urebatur, ac si erranti juveni ex divina voluntate hoc daretur ad exemplum formidinis, ut videlicet ex hac consideratione colligeret, quanta ei reatus sui poena instaret, quem ex consortio criminis similis culpa accusaret.

§ 8. Consternatus vero tanto terrore visionis juvenis, animo aestuabat, quemadmodum tam districtae animadversionis judicium subterfugere valeret, sed ex consideratione criminis oriebatur quasi diffidentia recuperationis. Tum vero in terram corruens, lacrymabilis querimoniae se vocibus incusabat. Cui assistens Angelus Domini: « Quidnam est, inquit, miserande juvenis? Quid innocuas auras infructuosis fletibus fatigas? Quid illum importunis precibus inclamas, quem offendere non timuisti? Haeccine est stola, quam ab ipso fonte regenerationis indueras? Haeccine professionis fides, quam, abrenunciato satana cum suis operibus, te servaturum promiseras? Quid vultus supernos refugis, quos habiturus eras concives, si Autbertum audisses? Ecce quomodo filius Dei factus mancipium diaboli. Nunquid Maurosus signatus, Maurosus unctus, Maurosus renatus? Landelinum in libro nobiscum vitae Autbertus obtinuerat adscribi: Maurosum diabolus secum inserit chirographo perditionis. Scias vero, quia non leviter apud districtum judicem actum est, quod ad injuriam suam insolentias tuas tam aequanimiter hucusque portavit, quod fugitivus ejus aut manus hominum impune effugerit, aut mortis laqueum declinare potuerit. Diu enim est, quod tanti poenam incendii cruciandus subiturus eras, nisi intercessio beati Autberti advocati tui, iram ultricem judicis mitigasset. Tibi paratus ignis cruciatorius accenditur, sed Autberti lacrymis flammae ejus extinguuntur. Vel nunc expertus intellige, quid potius eligas: cum tormento duci in barathrum gehennae, vel cum Autberto frui coelesti mansione. Sed sera ista deliberatio fuisset, nisi Autbertus praevenisset. Relinque igitur execranda consortia latronum, et Christi militiam assumens, ducem tuum imitare Autbertum. Audi beatissimum praesulem, et recognosce tuum spiritualem patrem, tuum protectorem, tuum ab aeterno interitu redemptorem. Suscipe vero ab eo monita coelestis doctrinae: quibus emendatior factus, merearis stolam, quam perdideras, recipere ipso intercessore. » Hic dictis, Angelus continuo disparuit. Nos vero quale quantumque aestimare possumus, quod Autbertus, testibus

Angelis, virtutum gratiâ nitet, et apud homines debitae venerationis officio caret. Porro sunt plena jucunditatis, quod adhuc in terra homo positus, inter angelicos cives meritis fulget : sed non sine dolore et formidine recolitur, quod supernis coetibus conjunctus. iter homines negligentius digno cultu venerationis celebratur.

§ 9. Jam vero Landelinus angelicis affatibus paulisper recreatus, sed timens sibi subvenire tardius, relicto nefandae societatis collegio, quantocyus civitatem petiit, et, si ibi vir sanctus esset, a custodibus diligenter requisivit. Qui de praesentia beati viri certior factus, nihilque dissimulandum arbitratus, poenitentia ductus, pedibus sancti provolutus, culpam fatetur, errori veniam poscit. Tum vero videres ex longinqua regione prodigum filium redeuntem, et patrem in oscula ruentem. Itaque vir sanctus paterna pietate praestrictus, juvenem excepit, veniam promittens, si mala praeterita melioris vitae conversione purgaret. Nihil igitur diffidendum putaret: se pro illo rationem redditurum: quicquid fuerat offensionis, innocentiae vice computandum, si tamen scelerata consortia penitus vitanda aestimasset. Paratum se juvenis ad omne satisfactionis genus fatetur, utpote quem recentis adhuc visionis horror terruerat. At pius pater votis ejus congaudens, suscepit eum poenitentem, quem diu fleverat a se recedentem, sinumque ei divinae aperiens misericordiae, reddidit eum sanctae Matri Ecclesiae. Qui intantum sub disciplina venerabilis patris vigiliis se et jejuniis, praeteritorum agens poenitentiam, constrinxit, ut inferni eùm vidisse et pertimuisse tormenta, etiamsi lingua taceret, conversatio loqueretur. Itaque sub seculari habitu in monasterio aliquantulum conversantem, vir sanctus ad purum hortatur relinquere seculi negotia, ut liberius meditaretur coelestia. Paratumque videns ad omnia, abscìdit ejus comam capitis, a quo depulerat maculas cordis. Adeptum denique hanc dignitatis gratiam, dum animadverteret in eo sanctitatis vigere virtutem, per singulos gradus promovit ad Diaconatus officium: ad quod sic apparuit aptus, ut liquido clarescceret omnibus, quod Dei gratia ad id electus esset. Paucis vero interpositis diebus, cum magis ac magis semetipsum erigeret in Dei famulatum, beatus pontifex agens gratias Deo, ad Presbyteratus culmen eum evexit.

§ 10. Sublimatus autem in hujus apicem honoris, enarrari non potest, quanto virtutum culmine excrevit. Jam vero magistri moribus informatus, et exercitatae conversationis usu roboratus, conventicula urbana fastidiens, se ad remotiora loca contulit in locis desertis secus fluenta Sambrae. Quo in loco solitudinis cum signis et miraculis, et piae conversationis studiis pollere videretur, multi illic ab eo ad servitium summi Conditoris sunt congregati. Ad evacuandam igitur prioris vitae maculam, in locis, quae sibi ad refugium et receptaculum latronum paraverat, monasteria

construxit, statuens ministros in executione Ecclesiasticae institutionis: et quos ante socios habuerat criminum, postmodum fecit cooperatores divinorum mysteriorum. Quae, si quis vitae ejus seriem, textumque conversationis diligentius inspexerit, facile inveniet *: praesertim cum monasteriales habitationes, quas ipse construxit, praesentibus potius appareant, quam nostro sermone explicentur. Nam ut de reliquis sileam, quae fortasse non benevolis auditoribus fastidio sint, apud Laubias extruxit monasterium in honore beati Petri Apostoli: quod cernentibus quidem ad indicium egregii laboris sufficere potest, quod etiam regiis ditavit muneribus, ac villarum familiaeque replevit copia: cui quicquid priorum Regum munificentia passim per Francorum acquisivit regna, delegavit, ne fratrum congregatio ibidem serviens, egeret his, quae monachis feruntur esse congrua. Quo in loco regendae Ecclesiae beatum Ursmarum ** praefecit, virum moribus ornatum, signis et miraculis coruscum: cujus dotem meritorum vitae ipsius libellus editus insinuat. In praesentis autem exempli negotio, quis non similem Joanni arbitraretur Autbertum, dum ille ex latrone tutum Ecclesiae provisorem, iste ex aeque latrone, et ex impio raptore, verum fecit Domini sacerdotem? Sed nobis ista interim replicantibus pensanda occurrit immensa pietas Conditoris, qui post lapsum peccatores ad innocentiam venire donavit. Jam ex illius sententia maxillam Leviathan armilla divinitatis suae perforatam et credimus, et gaudemus, dum viro huic semel in fauces ejus lapso, et evadendi aditum aperuit, et, ne ulterius relaberetur, custodivit.

§ **11**. Athenis vero urbe Graecorum nobilissima, adolescens quidam inclytis ortus natalibus, studiisque litterarum exercitatus, sed et fidei moribus adornatus, ex inspiratione superni amoris patriam parentesque deserere, cursumque longae peregrinationis meditabatur assumere: quatenus impensis temporalis exsilii mercaretur aeternae portionem haereditatis. Igitur Romam veniens, oratoria Apostolorum orationis gratiâ lustrando, aliquantulum temporis explevit. Qui nocte quadam lassescentibus ex itinere artubus in somnum resolutus, divinae jussionis voce monetur occiduos Galliarum fines expetere, pagumque Hagnon penetrans, congruum suae habitationis locum quaerere, ubi oratorio constructo, vocationis suae tempus exspectaret. Sciens ergo divinam providentiam sibi semper affuturam, laboriosi cursus non paveret injuriam, donec ad locum perveniret: ubi inveniret, qui sibi peregrinationis portum indulgeret, et rerum adjumenta praestaret. Qua voce divina beatum portendi Autbertum, sequentia indicant. Sed jussionem Domini explere desiderans vir Dei Gislenus***

* Habetur enim ejus Vita in Vol. VI, pag. 353, etc.
** S. Ursmari Vitam lege in Vol. IV, pag. 347, etc.
*** Hujus vitam quaerat lector in Vol. X, pag. 305, etc.

(sic enim erat nomen illi), regionibus diversis, insulis et urbibus peragratis, prospero cursu tandem pervenit ad locum, qui tunc temporis ab incolis Ursdungus dicebatur, ex consuetudine videlicet ursae parturientis: nunc vero Cella vocatur. Qui locus distat trigenis fere millibus ab urbe Cameracensi: in qua ipse ex divino oraculo sanctum pontificem super gregem Christi cura pervigili audierat insudare. At ille noxiis avulsis arboribus, basilicam in honore Apostolorum coepit aedificare, et studiis bonorum se operum exercitare. Disseminante vero diabolo zelum invidiae per corda malorum, auditum est, aliquos, ut est mos adulantium, sancto Episcopo suasisse, ne sineret illum pseudodoctorem in finibus suis ad injuriam sui honoris manere, ut qui ad seducendas mentes simplicium, urbana sapientium conventicula vitans, in has solitudines devenisset. Sed vir Domini advertens suggestionem invidia potius, quam ratione, compositam: Non est, inquit, nostrum, hominem indiscussum judicare, neque omni spiritui credere donec probetur, si ex Deo sit.

§ 12. Mittitur itaque nuncius, qui hominem ad conspectum pontificis accersire debeat, hoc interim proposito, ne vir Dei ex conventu quovis injuriae motu contristaretur. Evocatus autem beatus Gislenus, coepit Deo gratias agere, quod se per suum pontificem superna gratia visitasset. Perveniens itaque ad urbem, sancto praesentatur Episcopo: quem ille, ut flagrabat charitatis dulcedine, sic affatus: « Dic, inquit, nobis, frater carissime, cujus es, cujusve dignitatis? » Cui ille respondens: « Graecus, inquit, natione, Christianus vero dignitate. Athenis vero ortus, Christi baptismate renatus, ita Romam adiens, per Dei praeceptum hanc perveni in patriam, super flumen Hagnam, in loco qui dicitur Ursdungus, operor manibus, aedificare gestiens Deo oratorium. Desiderabam equidem tuam expetere sanctitatem, petiturus licentiam agendi quae sunt coepta, sed praevenit gratia tua, quae nos accersivit. » Intuitus autem almus Episcopus viri sermones, nihilque reprehensionis deprehendens, dilexit eum; sicque per aliquot dies gratiâ hospitalitatis retentum, et corporalis alimoniae subsidio, et sacro spiritualis vitae colloquio satiavit. Dehinc benedictionis suae munere donatum, acceptaque regrediendi licentia, eum venerabilis pater hortatur perficere studiose, quae coeperat, seque peractis, quae congruerent, oratorium suae auctoritatis benedictione consecraturum promisit. Qua Episcopi promissione laetus, operi ardentius instabat, animadvertens jam ex rerum eventu se illum invenisse, quem ad ministerium socialis laboris divinitus audierat sibi promissum. Expletis vero pro modulo suo, quae monasticis usibus congruebant, vir Dei venerandum talibus verbis interpellat Episcopum: « Tempus adest, pater, quo servo suo dominus pontifex promissae benedictionis munus exsolvere debeat. » Gaudens igitur venerabilis pater bonis viri studiis,

accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusae plebis exultatione, monasterium dictum ad laudem Domini, et honorem Apostolorum Petri et Pauli, consecravit.

§ 13. Sed et illud praetereundum non aestimo, quod cum superni spiritus in rebus humana sollicitudine administrandis, paucis, et illis purioris vitae munditia praeditis, nonnisi per visiones, aut obscura mysticae visionis aenigmata se videri permittant: beatum Autbertum angelos corporalibus oculis saepe vidisse, multi audierunt. Quod mirum prudentibus videri non debet, cum internus mentis intuitus, corporei adspectus lumen ad spiritualia cernenda accenderat, quem ab infimis rebus virtus continentiae clauserat. Rerum quidem necessitas exigebat ut venerabilis pater canonicos suos, qui Atrebati * in beatae Mariae monasterio famulabantur, visitaturus adire deberet: qui locus olim et ambitu murorum, et frequentia civium celeberrimus fuerat, sed gentium infestatione a prisco statu deformatus, crebris ruinis hucusque consistit. Ubi cum de rebus ecclesiae satis ad tempus tractasset, quadam nocte ut illi semper erat moris, fratribus adhuc quiescentibus, surgens, nocturnae orationis tempus, usque in lucis crepusculum continuavit. Necdum vero cursum orationis expleverat, cum se foras, quasi pro refocillandis aliquo relevamine artubus, suspensa interim oratione, contulit, et stans in moenibus, coepit piae meditationis motibus pulsari, quamobrem Vedastus **, tantorum spatio annorum vilis sepulcri caespite clausus, debito honore careret, quem jam supernorum civium consortio exultantem, coelestis Jerusalem ceu gemmam virtutum fulgore micantem adscivisset. Etenim a die depositionis ejus usque ad tempus beati Autberti, sex fuere Episcopi, quibus ipse septimus ad pontificii culmen successit, cum tot labentibus annis, gemma Dei pretiosa subterraneo adhuc specu claudebatur, cujus sepulcrum haud longe a dextro cornu altaris beatae Mariae distabat. Cum vero tot egregios Christi confessores illis fuisse temporibus audiamus, meritis sublimes, virtutibus illustres, minimis in rebus sollicitiores: proculdubio manifestum est, non eorum ignavia negligentius jacere tantum thesaurum, sed divino judicio et voluntate beati Vedasti, hoc exequendi muneris ministerium beato Autberto reservatum. Coepit igitur animo aestuare, quonam transferri sanctus confessor debuisset, reputans secum incongruum fore duo luminaria magna, angusta unius domus sede cohiberi: videlicet, ne ubi praeclara Dei Genitricis memoria, primatum nominis tenebat, tanti patris gloria obscurior videretur: cum repente, aurora rubente, Orientem versus intendens, videt eminus trans fluviolum, qui *Trientio* vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, basilicae locum metiri: ceu quondam Ezechiel secus fluenta Babylonis corpore positus, in spiritu venit ad terram Israël, ubi in visionibus Dei

* Vulgo, *Arras*. ** S. Vedasti Historia in Vol. II, pag. 147 habetur.

templum Domini manu hominis vidit metiri. Quod ille cernens, revelante spiritu, visionem cognovit angelicam. Intellexit igitur vir Dei, beatum Vedastum illuc, annuente Christo, transferendum.

§ 14. Beatus igitur pontifex tali revelatione certior factus, beatum Audomarum *, qui ea tempestate Tarvanensis urbis gregem cura pervigili regebat, ad tam solemne translationis officium invitandum aestimavit. Qui licet senio pressus, et amissione luminum debilior factus, imbecillioris tamen corporis tantum non formidabat laborem, quantum beati Autberti mandato satisfacere gaudebat. Difficultatem igitur corporis superabat charitas mentis, Christoque gressus regente, devotus ad venerandum pervenit Episcopum. At ille cum quid animo gereret, et quid sibi divinitus esset ostensum, referret, congratulabatur visioni, et se fraternae sedulitatis studio obedienter accinxit. Jam vero aestimari non potest, quanta confluentis populi turba eo die ad eum locum convenerit: clerus videlicet et utriusque sexus non ignobile vulgus. Parato igitur feretro, et omnibus quae necessaria videbantur, detecto sepulcro, et imposita antiphona, cum magna reverentia sanctum thesaurum sustulerunt, paratisque Crucibus et cereis, et omnigenis solemnis pompae ornatibus, cum magna plebis exultatione sanctum corpus ad locum destinatum transferre coeperunt. Transeuntes autem praedictum fluviolum, cum jam suburbanos fines contingerent, et beatus Audomarus sancti Autberti vestigia pedetentim prosequeretur, statim supernae operationis in se agnovit virtutem: ut ei aperte daretur intelligi quanti essent meriti, et is qui portabatur, et is quem portando sequebatur. Nam, depulsa longae caecitatis nocte, statim oculorum lumen recipit, in loco videlicet ubi in memoriam beati Autberti ecclesiâ constructâ, a praesentibus adhuc cernitur in testimonium praesentis miraculi. Sed quia venerandus vir Audomarus parvipendebat lumen carnalium oculorum qui lumen certe civium desiderabat supernorum, illico precibus eandem, quam ultroneus ferebat, rursus impetravit caecitatem. Qua in exhibitione miraculi non latet virtus operantis, sed superest quaerere meritum optatae virtutis. Verum subtilius speculantibus dubium esse non potest, quia praeeuntibus meritis sancti Vedasti, fides, ut efficeretur, obtinuit beati Autberti. Stupentibus autem qui aderant vario eventu miraculi, beatum corpus ad locum ab angelo designatum honorifice transtulerunt. Quo in loco venerabilis Episcopus monasterium construxit, et ex rebus sui Episcopii in usum famulantium pro rerum opportunitate donavit: ubi juxta congruam rerum facultatem fratres in obsequia divini cultus deputavit. De obitu vero, quo tempore sancta beati Autberti ** anima carne soluta, supernam Jerusalem petiit, certum quid ad nostram notitiam non pervenit,

* Hujus festum die 9 septembris celebratur. Vide Surium, hac die.
** S. Autbertus obiisse videtur anno 668. — Ita Baillet.

nonnullis obsistentibus causis, quae etiam maximam virtutum ejus partem a nostra memoria sustulerunt. Fuit autem sanctum corpus ejus tumulatum in ecclesia beati Petri, quae extra muros civitatis tunc erat, nunc vero intra moenia ejus est. In qua requievit usque ad tempus Dadilonis episcopi, qui ei decimusquartus in Episcopatu successit. Hic, cum Nortmanni Galliam depopulati essent, cum magna diligentia sanctum corpus in ecclesiam beatae Mariae transtulit, ubi honorifice collocatum, multo tempore quievit.

§ 15. Porro Otho * imperator, Henrici regis filius, a Fulberto Cameracensi Episcopo dari sibi petiit corpora sanctorum praesulum Autberti et Gaugerici. Ille vero quibusdam in consilium adhibitis, Theodorici Cameracensis episcopi, et alterius sacerdotis corpora ei dedit, quibusdam adjunctis e corpore S. Autberti articulis: prudenter id quidem, ne civitas Cameracensis suis patronis orbaretur. Laetus igitur Imperator, praeclaras reliquias in monasterio, quod ipse Magdeburgi construxit, reponendas curavit. Porro autem famam Germaniam omnem occuparat, sanctos Autbertum et Gaugericum e Galliis in Saxoniam translatos: sed secus ipsa res habet. Nostris enim temporibus Herluinus praesul Cameracensis diligenter perscrutatus, beati Gaugerici corpus maxima ex parte reperit. Ejus autem successor Gerardus monasterium in quo sanctus Autbertus quiescit, ab Herluino amplificatum, in memoriam sancti Pauli solemniter consecravit, sacrumque beati Autberti corpus suis sedibus restituit anno Christi decimoquinto supra millesimum. Qui locus haud procul abest ab ecclesia sanctissimae Matris Dei, et perpetuae Virginis Mariae: in eoque recta fide petentibus, beato Autberto intercedente, beneficia divina praestantur.

# VITA S. JUDOCI

## FILII REGIS BRITONUM ET CONFESSORIS

### PER FLORENTIUM ABBATEM CONSCRIPTA.

### HABETUR IN MS. CODICE GUILHELMITARUM BRUGENSIUM.

**Seculo VII claruit.**

PROLOGUS. — Universis sacrosanctae matris Ecclesiae fidelibus, et praecipue confratribus gloriosi confessoris Judoci **, per Francorum et Teutonicorum regna constitutis, Florentius divina miseratione Abbas indignus, totusque conventus beati Judoci de supra

* Hujus nominis I, vir pacis bellique artibus insignis, pietatis autem assertor praecipuus. Eum posteri Magnum appellavere, Romanum Imperium gessit ab anno 962 usque ad annum 973.
** Gall. *Josse.*

mare, salutem mentis et corporis. Frequenti ac devota nonnullorum de vobis postulatione devicti, et non minus charitatis mutuae dilectione vobis devincti, devotioni vestrae compendiose scribere dignum duximus, cujus nationis, cujus conversationis, quantique meriti fuerit apud Deum dum adhuc esset in terris, inclytus ille ac gloriosus confessor Domini Judocus, qui sibi servientibus, et vobis ipsum annuatim requirentibus non desistit quotidie patrocinari: cum Christo regnans in coelis, et merito in coelesti regno prae caeteris obtinet principatum, qui pro Christo, Patris sui regnum in terris, et terrenum contempsit dominatum.

§ 1. Vita. — Ipse namque eximius Christi confessor Judocus, de illustri procedens genealogia Riovali, qui principabatur in transmarina sive majori Britannia, quae modo dicitur Anglia, et postmodum in copiosa navium multitudine ac manu valida exteriorem sibi subjecit Britanniam * filius fuit Rethaëli Regis Britonum, habuitque fratrem majorem natu beatum Rodichaëlum, qui regnavit post patrem ipsorum Rethaëlum. Isti duo fratres, immo duae gemmae coelestes, Rodichaëlus videlicet et Judocus, contemporanei fuerunt Dagoberti regis Francorum : cum quo post graves adinvicem inimicitias, pacificatus est in palatio Dippiaco ** amicus Dei rex Britonum Rodichaëlus, magnisque honoratus muneribus ab ipso rege Dagoberto. Rogatus tamen a Dagoberto Francorum rege, ut pranderet cum eo, voluntati ejus et voto non acquievit regio : sed eligens mensam Dadonis, qui et Audoënus ***, postmodum Rothomagensis Episcopi, ejus dignatus est interesse convivio, malens inter diversa fercula sacris eruditionibus ipsius (qui vir erat sanctissimus) informari, quam ex superfluis enxeniorum diversitatibus in mensa regia fastidium sibi generari.

§ 2. Regressus consequenter vir Dei Rodichaëlus rex in Britanniam, et regnum relinquere praemeditatus et patriam, ac vitam ducere monasticam, fratrem suum juniorem se, beatum scilicet Judocum, conveniri fecit, de suscipienda regni gubernatione, ut in suo permanere posset proposito, et monachorum fratrum cohabitatione. Frater autem ejus beatus Judocus non minus eo fervens in divina dilectione, induciis deliberandi per octo dies a Rege fratre suo vix impetratis: die noctuque anxia cogitare coepit intentione, quomodo relinquere posset, immo effugere, et regnum et patriam, ac fratris sui, qui regnabat, declinare malevolentiam. Ipso igitur in monasterio Lammailmon (in quo litteras didicerat) moram faciente, et orationi frequentius hac de causa incumbente, contigit per illud monasterium undecim peregrinos praeterire, praetendentes quod Romam vellent proficisci. Hos itaque insecutus secreto et eis associatus venit Parisius : verum utrum cum iis

* Britanniam scilicet Minorem, gall. *Bretagne*.
** Forte legendum est *Clippiaco*.
*** Hujus memoria die 24 augusti recolitur.

ulterius progrederetur in dubio positus, consilium tandem a Spiritu Sancto, qui gressus ejus dirigebat, in omnibus utile consequutus, ab itinere, tantum frequentato a populis, et a strata declinavit publica, dimissisque sibi a Deo transmissis itineris comitibus, ad Pontini * festinavit confinia, quae antiquis plena nemoribus, deserta erant et invia, et ab hominum cohabitatione remota, bestiis solummodo, feris et avibus habitabilia.

§ 3. Delectatus igitur locorum vasta solitudine, super fluvium Altejam ** disposuit habere habitationem. Sed a Duce Haymone obviam ei facto, forsitan ad hoc a Deo misso, retardatus est ab hoc proposito per spatium septem annorum : infra quos, et litteras magis addidicit, et sacros ordines suscepit. Qui tandem sacerdos effectus, filium jam dicti Ducis, qui eum in maxima habebat veneratione, de sacro suscepit fonte, quem vocavit Ursinum. Elapso autem septennio, juxta desiderium jampridem conceptum, ad vitam transiens solitariam, mansit in loco qui dicitur Brahic ***, fluminis rivulis undique circumdato: aedificatis ibidem ecclesia et domuncula. Praeter plurima quae per ipsum et propter ipsum Dominus fecit mirabilia, veniebant volucres, et pisces diversi generis ad sacram ejus manum, palpabiles, et receptis ab eo alimentis recedebant quasi domestici et intelligibiles.

§ 4. Quadam autem die, cum ad victum quotidianum non haberet, nisi panem modicum pro se et discipulo suo Wulmaro: et Dominus in specie pauperis adveniret, eleemosynam petens, vir Domini Judocus panem dividi jussit in quadrantes, et petenti de quadrantibus unum erogari. Jam vir egressus erat, et ecce revertitur Dominus in forma egeni deficientis inedia, et de secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni. Nec mora, regressus tertio, quasi esuriens ac deficiens fame, donatus est tertia panis parte. Consequenter visus est advenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosynam sicut jam tertio fecerat ante, nec erat unde reficeretur nisi de residuo panis quadrante, eum quoque vir Domini Judocus pauperi erogari jussit. Cui ait Wulmarus: « Nihil nobis vis reservare, pater? » Volo, inquit vir sanctus, totum tribui esurienti, quia potens est Dominus etiam hodie nostrae providere necessitati. » Vix recesserat Dominus, et interim dum consolaretur verus Dei amicus discipulum, de panis erogatione commotum: ecce per fenestram visae sunt et inventae in alveo fluminis quatuor naviculae victualibus onustae, de quibus quis eas adduxerit, vel quo jam victualibus exoneratas revexerit, nescitur usque in hodiernum diem.

§ 5. Haec et alia quae erga beatum Judocum Dominus quotidie monstrare dignatus est ibidem miracula, totam longe lateque commoverunt patriam, ad visitationem ejus et impetranda ipsius apud Deum suffragia. Quod cum diutius sustinere non posset, jam

* Vulgo *Ponthieu.* ** Nunc *Authie.* *** Nunc *Rai.*

octo annis ibidem elapsis, ad ulterius Domino duce processit desertum, ut populi nimiam declinaret frequentiam, construens oratorium in honorem beati Martini, in loco qui dicitur Rimacus * super fluvium: ubi plurimas ab hoste antiquo, qui felicibus ejus actibus invidebat, passus est insidias per quatuordecim annos quibus ibidem commoratus est. Eo in loco, aquilam cum gallo avolantem in sublime, post injuriam sibi illatam de gallinis undecim tot vicibus sigillatim depraedatis, per signum Crucis prostravit ad pedes suos, gallum autem suum sanum recepit.

§ 6. Non longo tempore interlapso, diabolus terribilem mutatus in colubrum, graviter sanctum Dei momordit in pede: qua laesione accepta, per Sanctum edoctus Spiritum ut alio transmigraret, comitante se duce Haymone, vastam circuibat erèmum, ut inveniret in ea habitationis locum. In quaerendo autem eo idem Dux post venandi exercitium, quo immanissimum ceperat aprum, gravi torquebatur sitis molestia, ac prae sitis lassitudine obdormivit. Electus interim Domini Judocus orationi incubuit, surgensque, baculo quo innitebatur terrae infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit et fontem largius effluentem, quo exhilarati Dux et ejus familia, suae sitis extinxerunt ardorem: et transeuntibus perinde usque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem.

§ 7. Progressus inde versus mare, in vallicula umbrosa rivulum offendit parvum, quo delectatus: « Hîc est, inquit, cathedra, haec requies mea in seculum seculi. » Haymone itaque duce ad propria reverso, vir Dei duo ibi lignea manibus propriis construxit oratoria, unum S. Petro Apostolorum principi, aliud S. Paulo gentium doctori. Deinde profectus est Romam ex mandato D. Martini ** sedis Apostolicae Pontificis summi, qui longo tempore concupierat conspicere faciem ejus, ac sanctissimo ipsius frui colloquio: a quo et receptus est cum honore debito ac multo dignationis obsequio. Verum ibidem edoctus est a Spiritu Sancto, quem in omnibus magistrum habebat et custodem, ut ad eremum suam reverteretur, quam in terris sibi elegerat habitationem, inde in brevi exiturus a corpore, et transmigraturus ad Angelorum collegium, ac perpetua divinae majestatis fruiturus contemplatione. Post sacra igitur et multa de aeternitate colloquia, inter ipsum et Pontificem habita, cum pretiosissimis sanctorum reliquiis a domino Apostolico sibi collatis reversus est, cum totius patriae gaudio, ad Pontini confinia. Cui in monte habitationi suae proximo (ubi modo requiescit sanctum corpus ejus) obvia facta est puella quaedam, parentum obsequio adducta, non tantum a nativitate caeca, sed prorsus oculorum orbibus carens. Hîc ubi vir sanctus manus de more abluisset, illa ut fuerat visione nocturna praemonita, ex eadem aqua quae viri sacras manus

* Hodie *Villers Saint Josse*, apud *Etaples*.
** Anno 664. Verum non Martinus, sed Vitalianus hoc tempore Summum Pontificatum gerebat.

attigerat, faciem et concava oculorum loca lavit: quae statim receptis luminibus, maximam universis qui aderant, cum admiratione laetitiam et gratiarum actionis materiam subministravit.

§ 8. Duce itaque Haymone praesente cum innumera cleri plebisque caterva in occursum ejus congregata, sanctissimas reliquias quas attulerat, cum ea qua decuit devotione, vir sanctus reverenter deposuit in nova beati Martini ecclesia, quam praefatus Dux lapidum ornatu jam restauraverat: ipse vero Domini sacerdos praeparavit se ad divina celebranda mysteria, stolam ac casulam candidam indutus. Qui cum adstaret sacro altari, tertio Idus Julii, ac divina cum summa veneratione tractaret sacramenta, manus Domini visibiliter apparuit inter sacrosancta Missarum solemnia, suumque sacerdotem consignavit et confirmavit benedictione perpetua, cum subsequente promissione ac voce mirabili caelitus emissa: « Quia contempsisti divitias, et paterni regni pro me refutasti culmina, ac elegisti pauper esse, et latère abjectus in terra ista deserta et invia, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum: praeparavi tibi coronam inter Angelorum agmina, eroque loci hujus, in quo resolveris, defensor et jugis custos: universique populi locum hunc cum pia devotione, et pura cordis intentione visitaturi in tui memoriam, divina non defraudabuntur gratia in terris, et postmodum ad gaudia pervenient sempiterna in coelis. »

§ 9. Subsequente vero tempore, pretiosa Christi margarita Judocus, in carne praeter carnem vivens, Angelus esse videbatur non homo: qui tandem cupiens dissolvi et esse cum Christo, Idibus decembris * obdormivit in Domino, Angelorum obsequiis et Christo duce (cujus praesentiam indicabant intolerabilis claritas splendoris, et incomparabilis dulcedo divini odoris) deductus in coelos. Cujus corpus, quia virgo fuerat, ac immunis a carnalis commixtionis contagio, ita salvum ac integrum permansit in tumulo, ad sexaginta fere annos, acsi spiritus vitae foret in eo. Nam a custodibus corporis sui ungues manuum ipsius ac pedum, et capilli capitis barbaeque, quasi viveret excrescentes, praecidebantur et radebantur omni sabbato, quousque successor ducis Haymonis, Doctricus nomine, minus reverenter ac praesumptuose (immemor illius Scripturae, *Non tentabis Dominum*) sacrarium violenter irrupit cum satellitibus suis, ac intravit locum ubi repositum erat corpus sanctissimi confessoris Judoci. Qui viso miraculo, statim caecitate percussus, in amentiam incidit, ac miserabiliter exclamans: « Ha sancte Judoce, » surdus permansit ac mutus quoadusque diem clausit extremum; temeritatisque suae in praesenti seculo excepit poenam, ne a Domino, bis qui non punit in idipsum, hac de causa damnaretur in futuro.

§ 10. Haec de libro vitae ac gestorum beati Judoci breviter

* Anno circiter 668.

excerpsimus, ut vobis, qui ejus estis peregrini et confratres, ejusque sub patrocinio degentes, aliquo modo satisfaceremus. Prolixitatem vero miraculorum, quae per ipsius merita Dominus operari dignatus est, penitus pertransire dignum duximus, quia in enumerandis omnibus, nec memoria nec sermo vires suppeditant.....

# PASSIO SS. MARTYRUM

# NICASII EP. RHEMENSIS ET EUTROPIAE SORORIS EJUS AC SOCIORUM

## UT HABETUR IN PERANTIQUO MANUSCRIPTO CODICE, CUI SUFFRAGANTUR ANTIQUA MARTYROLOGIA *.

**Martyrii lauream consecuti sunt anno 407.**

§ 1. Tempore quo Wandali multas urbes subvertentes, per diversas provincias, nihil aliud quam Christianorum sanguinem sitire videbantur, clarebant in Galliis Nicasius Rhemensis, et Anianus ** Aurelianensis Pontifices, magnis prodigiis et virtutibus insignes; qui meritis suis ac precibus, hanc iram indignationis Dei differre decertarunt, ut populum interim ad poenitentiam revocarent. At illi thesaurizantes sibi iram, nullatenus eorum praeceptis salutaribus obtemperant. Interea Wandali castrametantur circa urbem Rhemorum, et omni regione depopulata, Christianos potissimum, velut deorum suorum inimicos, et moribus paganorum contrarios, omnino delere satagebant. Ultimo itaque subversionis die, illis circumquaque fortiter proeliantibus, cives terrore perculsi, ad sanctum Nicasium, in orationibus prostratum, cucurrerunt, interrogantes quid utilius fieri decerneret, aut servituti se gentium tradere, aut usque ad mortem pro salute urbis dimicare. Qui praescius, ex revelatione divina urbem penitus subvertendam cum magna constantia respondit: « Indignationem hanc, justo Dei judicio, nostris sceleribus provocatam non ignoramus. Quapropter ad flagella divina compuncti, non inviti, aut desperantes, sed patientes et devotissime, cum summa spe salutis nostrae suscipiamus mortis periculum, quatenus ipsa mors praesens, non supplicium nobis fiat, sed remedium. Ecce ego, quasi

* Hanc Passionem e posteriore Suriana editione exscribimus.
** S. Aniani natale die 17 novembris recolitur. Vide ergo Surium hac die.

pastor, pro ovibus mori paratus sum. Proinde instantius oremus pro inimicis nostris, salutem illis optantes tamquam amicis. »

§ 2. Sancta quoque Eutropia, germana sua, expansis in coelum manibus, plebem pro viribus ad martyrium provocabat. Dum ergo furibundus paganorum impetus irrueret, vir sanctus, comitante furore, cum hymnis et canticis spiritualibus, ad ostiam basilicae sanctae Dei Genitricis Mariae, quam matrem sedis suae fundaverat, occurrit. Moxque ut ferratas acies vidit, manu silentium indicens, ait : « O nutibus divinis ministra, fortitudo, quare contra naturam humanae conditionis, victoriam vestrae dignitatis in rabiem convertitis? Nam veri juris titulus quondam nobilium bellatorum inscriptus erat: *Parcere humilibus et debellare superbos*. Et ecce plebs Christiana, Deo suo humilis et devota, vestris in conspectibus prostrata, remissionem peccatorum usque ad mortem obediens exspectat. Poenitemini et vos pro sceleribus vestris, Deum verum agnoscentes, ne forte indignatio ejus quae per vos, filiis fit ad correptionem salutis, vobis sit stipendium tartareae damnationis. Quod si oves meas, perseverante impietate, quaeritis trucidare, me primum pro ipsis, victimam divinae majestatis, libate, ut pariter digni beatitudine coelesti mereamur inveniri. » His dictis, cum in oratione prostratus versum hunc decantaret: *Adhaesit anima mea* (*Ps.* 118), illico gladiatoris ictu sequente, ac capite truncato, verbum sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sententiam quam petiit, adimplendo impetravit dicens: *Vivifica me secundum Verbum tuum.*

§ 3. Sancta vero Eutropia, videns circa se impietatem eorum mitigatam, ob corporis sui pulcritudinem, super interfectorem sacerdotis insiliens: « Heu, crudelis tyranne, ait, quid fecisti? Magnum Dei virum indignis jugulasti manibus, et me tibi abutendum reservas? Divina te jam jamque damnat sententia.» Quem ita ad martyrium suum provocans, saltu repentino, raptis palpebris, non foeminea virtute, sed divina ultione, oculos ejus evulsit; maluitque gladios persequentium sustinere, quam delectationibus paganorum assentiendo peccare. Illico igitur sacro fuso sanguine, palmam martyrii cum germano suo, et caeteris sanctis ibidem triumphantibus a Domino promeruit.

§ 4. Universorum autem expleta caede sanctorum, terror subitaneus omnes persecutores Wandalos invasit, cum propter virginis audaciam, et Dei ultionem quam prospiciebant, tum propter acies coelestes, quas contra se dimicare sentiebant, tum etiam propter horribilem sonitum, quem in Ecclesia audiebant, ita ut, relictis spoliis, irrevocabiliter aufugerent. Sicque, manente civitate solitaria (nam fideles incursiones Wandalorum pertimescentes, ad montium munitiones confugerant), sub custodia tantum angelica Martyrum ibi corpora servabantur: ita ut in noctibus a longe coelestia conspicerentur luminaria, et suavissimi soni

supernarum virtutum a multis audirentur carmina. Unde ex revelatione divina confortati concives paucissimi qui remanserant, ad urbem properant, ac cum jejuniis et orationibus hymnorumque decantationibus Sanctorum corpora in locis congruis circa civitatem venerabiliter humaverunt, ac de caetero sine timore hostium Domino servierunt. Corpus vero beatissimi Nicasii atque sanctae Eutropiae in caemeterio sancti Agricolae * solemniter sepelierunt.

## GESTA ** MULIERIS CUJUSDAM CAPTIVAE QUAM MARTYROLOGIUM ROM. CHRISTIANAE ANCILLAE NOMINE, QUOD NOMEN EJUS INCOGNITUM, VOCAT; A RUFFINO *** AQUILEJ. PRESBYT. CONSCRIPTA IN *Histor. Eccl. lib. 1, cap. 10.* EAMDEM MEMINÊRE SOZOMENUS, SOCRATES, THEODORETUS, ALIIQUE RECENTIORES.

**Claruit seculo IV, Constantini M. tempore.**

§ 1. Per idem tempus etiam Iberorum **** gens, quae sub axe Pontico jacet, verbi Dei foedera, et fidem futuri susceperat regni. Sed hujus tanti boni praestitit mulier quaedam Captiva, quae apud eos reperta, cum fidelem et sobriam · satis ac pudicam duceret vitam, totisque diebus ac noctibus obsecrationes Deo pervigiles exhiberet, in admiratione esse ipsa rei novitas Barbaris coepit, et quid hoc sibi velit curiosius perquirebant. Illa, ut res erat, simpliciter Christum se Deum hoc ritu fatebatur. Nihil ex hoc amplius Barbari praeter novitatem nominis mirabantur. Verum (ut fieri solet) ipsa perseverantia curiositatem quandam mulierculis inferebat, si quid emolumenti ex tanta devotione caperetur.

§ 2. Moris apud eos esse dicitur, ut si parvulus aegrotet, circumferatur a matre per singulas domus, quo scilicet si quis experti aliquid remedii noverit, conferat laboranti; cumque mulier quaedam parvulum suum per omnes circumtulisset ex more, nec aliquid remedii, cunctas domus lustrando, cepisset, venit

* Basilica itaque, quae sub Agricolae nomine Jovinus. magister militum in Galliis, seculo quarto labente, ibi construxerat, deinceps *Nicasiana* dicta fuit, quamvis etiam nunc SS. Agricolam et Vitalem praecipuos titulares agnoscat. — Ex Ruinartio.

** E Surii posteriore editione, quum in priore, dies haec Sanctorum Vitis careat.

*** Ruffinus, S. Hieronymi quondam amicissimus, et ab eodem saepe laudatus, deinde, quum Origenis et Pelagianorum errores sectatus fuisset, ab ipso acriter exagitatus fuit. Plura scripsit. Quo anno obierit, ignotum: sed certum videtur Hieronymo, qui vitâ functus est anno 420, non superfuisse.

**** Hos fuisse Iberos inferiores juxta Caucasum ad mare Caspium tradit Baronius in *Annal.* ad annum 327. Idem porro, e Procopio (*De bello Persico, lib. 1*) refert in *Notis* ad Martyr. Rom. Christianam religionem in Iberia florentissimam perseverasse, ingruentibus licet haereticorum procellis. — Respondet Iberia regionibus, quas *Georgiam* et *Imerethiam* nunc appellamus.

etiam ad Captivam, ut si quid sciret ostenderet. Illa se humani quidem remedii nihil scire testatur, Deum tamen suum Christum, quem colebat, dare ei desperatam ab hominibus posse salutem confirmat; cumque cilicium suum parvulum superposuisset, atque ipsa desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem.

§ 3. Sermo defertur ad plures, factique fama magnifici usque ad aures Reginae perlabitur. Quae dolore quodam gravissimo corporis afflicta, in desperatione maxima erat. Rogat ad se Captivam deduci. Illa ire abnuit, ne praesumere amplius aliquid, quam sexus sineret, videretur. Ipsam se Regina deferri ad Captivae cellulam jubet. Quam similiter super cilicium suum positam, invocato Christi nomine, continuo post precem, sanam ac alacrem fecit exsurgere. Christumque esse Deum, Dei summi Filium, qui salutem hanc contulerit, docet; eumque quem sibi auctorem suae sciret esse incolumitatis et vitae, commonet invocandum; ipsum namque esse, qui et Regibus regna distribuat, et mortalibus vitam. At illa, cum laetitia domum regressa, marito percunctanti, causam tam subitae sanitatis aperuit; quique cum pro salute conjugis laetus, et mulieri munera deferri juberet, illa: « Horum, inquit, o Rex, nihil Captiva dignatur: aurum despicit, argentum respuit, jejunio quasi cibo pascitur: hoc solum ei muneris dabimus, si eum, qui me, illa invocante, sanavit, Christum Dominum, colamus. »

§ 4. Ad hoc tum Rex segnior fuit, et interim distulit, saepius licet ab uxore commonitus donec accidit quadam die, venante eo in sylvis cum comitibus suis, obscurari densissimis tenebris diem, et per tetrae noctis horrorem luce subducta, caecis iter gressibus denegari. Alius alio diversi ex comitibus oberrant, ipse solus densissima obscuritate circumdatus, quid agere, quo se vertere, nesciebat: cum repente anxios salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: « Si vere Deus est Christus ille, quem uxori suae Captiva praedixerat, nunc se de his tenebris liberet, ut ipsum, ex hoc, omissis omnibus, coleret. » Illico, ut haec, nondum verbo, sed sola mente devoverat, reddita mundo dies, Regem ad urbem perducit incolumem. Quique Reginae, rem protinus, ut gesta est, pandit. Evocari jam jamque Captivam, et colendi ritum, ut sibi tradat, exposcit; neque se ultra alium Deum quam Christum veneraturum esse confirmat. Adest Captiva, edocet Deum Christum; supplicandi ritum, venerandique modum, in quantum de his aperire foeminae fas erat, pandit. Fabricari tamen Ecclesiam monet, formamque describit.

§ 5. Igitur Rex, totius gentis populo convocato, rem ab initio, quae erga se et Reginam gesta fuerat exponit, fidemque edocet, et nondum initiatus in sacris, fit suae gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, foeminae per Reginam; cunctisque idem volentibus,

Ecclesia extruitur instanter: et elevato jam perniciter murorum ambitu, tempus erat quo columnae collocari deberent. Cumque erectâ primâ vel secundâ, ventum fuisset ad tertiam, consumptisque omnibus machinis, et boum hominumque viribus, cum media jam in obliquum fuisset erecta, et pars reliqua nullis machinis erigeretur, repetitis secundo ac tertio ac saepius viribus, ne loco quidem moveri, attritis omnibus, potuit. Admiratio erat totius populi, Regis animositas hebescebat: quid fieri deberet, omnes simul latebat. Sed cum interventu noctis omnes abscessissent, cunctique mortales et ipsa opera cessarent, Captiva sola in oratione pernoctans mansit intrinsecus: cum ecce matutinus et anxius cum suis omnibus ingrediens Rex, vidit columnam, quam tot machinae, tot populi movère non quiverant, erectam et supra basim suam librare suspensam, nec tamen super positam, sed quantum unius pedis spatio in aëre pendentem. Tunc vero omnes populi contuentes et magnificantes Deum, veram esse Regis fidem, et Captivae religionem praesentis miraculi testimonio perhibebant. Et ecce mirantibus adhuc et stupentibus cunctis, in oculis eorum sensim supra basim unam, nullo contingente, columna deposita, summa cum libratione consèdit. Post hoc reliquus numerus columnarum tanta facilitate suspensus est, ut omnes, quae superfuerunt, ipsa die locarentur.

§ 6. Postea vero quam Ecclesia magnifice constructa est, et populi fidem majore ardore sitiebant, Captivae monitis ad Imperatorem Constantinum totius gentis legatio mittitur; res gesta exponitur; sacerdotes mittere oratur, qui coeptum erga se Dei munus explerent. Quibus ille cum omni gaudio et honore transmissis, multo amplius ex hoc laetatus est, quam si incognitas Romano Imperio gentes et regna ignota junxisset. Haec nobis ita gesta fidelissimus vir Bacurius, gentis ipsius Rex, et apud nos Domesticorum Comes * (cui summa erat cura et religionis et veritatis) exposuit, cum nobiscum Palaestini tunc limitis Dux, in Jerosolymis satis unanimiter degeret.

* Dux scilicet militum, qui Imperatorem ipsum circumstabant, et custodiebant.

# DE S. EUSEBIO EPISCOPO VERCELLENSI

## QUEM CONSTANTIUS IMPERATOR JUSSIT ABIRE IN EXSILIUM, CUM CONSTANTER ADVERSUM ARIANOS FIDEM CATHOLICAM TUERETUR.

EPISTOLA S. EUSEBII EPISCOPI VERCELLENSIS, DUM ESSET IN EXSILIO *, AD PRESBYTEROS ET AD PLEBES QUASDAM ITALIAE TRANSMISSA, QUA DE STATU SUO ET VITA ILLOS COMMONEFACIT. HABETUR IN CODICE ANTIQUO, MEDIOLANI TYPIS EXCUSO.

**Episcopatum tenuit ab anno 340 usque ad annum 371.**

§ 1. Dilectissimis fratribus, et satis desideratissimis presbyteris, sed et sanctis in fide consistentibus plebibus, Vercellensibus **, Novariensibus ***, Hipporegiensibus ****, nec non etiam Dertonensibus *****, Eusebius Episcopus in Domino aeternam salutem.

§ 2. Licet nos multis Dominus noster a vobis corpore separatos foveret bonis, et vestram admodum in adventu et visitatione plurimorum fratrum nobis praesentiam exhiberet: tamen moesti ac tristes, et sine lacrymis non eramus, quia longo temporis intervallo vestrae sanctitatis non accipientes scripta, verebamur ne qua vos aut accepisset diabolica subtilitas, aut potestas humana infidelibus subjugasset.

* Epistola haec conscripta videtur anno 356.

** Etsi de Vercellis, in Martyrologio illustrato ad diem 28 novembris, pag. 961, jam locuti simus, operae tamen pretium arbitramur hic quaedam alia de ipsa addere. Vercellarum urbs, 153 annos post Romam conditam, regnante Tarquinio Prisco, ex Gallis Salyis, orta est. Caput deinde fuit gentis Libicorum. Anno post U. C. 514, inter romanas tribus adscripta fuit: anno vero 665, Gn. Pompeo Strabone adnitente, civitatem romanam obtinuit. Anno, ante Christum, 101, in Vercellensium campis C. Marius et Q. Catulus cum Cimbris dimicarunt, eosque cruentâ victoriâ stravêre. De hac urbe ita Cicero (in *Philipp.* III) ajebat: " Est enim ille flos Italiae, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. " Constat autem ipsam, tam sub Romanis Imperatoribus, quam sub Longobardorum et Francorum potestate, amplitudine ambitus, aedium magnificentiâ, civiumque divitiis Augustam Taurinorum superasse. Verum prae caeteris gloriosior est dicenda, quod in ipsa prima Christianae religionis sedes, in Subalpinis regionibus, collocata fuerit. Concilium ibi celebratum est, in quo Berengarii Andegavensis errores damnati sunt. — Anno 1417, hac urbe Sabaudiae Duces, ex Ducatu Mediolanensi decerpentes, sunt potiti.

*** *Novaria*, vulgo *Novara*, ad flumen, quod Agogna vocatur, sita, urbs antiquissima est, sub Romanis Imperatoribus, firmissimum municipium, ad Ducatum Mediolanensem olim pertinebat: verum, anno 1736, Sabaudiae Duces eam obtinuère.

**** *Eporedia*, vulgo *Ivrea*, ad laevam Doriae Balteae, urbs perantiqua, a Romanis condita. Tacitus inter firmissima Transpadanae regionis municipia simul cum Novaria, recenset. Deleto Romanorum Imperio, ea habuit suos proprios Duces et Marchiones, jura tamen justi municipii retinens. Tandem seculo XV, ut a civilibus dissensionibus requiesceret, Sabaudorum Ducum potestati ultro subjecit. Memoriae traditum est hanc provinciam a S. Eusebio, Ep. Vercell., ad Christum conversam fuisse.

***** *Dertona*, vulgo *Tortona*, e Celtis condita, inter Genuam et Placentiam, olim urbs insignis. Verum, a Frederico Aenobarbo, anno 1155, eversa, etsi a Mediolanensibus restaurata fuerit, nunquam ad pristinam rediit dignitatem. Anno 1735 Sabaudiae Regi tradita est.

§ 3. His ergo dum afficimur cogitationibus, et omnem consolationem fratrum, qui ad vos e diversis veniebant provinciis, ad dolorem magis absentiae vestrae, quam ad laetitiam verteremus, hoc praestare dignatus est Dominus, ut id, de quo eram sollicitus, non solum litteris sinceritatis vestrae, sed et praesentia carorum nostrorum, Syri diaconi et Victorini exorcistae, cognoscere potuerim. Agnovi itaque, fratres carissimi, vos, ut desiderabam, esse incolumes. Et quasi subito raptum omni longinquitate terrarum (ut Habacuc factum est, qui per Angelum portatus fuit usque ad Danielem), sic me judicavi ad vos pervenisse. Dum autem singulorum litteras accipio, dumque sanctos animos vestros et amorem in scriptis vestris percurro, miscebantur mihi cum gaudio lacrymae, et avidus ad legendum animus, occupatione lacrymarum tenebatur. Et erant utraque necessaria, ut singuli sensus in hoc complementum desiderii sua dilectionis officia cuperent praevenire. Sic per dies in occupatione hac vobiscum me famulari judicans, praeteritos labores obliviscebar. Ita enim undique circumdabant me gaudia, hinc stabilem fidem, hinc dilectionem, hinc fructum porrigentia, ut in tot et tantis constitutus bonis, subito me (ut superius dixi) non in exsilio, sed vobiscum esse judicarem.

§ 4. Gaudeo itaque, fratres carissimi, de fide vestra; gaudeo de salute, quae fidem sequitur: gaudeo de fructibus, quod non solum illic constituti, sed et longe pergitis. Ut enim agricola arbori bonae inseruit illi, quae fructuum causa non securim patitur, non ignibus mancipatur, ita et nos vestrae sanctitati non solum servitium secundum carnem volumus et cupimus exhibere, sed et animas nostras pro vestra salute impendere.

§ 5. Extendistis, ut dixi, firmos fructu ramos, et per tam longa terrarum spatia ad me pertingere laborastis. Gaudeo agricola, et libens nostri laboris poma decerpo, quia tantum facere voluistis: nec solum ego, vel qui mecum sunt sanctissimi nostri presbyteri et diaconi, vel caeteri fratres, sed et omnes, qui desiderantes sumus. Replestis enim, ut Apostolus beatissimus dicit, viscera mea, cum complestis màndata divina: quae complere Christianos in Episcopum vel ecclesiasticos viros decet, quos in exsilio fidei causa nostis laborare. Complestis, quae oportebat fratres fratribus facere, et patri filios exhibere.

§ 6. Sed cum nos secundum mandata divina, vobis volentes de terrenis coelestes, de caducis stabiles, de fragilibus sempiternos fructus facere, coepimus per necessitatem patientes quotidie seminare: gaudebant de vestris fructibus pauperes, glorificabant Deum, non solum civitatis ipsius homines, sed et omnes: qui autem videre potuerunt, quam mecum dilectionem haberetis, ex ipsis fructibus videntes glorificabant Deum, et omni nos honore cum vestra benedictione nominabant.

§ 7. Videns hoc diabolus, innocentium hostis, justitiae inimicus, contrarius fidei, quia in hoc opere benedicebatur Deus, inflammavit adversum nos Ariomanitas suos (qui jam longo tempore suspirabant) non solum de hoc opere, sed et de sua infidelitate, ad quam nos persuadere non poterant, ut existerent violenti, more hoc, quo semper est usus, ut quos persuadere non poterat, vi et potestate terreret.

§ 8. Congregavit itaque suorum multitudinem, qui nos ad officinam infidelitatis suae rapiunt et eludunt, et totam hanc potestatem traditam sibi ab imperatore dicunt.

§ 9. His ergo multa dicentibus, et de sua potestate gloriantibus, in hoc illis ostendere volui, quia nihil erant, nec poterant, dum tacens ut carnificibus corpus tradidi, quod Dominus dicebat posse in persecutionibus tradi. Quam libero autem fuerim animo, dum ab ipsis patior et recludor, et per quatriduum servor, et diversorum increpationes et persuasiones audio, in hoc ostendi, quia nec unum sermonem dixi. Addere voluerunt ad malitiam suam, ut a me cessarent fratres, id est, presbyteri et diacones: sed et caeteros dicebant se esse prohibituros, ne ad me accederent. Ego ne ab infidelium manibus, vel potius transgressorum, quod deterius est, infidelium, ut Apostolus dicit, manducarem cibum, libellum ad ipsos hoc more feci.

## EXEMPLAR LIBELLI FACTI AD PATROPHILUM CUM SUIS.

§ 10. Servus Dei Eusebius cum conservis suis, qui mecum fidei causa laborant, Patrophilo custodi cum suis. — Qui me in multorum furore non solum tractum per terram, sed interdum nudato corpore supinum portastis de hoc hospitio, quod mihi per vestros et agentes in rebus dedistis, me nunquam nisi cum vestra violentia egredi passi fuistis. Et Deus scit, et civitas novit, nec vos hinc et in futuro negare potestis. Ideo Deo causam reservo, ut quemadmodum ipse ordinaverit, finem possit accipere. Interim hoc me decrevisse sciatis (ut ratio nunc, et in futuro, et hic possit stare) in hospitio, quo me clausum tenetis, in quo me post primam portationem retrudentes crudelius, ausi fuistis inde eodem modo portare, et in unam cellam reficere, non panem manducaturum, neque aquam bibiturum, nisi ante singuli professi fueritis, non solum verbo, sed et manu, vos non prohibituros fratres meos, qui mecum haec fidei causâ libenter patiuntur, de hospitio, quo manent, necessarias escas offerre, nec eos, qui me dignati fuerint requirere. Oportuerat quidem exire de corpore, ne tantum scelus, quod contra jus divinum et publicum commisistis, saepe scire volentibus cogerer dicere. Sed ne quis de infidelibus vos in nobis crudeles appellet, et ignorantes divina praecepta, putet nos

confusionem potius vitare noluisse, quam Domino parere, ideo hoc voluisse praesumere: iterum dico, quod nisi professi et verbo et conscriptione fueritis, eritis homicidae prohibendo. Novit hoc omnipotens Deus: novit et ejus Unigenitus, inenarrabiliter de ipso natus filius, qui, salutis nostrae causâ, Deus sempiternae virtutis hominem perfectum induit, pati voluit, morte triumphata, tertia die resurrexit, ad dexteram Patris sedet, venturus judicare vivos etmortuos; novit et Spiritus Sanctus: testis est Ecclesia catholica, quae sic confitetur: quia non ego in me reus ero, sed vos, qui conservos meos necessaria ministraturos prohibere voluistis. Et si hoc putaveritis vos debere contemnere, non quasi mortem timentem, sed ne post excessum meum dicatis, me voluntaria morte exire voluisse, et quamdam vobis nebulam excusationis inveniatis, conventurum me scitote ecclesias, quas clausus interim litteris possim pertingere, conventurum et Dei servos, ut in ipsis concurrentibus, orbis terrarum, quid fides integra, quae ab universis catholicis Episcopis comprobata est ab Ariomanitis patiatur, quos ante damnavit, possit agnoscere. Item subscripsi ego Eusebius Episcopus.

§ **11**. Adjuro te qui has litteras legeris, per Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ut non supprimas, sed aliis legendas tradas.

§ **12**. Hi ergo vix quarta die ad hunc libellum mitigati, jejunos ad hospitium, in quo manseramus, revertere nos compulerunt. Viderunt in terra, quemadmodum nos revertentes populi cum gaudio susceperunt. Lucernis nostrum hospitium circumdederunt. Coepimus, annuente Domino, iterum egentibus ministrare. Non hoc sustinuit ipsorum inhumanitas, et nostrum amorem in suum odium perviderunt. Vix fere viginti et quinque tolerare potuerunt dies. Erumpunt denuo, et cum perdita multorum manu ad nostrum hospitium veniunt, armati fustibus, per aliena claustra parietem rumpunt, et ad nos violentes perveniunt. Iterum rapiunt, et in arctiori custodia cum solo carissimo Tegrino presbytero recludunt. Nostros quoque fratres, id est, presbyteros et diacones, omnes rapiunt et includunt. Post triduum potestate sua per loca diversa in exsilium mittunt. Alios fratres, qui ad nos venerant visitandos, in carcere publico mittunt, per plurimos dies reclusos tenent. Advolantes iterum ad hospitium, omnia, quae aut in sumptu, aut pauperibus fuerant comparata, diruunt. Sed quia hoc publicum ipsorum facinus ab omnibus civibus notabatur, argumento hoc usi sunt, ut aliqua redderent leviora, et se nobis nostra reddidisse jactarent. Sumptus vero apud se tenuerunt: et post tantum scelus quaerebant, si fieri possit, sic negare, ut nullum de meis ad me venire permitterent, qui escas corpori necessarias afferrent. Vix sexta die clamantibus sibi diversis, unum venire permiserunt: quantum ad se fuit, ostenderunt homicidae animos: quem primum (ne a malignitate cessarent) quarta die dimiserunt. Postmodum

sextâ vix, deficientibus nobis, olim cum victu venire permiserunt. Haec itaque Ariomanitarum opera.

§ **13**. Videte, sanctissimi fratres, si non est persecutio, dum haec patimur, qui fidem catholicam custodimus: et altius cogitate, num valde etiam deterior sit, quam illa, quae fiebat per hos, qui idolis serviebant. Illi mittebant in carcerem, non tamen prohibebant ad se venire suos.

§ **14**. Quantum ergo satanas Ecclesias vulneravit per Ariomanitarum crudelitatem? In custodia publica mittunt, qui liberare debent. Violentiam faciunt, qui ut patiantur justitiae causa, discunt. Aliena diripiunt, qui sua direpta ne repetant, de divina lege docentur. Praeterea quanta illos invasit crudelitas, dum facultatibus temporalibus gaudent? In carcere latronibus clausis, a quaestionariis vel a judicibus non denegatur facultas videndi suos: a nobis et nostris prohibentur, et devoti fratres ne veniant, non solum ab hospitio arceantur, quo tenemur, sed ne adeant, carcerum comminatione terrentur. Sic cunctos subjugaverunt, ut manifestissime agnoverim, ab Episcopis incipiam, dum honorem quidam timent amittere, ipsos fidem perdidisse: dumque facultates terrenas et immunitates nolunt perdere, coelestes thesauros et veram securitatem nullam judicasse. Sic quoque ducti caeteri, dum Episcopos haec timentes perdere vident, amare coeperunt, quae semper habere non possunt. Sic Ariomanitae divites terrent, dum his proscriptionem minantur: sic pauperes, dum potestatem in carcere recludendi habent. Et quanta insania est? In loco quo tenemur, non solum viros, qui nobis serviunt, in carcerem mittunt, sed et puellas sanctimoniales sine ullo divino timore in custodia publica recludunt. Sed, ut gavisi non sunt seniores mali, qui pudicitiam Susannae violare quaerebant, ita nec hi gaudebunt semper, qui Ecclesiam persecutione varia, et depressione nimia suae infidelitati conantur subjicere. Dixit enim sanctus Daniel ad illos: *Sic timentes filiae Israël concumbebant vobiscum* (*Dan.* XIII). Sed recedat, sanctissimi, humanus timor a vestris animis, cum habeatis Domini consolationem, qui dicit: *Nolite timere illos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt* (*Matth.* X). Tempus est probationis, tempus est, ut probati innotescant manifesti. Ideo acceperunt humanum adjutorium, quia divinum non habent: quod si haberent, nunquam potestate terrena innocentium sibi animas subjugarent.

§ **15**. Multa de illorum malis, quibus non solus ego, sed plurimi deprimimur, debueramus scribere: sed ne possemus hoc facere, et ipsorum crudelitatem litteris intimare, arctissima custodia servamur ab ipsis. Ideo ad nos et alii, et nostri amici prohibentur accedere. Sed concessit Dominus mihi hanc epistolam per carissimum nostrum ad vos Syrum diaconem mittere, quem in potestate mittendi habui: quia providentia Domini nostri eo

tempore ad videnda loca sancta accesserat, et cum caeteris fratribus inventus non est.

§ 16. Caeterum vix hanc epistolam quomodocumque conscripsimus, Deum semper postulantes, ut custodes in horas refrenaret, et concederet, ne ad vos Diaconus nuncium magis laboris nostri, quam qualescumque salutationis litteras ferret. Propter quod satis vos peto, ut cum omni vigilantia custodiatis fidem, servetis concordiam, orationibus incumbatis, nostri memores sine intermissione sitis, ut dignetur Dominus Ecclesiam suam liberare, quae super universum orbem laborat, et ut nos qui deprimimur, possimus vobiscum liberati gaudere: quod praestare dignabitur Dominus, petentibus vobis, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est secum benedictus a seculis et in omnia secula seculorum, Amen.

§ 17. Iterum peto, et vos per misericordiam Dei rogo, ut unusquisque in hac epistola salutationem suam nuncupet: quia singulis, ut solebam, faciente necessitate, scribere non potui. Ita in hac vos omnes, fratres, sed et sanctae sorores, filii et filiae, omnem sexum appello, omnem aetatem peto, ut hac contenti salutatione, nostro obsequio etiam hos, qui foris sunt, et nos dignantur diligere, salutare dignemini. Salutant vos fratres nostri, qui mecum sunt, presbyteri et diacones, sed et omnes nostri: qui una mecum satis petunt, ut nostri memores, omnes vestros nostro dignemini obsequio salutare. Transmisi praeterea litteras, quas ad Patrophilum custodem meum feci, ut ex his agnoscatis, nos Ariomanitarum nec minis posse terreri, neque ipsorum serpentina blanda subtilitate posse ad ipsorum societatem perduci. Divinitas vos protegat, florentesque vivere et hic et in futuro faciat cum omnibus vestris, fratres carissimi, et satis desideratissimi.

## ELOGIA * DE S. EUSEBIO

### QUAE IN S. EUSEBII EP. VERCELL. VITA, A JOANNE STEPHANO FERRERIO, EJUSDEM ECCLESIAE ANTISTITE, EDITA, CONTINENTUR.

I. Eusebii pater sub Maximiano fidei causâ vinctus, dum ex Africa Romam ducitur, in itinere a satellitibus injuriosius tractactus, ex hac vita discessit, praeclara cum testificatione pietatis suae.

II. Ex eo parente, viro fide generisque claritate nobilissimo, matreque etiam religiosissima foemina, Eusebius in Sardinia

* *Elogia* haec, ut ipse Ferrerius testatur, ex Patrum tum Graecorum, tum Latinorum concionibus excerpta, a Joanne Francisco Bonhomio, clarissimo Ep. Vercellensi edita fuere, cum is de transferendo S. Eusebii corpore cogitaret, ut arcubus, viisque publicis apponerentur. Hisce tamen *Elogiis* nonnulla addidit ipse Ferrerius, ab ipso composita.

natus *, post illius obitum, ad Urbem Romam cum matre et sorore venit.

III. Ab Eusebio, Romano Pontifice, divinorum mysteriorum disciplinis instructus, in sacro fonte, Paschae solemni die, et baptismum et nomen accepit **.

IV. Res, dum baptizatur, divinitus facta est, quod manibus eum Angelus in sacro fonte sustinere visus est.

V. Virginitatem adeo perpetuo coluit, ut mulier, ejus amore flagrans, ad illum irrumpere conata, valvis patentibus, a cubiculi aditu divinitus mireque prohibita sit.

VI. In Pontificum Romanorum Eusebii et Melchiadis disciplina educatus, ut aetate, sic omni virtute mirifice processit.

VII. A Sylvestro sacris Ordinibus, praeterquam presbyteratu, initiatus, a rerum humanarum curis aversus, divinas perpetuo studio consectatur.

VIII. A Marco Pontifice Presbyter consecratus adeo sancte vixit, ut, dum Missae sacrificium conficeret, Angelorum in ejus manibus ministerium appareret.

IX. Dum Romae divinarum Scripturarum interpretis munere fungitur, Vercellas atque ad alias Langobardiae regiones legatur a Pontifice Julio: quo tempore haeresis Arianae faces Constantius Imperator nefariae factionis furore inflammatus in omni Italia accendere conabatur.

X. A Vercellensibus summa omnium consensione, posthabitis Civibus, Episcopus postulatur; tantumque interfuit ut eligeretur, quantum ut videretur ***.

XI. A Julio Pontifice Episcopus Vercellensis consecratus, tot tantisque virtutum ornamentis praeluxit, ut in eo veri Episcopi exemplar intueri liceret.

XII. Clericorum instituta cum monachali disciplina conjunxit ****, quo sanctius vita clericalis devincta religiose agendi usu splendesceret.

XIII. Non modo ad occasionem tollendam, qua populus Arianâ invidiâ seductus in eum peccaret, sed ardenti studio vacandi sibi et Deo, in montes Oropae ***** Bugellensis ditionis, et ultra Padum ad Castrum Cridonense diverso tempore secedit.

* Anno 286. ** Anno 311.

*** Quo anno id acciderit, incertum. Videtur tamen, anno 340, S. Eusebius Episcopus fuisse consecratus. S. Ambrosius, ad Vercellensem Ecclesiam, anno circ. 396, scribens, haec de mirabili concordia, qua Eusebius fuerat electus, ait: " ..... Eusebium, quem nunquam ante cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt et probaverunt .... Merito vir tantus evasit, quem omnis elegit Ecclesia: merito creditum quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. "

**** De hac vitae monasticae cum clericali conjunctione, idem Ambrosius ita loquitur: " Haec primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctae memoriae conjunxit; ut et in civitate positus instituta monachorum teneret, et Ecclesiam rogeret jejunii sobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiae, et ad normam integritatis juventutem adstringat, et versantes intra urbem abdicet usu urbis et conversatione. "

***** Ibi, summa cum veneratione ac frequentissimo Christifidelium concursu, Imago lignea Beatissimae Virginis colitur, cujus vicini populi S. Lucam Evangelistam, constanti traditione, asserunt. Traditur porro insigne hoc simulacrum ab ipso S. Eusebio, cum ad sedem suam, post exilium, reverteretur, ab Oriente fuisse delatum, eidemque in Oropae monte sacellum quod adhuc visitur, excitavisse.

XIV. Sacrosancta Evangelia sua ipsius manu descripta fidissimorum comitum loco assidue apud se habuit; quibus usus, vitiorum, schismatum, haeresumque tetra monstra undique exterminavit.

XV. Ad Imperatorem in Gallias Pontificis Romani Liberii jussu se transtulit *, a quo, quicquid a legatione petebatur, obtinuit.

XVI. Templi, quod, Imperatoris suasu ab Arianis occupatum, Catholicis clausum erat, fores praecanti Eusebio per se ipsae mirifice patefiunt.

XVII. Dionysio Mediolanensi Episcopo ** Vercellas adventanti obviam procedit.

XVIII. Ad Mediolanense Concilium ***, quo a Constantio vocatus impietatis illius conscius ire noluerat, audita quorumdam Episcoporum subscriptione, festinanter properans, naviculam ab altera Siccidae **** fluvii parte alligatam, ultro sibi divinitus occurrentem invenit, quae celerem transmissionem mire adjuvit.

XIX. Dionysium Mediolanensem ab errore, quem per vim admiserat, piâ solertiâ vindicavit.

XX. In conventu Mediolanensi universam Italiam Arianae factionis impetu laborantem, ac pene afflictam divine erigit, et sancti Athanasii causam, omnibus aliis, praeter paucos, oppugnantibus, suo patrocinio defendit.

XXI. Constantii decreto, in conventu Mediolanensi, ob perpetuum constansque Fidei Catholicae patrocinium, cum summo viro Dionysio Episcopo Mediolanensi, aliisque Episcopis in exsilium pulsus Eusebius, virtutis suae exquisitis cruciatibus laboribusque spectatae et probatae palmam egregiam tulit.

XXII. Sanctus vir, excusso pulvere, nullis Constantii Caesaris minis, nec vero furentium Arianorum strictis gladiis perterrefactus, exsilium, quasi ministerii sui officium, excepit.

XXIII. Caveâ ferreâ inclusus, et Scythopolim in exsilium missus, ubique locorum, quo venit, rudes in Fide Catholica instruxit, labentes confirmavit; iterque ejus non nisi praedicatio erat contra Arianam haeresim.

XXIV. Scythopoli *****, Josephi Comitis domo pie exceptus, a sancto Epiphanio visitatur, legationibus a Catholicis Plebibus ex diversis circumrcirca provinciis insignium famâ virorum cum subsidio pecuniae missis.

XXV. A Patrophilo Ariano e Josephi domo divulsus, in angustum ergastulum concluditur, ubi genua contracta, humeros depressos, caput demissum perpetuo tenuit.

* Anno 354.
** S. Dionysii Mediolanensis Ep. festum, die 25 maji, recolitur.
*** Hoc concilium anno 355 fuit collectum.
**** Italice, *Sesia*.
***** Urbs est in Palaestina, apud lacum Genezareth. Appellatur hodie *El-Baisan*.

XXVI. In ergastulo epistolas egregie dictavit, quibus Vercellensem, Novariensem, Hypporegiensem, Dertonensem Clerum Populumque ad omne pie agendi studium excitavit.

XXVII. Pro Christi gloria ab summo scholarum Palatii gradu ad imum usque Arianorum impetu furenter raptatus, verberibus gravissime caesus, rursus supinis pedibus, et junctis a tergo manibus, contuso capite, confractisque membris ad summum pertractus, perpetuo se in fide tuenda constantiorem praebuit.

XXVIII. Iterum, ac tertio ad graviores poenas amandatur exsul in Cappadociam, et superioris Aegypti Tebas.

XXIX. Multis pro Christi gloria exantlatis laboribus, praeclara fidei confessione nobilis, ab exsilio post mortem Constantii revocatur.

XXX. Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus recepit; tunc Hilarium de proelio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc in reditu Eusebii lugubres vestes Italia mutavit.

XXXI. Eusebius, prius quam in Italiam appelleret, quo res Ecclesiae communi consensu corrigerentur, Alexandriam petiit, diligenterque cum Athanasio ad Decreta Concilii Nicaeni stabilienda, de cogendo Concilio egit, ac demum coacto interfuit.

XXXII. A Concilio Alexandrino Antiochiam, et per totum Orientem ad restituendas collapsas a fide Ecclesias Legatus mittitur, quod et in Occidente praestitit.

XXXIII. Eusebius partes Orientis peragrans, infirmos in fide instar praestantis Medici pariter et Sacerdotis ad integram valetudinem restituens, Orthodoxos omnes ad suas partes pertrahebat.

XXXIV. Italiam versus dum ab exsilio redit, navigans, navicularios doctrinae Orthodoxae praeceptis erudire nunquam, ne in navigatione quidem, praetermittit.

XXXV. Roma ad Liberium Pontificem se confert, eique cum Decreta Concilii Alexandrini, tum Symbolum *Quicumque,* etc. tradit.

XXXVI. Pontificio congressu confirmatus, ac Legatione Langobardiae honestatus, benedictione accepta, Vercellas festinans contendit.

XXXVII. Parenti, Pastorique sanctissimo, omnium virtutum laude nobilissimo Episcopo, Catholicae Religionis defensori perpetuo, ab exsilio redeunti tota civitas Vercellensis immortali gaudio exhilarata sese obviam effudit.

XXXVIII. Clerus, Populusque Mediolanensis ex sanctissimi Eusebii reditu, omnibus laetitiis perfusus, et litteris et legatis publicis et omni officio maximam ei gratulationem exhibent, eosque Eusebius hoc ab se obnixe petentes invisit.

XXXIX. Et docendo et lucubrando et agendo resarcivit damna ac detrimenta quae in turbulentissima Arianorum tempestate Insubria Liguriaque acceperat; atque Auxentio praecipue Ariano Mediolani ferociter exultanti strenue adversatus est.

XL. Theonesti Martyris sanctissimi nomine Deo summa fidelium pietate Basilicam Cathedralem aedificavit.

XLI. Lacrymis, precibus, jejuniis, inediae, vigiliisque addictus, incredibilique mansuetudine et summarum excultus virtutum ornamentis, omnium animos ad ardentissimum charitatis studium inflammat.

XLII. Eloquentiae laude et divinarum litterarum scientia praecellens, Origenis et Eusebii Caesariensis graecos in Psalmorum librum Commentarios, relictis erroribus, latine reddit; aliisque scriptis inter praeclaros Ecclesiasticos scriptores a S. Hieronymo jure optimo recensetur.

XLIII. Eusebius Catholicae Ecclesiae propugnator, gregis commissi custos, labentium adjutor, tutor pupillorum, parens pauperum, studiosissimus viduarum patronus, peregrinorum hospes, omniaque omnibus factus, innumerabilem hominum multitudinem Christo Domino adjunxit.

XLIV. Divina animi praesensione martyrii, quod pro Christi gloria paucis post diebus subiturus erat, certam diem vidit.

XLV. Seditione de repente contra Eusebium ab Arianis Auxentii Pseudoepiscopi Mediolanensis suasu excitata, vallata domo sua capitur, et supinus trahitur, atque extra domum lapidibus obruitur, itaque Martyris invictissimi ad omneque certamen expediti, palmam coelestem tulit *.

XLVI. Pro Christi gloria exsilia, carcerem, verbera, famem, sitim, diversaque supplicia perpessus, vitam, quam dilexit, invenit: et de morte, quam non timuit, triumphavit.

XLVII. Dono munereque Dei Eusebius sanctissimus confluentibus caecis oculorum aspectum, surdis aurium sensum, mutis linguae usum, claudis incedendi vim, aegris valetudinem mirabiliter restituit.

XLVIII. Dionysium Mediolan., Limenium et Honoratum ** Vercell., Gaudentium *** Novariens. aliosque discipulos reliquit, qui egregia praeclari Magistri imitatione in eo episcopalium laborum curriculo versati, Ecclesiae Dei mirabiliter perpetuoque profuerunt.

XLIX. Quia Pontificii administratione fulgebat, plures e discipulis elegit haeredes, qui demum extiterunt omnes aut sacerdotes, aut Martyres.

* Anno 371

** S. Honoratus, Ep. Vercell., die 28 octobris, colitur. Vide Martyr. Illustr., pag. 961*.

*** S. Gaudentii, Ep. Novariensis, natale, die 22 januarii celebratur. Vide *Martyrol. Illustr.* pag. 69*.

## HYMNUS * DE S. EUSEBIO

Jam sol recurrit aureus,
Lucemque nobis advehit,
Qua gloriosi Martyris
Laudes canamus annuas.

Natalis advenit dies,
Quo Christiani nominis
Miles, sacratum sanguinem
Forte profudit pectore.

Hunc gente natum nobili
Sardoa misit patria,
Laetis beata frugibus,
Tanto viro beatior.

Romanus illum Pontifex
Ductus superno numine,
Baptismatis charactere,
Suoque donat nomine.

Hic jussus sanctae Ecclesiae
Praeesse Vercellensium,
Quae sponte non susceperat,
Prudens obivit munia.

Tam dira pestis Arii
Totum per orbem irrepserat.
Sed hic tuetur acriter
Aequalitatem Filii.

Suum rogatus impiis
Ut caeteri, dogmatibus
Praebere testimonium,
Afferri jussit syngraphas.

Ut scripta legit nomina,
Quaerens, sibi quod ultimus
Locus daretur jam seni,
Sic se negat subscribere.

Servemus, inquit, ordinem,
Delete libro syngraphas,
Ut me prior subscripsero,
Tunc subsequantur caeteri.

Illi facescunt quod petit,
At ipse Patrum nomina
Ut abrogata conspicit,
Qui se coacti inscripserant,

Parère primus abnuit,
Idemque suadet Patribus
Metu solutis: sic pio
Delusit impios dolo,

Ut veritatem protegat,
Tetros subivit carceres;
Athleta veri dogmatis
Tormenta non abhorruit.

Quos voce praesens instruit,
Confirmat exsul litteris,
Mox restitutum perfidi
Saxis furentes obruunt.

Deo perennes gratias
Agamus omnes cernui,
Qui Martyrum victoriis
Aeterna donat praemia. Amen.

* Hujus carminis Jo. Franciscus Bonhomius est auctor.

# MARTYRIUM

# SS. VALENTINI, CONCORDII, NOVALIS ET AGRICOLAE

UT HABETUR SECUNDO LIBRO HISTORIARUM RAVENNATUM HIERONYMI RUBEI VIRI DOCTISSIMI.

**Passi sunt anno 303.**

In ea calamitate, quam Diocletianus Christianis intulit Ravennae, Valentinus cum Novali et Agricola, septimo decimo Calendas Januarii, ob Christum acerbissimam necem subierunt. De Valentino, in vita sancti Dalmatii episcopi et martyris Ticinensis, in hanc sententiam legimus. Ad Dalmatium (cum is esset in urbe Alba, patre senatore, et occulte primum Christianus, mox omnibus statim relictis, palam Christum Deum praedicare et miracula edere coepisset) Valentinus magister militum, cum ad ejus aures fama pervenisset, Ravenna profectus, venit eum rogans ut filio gravi morbo laboranti, ac jam desperato, suppetias ferret. Deum precatus Dalmatius Valentino renunciat, Concordium filium suum, qui erat Ravennae, convaluisse: virumque sanctissimum, item Ravennatem, nomine Antonium, eadem die obiisse. Quae omnia, cum Valentinus Ravennam regressus, vera comperisset, denuo ad Dalmatium rediens, una cum Concordio filio, sacra baptismatis unda ablutus est. Coepit ab eo die Valentinus, Ravennae Christum profiteri, multisque ad veram ejus religionem adductis, tandem pariter cum filio Concordio, et Novali, Agricolaque sociis, ob Christum (uti memoravimus) necatus est.

---

Monitum. — In priore Surii Editione, tam ad diem 17, quam ad sequentes dies 19 et 21 hujus, omnino desunt Sanctorum Vitae; sed ne in posteriore quidem, hisce diebus, aliquae inveniuntur, ex paucissimis quae ibi sunt editae, quas hic afferre expediat.

---

# VITA BREVIS

# S. GATIANI PRIMI EPISC. TURONENSIS

PER S. GREGORIUM EP. TUR. CONSCRIPTA.

HABETUR CAP. XXX, DECIMI LIBRI HISTORIAE FRANCORUM.

**Floruit seculo III.**

§ 1. De Episcopis Turonicis, licet in superioribus libris quaedam scripsisse visus sum, tamen propter ordinationem eorum, et supputationem, quo tempore primum praedicator ad Turonicam accessit urbem, reciprocare placuit. Primus Gatianus episcopus anno Imperi Decii primo, a Romanae Sedis Papa transmissus est: in qua urbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur: de quibus nonnullos praedicatione sua converti fecit ad Dominum. Sed interdum oculebat se, ob impugnationem potentum, eo quod saepius eum injuriis et contumeliis cum reperirent, affecissent; ac per crypta et latibula, cum paucis Christianis, ut diximus, per eumdem conversis, mysterium solemnitatis diei Dominicae clanculo celebrabat.

§ 2. Erat autem valde religiosus, et timens Deum, ut nisi fuisset talis, non utique domos, parentes et patriam ob Dominici amoris diligentiam reliquisset. In hac urbe, sub tali conditione, plures, ut ferunt, annos commoratus, obiit in pace: et sepultus est in ipsius coemeterio, quod erat Christianorum, et cessavit Episcopatus trigintaseptem annis *.

§ 3. Secundus, anno Imperii Constantis primo, Littorius ordinatur Episcopus. Fuit autem ex civibus Turonicis, et hic valde religiosus. Hic aedificavit ecclesiam primam intra urbem Turonicam, cum jam multi Christiani essent. Primaque ab eo ex domo cujusdam senatoris basilica facta est. Hujus tempore, sanctus Martinus in Galliis praedicare exorsus est. Sedit autem annis trigintatribus et obiit in pace, sepultusque est in suprascripta basilica, quae hodie quoque ejus nomine vocitatur. Tertius, sanctus Martinus, anno nono Valentis, Episcopus fuit. Hic transtulit corpus beati Gatiani: sepelivitque ipsum juxta sepulcrum sancti Littorii in illa nominis sui praefata basilica.

* Ejus vero corpus cum aliis Sanctorum Reliquiis a Calvinianis haereticis, anno 1562, combustum est.

# DE B. PHILOGONIO

## QUI EX PATRONO CAUSARUM, EPISCOPUS FACTUS EST

**D. JO. CHRYSOSTOMI CONSTANTINOPOLITANI EPISC. CONCIO, QUINQUE DIEBUS ANTE NATALEM DOMINI AD POPULUM HABITA.**

**Seculo IV floruit — Asianus.**

§ 1. Ego quidem et hodie destinaram, adversus haereticos luctaturus, vestes exuere, quodque restabat debiti, vobis persolvere: verum beati Philogonii * dies, cujus hodie memoriam celebramus, ad ipsius benefactorum enarrationem linguam nostram evocavit. Et omnino parendum est. Etenim si qui patri matrive maledicit, morte moritur, profecto clarum est, eum, qui benedixerit illis, vitae praemia recepturum; et si iis qui juxta naturam parentes sunt, tantam debemus praestare benevolentiam, multo magis id praestandum iis qui juxta spiritum sunt parentes: potissimum vero, quum jam vita defunctos nostra laudatio nihilo reddat illos gloriosiores, nos vero congregatos, tum qui loquimur, tum qui audimus, reddat meliores. Nam ille quidem subvectus in coelum, haudquaquam egere potest humanis laudibus, ad feliciorem magisque duraturam quietem profectus. Caeterum nos, qui hactenus hic versamur, multaque opus habemus exhortatione, illius egemus encomiis, quo videlicet ad ejus imitationem excitemur. Quapropter sapiens quidam hortatur, dicens: *Memoria justi cum laudibus* (*Prov.* x). Non perinde quod laudantur, qui decesserunt, sed quod ii potius, qui res istas egregias laudibus vehunt.

§ 2. Quoniam igitur hac ex re tanta nobis utilitas proficiscitur, obtemperemus, neque recusemus. Nam et ipsum tempus huic narrationi congruit. Siquidem hodie beatus ille ad tranquillam omnisque turbationis expertem vitam translatus est: eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi dejectionem aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, quum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens, dicat: *Semper gaudete, sine intermissione orate?* (1. *Thess.* v). Quod si hic, ubi morbi, ubi infectationes, ubi praematurae mortes, ubi calumniae, ubi invidiae, ubi desperationes, ubi irae, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiae, ubi quotidianae sollicitudines, ubi perpetua sibique cohaerentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores adferentia,

* Is successit in cathedra Antiochena Vitali, anno 314, vel 315. Ex hac vita discessit, juxta Nicephori *Chronicon*, anno 319; inque locum ejus Paulinus suffectus est, Episcoporum Antiochensium numero vicesimus secundus.

Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam recte moderetur composueritque: multo magis postquam hinc demigraverimus, facile compotes erimus ejus boni, quum haec omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia; ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella. Quamobrem maximopere gratulor hujus Sancti felicitati, quod quamquam translatus est, atque hanc, quae apud nos est, civitatem reliquit, tamen in alteram transiit civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit quae est primogenitorum descriptorum in coelis, ac relictis hisce festis, transiit ad celebritatem angelorum. Etenim quod et superne sit civitas, Ecclesia ac celebritas, audi Paulum dicentem: *Accessistis ad civitatem Dei viventis, ad Jerosolymam coelestem, et ad Ecclesiam descriptorum in coelis, et ad innumerabilem Angelorum frequentiam* (*Hebr.* XII, 22). Non solum autem ob multitudinem virtutum coelestium, verum etiam ob abundantiam bonorum, ac juge gaudium et laetitiam, panegyrim, hoc est, totius multitudinis coetum, appellat totam illam vitam. Nec enim alia res facere solet panegyrim, quam mercium venalium copia, quum triticum, hordeum, et omnijugae frugum species, ovium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, aliis quidem vendentibus, aliis vero commercantibus.

§ 3. Sed quid, inquis, harum rerum est in coelis? Horum quidem nihil, sed sunt his multo magis praeclara. Non enim illic sunt triticum, hordeum, ac frugum variae species: sed illic ubique fructus spiritus, gaudium, benevolentia, bonitas, pax, ac mansuetudo summa exuberat copia. Non ovium greges, non boum armenta: sed spiritus justorum perfectorum, animarum virtutes, vitaeque recta facta per omnes coelos videre licet. Non vestes aut amictus, sed coronas quovis auro pretiosiores, tum bravia, certaminum praemia, aliaque innumera bona reposita iis qui recte fecerint: adhaec ibi est multitudo congregatorum, longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris urbanis indigenisque, sed hic sunt angelorum infinita millia, illic sodalia prophetarum, alibi martyrum chori, Apostolorum ordines, cunei justorum, omniumque qui fortiter rem gesserunt, varii coetus. Profecto admiranda panegyris est. Jamque id sane majus est omnibus, quod in media frequentia versatur horum omnium Rex. Etenim ubi dixisset, *Ad innumerabilium Angelorum frequentiam*, subjecit: *Et ad judicem universorum Deum* (*Hebr.* XII). Quis unquam vidit in panegyrim prodeuntem Regem? Hic quidem nemo vidit, illic autem, qui adsunt, perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum praesentem, verumetiam suae gloriae splendore condecorantem universum coetum. Et nostrae quidem

celebritates sub meridiem plerumque solvuntur: illae vero non item. Neque enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum exspectat, sed stat perpetuo, illiusque bona finem non habent: nec senescere, nec marcescere possunt, sed sunt tum senii, tum mortis expertia. Nullus illic tumultus, quemadmodum hic; nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine decenti compositio, haud secus atque in cithara quapiam, modulatissimum concentum et quavis musica suaviorem reddentium utriusque creaturae Domino, dum anima illic velut in sacris adytis, divinisque mysteriis, divinorum arcanorum celebrationem peragit. Ad hanc beatam requiem transiit beatus Philogonius.

§ 4. Quaenam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed, age, dic mihi, num idcirco silebimus? Et cujus rei gratiâ convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem haec est praecipua laudum illius pars, quod factis verba aequiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus praestamus, sed suum imitabitur Dominum: siquidem et illae viduae duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem reddit. Cur ita tandem? Quoniam non perpendebat pecuniae modum, sed animi divitias. Nam si pecuniae modum expendas, magna paupertas est: sin voluntatem explices, ineffabilem videbis excelsi animi mercedem. Proinde quamvis nostrae facultates exiguae sint, minimique pretii, attamen quae possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animae praeclari justique Philogonii, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites. Siquidem illi quum acceperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint: itidem et hic, quum acceperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

§ 5. Unde igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes: quin potius frequenter habent accusationem malitiae. Quam ob causam? Quoniam et sollicitudines amicorum, et circumcursationes, et adulationes, aliaque permulta his foediora, tales magistratus solent conciliare. Caeterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, illaque manus sanctum contigerit caput, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata

fuerit delecti comprobatio, propter ejus, qui delegit auctoritatem. Porro quod elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est: quippe quem ex medio abreptum foro, ad thronum hunc evexerit: adeo castam et insignem prius egit vitam, quum uxorem haberet ac filiam, et in forensibus negotiis versaretur, adeo solem ipsum splendore vicit, ut protinus ab illo gesto, hoc magistratu dignus videretur, et a tribunali ad tribunal evectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur adversus homines, qui struebant insidias, eos qui afficiebantur injuriâ, superiores reddens iis qui injuriam inferebant. Hic autem adest hominibus patrocinans adversus daemones invadentes.

§ 6. Quantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogasset: *Petre, amas me?* Isque respondisset: *Tu, Domine, scis quod amo te* (*Joan.* XXI); non dixit Christus: « Abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, daemones abige; » nihil vel horum, vel aliorum miraculorum recteque factorum in medium adduxit; sed omnibus illis praetermissis, dicit illi: *Si diligis me, pasce oves meas.* Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quantopere ipsum diligeret Petrus; verumetiam ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves, exemplum proposuit Petri erga ipsum amoris, tantum non dicens: Qui diligit oves meas, me diligit. Vide igitur quam multa propter hunc gregem passus sit Christus. Homo factus est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis caesus est, postremo ne mortem quidem recusavit, et quidem ignominiosissimam. Quin et ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc Deo carius est. Et ob id alicubi dicit: *Simon, Simon, expetitur te satanas, ut cribraret te tamquam triticum: sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Quod igitur hujus sollicitudinis curaeque praemium mihi rependis? Sed quam tandem poscit repensationem? Eamdem curam quam nobis impendit, reposcit. *Nam et tu,* inquit, *aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Ibid.*). Sic et Paulus ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Ad Cor.* IV). Quomodo ille factus est Christi imitator? Omnibus per omnia placens, non quaerens suam ipsius utilitatem, sed multorum, ut salvi fierent. Rursus alio loco dicit: *Etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed multis* (*Ad Rom.* XV). Neque prorsus alia res est, quae perinde declaret doceatque, quis sit fidelis et amans Christi quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. Haec omnes audiant et monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum

praefectos adjuvent, horum curas leniant precibus, concordia, charitate: scientes quod ni modis omnibus opitulentur iis qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, et victus sors ipsis perisset, et tota in scopulum impegisset sapientia. Verum hoc esse maximum amicitiae erga Christum argumentum, declaratur et hinc.

§ 7. Videamus autem, quomodo munus hoc Episcopi administrarit. Quin potius non est opus hîc pluribus verbis aut voce nostra, quum vester favor vestrumque studium hoc ultro declaret. Quemadmodum enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus, pampinis comantes, fructu gravidas, maceriis ac septis undique munitas, haudquaquam desiderat orationem cujusquam, qui demonstret vinitoris industriam et agricolae virtutem; itidem et hic, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nihil opus habuerit, ut ex cujusquam oratione discat, qualis sit vester praepositus. Sicut et Paulus scribit alicubi: *Epistola mea vos estis, quae inscripta est, et legitur* (2. *Cor.* III). Fluvius arguit, qualis sit fons; et fructus indicat qualis sit radix. Dicendum igitur erat et tempus et initium, quando vineam hanc suscepit. Neque enim hoc minimum habebit momenti ad absolvendam encomii partem, sed omnino satis fuerit ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multae difficultatis, quum nuper esset sedata persecutio, manentibus etiamnum gravissimae tempestatis illius reliquiis, quumque negotia plurimam desiderarent correctionem. His insuper illud adjungendum erat, quod, quemadmodum dicebam, haereticorum factio sub illo nata, negotium exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciente.

§ 8. Verum ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio, eoque communi patri, beatique Philogonii sectatori haec dicenda relinquentes, ut qui melius nobis teneat, quicquid est antiquitatum, ad aliam concionandi rationem transeamus. Appetit enim festum omnium festorum maxime venerandum, adorandumque: quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc est? Christi juxta carnem nativitas. Ab hoc enim illustratio Dei, festum videlicet Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Ascensio et Pentecoste, originem ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset; nam id festum Theophaniorum. Nequaquam fuisset crucifixus: nam hoc festum Paschae. Nequaquam misisset Spiritum Sanctum, quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc ceu fonte quopiam, hi diversi omnes orti, nata sunt nobis haec festa. Verum non ob hoc tantum par est hunc diem caeteris anteponi, sed etiam ob id, quod id, quod in hoc natum est, caeteris omnibus est venerabilius. Nam quod Christus homo factus mortuus est, quum nullum omnino peccatum

perpetrasset, quid huic amplius poterat adjungi miraculo? Sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem et hoc admirandum. Caeterum quod Deus quum esset, voluerit homo fieri, tantumque sese demittere sustinuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maxime reverendum, stuporisque plenum. Quod quidem et Paulus admirans dicebat: *Sine controversia magnum pietatis mysterium* (1. *Tim.* III). Quod magnum? Deus declaratus in carne. Ac rursum alibi: *Non enim Angelos apprehendit Deus: semen Abrahae apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari* (*Ad Hebr.* II). Propter hoc potissimum amplector diligoque diem hunc, et amorem ejus in medium propono, ut vos hujus amatorii pharmaci participes reddam. Eoque rogo vos omnes obsecroque, ut summo studio summaque cum alacritate velitis adesse: sed prius suam quisque domum repurget, ut videamus Dominum nostrum in cunis jacentem, ac fasciis involutum, horrendum ac stupendum spectaculum.

§ **9**. Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si, quum ipse nostra causa descenderit e coelis, nos ad illum vel ex aedibus ire gravemur? quum alienigenae barbarique ex Perside accurrant, ut illum videant in praesepi jacentem, tu vero ne breve quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris? Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in praesepi jacentem. Siquidem haec mensa vicem explet praesepis. Nam et hic ponitur corpus Dominicum: non quidem fasciis involutum, sicuti tunc, sed undiquaque Spiritu Sancto convestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quae dicuntur. Ac Magi quidem nihil aliud, quam adorarunt: tibi vero, si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, et sumpto, domum abeas. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multo religiosiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quae sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham, offer tu modestiam, et cor submissum cum eleemosyna. Quod si hisce cum muneribus accesseris, multa cum fiducia particeps eris hujus sacrae mensae. Nam haec ideo nunc loquor, quod sciam certo futurum, quod in illa die complures accedant, irruantque ad victimam hanc spiritualem. Id igitur ne faciamus ad detrimentum et condemnationem animae nostrae, sed ad salutem: jam nunc obtestor obsecroque, ut omnibus modis repurgatis animis vestris, ita demum adeatis mysteria.

§ **10**. Neque mihi quisquam dixerit: « Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. » Sufficit enim horum quinque dierum tempus: si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, multitudinem peccatorum reddes contractiorem. Nec illud perpende, quod breve tempus est: sed

illud considera, quod benignus est Dominus. Quandoquidem et Ninivitae tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt, nec obstitit illis temporis angustia: sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, quum ad Christum accessisset, omnia probra diluit. Quin et calumniantibus Judaeis, quod illam admisisset, tantamque praebuisset fiduciam, Christus illis quidem silentium imposuit: hanc vero malis omnibus liberatam, comprobatoque illius studio, ita domum remisit. Quid ita tandem? Quoniam ferventi animo, et flagranti corde, ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emissis, unguento profuso. Etenim per quae deceperat homines, per eadem paravit remedia poenitentiae: per quae avocarat oculos intemperantium, per haec emisit lacrymas: per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Jesu. Unguento multos inescarat; per hoc pedes illius lavit. Proinde et tu quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium: Provocasti illum pecuniarum rapina? per easdem illum reconcilia: quumque et rapta restitueris illis, quos injuria affeceras, et alia insuper addideris, dicito juxta Zachaeum: *Reddo, si quid rapui, quadruplum* (*Luc.* XIX). Provocasti linguae maledicentia, multis contumelia affectis? vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Haec non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito unico die perficiuntur. Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate. Pollicetor te posthac ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem.

§ **11**. Ego testificor ac fidejubeo fore, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem. Benignus enim est, et quemadmodum parturiens cupit eniti foetum, ita et ille cupit effundere suam misericordiam. Sed obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriem, atque ex hoc jam tempore festum auspicemur, hosce dies quinque negotiis omnibus valere jussis. Valeat forum, valeat curia, facessant mundanae curae cum pactis et contractibus: animam meam servare cupio. Quid lucrifecerit homo, si totum mundum lucrifaciens, animae suae jacturam faciat? Egressi sunt a Perside Magi: egredere tu e temporariis negotiis, ad Jesum proficiscere: non est longum intervallum, si velimus. Non enim necesse est trajicere mare, neque montium superare cacumina: sed domi sedens si pietatem exhibeas, multamque cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriem, totum submovere obstaculum, abbreviare viae longitudinem. Deus enim, inquit, appropinquans ego sum, et

non Deus procul. Et Dominus prope est omnibus invocantibus ipsum in veritate.

§ 12. Nunc autem multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumque venère contemptum, ut, cum innumeris scateant malis, nullam tamen vitae suae curam habeant: sed in diebus festis negligenter ac temere ad mensam hanc accedant, haud intelligentes, quod communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. Quemadmodum enim, qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec poenitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque semel in anno accedere, liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus: quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod, cum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis: sed si quando parabitis hujus sacrae hostiae fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per poenitentiam, precationem et eleemosynam. Denique per hoc, ut vacetis spiritualibus, nec denuo convertamini canis in morem ad proprium vomitum.

§ 13. An non enim absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente festo, multis ante diebus vestem e scriniis depromptam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splendidiorque paretur, denique variam undiquaque rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas: animae vero neglectae, sordentis, squallidae, famae contabescentis nullum habere respectum, quum sola maneat impura: ac corpus quidem nitidum huc adducere, animam vero nudam incultamque? Atqui corpus quidem videt conservus, neque quicquam est detrimenti, quomodocumque fuerit habitum: illam autem videt Dominus, qui gravissime punit negligentiam. An nescitis quod haec mensa plena est igni spirituali? Et quemadmodum fontes aquae vim exundant: ita haec flammam quandam habet arcanam. Ne igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non foenum, ne augeas incendium, exuratque animam ad communionem accedentem; sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, graviter laesus, solvat simultatem, coërceat animum exardescentem, intumescentemque, ne quis sit tumultus aut perturbatio. Regem enim excepturus es per communionem: quum autem Rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium, profundam cogitationum quietem. Sed atrociter laesus es, nec potes iram remittere. Quid igitur? An igitur teipsum magis etiam et gravius laedes? Neque enim tantis malis te afficiet inimicus, quaecumque fecerit, quibus teipsum

afficis, si non illi reconcilieris, sed Dei leges conculcaris. Ille te contumeliâ affecit: dic mihi, num tu ideo Deum afficies contumeliâ? Etenim non recipere in gratiam eum, qui molestiam attulit, non tam est illum ulcisci, quam Deum afficere contumeliâ, legis hujus auctorem, praecipientis ut inimicis reconciliemur, priusquam accedamus ad altare. Proinde ne respicias ad conservum, neque ad magnitudinem injuriarum, quas intulit ille; sed ad Deum, illiusque timore in animum demisso, illud expende, quod quo majorem vim admoveris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo, qui molestiam intulit, tanto majus praemium feres a Deo, qui haec praecepit. Et quemadmodum hîc Deum excipis multo cum honore, sic et ipse te illic multa cum gloria excipiet, reddetque tibi milleculpam istius obedientiae mercedem : quam nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

## COMMENTARIUS RERUM GESTARUM

# SANCTI ET GLORIOSI APOSTOLI THOMAE

AUCTORE SIM. METAPHRASTE. HABETUR VI TOMO ALOYSII.

**Seculo I.**

§ 1. Olim quidem in terra versantes Apostoli, et terram, quae est sub coelo, obeuntes, iis, qui impietati inservierunt, praedicarunt libertatem, miraculis ad salutem ab errore abstrahentes, et fidei malagmate medicantes animas, quae laborabant infidelitate. Postquam autem migrarunt ad Dominum, piis reliquerunt corpora, pignora salutis, ut quod cum aderant faciebant, hoc etiam postquam migrassent, efficerent, coelestis illius publicae celebritatis imagines, eorum memoriae festa nobis largientes: ut tamquam cum praesentibus et disserentibus rursus versantes, percipiamus gratiam Apostolicam. Unde etiam nunc clarissimus Apostolorum Thomas *, per ejus memoriam nobiscum rursum versatur: Thomas, qui est fidei nostrae pater ex incredulitate, et index perfectus veritatis; qui incredulitatis occasionem amputavit incredulis, et fidem Apostolorum per incredulitatem effecit firmiorem.

* Ὁ λεγόμενος Δίδυμος, ut ait S. Joannes, qui ejusdem quatuor vices in suo Evangelio meminit. S. Thomas Galilaeus fuisse videtur.

§ 2. Quando enim Unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, non ferens videre suum figmentum in peccati servitutem redactum, suis hac in re inflexus visceribus, visus est sicut nos, si peccatum dempseris, tunc hic quoque magnus Apostolus, post aliorum discipulorum electionem, qui Jesum sunt secuti, jussus est sequi Dominum. Nam cum in Judaea a matre esset in lucem editus, habens parentes, qui vitam tenuiter agebant, ab eis alebatur et educabatur, et ad vitam formabatur similem, veluti a quodam optimo paedagogo, paupertate eruditus, et ad Domini suscipiendum praeceptum aptus redditus. Libros itaque legens Mosaicos (ii enim diligenter proponebantur filiis Judaeorum), componebat quidem suos mores ad honestatem : doctrina autem formabatur ad res diviniores, et a puerilibus procul remotus ludibriis, instituebatur et crescebat, donec pervenisset ad perfectam mensuram aetatis Christi. Vivens enim, sicut prius diximus, in vita paupere, et artem exercens piscatoriam, in utroque potens est cognitus : ex uno quidem formatus ad tenuitatem, quae sunt supervacanea, minime admittentem, et doctus esse contentum solis necessariis : ab altero autem institutus ad patientiam in laboribus, et ad hoc, ut rebus molestis et asperis sua sponte prius exerceretur.

§ 3. Protinus itaque nulla dilatione usus est nec cunctatione, nec tardavit ad vocationem : sed adeo celeriter fuit mutatus, et vinctus voce vocantis, ut dicto citius ostenderet obedientiam. Atque sic quidem fit Verbo familiaris, et refertur in numerum reliquorum, qui vocati fuerant; fitque discipulus animi studio promptissimus, minister fidelissimus, Apostolusque et oeconomus probatissimus Apostolatus gentium, qui fuit ei creditus. Statim autem et ad Apostolatum fuit corroboratus, et divina impletus virtute, et miraculorum dives operatione, statuit cum Verbo versari perpetuo. Cum quo quidem degens toto tempore, quo vitam egit in carne, multas quidem cum eo subiit afflictiones, multas autem persecutiones et migrationes. Et aliquando quidem cum ipse a Judaeis expelleretur, simul quoque cum eo expellebatur ; et cum lapidibus appeteretur, ipse quoque simul appetebatur ; aliquando autem cum ipsum vellent in suam redigere potestatem, et morte afficere, paratus erat alacriter cum ipso morte affici, desiderio plenam illam vocem emittens ad Dominum : Eamus, et moriamur cum ipso. Quando enim amicum Lazarum a mortuis suscitaturus pergebat Salvator, quando per absentiam concessit morti superare naturam, quando voluit ostendere sepulcrum somni locum, quando vinctum mortuum voluit efficere ad vocationem vivis celeriorem, tunc accedentes discipuli metum praedicabant Judaeorum, lapides revocabant in memoriam, dehortabantur ne accederet : « Magister, dicentes, nunc quaerebant Judaei te occidere, et rursus vadis illuc ? » Cum autem illi non possent

persuadere (non enim oportebat infantiam, quae tunc erat, discipulorum, morti opem ferre adversus Lazarum, neque impedimentum liberationis ex sepulcris, illorum cerni timiditatem), metu et desiderio distractis eorum animis, convertebantur ad animi aegritudinem. Sed Thomas prompte et alacriter solvens Apostolis molestiam: *Eamus et nos*, inquit, *et moriamur cum ipso* (*Jo*. XI). Est enim quavis vita melior, quae cum Domino accipitur, occisio. Atque haec quidem sic se habebant; et Apostolorum animos detinebat admiratio, cogitantes condiscipuli audaciam ad mortem subeundam.

§ 4. Sed cum Crux fixa fuisset, et mors esset suspensa, et infernus traheretur captivus, et mutata esset lex sepulcri, et mors Christi effecta esset mors mortis, surgens Salvator post erecta apud inferos adversus mortem trophaea, apparet suis amicis lugentibus et flentibus, in hoc quoque fidem faciens victoriae: qui rerum recte gestarum illos faciens spectatores, certe nec ipsum quidem permisit esse expertem primorum miraculorum. In quadam domuncula discipulos in arctum tunc metus cogebat Judaeorum: quo quidem in loco, periculum praevidentes, manebant. In medium ergo eorum latentium accedit Jesus, non vocem emittens antequam adspiceretur, non pulsatione ostii territis eorum animis: sed pedes, qui per mare sunt ingressi, ostiis quoque non apertis intrarunt (negabat enim suas leges natura jussa a Domino); et qui omnia fecerat, in suum templum ingreditur clausis ostiis; et qui per lignum mortem contrivit, nunc vim affert ipsi ligni naturae. Venit ergo Christus in medium eorum, miraculo ingressus confirmans miraculum resurrectionis. Et sic quidem discipuli ipsis oculis ejus, quem desiderabant, fructum percipientes, laetitiâ afficiebantur. Solus autem Thomas abfuit a spectaculo: qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut cum miraculum magis examinasset, esset praeclarior praeco resurrectionis. Sed Salvator quidem cum sui spectaculo impertiisset Apostolos, recessit protinus, perfectiorem contemplationis visionem Thomae amico, ut videtur, reservans.

§ 5. Cum autem reversus esset Thomas, et venisset in mentem discipulis ei dicere: *Vidimus Dominum*, ille propter id, quod audiebat, laetitiâ affectus, quod fieri desiderabat, hoc factum esse audiens, non credebat. Solent enim ingentis laetitiae exsuperationes, esse tardiores ad ea credenda, quae dicuntur. Discipulis igitur: *Nisi*, inquit, *videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (*Joan*. XX). Ad haec forte Apostoli: « Quid sibi vult, o Thoma, sermo incredulitatis? Si non credit discipulus, quomodo crediderint Judaei? Si Apostolus et amicus non admittit resurrectionem, quomodo eam admiserint ii qui cruci affixerunt? Qui Thomae non persuaserunt, quomodo reputabuntur digni qui admittantur a gentibus? Non te pudore

afficiunt, et ad fidem attrahunt, praecedentium ingentes turbae miraculorum? Leprosus mundatus; paralyticus integris membrorum compagibus restitutus; caecus videndi facultati redditus; manus morte affecta, quae rursus fuit ad vitam revocata; fluctus, per quos inceditur pedibus; et Lazarus sepulcrum exuens, tamquam vestem? Quomodo, cujus admiraris opera, ejus suspectam habes resurrectionem? Non credat Caiphas; curiose scrutetur Nicodemus; calumnietur Judaeus. Cur dubitat Thomas de resurrectione? » Sed contra discipulus videtur dicere justiora: « Cur mea dubitatio est a vobis reprehendenda, o Apostoli? Ad Judaeos emittor praeco resurrectionis; sicut vos, proficiscor Apostolus ad docendum gentes resurrectionem. Quomodo ergo, quibus non fui socius spectaculi, suscipiam aeque atque ipsi legationem? Quomodo, quorum non habeo cognitionem, ea ego docebo alios? Quomodo lingua ea dicet confidenter, quorum testes non habet oculos? Verbis credam solis? Sed Judaeis ero in fide suspectus, meque facilitatis damnabunt et levitatis. Gentiles quoque verba non admittent: potius autem meum ridebunt testimonium, qui ex solo auditu praedico resurrectionem. »

§ 6. Non multum intercessit temporis, et rursus affuit Dominus, ingressus miraculum nunc quoque similiter ostendens: ut quae aliis simul discipulis, ea soli quoque Thomae largiatur. Ostendit ergo ei signa Crucis; ac vulneris, quod accepit in latere, ostendit signaculum; deinde: *Quia vidisti me,* inquit, *credidisti. Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* xx); magnam nobis repositam ostendens beatitudinem, qui credidimus per sermonem discipulorum. Illud ergo divinum et admirabile spectaculum cum consecutus esset Thomas, fuit etiam causa Apostolis, ut illa discerent, quae prius non noverant. Suum enim Deum et Dominum confessus est eum, quem adspexerat. Re vera enim Dei est pulcrum facinus resurrectionis. Cum autem post haec Christus a discipulis magna ex parte videri non posset, ut qui esset glorificatus incorruptione corporis, et non posset conspici mortalibus oculis, seipsum manifestum reddebat, quando volebat, et quando noverat futurum utile iis qui adspiciebant. Itaque cum Domini eis deesset conspectus, curam gerebant veteris artis, in qua fuerant educati. Illa autem erat, scapham ascendere, et in profundum maris retia demittere. Quodam vero die, dum ipsi intenti erant piscationi, apparuit eis desideratus Jesus, stans in littore, et jubens ad dexteram partem navis rete demittere. Capta est autem multitudo piscium innumerabilis; erat enim divini jussus operatio. Tunc simul cum iis aderat etiam Thomas, et simul navigabat, et simul operabatur, et diligenter curabat retia, et se paratissimum ostendebat ad obediendum. Experientiâ enim didicerat iis credere, quae Deus fuerit operatus; et ideo una navigabat, et simul operabatur cum discipulis.

§ 7. Cum autem jam adesset tempus Assumptionis, quo cum eo, quod ex nobis assumpserat, oportebat Christum ascendere ad Patrem, ipse educit mystas extra Bethaniam usque ad Olivetum: et illic de se disserens; et ex Scripturis conjungens testimonia, cum et coram eis comedisset, et confirmasset se non esse spiritum, ut ipsi existimaverant, et deinde, sublata manu, eis immisisset benedictionem, ille quidem ascendit in coelos: ipsis autem cum magno gaudio fuit reditus in Jerusalem. Quidni enim gauderet, et cum aliis laetaretur discipulis, sacrosanctus iste, et magnus Apostolus, videns verba deducta esse ad effectum, et susceptae carnis verum esse mysterium, neque frustra in eo versatam fuisse incredulitatem? Atque dies quidem ille a Domino praestitutus, jam finem accipiebat convenienter iis quae ille dixerat: et divinus spiritus ad eos advolans, tamquam sonus quidam flatus vehementis, statim in linguas igneas dividebatur. Qui cum fuisset super unumquemque, faciebat eos loqui linguis alienis, adeo ut, qui audiebant, afficerentur magna admiratione. Tunc ergo hic quoque magnus Apostolus cum sederet una cum reliquis discipulis, ipse quoque in igneis linguis accepit gratiam: et cum in suum habitaculum totum intromisisset spiritum, totus fuit illius instrumentum, valde sapienter et opportune pulsatum. Sic ergo Thomas ab alto confirmatus, fuit perpetuo accinctus, promptoque et alacri animo ad praedicationem, nihil timens eorum quae sunt terribilia, nec stupens aliquid eorum quae sunt clara et illustria.

§ 8. Cum ergo res Apostolis se haberent ex animi sententia, oporteret autem Domini jussum finem accipere, qui quidem erat: *Euntes in mundum, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII), alius quidem ex Apostolis aliam orbis terrae partem sortitus est, sicut eis, qui advenerat, spiritus, sortem definierat. Thomas igitur missus est in Indiam *, quae erat plane barbara, et in nefariis versabatur actionibus. Ipsa autem sita est longissime ab Aegypto; alluitur vero mari valde navigabili, et est quidem egena rerum necessariarum: abundat autem rebus pretiosis, et ad luxum accommodatis. Eam habitat id genus, quod dictum est, quod est et frequentissimum, et deditum mercaturae, et magna ex parte nudum, et instar ferarum, quae degunt in montibus, vitam agens. Quam ob causam corporum superficiem radii solares invadunt ardentius valdeque incendunt, et denigrant, et efficiunt visu deformiores. Colebant autem isti simulacra facta ex omne genus materia: et quod in ea conferebatur studium, et cultura, longo tempore confirmata, inducebat consuetudinem, ratione quavis potentiorem. In hanc ergo regionem magnus ingrediens Apostolus, nullum prae se tulit fastum et arrogantiam: neque elate aut gloriose quippiam est locutus, neque aliud fecit superbe et insolenter ad ostentationem: sed ornatus Christi moderatione, et pro quovis alio

* Secundum Origenem aliosque Scriptores, S. Thomas et Parthis Evangelium praedicavit.

ornamento et lorica, ea indutus, coma sordidus, vultu pallidus, totus aridus et exsanguis, et plane succo carens, et, ut semel dicam, non tam corpus quam umbram corporis circumferens, sordido et trito amictus pallio, moribus lenis, sermone utilis, factis valde admirabilis, humilioribus se accommodabat, spiritus altiorum deprimens.

§ 9. Cum talibus moribus et vitâ praeditus ad Indos venisset, visumque ei esset gentis ingredi interiora, postquam vidit falsam daemonum religionem eos comprehendisse, et imis eorum animis insedisse, non statim processit ad eos refellendos, non induxit reprehensiones, non tamquam medicamento usus est austeritate: sciebat enim quod quae longa consuetudine in nostris confirmata sunt animis, non possunt facile deleri, et persuasione magis quam vi mutantur. Propterea magis utitur mansuetudine, et bonis moribus, et blandis verbis, magnus et dignus, qui in honore haberetur, non ex fastu et tumore, et verbis magnificis, sed ex factis et signis eis apparens, et insigni Christi, nempe humilitate, valde ornatus: quo quidem eos magis capiebat, et attrahebat ad agnitionem, quod esset operibus quidem admirabilis, spiritu autem mitis et moderatus. Itaque moti admiratione Indi, rogare coeperunt quisnam esset, et cujus genere, et quaenam esset ejus religio, et quod studium. Ille autem (habebat enim in se Christum magistrum) leniter et modeste respondit, quod esset genere quidem judaeus, discipulus autem insignis illius Mosis: illius, inquam, Mosis, qui cum Deo est collocutus; deinde etiam Christi filii Dei discipulus, qui venit ad mundi salutem, et quod vitam aeternam et animarum salutem veniret annuntiatum: quibus qui crediderint, erunt ineffabilium bonorum participes. Praeterea narrat Christi Dei Verbi demissionem; refertque miracula quae fecit, dum in terris in carne ageret; ipsamque passionem, quae multis videtur probrosa; virtutem resurrectionis, et ad coelos ascensionem. « Cujus discipulus, inquit, ego et minister admirabilium, quae ipse fecit, miraculorum, atque oeconomiae, qua fuit Deus et homo, creatus sum praeco. Cujus annuntians in homines benignitatem, et immensam in ipsos misericordiam, ad vos usque accessi. Cujus factus sum Mysta et Apostolus. Et cum ipsis oculis facta sit mihi fides eorum, quae dicuntur, non vi eos, qui renuunt: sed omni charitate amplector eos, qui persuadentur. »

§ 10. His et pluribus aliis divinitus prolatis verbis, Indorum populus ad mysterium introductus, suis animis suscepit verbi semen. Deinde (ut dicam cum divino Evangelio), Domino adjuvante, et sermonem confirmante per signa consequentia, paulatim quidem abducti sunt ab idolorum libaminibus et abominationibus; ad veram autem fidem accesserunt; et sic Apostolicis transformati doctrinis, Christo familiares evaserunt per baptismum, adeo ut etiam usque ad ipsum Regem pervenerit praedicatio, etiamsi non

penetrarit usque ad profundum ejus mentis. Itaque qui genere quidem ad Regem attinebant, cum se totos dedidissent sermonibus Apostoli, ab eo avelli non poterant: Rex autem ipse detentus a profunda caligine ignorantiae, et a quibus miraculis oportebat ad lucem traduci, ab eis voluntaria caecitate ad majorem accensus insaniam, consultabat de morte Apostoli. Quamobrem dicto citius in eum fert sententiam: et lanceis de medio tollitur magnus hic Apostolus, qui propter Christum mortem lubenter suscepit *. Eum beatum quidem judicavit chorus eorum, qui per ipsum crediderunt: beatum autem censuit quoque chorus eorum, qui sunt in excelsis: plausitque justorum multitudo cum Apostolis, videntes sacram illam et divinam animam in coelos ascendentem, et stipatam Angelorum ordinibus.

§ 11. Quid autem deinceps consequitur, et quid e superis providet et dispensat bonitas, homines attrahens ad pietatem? Sacrum quidem illud corpus fidelium manibus decenter compositum, sepelitur; Regis autem filius incidit in gravem morbum, et qui erat arte humana validior. Pater ergo (quidni enim, si pater?) inflectitur a natura, fletibusque et lacrymis irrigatur, lamentationibus laniatur. Sed nullam inveniens mali solutionem, miraculorum Apostoli recordatur; et quaerebat parvam aliquam partem ex ejus reliquiis ad medendum ei, qui laborabat. Postquam autem rescivit non comparère corpus Apostolicum, saltem pulverem, quem illud tetigit, jussit afferre. Quod quidem cum factum esset, pater, aegrotanti filio pulvere imposito, sanum vidit eum quem putabat moriturum, etiamsi ille modicam lucem agnitionis, quam acceperat, sua sponte repulerat, et vere erat mortuus, ut qui acerbam mortem suscepisset impietatis. Et haec quidem quantum licuit non aberrando a veritate, composita fuerunt, et conscripta, et Apostoli laudi sunt dedicata. Tantae nobis laetitiae causa est hodie Thomas. Per quem etiam Indorum barbarae gentes didicerunt eam viam, quae fert ad coelos: et quorum corpora erant solis radiis denigrata, evaserunt candidis laetisque et alacribus animis, qui in intelligentiam cadit, sole pure ac suaviter eis illucescente: ad gloriam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius, et quae dividi non potest, divinitatis: quam decet gloria, honor et adoratio nunc, semper et in secula seculorum, Amen.

* Juxta universalem traditionem, S. Thomas Calaminae (*Meliapour?*) interfectus fuit. Verum seculo quarto ejusdem sacrae reliquiae Edessae adservabantur, ibique maxima cum veneratione colebantur.

# DE S. MEMMIO CATALAUNENSI EPISC.

PER S. GREGORIUM TURONENSEM IN *Gloriam Confessorum*, *cap.* 66.

Catalaunensis vero urbis proprius extat patronus Memmius * antistes, qui cum adhuc maneret in corpore mortali, mortuum dicitur suscitasse. Ad cujus nunc sepulcrum saepius confractas miserorum catenas atque compedes vidimus: sed et nos proprie virtutem ejus experti sumus. Quodam enim tempore, dum in urbe illa commoraremur, puer unus ex nostris a febre corripitur, fatigatur vomitu, ac cibum potumque simul exhorret: nobis vero magna molestia generatur, quod hujus pueri infirmitas, itineri nostro moras innecteret. Nec mora, basilicam Sancti adeo, sepulcro prosternor, pro puero effusis lacrymis deprecor, ut qui laborantibus vinctis, disruptis compedibus respectu pietatis plerumque consolationem exhibuit, huic febricitanti medela refrigeria ministraret. Mirum dictu! In ipsa nocte a Sancti virtute visitatus infirmus; mane facto, incolumis surrexit a lectulo.

CARMEN ADELMI EPISCOPI OCCIDENTALIUM SAXONUM

UT BEDA AIT

# DE S. VICTORIA VIRG. ET MART.

## ITEMQUE S. ANATOLIA

*Lib. 2 De Virginitate.*

**Passae sunt seculo III — Romanae.**

Tempore quo Decius mundum ditione tenebat
Militibus Christi mortis discrimina condens,
Extitit in Roma binarum forte sororum
Fama nitens, validis pulsans rumoribus aures.
Quas nullus poterat tormentis vincere tortor,
Quamlibet insontes mulctaret caede cruenta,
Ut vitae Auctorem, superata mente, negarent.
Altera de geminis felix Anatolia dicta:

* Ejus meminit Martyrologium Rom. die quinta augusti. Verum Surius, quibusdam hagiographicis tabulis innisus, ratione fortasse corporis Inventionis vel Translationis, hac ipsa die eum collocavit. Vetustissimus, totaque fere Gallia insignis, est S. Memmii cultus; sed ejusdem Acta antiqua incerta sunt, nec omnino integrae fidei, recentiora fere penitus rejicienda. — Catalaunum vero est ad Màtronam flumen, et hodie dicitur *Châlons-sur-Marne*.

Altera sed tenuit verum Victoria nomen.
Has igitur sponsi claris natalibus orti,
Ad prolem generis studuerunt jungere nuptis:
Sed mens virgineis ambarum torrida flammis
Stuppas luxuriae combussit torre pudoris,
Spurcitias mundi contemnens corde caducas.
Spargebant gazam, simul et patrimonia dantes,
Aurea calcabant roseis crepundia gemmis,
Cunctaque pauperibus mox ornamenta misellis
Largitae, sibi nil servantes, aethera vincunt.
Nuncius e claro pennatus lapsus Olympo,
Flammeus adspectu, niveo splendore coruscus,
Sceptrum qui nitidum dextra gestabat in alma,
Ambas compellans tali cum voce puellas:
« Nunc procul a vestro pallorem pellite vultu,
Pectore nec pavido quatiens timor ilia pulset,
Dum vobis thalamus paradisi sede locetur:
In quo perpetui nunquam consortia sponsi
Deficient penitus, sed gaudia longa manebunt:
Dum vos virginitas comes indefessa sequetur. »
Ambae servabant castae consortia vitae,
Angelus ut dederat sanctis praecepta pudoris,
Usque fugam vitae mors marcida lumen habebat,
Latrans et populans vitali pectora flatu.
His igitur gestis stringuntur saeva procorum
Pectora: lethifero zeli maculata veneno,
Dum cernunt amplum sponsas expendere censum.
Interea Romam linquens Victoria virgo,
Exsul in exsilium Tribulanae ducitur urbis,
Quo draco funestus ructabat flamina ventris
Lympida, lethifero corrumpens aëra flatu
Intantum, ut cives, vasto crepitante tumultu,
Linquere jam vellent pollutam flatibus urbem,
Exosi latebras, horrens quas belua tenebat.
His igitur miseris spondet Victoria virgo,
Credula si Domino pandant praecordia Christo,
Lurida pestifero linquentes idola cultu,
Ut dicto citius truculentam flamine Gypsam *,
Quae turmas vulgi mulctabat strage cruenta,
Pelleret e populo, dum vellent credere Christo.
Quod dum spondèrent concordi voce catervae,
Squamigerum proturbavit mox virgo chelydrum,
Et procul in vacuas jussit se ferre salebras.
Mox draco crudelis sermonum pondere pressus,
Obscurum liquit squamosa pelle tigillum.

* Forte *dipsam*.

Sic virgo felix, aethrali freta triumpho,
Ingentem explosit sancta virtute colubrum,
Ut nunquam posthac serpens irrumperet antrum,
Sed procul abscedens, incultis exsulet arvis.
Jusserat ut Gypsam verbo terrente migrare,
Civibus impendens, expulso natrice, palmam:
Tunc petiit cives felix vernacula Christi,
Quatenus in Crypta sibi, natrix unde nefandus
Aufugit, pariter dignentur condere cellam.
Mox veneranda Dei supplex ut virgo poposcit:
Insuper et decies senas junxère puellas,
Quae precibus crebris laudarent voce tonantem,
Odis Davidicis modulantes carmina sancta.
Tunc procus Eugenius delubri flamine fretus,
Thurificent jussit, munusque litare Dianae.
Alma sed imperium sprevit complere nefandum.
Idcirco gladium stricto mucrone vibrabat
Crudelis tortor, fundendo fluenta cruenta:
Virgineos artus roseo qui rore rigavit.
Mox interfector sensit discrimina palmae:
Arida marcescens torpebat dextra lacerti.
Insuper expertus calloso corpore lepram,
Vermibus atque scatens, efflavit flamen in auras.
Sic quoque famosis felix Anatolia signis
Claruit, exsilium saevi perpessa Tyranni.
Consulis en sobolem, constrictam nexibus arctis,
Expertem sensus, cum bruta mente vagando,
Hostibus explosis, reparavit pectus anhelum.
Qui rumor fusus, diversis pestibus aegros,
Conduci fecit, stipantes agmine sanctam.
Illis optatam reddebat virgo salutem.
Nec non et Marsum, qui torvam carmine Gypsam
Efferet ardebat, sanctos ut belua lacertos
Dentibus horrendis et rictu rodat aperto:
Curavit subito, disrumpens vincla chelydri,
Qui prius in spira Marsum sinuarat inertem.
Idcirco cursim pergebat credere Christo,
Agnoscens propriam tanta virtute salutem.
Insuper et meritum cumulavit sanguinis ostro,
Quem subiit binis sertis mox candida virgo.
Integritas nitidam, necnon et passio rubram,
Pingebant variam celsa virtute coronam.

---

# EJUSDEM S. VICTORIAE HISTORIA BREVIS

EX MARTYROLOGIO ADONIS TREVIRENSIS EPISCOPI.

§ 1. Romae natalis sanctae Victoriae virginis et martyris, persecutione Decii Caesaris. Haec desponsata Eugenio, viro pagano, rogante Tito Aurelio, qui sponsam Anatoliam Virginem habebat, ad suadendam eam, ut ei nuberet, perrexit: cui et dixit: « Audi me, domina soror Anatolia, et ego Christiana sum, et novi, quia Deus nuptias non condemnat. Prophetae et patriarchae conjuges habuerunt, et posteritas eorum a Deo benedicta est. Nunc ergo audi me, et accipe virum, qui te non prodat, quod sis Christiana: sed per maritalem copulam fiat, ut ipse Christianis consentiat. » Haec dicenti Victoriae virgo Anatolia respondit: « O Victoria, vince diabolum, et esto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: *Crescite et multiplicamini, et replete terram*. Nunc plena terra, postquam Filius Dei de coelo descendit, quotidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, et replete coelos: quia appropinquavit regnum coelorum. »

§ 2. Iterum inter alia et post alia, sancta Anatolia intulit: « Ego die, qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem aureo diademate splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie et laeto vultu me inspiciens, ait: O virginitas, quae non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris. Haec ego audiens, evigilavi, et coepi flere: et projiciens me in pavimento, rogavi Dominum, ut is, qui mihi loquebatur, dulcissimos sermones iterum prosequeretur. Sic mihi oranti et prostratae, idem qui ante loquebatur, talia mihi subsequitur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans, sollicite custodi, quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi, ne perdas. »

§ 3. His et similibus verbis et factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum et ipsa distraxit pauperibus. Sicque factum est, ut, agentibus sponsis earum Aurelio et Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, a Decio imperatore urbe Roma pulsae, ad praedia sponsorum ducerentur. Ubi fame et inediâ ita afflictae sunt, ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur; nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel ad sacrificandum animi illarum inclinarentur.

§ 4. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quae plurimas

virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarcho, quem rogatu Eugenii sponsi sui Julianus pontifex Capitolii et comes templorum, ad hoc opus direxerat. Passa est autem decimo Calendas Januarii. Corpus ejus cum omni reverentia curatum. Taliarchus vero percussor ejus, leprosus factus, intra sex dies consumptus a vermibus, exspiravit.

# MARTYRIUM SANCTORUM DECEM MARTYRUM

## QUI IN CRETA SUBIERE MARTYRIUM

### AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

**Martyrio coronati sec. III — Cretenses.**

§ 1. Alius quidem aliquid aliud persequatur oratione, illius quae vulgo jactatur, Cretae *; alius quidem pulcritudinem, alius vero magnitudinem, et alius quidem moenia et portus, alius autem aëris temperationem, et fructuum fertilitatem. Ego vero id, quod alia vincit omnia, et quam solam ejus opifice dignam dixerim feracitatem, eam dicam ante alia. Quisnam est hic fructus, et quodnam est tantum insulae ornamentum? Quid aliud, nisi divinus chorus martyrum, et qui laudatur numerus, et quod omnium quidem est spectaculorum jucundissimum, et acromatum omnium utilissimum? Decem, inquam, illi pro Christo martyrii coronis redimiti: qui ex ea quidem processerunt, fortissime autem pro Christo subière martyrium; qui eam pro alimentis revera pulcre sunt remunerati, cum eam tanto honore affecerint, ut in ea per martyrium fuerint consummati. Quomodo vero, paucis jam dicet oratio.

§ 2. Decius ille, qui magno fuit furore percitus, et ad puniendos Christianos omnium fuit violentissimus, is tunc sceptra tenens imperii Romanorum, hujus insulae constituit Proconsulem virum quemdam, qui eodem quoque nomine appellabatur, nempe Decius, non minus autem, quam in nomine, conveniebat in moribus. Qui cum fuisset in Creta, rem parvam existimavit, et quae nullam

* Creta, nunc Candia, celeberrima maris Mediterranei insula. Centum urbes olim habuisse dicitur. Navibus et sagittis potis fuit. Prima litteras jungere, ut fertur, edocuit. Optimis utebatur legibus, quas Minos ab ipso Jove acceptas Cretensibus tulisse fama erat. Sequenti aevo tamen mores prolapsi sunt, Cretaeque incolae habiti sunt perfidi et vitiosissimi. Q. Metellus insulam illam in provinciae formam redigit; eaque mansit sub imperio, primum Romano deinde Constantinopolitano, donec a Sarracenis occupata fuit. Veneti autem anno 1204, a Bonifacio Montisferrati Marchione eam mercati sunt. Pervènit deinde in Turcarum potestatem, qui etiam nunc eam possident.

haberet immanitatem et saevitiam, omnes qui sunt in ea Christianos, postquam subjecisset innumerabilibus generibus tormentorum, deinde acerbe tollere de medio. Quaerebantur ergo omnes, et inveniebantur; et comprehensi, ad ipsum ducebantur. Cum quibus hic quoque sacer chorus, praestantissimorum virorum denarius, veluti ex optimis eximii selecti civitatibus: quorum alios quidem maxima omnium, quae illic erant, praebuit civitas; alii autem orti erant ex aliis: communiter vero simul omnes festinabant ad unam, quae est in coelis, civitatem.

§ 3. Ii cum tunc stetissent ante Proconsulem, quos non tunc quidem sermones libere habuerunt? Quibusnam autem factis non obscurarunt sermones? et quodnam quidem tormentorum iter non pervaserunt? Quodnam autem supplicium non superarunt tolerantia, caesi, torti, per terram tracti, lapidibus appetiti, irrisi, consputati, et omne genus ferentes subsannationis? Sed erant haec quidem illis futurorum gymnasia, et veluti quaedam praeexercitationes. Postquam autem oportebat eos magna currere Olympia, temporis, inquam, tormentorum: erat vero dies praestitutus decimo Calendas Januarias: et paratum quidem erat tribunal, et praesidebat Proconsul: ducebantur autem athletae: pleni vero erant ambo, hi quidem animi alacritate, ille vero furore et insania. Et ille quidem erat propensus ad puniendum usque ad mortem, hi vero parati erant sustinere usque ad extremum spiritum; iracundo et caedem spirante vultu eos intuens: « Quaenam est, inquit, tanta amentia, quod neque ratio, neque tempus vos id docuit, quod est futurum conducibile? » Deinde perinde ac si sola, quam prae se ferebat, ira eos perterrefecisset, et jam eis, ut parèrent, persuasisset, « Sacrificate, inquit. Sin minus, ego quidem nihil dicam amplius. Vos autem scietis paulopost, quisnam sit Decius, cui vos non vultis nunc morem gerere. »

§ 4. Ad haec Martyres: « Nos quidem, o Praeses, responderunt, et verbis, et factis, et etiam tempore satis magnam dedimus experientiam, quod neque diis sacrificabimus, neque ad hoc alicujus alterius cedemus sermonibus. » — « Sed neque, interpellans dixit impius, vobis, o impii, erunt curae ulla tormenta? » — « Nequaquam, dixerunt Sancti, propemodum enim hoc nomine tibi habemus gratias, quod nobis dederis, ut his accipiamur epulis. » « Sed non sic, inquit Praeses, erit deinceps. Sed scietis, quanta sit maximorum deorum potentia, quos vos tam impudenter maledictis insectamini, neque hos qui adsunt, reverentes, qui simul sunt multi et sapientes: qui inter deos quidem primum Jovem, deinde Junonem, et Rheam, et reliquos colunt. Quae enim primum sustinuistis, erant veluti solum umbrae suppliciorum. Nunc autem tam multis suppliciis cruciabimini, ut non vestra audacia ab eis solum comprimatur, sed aliis quoque metum incutiat, qui aeque ac vos sunt inobedientes, si modo ulli sint ejusmodi. »

§ 5. Ad haec rursus viri fortissimi: « De Jove quidem, o Praeses, et illius matre Rhea nihil nobis dixeris. Neque enim apud eos qui ignorant, verba facis. Scimus enim, ut qui a patribus nostris audiverimus, genus ejus et fortunam et mores. Sepulcrum autem, si vis, etiam praesentes indicabimus. Nam ipse quoque in Creta ortus est. Fuit vero eorum, qui in ea habitabant, Tyrannus. Erat autem adeo intemperans et proclivis ad libidines, ut non solum in foeminas, sed etiam insaniret in masculos: praestigiis vero utebatur et malis artibus, se callide mutans propter summam intemperantiam, et singulis horis se polluens nefariis concubitibus. Quidam autem, qui eisdem laborabant vitiis, et imitati fuerant illius abominationem (quid est enim tam facile, quam mali imitatio?), et eum Deum esse pronuntiant, et ei templa excitant et sacrificant, ut quod eis placet, Deo quoque videatur placere: et sic non solum Deo non invisum, sed etiam, proh dolor! divinum existimetur, se libidinose et intemperanter gerere.»

§ 6. Divino haec loquente choro, Proconsul quidem disrumpebatur, ut qui convinceretur: multo autem magis furebat etiam populus, et impetu ferebantur ad comprehendendos Martyres; et eos manibus propemodum discerpissent, nisi Decius et voce et manu eos cohibuisset: et cum jussisset eos quiescere, acerbius illis mortis genus machinabatur. Et Sanctos quidem statim arripuere tormenta: alios quidem alia, sed acerbitate et magnitudine doloris similia. Nam alius quidem ex ipsis suspensus, ferreis lacerabatur ungulis: nervi vero divellebantur, carnes autem illius in terram defluebant. Alii vero lapidibus et acutis sudibus sauciabantur latera usque ad ossa. Alii quidem gravi plumbo verberato dissolvebantur compages, ossaque confringebantur et conterebantur. Alius item aliter: est enim vel solo auditu miserabilis acerbitas suppliciorum. Etenim quomodo iis qui sunt paulo misericordiores, haec videre est intolerabile: ita etiam sigillatim persequi et audire, est longe molestissimum. Sed Martyres haec etiam patientes, adeo facile, aut, ut verius dicam, jucunde ferebant, ut qui aderant, conjicerent eos non tam dolere propter ea quae sustinebant, quam aegre ferre, quod non essent plura tormenta.

§ 7. Omnes itaque ad eos confluebant, tamquam ad res novas et admirabiles, tam fideles, quam quibus manca erat pietas. Sed illi quidem, ut admirarentur athletarum constantiam, et suam confirmarent pietatem: hi autem, ut irriderent eorum tolerantiam, et eorum plagis quodammodo laetarentur propter insignem crudelitatem. Quamobrem non modo nullâ movebantur misericordiâ, sed etiam Praesidem et lictores magis irritabant ad saevitiam. Et hi quidem sic incitabant, ille vero jubebat, lictores autem exequebantur. Porro autem Praeco quoque clamabat: « Parcite vobis ipsis. Parete principibus. Sacrificate diis. » Martyres autem etiam in

tanta copia rerum asperarum, erant omnibus simul superiores, turba, praecone, tormentis, ipso Praeside, et ante eos, omnium principe satana, et universis, quae eis subjiciuntur, copiis. Omnes enim, veluti signo dato, unam simul vocem tollunt: « Sumus Christiani, Christi hostiae, Christi victimae: etiamsi millies mori oporteat, libenter moriemur. »

§ 8. Cum autem Martyrum negotio omnia postponerentur, qui erat valde promptus satanae minister Decius, desperans fieri posse, ut persuaderet adhuc et cogeret, fert in eos mortis sententiam. Ducebantur itaque Sancti, ut ense interficerentur, ad locum, qui parum quidem abest a civitate: ab incolis vero vocabatur Alonium. Ad eum festinantes Martyres, ostenderunt novum quid, et quod videbatur insolitum. In toto enim cursu martyrii, inter se unanimes et simul conspirantes, in hoc solum contendebant, quisnam eorum primus ensem subiret, et primus coronam acciperet. Hanc autem litem componit Theodulus, qui erat unus ex hoc divino choro, dictitans quod is futurus esset primus, qui omnium ultimus excederet, cum nihil turpe et indecorum ex spectaculo aliorum sustinuerit, sed sic revera multa certamina subierit. Placuit omnibus, quod dixerat: et primum quidem ad Deum communem hymnum canunt, *Benedictus es*, *Domine*, dicentes, *qui non dedisti nos in captionem dentibus* (*Ps.* 123), et quae deinceps scribit Psalmographus. Deinde etiam ad locum accedentes, fecerunt unusquisque orationem: « Parce, Domine, servis tuis, dicentes, et suscipe sanguinem nostrum pro nobis, pro nostris, pro patria: ut ea liberetur a tenebris ignorationis, et puris oculis contempletur pietatem, et te veram lucem, o Rex aeterne. »

§ 9. Postquam sic precati essent unusquisque, sacra et victoriae insignia eis sunt amputata capita, cum se patriae distribuissent: et sanguinem quidem infernae, nempe eum qui interit, intereunti; spiritum autem dedissent supernae, ei quae semper manet, eum qui est permanens. Cum vero post consummationem recessissent lictores, quidam ex eorum cognatis, qui in eo loco remanserant, horum sacras venerabiliter componunt et deponunt reliquias. Et tunc quidem mortuos habuit, quae illos tulerat. Postea autem, quando vis veritatis, veluti quaedam zona aurea, comprehendit maximam partem orbis terrarum, Paulus mittitur in insulam, ut eas ad novam Romam deduceret, ad reginam, inquam, urbium: Paulus ille, cujus est magnum nomen sanctitatis, gloriosae Romae Pontifex, et qui moribus magis quam throno erat insignis, cujus vel sola appellatio erat flagellum ad pellendos daemones. Is cum accepisset aliquos delectos ab Imperatore, qui ejus coepto opem ferrent, venit ad gentem Cretensem: et cum amovisset terram reliquiis impositam, invenit eas, o Rex Christe! similes viventibus, et interitu superiores, perinde acsi inesset adhuc spiritus, et eis humor tamquam ros insideret matutinus. Cum eas ergo

illinc sustulisset cum miraculo, eas tradit praeclarae et reginae urbium: et nunc sunt, ubi sunt repositae reliquiae martyrum Infantium, communes servatores et praesides civitatis, et vigilantes custodes in omnibus rebus molestis. Quorum intercessionibus detur nobis consequi bona eis reposita, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri et Sancto Spiritui gloria et potentia, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

# DE SANCTO SERVULO

## EX BEATISSIMI GREGORII PAPAE HOMILIA XV IN EVANGELIA.

**Circa annum 580.**

§ 1. Terra bona fructum per patientiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona, quae agimus, si non aequanimiter etiam proximorum mala toleremus. Quanto enim quisque altius profecerit, tanto in hoc mundo invenit quod durius portet: quia cum a praesenti seculo mentis nostrae dilectio deficit, ejusdem seculi adversitas crescit. Hinc est enim, quod plerosque cernimus et bona agere, et tamen sub gravi tribulationum fasce desudare. Terrena namque jam desideria fugiunt, et tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed juxta vocem Domini, fructum per patientiam reddunt: quia cum humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic uva calcibus tunditur, et in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa, amurcam suam deserit, et in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram areae a paleis grana separantur, et ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suae flagella tolerare: ut tanto post ad judicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat.

§ 2. In ea porticu, quae euntibus ad ecclesiam beati Clementis est pervia, fuit quidam, Servulus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt: rebus pauper, meritis dives, quem longa aegritudo dissolverat. Nam a primaeva aetate usque ad finem vitae paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non poterat? Nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad serviendum mater cum fratre aderat, et quicquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus

erogabat. Nequaquam litteras noverat: sed Scripturae Sacrae sibimet codices emerat, et religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est, ut, quantum ad mensuram propriam attinet, plene Sacram Scripturam disceret, cum, sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo et laudibus diebus ac noctibus vacare.

§ 3. Sed cum jam tempus esset, ut tanta ejus patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumque jam se morti proximum agnovit, peregrinos viros atque in hospitalitatem receptos admonuit ut surgerent, et cum eo Psalmos pro exspectatione sui exitus decantarent. Cumque cum eis et ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit, cum terrore magni clamoris dicens: « Tacete, tacete: nunquid non auditis, quantae resonant laudes in coelo? » Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima carnis vinculis soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes qui illic aderant, inaestimabili suavitate replerentur: ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laudes in coelo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc usque vivit, et cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus ejus sepulturae traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.

§ 4. Ecce quo fine ex hac vita migravit, qui hic aequanimiter flagella toleravit. Juxta vocem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quae exarata disciplinae vomere, ad remunerationis segetem pervenit. Sed vos rogo, fratres carissimi, attendite, quod excusationis argumentum in illo districto judicio habituri sumus nos, qui a bono opere torpentes, et res et manus accepimus, si praecepta Domini egenus et sine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apostolos ostendat, qui ad regnum secum fidelium turbas praedicando traxerunt: non contra nos Martyres exhibeat, qui ad coelestem patriam, sanguinem fundendo, pervenerunt. Quid tunc dicturi sumus, cum hunc, de quo locuti sumus, Servulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, sed tamen haec a bono opere non ligavit? Haec vobiscum, fratres, agite: sic vos ad studium boni operis instigate, ut cum vobis bonos modo ad imitandum proponitis, eorum tunc consortes esse valeatis.

---

## BEATI PETRI DAMIANI

# SERMO IN VIGILIA NATALIS DOMINI

HABETUR IN TOMO VIII ALOYSII LIPOMANI.

§ 1. Tandem de mari ad portum, de promisso ad praemium, de labore ad requiem, de desperatione ad spem, de via ad patriam pervenimus. Scripserat quidem nobis frequentibus epistolis calamus scribae velociter scribentis, *Exspecta, reexspecta :* sed nos, quod subjungitur, dicere poteramus : *Modicum ibi, et modicum ibi* (*Isa.* XXVIII). Praecurrerant cursores promissione divites, sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius : *Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Ps.* 26) : alter vero : *Si moram fecerit, exspecta eum : quia veniens veniet* (*Habac.* II). Pari consilio exierant de sanctuario Dei, nihil secum nisi promissionum multitudinem reportantes. Unde et Citharista noster jam dormitaverat prae taedio, et in ipsum Deum tacitis obligationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat : *Tu vero*, inquit, *repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum* (*Ps.* 88). De flebili quoque ad imperativum conversus est, exagitante impatientia, quae mater est impudentiae et frontositatis. Qui sedes, inquit, super Cherubin, manifestare. Ut quid tamdiu dominatrici sedens in cathedra, circumvolantibus et vallantibus Angelis, non respicis super filios hominum, quos absorbuit, et obsorbuit iniquitas, per Adam quidem commissa, sed a te permissa ? Memorare quae sit mea substantia, ad tuae substantiae similitudinem fabricata ; quia etsi omnis homo vivens est vanitas, in imagine tamen tua pertransiens, vanitas esse non potest. Nunquid ita vane constituisti omnes filios hominum, de quibus dicis : *Et deliciae meae cum filiis hominum* (*Prov.* VIII) : ut eos verberet, et diverberet a te malignissimus ille deceptor, qui decipere, nisi te permittente, non potuit ? Inclina coelos tuos, et descende, et illos misericordes oculos miseris inflecte precantibus, nec saltem in perpetuum obliviscaris nos.

§ 2. Haec quidem iste, sed gemitibus et aerumnis intortus, tantae praesumptionis sententiam abjurabat. *Dixi*, inquit, *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (*Ps.* 38). Verum ille vir nobilis, et profundi sermonis urbanitate perlucidus, affectuosis excessibus incalescens : *Propter Sion*, inquit, *non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus* (*Isa.* LXII). *Utinam*, ait, *disrumperes coelos, et descenderes* (*Isa.* LIV): et alia multa, quae fastidiosa prolixitas vetat inserere. Hinc etiam morosioris gratiae longinquitate suspensus, et nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat, dicens : *Ecce*

*gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo : quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* (*Isa.* XL). Jeremias in vocem gratulabundae laudis, adverbio demonstrante prorumpens : *Ecce,* inquit, *faciet Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI). Sed tamen repentinae subversionis lacrymis edocetur, ut prius lamentum suscipiens, quam adventum, penitus conticescat. Danieli dicitur : *Visio est in dies, et in tempora longa* (*Dan.* X). Et Ezechiel tantis caliginibus involvitur, ut vix dignosci possit, unde veniat, aut quo vadat. Denique omnis ille Prophetalis conventus, longa tardantis gratiae morositate pertaesus, nunc rogando, nunc conquerendo, variat orationem, et plerumque sermonibus exorativis indignatorios intermiscet. Nos quoque satis satisque eos audivimus, et nobis in fastidium releguntur. Jam fugiat Moyses : impeditioris siquidem linguae factus est nobis. Isaiae labia immunda sunt. Jeremias nescit loqui, quia puer est. Ezechiel polluto pane vescitur. Oseas fornicariam, et adulteram ducit uxorem. Daniel post visionem graviter infirmatur. Omnes Prophetae, elingues sunt et muti. Jam laetari et exultare non possumus, nisi osculetur nos osculo oris sui. Auditi, et exauditi estis. Adest benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, quae vel differri, vel auferri non patiatur amplius amorem languentium.

§ 3. Quid enim audistis? *Sanctificamini, filii Israël, et estote parati : quia crastina die descendet Dominus.* Residuum diei hujus, et superventurae noctis vix medianda progressio, dirimunt nos a vultu gloriae, a puero Deo, a puerperio singulari. Currite, celeres horae, et rapidiori passu conficite metas vestras, ut liceat videre filium Dei, vagientem in cunis, et salvatrici nativitati qualiacumque obsequia praeparare. Credo vos esse filios Israël, sanctificatos ab omni inquinamento carnis et spiritus, paratos ad diei crastinae sacramenta, et sollicita devotione, et devota sollicitudine. Quid enim aliud his sacris diebus, ejus adventui dedicatis, egistis? Vidi ego senes senectutis oblitos, adstare vigiliis sacris juvenili alacritate, et juvenes, juventute sepulta, senili gravitate reverentiae divinitatis assistere. Plena erant subsellia continentibus, et concentu parili voces in sublimibus resultabant, ut felici invidia vos cernerem jubilare Deo in voce exultationis. Psalteria erant prae manibus, psalmi in labiis, in corde devotio : solemnitatem animi indicabant hilaritas vultus, discursio corporis, operis sollicitudo. Inspexi sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus subtiliter indagare, sacramentalibus indui vestimentis, introire ad altare Dei, ad sacrificandum corpus et sanguinem Redemptoris. Vidi assistentium turbam, ministeriali devotione nunc flectere genua, nunc osculari manus, et ad imperantium nutum nutu citius obedire. Sed et pueros adspexi, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram, sibi adinvicem psalteria invidere, et deportare ad lectulos suos, furari somnum ab oculis suis, et in lectulo

suo per noctes quaerere, quem diligebat anima eorum. Quod licet contra consuetudinem praesumptum sit, non tamen contra devotionem.

§ 4. Fateor, inter haec omnia cogitabam: *Castra Dei sunt haec. Non est hîc aliud, nisi domus Dei et porta coeli* (*Gen.* XXVIII). Vellem, nollem, vestra devotione trahebar, et vobis negotiantibus, otiari non poteram. Sequebar vos, sed a longe, vel aberrans a via, vel claudicans a semitis meis, lugens et contristatus, quia non poteram aequare currentes. Novit ille unus, cum quo uno unum esse coepi in Domino, quam frequentibus querelis impleverim aures ejus, quod vos in meridie essetis cum sponso, et ego in vespertino frigore commorarer. Eja fratres, si aliquis adhuc influus humor de flumine mortalitatis hujus vestras circumrorat affectiones, tergite, et tegite illum niveo confessionis amictu, et calceate vos in praeparatione Evangelii pacis, ut sitis de quibus dicit sanctus: *In flumine pertransibunt pede* (*Ps.* 65). Quid autem post haec? *Ibi laetabimur in ipso.* De flumine hoc, immo de fluminibus istis Isaias propheta in nocturnis lectionibus largius disputavit. *Percutiet*, inquit, *Dominus fluvium Aegypti in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati* (*Isa.* II). Volo de fluvio, et rivis ejus paulisper confabulari vobiscum, quomodo et qualiter percutiantur, et quid sit, transire per eum calceatos.

§ 5. Per Aegyptum figuraliter exprimi mundum istum, divinorum eloquiorum scrutatores affirmant, qui positus est in maligno, qui tenebris et confusionibus est repletus. Flumen, fluxus humani generis est, qui de primis parentibus infelici vena prorumpens, impetuosum torrentem per totam mundi latitudinem instagnavit: qui in septem torrentibus derivatus, valles et campestria profunda voragine supersedit, ipsis quoque montium cacuminibus eamdem refusionem intentans; unde unus de altioribus clamat: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me* (*Ps.* 17), et *intraverunt aquae usque ad animam meam* (*Ps.* 68).

§ 6. Primus hujus fluminis rivus est, cogitatio mala, rivus exundans, et qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluviarum, fenestras corporeorum sensuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infusius administrant. Occursat adspectui mentis, quod vidit et audivit, quod adoravit et gustavit, quod palpavit et tetigit, et plerumque quod simplici oculo adspeximus, versipellis contortor ad offendiculum retorquet et scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, et in thalamo mentis universa convolvit, si forte consensum eliciat, et inficiat affectum. Offert horribilia de divinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione, et in alveolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confessione evomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium, dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, revisit officinas, nullam praetermittit

artem nocendi: sed ubique suae calliditatis assignat argutias, et in choro quidem inter orandum et psallendum mentem pertrahit in diversa, praeteritorum rememoratione puritatem intellectus involvens. In toro vero multiformes libidinis sensus involvit, insidians solitudini vestrae, et telis fortioribus oppugnans; utinam non expugnet: pungat, non vulneret. In refectorio autem gulam allicit ad videndum quae perferantur, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem, ut majore opera ad egerendum egeas, quam ad ingerendum. In claustro libros revellit a manibus, memoriam resecat scripturarum, et nunc de illo ad istum cum signis et scurrilitate transvertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere, et vagabundo se comitem facit, donec taciturnitatis ostium aut aperiat, aut confringat. Quid plura? In choro devotionem, in toro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officinis silentii virtutem, virtutis inimicus extirpat. Nec sufficit in vigilando subtilibus spiculis cordis terebrare muralia, sed dormiendo singulari se versat et reversat astutia: quae melius vestrae conscientiae, quam styli scientiae derelinquo. Sed et ad altare Domini virtutum sequuntur vos spiritus isti, in ipsos mentis oculos involantes, et vix aliqua vel nascentis Dei, vel pendentis in Cruce possunt memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha vix volucres hujusmodi a suis sacrificiis abigebat. Nos quid sumus, qui fugare praesumimus? Quis in hoc rivo vel mersum, vel submersum se esse negaverit? videtis quam turbidus torrens, et limosa regurgitans coenositate, qui vix, aut nunquam ad hoc ducitur, ut penitus exsiccetur. Non puto quod ille, qui clausit coelum oratione, clauserit animum a cogitatione: ut facilius sit coelum obserare quam animum.

§ 7. Secundus rivus est locutio perversa. Linguam nullus hominum domare potest, ait Apostolus: membrum inquietum, membrum mortiferum, facilis ad loquendum, ad obloquendum proclivior. Et notandum, quod nascitur alter ex altero, cum malae cogitationi pravae locutionis janua sit aperta. Et est verbum, aliud falsum, unde dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Ps.* 5): aliud vanum, de quo scriptum est: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Ps.* 2): aliud maledictum, de quo Apostolus scribit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (1. *Cor.* VI): aliud impudicum, de quo idem: *Turpis sermo de ore vestro non procedat* (*Ephes.* IV): aliud excusatorium, unde Psalmista: *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis* (*Ps.* 140): aliud dolosum, de quo Propheta: *Disperdat Dominus universa labia dolosa* (*Ps.* 11): aliud otiosum, de quo idem Dominus: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII): et si quae alia sunt genera pestis hujus, quae nos brevi saltu transilire non possumus.

§ 8. Tertius est actio prava. Post cogitationem et locutionem venitur ad opera, quando exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato, et contumeliis afficimus corpora nostra. Quid enim turpius, quam membra Christi sanguine consecrata, et consepulta ei in baptismate, libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reverentiam praesentis Dei minantis poenam, gloriam promittentis? Absit ut aliquis vestrum huic idolo substernatur, ut filium Virginis in Veneris templo suscipiat, ut arcam Dei juxta Dagon collocet: ne nutritus in croceis, stercora complectatur. Quid Petro cum Mago? Quid Christo cum Antichristo? Quid virgini et libidini? Quid puritati et impuritati? Absit ut quisquam vestrum ambulet in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum, qui corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis, electi servire Imperatori, ut cum Imperatore sedeatis, cum sederit in sede majestatis suae. Qua fronte, quibus oculis videret nos, viveret nobiscum, qui tantis inter nos obscoenitatibus deserviret? Qua mente, qua conscientia accederet ad sancta sanctorum, immolare sanctum sanctorum, cujus fama contemptibilis, vita notabilis, sermo reprehensibilis haberetur? Sed si forte (humanum loquor), propter infirmitatem carnis nostrae, aliquis nostrum tale aliquid in cubiculo conscientiae complicavit, deplicet illud per confessionem et poenitentiam, et ego ei de misericordia nascentis pueri repromitto, quia si confessus fuerit, et poenituerit, nascetur in eo lux mundi, ut, dimotis fallacibus tenebris, splendorem verae lucis accipiat. Quomodo enim miseris misericordia hac nocte negabitur, in qua misericorditer nascitur misericors et miserator Dominus? Adest Deus et homo, mater et virgo, caro et verbum, lux et illuminans, bonus et bonitas, misericordia et veritas, foecunda virginitas, virginalis foecunditas, aeterna novitas, nova aeternitas, divina humanitas, humana divinitas, humilis sublimitas, et in his omnibus misericordia fabricatur. Cohibete igitur extollentiam ab oculis, loquacitatem a lingua, crudelitatem a manibus, voluptatem a lumbis, pedes ab itinere non trito, et venite, et arguite eum, si non hac nocte disrumpit coelos, si non descendit ad vos, et projicit in profundum maris omnia peccata vestra. Quis enim est, qui hujus tertii rivuli non sit mersus, et remersus instantia?

§ 9. Quartus rivus est defensio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram divinitatis, quam iniquitatis defensio. Aequo enim certamine nos decertamus cum Domino, cum defendimus quod odit, cum nobis placet, quod displicet illi. Magna quippe differentia est inter superbum et humilem peccatorem, cum illum despiciat, hunc respiciat, quia *humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Ps.* 137). Quando sanari poterit, qui medicum sprevit, medicinam conculcat, et infirmam substantiam contrariorum receptione succendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, et in Creatorem refundis injurias, ut quod laudaverit,

tu vituperes: quod vituperaverit, tu laudes. Non est hoc palpativa dissimulatione tacendum, cum viderim quosdam vestrum tantis impatientiae stimulis agitari, ut ad primas correctionis voces, non solum excusationem, sed defensionem exhibeant: et nisi disciplinaris vigor obviaverit, ad tumultus et jurgia prosilitur. Haec est impietas maxima in Deum, delictum maximum, quae vir simplex et rectus, et puer Domini summa circumspectione devitat. Elegantissimam super his comparationem inducit propheta, quam de sacrario Sancti Spiritus absportavit: *Ibi*, inquit, *habuit foveam hericius* (*Isa.* 34). Hericius si apprehendi se sentiat vel contingi, ita confertissima spinositate densatus est, ut undique compunctionibus et aculeis vestiatur. Cum vero se solitudinem adeptum putat, caput aperit, exerit pedes, et vivificatorios motus plana deambulatione demonstrat. Si quis supervenerit, statim celerrima velocitate caput cum pedibus ad interius absconditum reportatur, ut si illum tenere volueris, prius videas sanguinem tuum, quam corpus suum. Sic et peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, a pastorum sollicitudine prospectatur, et quod fere omnium peccantium vitium est, cum ab omnibus videatur, a nemine aestimat se videri. Si vitium resecare studeas et intentionis ingressus cum actionis egressibus, correctivis manibus deprehendere, statim Ciceronis eloquentia renovatur: excusatur et defenditur, quod opponis: accusaris et offenderis, qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quando factum fuerit, et novus dialecticus exerta lingua prorumpit: in medium parentes advocat, patrocinatores quaerit, gravari se judicat, indicat se recessurum, malleque mori, quam pati talia: et quae vidisti, negans: et quae non vidit, in te convicia retorquens. Sic spinam sentis, et culpam perdis: odium incurris, nec corrigis: et quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides quam multiplici cumulositate rivus iste omni homini, et maxime nostro ordini, se infundit?

§ **10**. Quintus est exultatio in peccatis. O detestanda laetitia, et in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus exultare. Nonne latrocinantes et facinorosi quique, cum votorum plenitudinem assequuntur, non se capiunt prae gaudio, ita etiam, ut audeant ipsi divinitati gratias immutire? *Qui cum malefecerint, laetantur, et exultant in rebus pessimis, cadent super eos carbones, et in ignem dejicientur* (*Prov.* II *et Ps.* 39). Sed et rivus iste, quam undosa refluxione miseros animantes offundat, melius conscientia, quam eloquentia comprehendit.

§ **11**. Sextus est alios docere ad malum. Haec doctrina de cathedra pestilentiae derivatur, quam detestatur et reprobat, qui docet hominem scientiam. O quam in vano accipit animam suam, qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata sicut longam restem, qui miscet sanguinem sanguini, cui non sufficit

ut intereat in seculum seculi, nisi et alios ad interitum pertrahat sempiternum. Scitis enim, quia multa vitia tenerrimis aetatibus imprimuntur, quae postea in magno corpore vix mitigare, nedum extirpare quisquam possit. Infelices magistri, qui hujusmodi plantaria plantaverunt, quae explantantur ab illa coelesti plantatione, quam plantavit pater ille coelestis. Quis gloriabitur, se hujus rivi torrentibus non fuisse vallatum?

§ **12**. Septimus est in his omnibus perseverare. Hic peccator submersus est et absorptus, et clausit super eum puteus os suum. Cum enim non levat oculos ad coelum, nec recordatur judiciorum justorum, mortuus et sepultus est in sepulcro conscientiae suae. Tunc a mortuo, tamquam qui non est, perit confessio. Tunc peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit. Hîc est in extremo fluminum Aegypti. Hîc multitudo miserationum Domini tollitur ab oculis ejus. O flumen malum, rivi pessimi, rivi exterminantes! Hac nocte Dominus eos calceatus transivit, cum in virginali substantia puram carnem, et omnium praetaxatione pestium immunem accepit, illo calceamento calceatus, quod in Idumaeam extendit, cujus corrigiam solvere non potuit magnus ille Baptista. Misit de summo filium suum, et accepit me in utero Virginis, et sic tandem assumpsit me de aquis multis: quas vobis breviter praelibavimus. *Libera me*, inquit, *ab his, qui oderunt me, et de profundis aquarum* (*Ps*. 68).

§ **13**. Percutiemus eos, si cogitemus pro peccato nostro, si prohibeamus linguam a dolo, si declinemus a malo, et faciamus bonum, si confiteamur adversum nos injustitiam nostram Domino, si dolor noster sit semper in conspectu nostro, si doceamus iniquos vias Domini, et semper laus Dei sit in ore nostro. Et ut de arte sutoria nostris moribus aliquid consuamus, habeamus calceamenta densa, et subtiliter consuta, quae possint aquas obviantes excludere. Faciamus carnem nostram firmam, et confixam timore Domini, quae libidinis humorem excludat, et excocta tribulationibus atque densata, fiat uter novus ad conservandum vinum novum, de quo dicitur: *Quia factus sum sicut uter in pruina* (*Ps*. 118). Sed jam corda et corpora nostra, ad suscipiendum filium Virginis praeparata, dimittamus in pace, et omnes in commune lumen ad revelationem gentium innocentibus brachiis amplectamur: Qui est Deus benedictus in secula. Amen.

---

# MARTYRIUM * S. GREGORII SPOLETANI

## PRESBYTERI ET MARTYRIS

EX QUODAM PERANTIQUO MS. CODICE PER F. LAUR. SURIUM, PAUCIS LOCIS MODICE CORRECTO STYLO, DESCRIPTUM. CONSENTIUNT VETUSTISSIMA MARTYROLOGIA.

**Seculo IV floruit.**

§ 1. Temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum talis furor in sacrilegis per cunctam Italiam exarsit, ut una esset apud omnes idolorum cultura, et si quis non prostratus idolis immolaret, poenis diversis cruciaretur. Erat tum quidam vir impiissimus. Flaccus nomine, quem Maximianus Imperator direxerat, ut omnia idola erigeret. Cumque introisset is Flaccus in civitatem Spoletanam, jussit sibi tribunal collocari, et praecones per omnes plateas civitatis mitti, ut omnes simul cives ante vestigia ejus in medio foro consisterent. Cumque congregatus fuisset omnis populus in medio foro, Flaccus dixit Tircano: « Isti omnes diis nostris deserviunt? » Cui Tircanus dixit: « Isti omnes, quos conspicit pietas tua, deos colunt, Jovem, Minervam et Asclepium, deos immortales, qui propitios se exhibent mundo universo. » Haec audiens Flaccus, gavisus est gaudio magno, et continuo jussit turbas omnes dimitti.

§ 2. Beatus vero Gregorius erat tum in civitate Spoletana, jejuniis et orationibus die ac nocte vacans. Multos ille precibus suis sanos reddebat, spiritus immundos ejiciebat, lecto decumbentes sanabat, leprosos mundabat, caecos illuminabat, et corda multorum paganorum ad Dominum Jesum Christum convertebat: templa vero paganorum et simulacra in terram dejiciebat. Audiens haec Tircanus, quod beatus Gregorius multa templa idolorum evertisset, et paganorum animos ad Christi amorem convertisset, iratus nimis, nunciavit haec Flacco, dicens: « Est quidam in urbe seductor multorum, Gregorius nomine, adversus deos rebellis, et vestra jussa pro nihilo ducens. » Haec cum audisset Flaccus, exarsit a diabolo, et jussit quadraginta milites mitti, qui beatum Gregorium vinctum perducerent. Exierunt milites, et implentes jussa, beatum Gregorium praesentaverunt. Sedens autem Flaccus cum Tircano, et respiciens in faciem beati Gregorii, in hanc erupit vocem: « Tune es Gregorius Spoletanus? » Sanctus Gregorius dixit: « Ego sum. » Rursumque Flaccus: « Tune es,

* Ipso fatente Tillemontio, Martyrium hoc egregie est descriptum.

inquit, adversus deos rebellis, et principum contemptor? » Sanctus Gregorius respondit: « Si verum scire vis, ego ab infantia mea nunquam a Deo meo recessi, qui me ex limo terrae formavit. » Flaccus dixit: « Quis est iste Deus tuus? » Sanctus Gregorius respondit: « Qui fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse est Deus fortis, Deus immortalis, qui reddit unicuique secundum opera sua. » Flaccus dixit: « Noli esse verbosus, sed quod tibi praecipio, id facias. » Sanctus Gregorius respondit: « Quod praecipis, jam scio: quod me oportet facere, hoc ago. » Flaccus dixit: « Ergo si pro salute tua agis, ingredere templum mirabile, et sacrifica diis magnis, Jovi, Minervae et Asclepio honorabili, et multa bona invictissimorum principum consequèris, et noster amicus eris. » Sanctus Gregorius respondit: « Ego amicitias vestras non concupisco, nec sacrifico daemonibus, sed Deo meo Jesu Christo. » Flaccus dixit: « Quae est insania ista, miser Gregori, quae te possidet? Scias te tibi poenas durissimas cumulare. » Sanctus Gregorius respondit: « Insanus ego nunquam fui, sed tu potius, qui Creatorem tuum non agnoscis Dominum Jesum Christum. Nam Jovem, Minervam et Asclepium, quos dicis, daemones esse manifestum est. »

§ 3. Flaccus dixit: « Colaphis contundite maxillas ejus, dicentes ei: Noli deos blasphemare, nec contumax esse. » Sanctus Gregorius respondit: « Contumax nunquam fui: vos vero ministri estis satanae, facientes voluntatem ejus. » Tircanus dixit: « Admoneo te, Gregori, immola diis, antequam corpus tuum exterminetur. » Sanctus Gregorius respondit: « Melius est mihi exterminari corpus meum, quam animam. Facite quod vultis. » Flaccus cum Tircano dixerunt: « Accede, et sacrifica diis, antequam poenis te excruciemus. » Sanctus Gregorius respondit: « Jam tibi dixi, et dico, non sacrifico daemoniis vestris, sed Domino meo Jesu Christo, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. » Flaccus dixit: « Fustes nodosos afferte, et dorsum ejus verberibus rumpite, dicentes: Haec patiuntur qui sunt diis rebelles et principum contemptores. » Sanctus Gregorius ait: « Hoc scire te volo, Flacce, pro malis, quae in meo exerces corpore, duplicia mihi bona restitui in coelo. » Flaccus dixit: « Vertite illum, et ventrem ejus fustibus dissipate. » Tum S. Gregorius intuens in coelum, ita orabat: « Miserere servo tuo, Deus, sanctus Israël: a timore inimici eripe animam meam. » Tircanus cum Flacco dixerunt: « Miserere tui, antequam moriaris: id enim tibi consulimus ut amici. » Sanctus Gregorius respondit: « Recede a me, minister satanae: vacant oblationes tuae. Adest mihi Dominus Jesus Christus ad confortandum me in vulneribus meis. »

§ 4. Flaccus dixit: « Haec est insania tua, miser, quae te vivere non permittit. » Sanctus Gregorius respondit: « Etiamsi totum corpus meum occidas, Dominus animam meam fovet et

vivificat. » Flaccus dixit: « Ligate illi manus et pedes, et in craticulam igneam imponite, et ligna sub ipso construite. » Fecerunt ministri, sicut praecepit illis Flaccus, et paraverunt ignem. Beatus vero Gregorius exclamabat ad Dominum de medio ignis, dicens: « Domine Jesu Christe, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, qui non despicis preces famulorum tuorum, qui ingressus es cum tribus pueris in caminum flammarum, adsis etiam mihi servo tuo in medio praesentium pressurarum. » Haec eo dicente, terraemotus magnus factus est intra civitatem Spoletanam, et cecidit una regio, oppressitque plus quam quadringentas quinquaginta animas paganorum, qui idolis serviebat. Quos videns Flaccus, fremuit ut leo, et territus nimis, fugit inde. Dixit autem Tircanus: « Ferrum afferte, et eum stringite, atque in carcerem includite, ibique a militibus diligenter custodiatur. » Cum autem ingressus esset beatus Gregorius in carcerem, Angelus Domini apparuit illi, dicens: « Pax tecum, Gregori: noli timere. » Et continuo vincula ejus dirupta sunt, et claritas Domini circumfulsit eum. Videns id beatus Gregorius, cecidit in faciem suam, oransque dixit: « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui misisti Angelum tuum sanctum ad confortandam animam meam: et ego confitebor tibi in toto corde meo, et honorificabo nomen tuum in aeternum, quia fecisti mecum misericordiam tuam: tu es enim Deum solus. » Dixit autem ei Angelus: « Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. » Et haec dicens, ablatus est ab oculis ejus. Erexit autem se beatus Gregorius, laudans et benedicens Deum.

§ 5. Die altera subsequente jussit Flaccus in medio foro sedem sibi collocari, et beatum Gregorium coram se repraesentari. Quod cum factum esset, dixit ei Flaccus: « Vel nunc recede ab insania tua, accedensque sacrifica diis magnis, quos usque nunc negare cognosceris. » Sanctus Gregorius respondit: « Nunquam daemonibus sacrificavi, nec sacrifico, nisi Domino meo, qui me ad istam coronam justitiae perducere dignatus est. » Flaccus dixit: « Carduos ferreos afferte, et genua ejus totis viribus percutite, ut vel sic possimus vincere omnem stultitiam ejus. » Sanctus Gregorius ait: « Vide quali sis tu, qui daemonibus servis, adorasque idola, opera manuum hominum. Nam si scires Creatorem tuum Dominum Jesum Christum, ipsum adorares, coram quo omnes Angeli contremiscunt. » Flaccus dixit: « Ego daemonibus servio, furcifer? » Sanctus Gregorius respondit: « Vere a diabolo excaecatus es. » Flaccus dixit: « Lampades ardentes afferte, et latera ejus inflammate, dicentes: *Noli superbus esse.* » Sanctus Gregorius ait: « Etiamsi totum corpus meum perdas, praesto mihi est medicus meus, Dominus Jesus Christus, qui me sanat et corroborat, ut ista omnia mala, quae in me exercere videris, pro nihilo putem. »

Flaccus dixit: « Accede, maledicte, et fac tibi deos immortales propitios, antequam te morti tradam. » Sanctus Gregorius respondit: « Maledicti sunt omnes qui confidunt in idolis. » Audiens hoc Flaccus, exarsit ut ignis, dixitque: « Tircanum celeriter accersite. » Tircanus dixit: « Ecce adsum. »

§ 6. Tum vero impius Flaccus jussit beatum Gregorium, tractum in medium amphitheatrum, capite truncari. Sanctus vero Gregorius orabat ad Dominum in medio amphitheatro, dicens: « Benedictus Dominus Deus meus et Rex meus, adjutor meus, et liberator meus, qui me hodie de hoc seculo ad te vocare dignatus es. » Et respiciens ad coelum, audivit vocem magnam, dicentem sibi: « Ecce, Gregori, coronatus es, in numerum sanctorum meorum adscriptus es: ingredere ad me, benedicte Domini: praeparata est habitatio tua. » Adhuc Angelo loquente ab Aquilino spathario capite truncatus est. Tircanus vero jussit dimitti feras terribiles, ut corpus beati viri absorberent. At rabidae ferae ubi ad corpus venerunt flectentes capita sua, adoraverunt illud. Id turba cernens, voce magna exclamavit: « Vere magnus est Deus Christianorum; » et multi crediderunt in Dominum. Flaccus vero eodem die percussus ab Angelo, evomens interiora sua, exspiravit. Corpus vero beati Gregorii jacebat in medio amphitheatro. Erat autem quaedam mulier Christiana, Abundantia nomine. Ea accedens ad Tircanum, petiit corpus beati Gregorii, ut illud colligeret de medio amphitheatro. Tircanus dixit: « Da mihi aureos triginta quinque, et accipe corpus. » Abundantia dixit: « Quod jubes, libens dabo: hoc tantum rogo, ut celeriter mihi corpus detur. » Tircanus ait: « Affer mihi quod dixi, et tolle corpus. » Illa, numeratis ei aureis triginta quinque, accepit corpus, gaudens et benedicens Deo, sicque dicens: « Benedictus Dominus, qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me. » Et sepelivit illud conditum balsamo, nardo et aromatibus pretiosis, et posuit juxta pontem lapideum et rivum, qui Sanguinarium appellatur, prope muros civitatis nono Calendas Januarii, cum hymnis et canticis, ita dicens: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: benedictus Deus* (*Ps.* 67). *Justus Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Ps.* 144); qui dat votum optandi, et benedicit annis justi. Ipsi honor et gloria, laus et imperium in secula seculorum. Amen *.

* Surius haec subjungit: " Hujus sanctissimi Martyris reliquias religiose colit ac servat hodie Ecclesia metropolitana Coloniensis summo in templo, collocatas super tumbam trium Regum, cum quibus eo sunt olim simul adductae. " Verum Sollerius haec habet: " Repugnant populares Spoletani: ego, controversiae momentis nondum satis examinatis, litem indecisam relinquo. "

*De Nativitate Domini et Salvatoris nostri* Jesu Christi *multae extant Sanctorum Patrum insignes Conciones, ad quas lectorem remittimus. Unam Petri Damiani, ut in 8° Tomo Aloysii Lipomani habetur, adscribemus, quod non ita passim omnibus obvia sit, quamquam ex ipsa satis constat, non esse Petri Damiani illius, qui Ostiensis fuit Episcopus* *.

## BEATI PETRI DAMIANI

# SERMO DE NATIVITATE SALVATORIS

### ET PRAECLARIS MIRACULIS IN EA FACTIS

§ 1. Non poterit explicari sermone, quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me, et dum omnia replico, omnia complicantur. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* (*Malach*. III). Ideo fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta nativitate relucent omnia, et omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in coelo sursum, et in terra deorsum, et universa in nascentis Dei obsequium juraverunt. Insigniuntur convexa coelorum stella lucentiori, et multo lumine loca flammantia praestringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radii rutilantiores, et pluralitatem stellariorum ignium novus ignis obtundit. Miratur orbis, coelos novum peperisse splendorem, et inconvertibilem eorum statum ad signa et prodigia fuisse conversum. Vident Chaldaei in coelis, quod Balaam reliquit in scriptis: *Orietur,* inquit, *stella ex Jacob, et consurget homo ex Israël, et erit omnis terra possessio ejus* (*Num*. XXIV). Nascitur stella in excelsis, et Deus in terris, cujus possessio a mari usque ad mare. Praeparant se Reges Tharsis, ut cum novitate munerum videant novam matrem, filii novam nativitatem. Fons olei de terra erumpit. Templum Romae, quod vocabatur aeternum, corruit, omnibus impensis et Urbis et orbis mirabiliter consummatum. Cum enim Romani in victoriosae antiquitatis memoriam templum singulari schemate facere decrevissent, ab omni illa deorum, immo daemoniorum, multitudine quaesierunt, usquequo durare posset tam excellentis operis operosa constructio. Responsum est: Donec virgo pàreret. Illi ad impossibilitatem oraculum retorquentes, templum aeternum solemnem illam machinam vocaverunt. Nocte

* In hoc enim Sermone S. Bernardi Claraevallensis Abbatis, qui post S. Petrum Damianum octoginta annis vitâ functus est, mentio habetur.

autem ista, cum de virginali thalamo virgineus flos Mariae egressus est, ita cecidit et contractum est illud murale, et columnarum opus, ut vix appareant vestigia ruinarum.

§ 2. O Bethleem, civitas Dei summi, et in te, et in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ab uberibus, ponitur in praesepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis, felices manus et sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit Virgini, matri arridet, et blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina coelorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nativitatem pueri, et miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Adest et Joseph, sed ab utroque remotus, et in excessu mentis miratur, et mirari satis non potest, qualiter sit ad tantae dignationis admissus arcanum. Adest multitudo coelestis exercitus, et vocibus gloriosis, *Gloria in excelsis Deo*, auditur. Pastores veniunt, et inveniunt puerum et puellam. Procedit stella ; Reges accedunt, adorant filium, matrem venerantur, offerunt munera, deferunt majestati. Cruciatur Herodes ; Jerosolyma turbatur; requiruntur scribae; locus praedicitur; inducitur simulatio; simulator ad nihilum deducitur; deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam viam revertuntur; pax inaudita a seculo, regnat; universus orbis ad censum describitur; rivus olei de terra persudat, et in divitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc, nisi quia vera pax in terris apparuit, nisi quia ad supernum regnum cives adscribuntur, nisi quia fons misericordiae de Virgine emanat, oleum effusum nomen tuum ? Spiritus Sanctus, scripturae istius unus et unicus fabricator, nonnullam suae pinguedinis dulcedinem sub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigiliis ita defatigati estis, ut vix possitis somnum ab oculis removere. Evigilate tamen paulisper, et somni torporem excutite. Aderit ille, de cujus nativitate loquimur, ut illuminet oculos nostros, ne obdormiamus. Totus autem sententiae sensus ex illius arca mutuabitur, cujus consilium est quasi consilium Dei. Ipse ille est, Dominus videlicet Claraevallensis *, cujus religio et discretio, sapientia et eloquentia, vita et fama, per totam Latinitatem non immerito decucurrit : libenter enim illius sarcinas adoro. Sed ad propositum revertamur.

§ 3. Benignus ille Spiritus, de cujus secretiori fonte Canticorum flumen evadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen sponsi, quare oleo comparetur, et quomodo effundatur : quia et nomen tacet, de comparatione nil loquitur, nihil dicit de effusione. Primum de nomine videamus. Multa, ut arbitror, vocabula sponsi per divinam Scripturam sparsa leguntur, sed in duo vobis universa complector. Nullum profecto reperietis, quod non sonet aut majestatis potentiam, aut gratiam

* Vide ejus sermonem 15 in *Cantica*.

*De Nativitate Domini et Salvatoris nostri* Jesu Christi *multae extant Sanctorum Patrum insignes Conciones, ad quas lectorem remittimus. Unam Petri Damiani, ut in 8° Tomo Aloysii Lipomani habetur, adscribemus, quod non ita passim omnibus obvia sit, quamquam ex ipsa satis constat, non esse Petri Damiani illius, qui Ostiensis fuit Episcopus* *.

## BEATI PETRI DAMIANI

# SERMO DE NATIVITATE SALVATORIS

### ET PRAECLARIS MIRACULIS IN EA FACTIS

§ 1. Non poterit explicari sermone, quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me, et dum omnia replico, omnia complicantur. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* (*Malach.* III). Ideo fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta nativitate relucent omnia, et omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in coelo sursum, et in terra deorsum, et universa in nascentis Dei obsequium juraverunt. Insigniuntur convexa coelorum stella lucentiori, et multo lumine loca flammantia praestringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radii rutilantiores, et pluralitatem stellariorum ignium novus ignis obtundit. Miratur orbis, coelos novum peperisse splendorem, et inconvertibilem eorum statum ad signa et prodigia fuisse conversum. Vident Chaldaei in coelis, quod Balaam reliquit in scriptis: *Orietur*, inquit, *stella ex Jacob, et consurget homo ex Israël, et erit omnis terra possessio ejus* (*Num.* XXIV). Nascitur stella in excelsis, et Deus in terris, cujus possessio a mari usque ad mare. Praeparant se Reges Tharsis, ut cum novitate munerum videant novam matrem, filii novam nativitatem. Fons olei de terra erumpit. Templum Romae, quod vocabatur aeternum, corruit, omnibus impensis et Urbis et orbis mirabiliter consummatum. Cum enim Romani in victoriosae antiquitatis memoriam templum singulari schemate facere decrevissent, ab omni illa deorum, immo daemoniorum, multitudine quaesierunt, usquequo durare posset tam excellentis operis operosa constructio. Responsum est: Donec virgo pàreret. Illi ad impossibilitatem oraculum retorquentes, templum aeternum solemnem illam machinam vocaverunt. Nocte

* In hoc enim Sermone S. Bernardi Claraevallensis Abbatis, qui post S. Petrum Damianum octoginta annis vitâ functus est, mentio habetur.

autem ista, cum de virginali thalamo virgineus flos Mariae egressus est, ita cecidit et contractum est illud murale, et columnarum opus, ut vix appareant vestigia ruinarum.

§ 2. O Bethleem, civitas Dei summi, et in te, et in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ab uberibus, ponitur in praesepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis, felices manus et sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit Virgini, matri arridet, et blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina coelorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nativitatem pueri, et miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Adest et Joseph, sed ab utroque remotus, et in excessu mentis miratur, et mirari satis non potest, qualiter sit ad tantae dignationis admissus arcanum. Adest multitudo coelestis exercitus, et vocibus gloriosis, *Gloria in excelsis Deo,* auditur. Pastores veniunt, et inveniunt puerum et puellam. Procedit stella; Reges accedunt, adorant filium, matrem venerantur, offerunt munera, deferunt majestati. Cruciatur Herodes; Jerosolyma turbatur; requiruntur scribae; locus praedicitur; inducitur simulatio; simulator ad nihilum deducitur; deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam viam revertuntur; pax inaudita a seculo, regnat; universus orbis ad censum describitur; rivus olei de terra persudat, et in divitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc, nisi quia vera pax in terris apparuit, nisi quia ad supernum regnum cives adscribuntur, nisi quia fons misericordiae de Virgine emanat, oleum effusum nomen tuum? Spiritus Sanctus, scripturae istius unus et unicus fabricator, nonnullam suae pinguedinis dulcedinem sub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigiliis ita defatigati estis, ut vix possitis somnum ab oculis removere. Evigilate tamen paulisper, et somni torporem excutite. Aderit ille, de cujus nativitate loquimur, ut illuminet oculos nostros, ne obdormiamus. Totus autem sententiae sensus ex illius arca mutuabitur, cujus consilium est quasi consilium Dei. Ipse ille est, Dominus videlicet Claraevallensis *, cujus religio et discretio, sapientia et eloquentia, vita et fama, per totam Latinitatem non immerito decucurrit: libenter enim illius sarcinas adoro. Sed ad propositum revertamur.

§ 3. Benignus ille Spiritus, de cujus secretiori fonte Canticorum flumen evadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen sponsi, quare oleo comparetur, et quomodo effundatur: quia et nomen tacet, de comparatione nil loquitur, nihil dicit de effusione. Primum de nomine videamus. Multa, ut arbitror, vocabula sponsi per divinam Scripturam sparsa leguntur, sed in duo vobis universa complector. Nullum profecto reperietis, quod non sonet aut majestatis potentiam, aut gratiam

* Vide ejus sermonem 15 in *Cantica*.

pietatis. Puer Domini, de quo frequentius facio mentionem, ad Regis cubiculum introductus, duo quasi sublimiora de ipsius ore divinitatis audivit: *Potestas Dei est,* inquit, *et tibi Domine misericordia* (*Ps.* 68). Sed et ipse Salvator propheticae veritati attestans, ait: *Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis. Sum etenim* (*Joan.* XIII). Dominus, nomen est majestatis; pietatis, Magister. Si enim pium est, praebere escam corpori: multo misericordius est, escam animae impartiri: quod est propriae magistrorum, qui mentes indisciplinatas sub disciplinae rigore coërcent.

§ 4. Videamus quod horum nominum effundatur, utrum nomen potentiae in nomen gratiae, vel nomen pietatis in majestatis vocabulum. Absit, ut misericordia in potentiam includatur, quia *miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Ps.* 144). Certum est ergo, quia potestas Dei in majorem hodie pietatem effusa est, cum coeli distillaverunt a facie Dei, et de virgineis membris vetustus dierum exoritur. Non est, qui se abscondat a calore isto: quia largior olei effusio a capite descendit in barbam: quae etiam extremam vestimenti fimbriam largius irroravit. Tanta est abundantia miserantis, ut non solum sub nomine effusionis, sed et exinanitionis censeatur. *Exinanivit semetipsum* (ait Apostolus), *formam servi,* hodierna die, *accipiens* (*Philipp.* II), et cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosiliit virginali: non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei: quia quicquid in divinitatis thesauro pietatis inventum est, totum in utero Virginis est aggestum. Non me capio prae laetitia, quod illa majestas naturam suam exinaniens, in naturam meae carnis et sanguinis superveniat, et me miserum in divitias gloriae suae non ad horam, sed in sempiternum includat. Fit frater meus, Dominus meus: et timorem Domini, fratris vincit affectus. Domine Jesu, libenter te audio regnantem in coelis, libentius nascentem in terris, libentissime Crucem, clavos et lanceam sustinentem: haec siquidem effusio rapit affectum meum, et istorum memoria convalescit cor meum, viventis, et vividae potionis asperitate purgatum. Vivens est iste sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animae, et spiritus, compagum quoque, ac medullarum scrutator.

§ 5. Unus illorum, qui prophetalis chori aut magister, aut inter magistros est, sub senaria divinorum nominum partitione, de hac effusione mirabiliter quidem, sed subtiliter prophetavit: *Vocabitur,* inquit, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis* (*Isa.* IX). Erat quidem admirabilis Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriae suae, admirabilis illi mirabili creaturae, faciens mirabilia in coelo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Ego autem in luto faecis et miseriae obvolutus, miser et miserabilis, omnem

spem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria: ille admirabilis, ego miserabilis. *Sanctum et terribile nomen ejus* (*Ps.* 110), quod vix audeat illa dignior nominare natura. Nomen istud clausum et integrum quomodo capere poteram, quem vix Angelicus oculus prospicere, nedum perspicere potest? Sed vide effusionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat coelos, et fit consiliarius hominum. Majestativum nomen in pietativum effunditur; et qui admirabilis est in coelis, consulere venit in terris: abscondit purpuram sub miseriae vestimentis, et ad lutum, ubi jacebam, inclinatus, non mergitur. Is (audeo dicere) infixus in limo profundi, operi manuum suarum porrigit dexteram, de profundis aquarum extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cum nascitur, cum loquitur extrahit, abluit cum moritur, induit cum resurgit, cum ascendit reportat, confirmat cum spiritum emittit de coelis. Bonus quidem consiliarius, qui consilium, quod voce dederit, et morte defendit. *Erat* enim *docens*, ait Evangelista, *sicut potestatem habens* (*Matth.* VII), non sicut eorum scribae et pharisaei.

§ 6. Deus, et fortis, nomina sunt potestatis, sed Deus effunditur in patrem futuri seculi, fortis in principem pacis. Breviter curro, quia et fatigatis, et scientibus legem loquor. Quid tibi, mussitabunde Lucifer, in tanta diffusione? Clausum est tibi totum itinerarium Dei, et malignans oculus tuus hic nimium caligavit. Sed et Dominus meus admirabilis fuit in nativitate, consiliarius in praedicatione, Deus in miraculorum coruscatione, fortis in passione, pater futuri seculi in resurrectione, princeps pacis in illa aeterna beatitudine. Non terreamini novitate verborum, quia nihil novum introducitur. Sic et olim nomina commutata, et effusa sunt, Abram in Abraham, Sarai in Saram, et si quas alias mutationes in illa veteri officina vos legisse recolitis. Sed et ab ipsis pene mundi principiis, in arcano quodam Scripturarum loco, divini nominis effusionem invenisse me recolo. Loquitur Deus ad Moysem de liberatione Israëlis, et post multam Dei et Moysi confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen ejus, et Dominus dicit: *Ego sum qui sum: hoc mihi nomen in aeternum. Haec dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos (Exod.* III). Perterritus Moyses inextricabilis auctoritate vocabuli, ac si diceret, Hoc excedit intellectum meum, non possum capere, nisi effundatur, audit a majestate: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Vides effusionem? Ecce Deus Angelorum, vocat se Deum hominum. Curramus ergo, fratres, in odorem unguentorum istorum. Curramus ad oleum de oliva speciosa in campis expressum, nulla infectum amurca, nulla substantiatum amaritudine, oleum quod exhilarat faciem hominis, quod sanat vulnera, dolorem tollit, reddit suavitatem. Nonne Samaritanus noster nobis a latrone pessimo vulneratis attulit oleum

et vinum, ad purgandum et mitigandum vulneris magnitudinem? Sed multum olei, parum vini: multum misericordiae, justitiae parum. Sic quippe decebat miserantem, sic misero expediebat. *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (ait justus), *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: sed corona me in misericordia et miserationibus*. Veniens quippe hodie, quinque vasa attulit olei, non nisi duo vini. Spiritus enim sapientiae et intellectus, consilii, scientiae et pietatis, nonne dulcedinem sonat, misericordiam fragrat, eructat abundantiam suavitatis? Fortitudo et timor vinum sunt. Sed hoc vino potatus est potens ille, cum Christus in spiritu fortitudinis descendit ad inferos, non timidus, sed timendus.

§ 7. Videamus nunc, quare oleo comparetur oleum. Si vos melius non habetis, lucet, pascit et ungit. Idem facit Christi nomen, et per omnia consonat comparationi. Lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Vide quando praeclara luminaria lumen nominis hujus super eloquentiae candelabrum portaverunt, si non eluxerunt coruscationes Dei orbi terrae, si non in splendore fulguris commota est et contremuit terra. *In nomine Jesu Christi, surge et ambula* (*Act.* III), dicit claudo princeps Apostolorum. Nonne quasi fulgor exilivit ab ore Petri, cum nominatum est nomen, quod os Domini nominavit? *Et statim*, inquit, *consolidatae sunt bases ejus et plantae*. Vocabulum Jesu (sicut Origenis lingua nobilior diffinivit) dulce et gloriosum, omni adoratu, cultuque dignissimum, quod non prius ab hominibus decuit efferri in mundum, sed a quadam sublimiori, excellentiorique natura. Omnes quippe Prophetae nomen istud aut nescierunt, aut penitus tacuerunt, et reservata est praerogativae dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore sanctissimae Virgini illud primum evolvit. Nonne Isaias in excessus mentis raptatus, verbis Archangelicis, eisdem pene syllabis consentit usque ad sancti nominis novitatem?

§ 8. Pascit revera, nec est felicior pastio in loco pascuae, ubi nos Dominus collocavit. Quid aeque mentem cogitantis impinguat? Nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Omnis cibus qui non conditur hoc sale infatuatus est. Scriptura, quae non fuerit intèrlita oleo tantae devotionis, aut insipida est, aut amara. Olim mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina poëtarum, philosophi verbis aureis insplendebant, et sirenes usque in exitium dulces, meum incantaverant intellectum. Lex, Prophetae, Evangelium, Epistolae, et omnis gloria sententiarum Domini mei, et servorum ejus, aut parva videbantur, aut nulla. Nescio modo, quid dulcius immurmurat filius Jessae, qui vario sermonum et sententiarum concentu omnes illos, quos diligere consueveram, ineloquentes reddit et mutos.

§ 9. Lenit et ungit, quia nihil sic recreat in tribulatione.

Denique et probare licet: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me* (*Ps.* 49). Hoc est nomen, hoc est oleum, haec olei effusio. Amen dico vobis, non deficiet hic lecythus olei, nec minuetur, donec pluviam voluntariam, quae segregata est haereditati ejus, diffusius instillet, donec faciat coelum novum, et terram novam : quia misericordia ejus ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.

§ **10**. Sed jam surgamus, et praeparemus nos ad solemnioris Missae jubilationem, nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

## S. ATHANASII ARCHIEP. ALEXANDR.

### SERMO

# IN DESCRIPTIONEM SS. MARIAE ET B. JOSEPH

HABETUR IN SIM. METAPHRASTE, ET VII TOMO ALOYSII.

§ **1**. Quemadmodum qui terram effodiunt, aurum perscrutantes, cum venam aliquam invenerint, auream arenam prae se ferentem, in eam incumbunt, et magis magisque terram effodiunt, quippe qui venam illam lucri ducem invenerint : quam prosequentes, non prius e loco illo discedunt, quam auri propositi latebram assecuti fuerint: ita et nos, ut Ecclesiasticae negotiationis operarii, beatum Evangelistam Lucam in manu habentes, Dominici ex Mariae Virginis conceptione thesauri considerationem aggressi, non prius ab hujusmodi perscrutatione desistemus, quam propositas divitias sincere colligamus. Quamobrem et, ordine servato, Evangelistam ita perscrutabimur, ut nihil eorum, quae utilitatem afferre possunt, derelinquamus. Nam etsi verba ipsa non sublimia sint, nihilominus tamen magni gaudii mysterium in se continent. Nemo igitur propterea segnem ac negligentem se praebeat, quod quae modo lecta sunt de Jesu, parva quaedam esse videantur, si auditu solo percipiantur. Quantum enim ad geniti Domini potentiam pertinet, parva quidem sunt, et valde humilia, quae lecta modo audivimus, ut fasciae, praesepe ac locus qui tantae majestati videbatur minime convenire. Parva nimirum sunt haec, sed mystica et arcana quaedam ejusdem Domini ortus nobis proponit, ut Mariae ventrem, cujus gratia verbis explicari non potest: sinum, quem humana cogitatione comprehendere non valemus; mammas, naturae consuetae radicem non

habentes; lac, peregrino et novo modo fluens; ubera, longe a naturali consuetudine ac lege aliena; Matrem Domini descriptam; Joseph sponsum Mariae, communionem ejus non re, sed nomine habentem.

§ 2. Audistis paulo ante Lucam evangelistam, dicentem: *In illis diebus exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis* (*Luc.* II). Haec autem descriptio prima, facta est a Praeside Syriae Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, praegnante. Vides quam exiguis verbis, quam magna comprehendantur mysteria? Dominus conceptus erat in ventre Virginis, et prima gentium, Augusti edicto, instituebatur descriptio. Qui omnem naturam apud se descriptam habet, quique discipulis suis ait: *Gaudete et exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in coelo* (*Luc.* X), ille suam ipsius matrem parvis quibusdam Romanis codicibus describi voluit. Quis non loquetur, quis non admirabitur dispensationem illam, qua Dominus ad nostram se demisit humilitatem? Qui in excelsis liber est, in terris describitur. Illic Dei filius, hic servus. Illic Rex, hic subditus. In coelis dives, in terris pauper. In coelis adoratur, in terris vectigal ab eo exigitur, ac solvitur. Illic divino sedet in throno, hic in agresti et rustica nascitur spelunca. Illic in paterno est et incomprehensibili sinu, hic in parvo brutorum reclinatur praesepi. Quis non admiretur superna et sublimia illa, cum humilibus et parvis his collata? Involvitur fasciis, qui solvit omnia. Nutritur is, qui nutrit universos. Qui nullo loco potest comprehendi, puer angusto comprehenditur praesepi. Qui emittit fontes, mammam sugit. Qui fert omnia, inexplicabili quodam modo ferebatur. Qui nusquam non est, in exigua Judaicae regionis parte incircumscripte circumscribitur. O res admirabiles, et omnium hominum cogitationem superantes! Elisabeth in domo illustri Joannem peperit, et Virgo ipsa in parva spelunca Jesum parit. Joannes in lecto, et Dominus in praesepi reclinatur.

§ 3. Sed non simpliciter factum credamus, ut gigneretur Dominus Jesus, fasciis involveretur, mammam sugeret, in praesepi reclinaretur. Non temere factum existimemus, ut illa Caesaris Augusti descriptione numeraretur. Omnia haec certa de causa, et ad finem aliquem facta sunt, divina quidem dispensatione, sed obscura. Ex Virgine gignitur, ut ex terra virgine formatum primum illum humani generis parentem Adam reformaret. Fasciis involvitur, ut peccatorum nostrorum catenas dissolveret, vinculis scilicet solvens vincula: peccata enim vinculorum nomine appellantur, ut ait Scriptura: *Unusquisque suorum peccatorum catenis constringitur* (*Prov.* V). Suxit mammam, ut divinum illud

gratiae lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit: nihil enim aliud est lac, nisi sanguis, albus effectus. Reclinatur in praesepi, ut naturae humanae depravatam rationem corrigeret, et duorum animalium esca fieret, Gentilis et Judaici populi, de quibus scriptum est: In medio duorum animalium cognosceris. Augusti Caesaris descriptionem suscepit, ut orbis terrarum confusionem ordinaret. Haec enim descriptio, fuit ordinationis, quae in orbe terrarum futura erat, pignus et imago quaedam.

§ 4. Quod autem vera sint quae dicimus, paucis verbis explicabimus. Antequam Dominus homo fieret, multa humanum genus tyrannide premebatur, et orbis terrarum homines, temere ac sine ratione vitam degebant, et regalis dignitas dehonestabatur, cum multi et copiosi extemplo crearentur Reges. Centum homines aliquis subjectos sibi habebat, et statim regni nomen ac specimen sibi vindicabat. Talis erat gentium concertatio, suarum regionum principatus appetentium, neque ex propriis locis excedentium, nisi forte aliquo modo in se vicissim arma sumerent. Cum ejusmodi confusio diutius vigeret, et Dominus Jesus Christus solus ipse virginalem aulam in terris habitare contentus esset, statim multorum principatum extinguens, Romanae gentis dominatum constituit, ut sub uno Principe, ad militiae coelestis imitationem, omnes viverent. Sicut enim in coelis sub uno Rege universi continentur, daemonibus ipsis more barbarorum imperii jugum recusantibus: ita et in terris, etsi multae sunt gentes, quae subjici noluerint, unum tamen Romanorum Imperium potestatem tenet, quia supernae potestatis ope adjuvatur.

§ 5. Hujus igitur ordinationis causa coelestis ille Rex, cum adhuc in sanctissimae Virginis utero conceptus gestaretur, primam descriptionem orbis terrarum sub Augusto Caesare fieri jussit, atque sub illa Imperii Romani descriptione, seipsum quoque contineri voluit, ut legem illam divina providentia latam confirmaret. Tunc enim Regis lex firmatur, cum Rex, qui eam tulit, primus exequitur. Nam qui legem fert, et non observat, eversor potius est, quam legislator. Ejus igitur, quam supra diximus, ordinationis gratia, sub Augusto Caesare prima descriptio facta est, ut Judaicae gentis depravata consuetudo reprimeretur, neque liceret deinde inordinate viventibus Judaeis sua depravata lege innocentes homines interficere, sed necessitatis jugo compressi, alienis legibus servirent. Necessaria igitur fuit sub Augusto descriptio. Illa Judaeorum gentem depressit, et Christianorum fidem amplificavit, cum Judaica natio, Romanorum imperantium timore, non amplius audeat superiorem insaniam atque immanitatem exercere.

§ 6. Quamobrem post descriptionem illam, cum Dominum Jesum comprehendissent, et morti tradere festinarent, non ausi sunt pro sua libidine ac temeritate, quemadmodum in alios Prophetas

se gesserant, quibus injustam caedem attulerant, Dominum Jesum aggredi: sed ad Pilatum, Romanorum loco praesidentem, adduxerunt, poenas ab illo exigentes. Quamobrem Pilatus praeses, ut vidit Judaeos caedem Domini communiter flagitantes, dicebat illis, ut manifeste vos etiam ipsi cognovistis: *Nihil dignum morte invenio in hoc homine* (*Luc.* XIII). O nefarios et iniquos Judaeos, cur tantopere studetis Romanorum magistratum labefactare, injusto judicio justum illum aggredientes, et dantes omnem operam, ut innocentissimus, et ab omni labe purissimus, tamquam nocens condemnatus, de medio tollatur? Nihil, inquit, dignum morte invenio in homine isto. Jure igitur Barabbas condemnetur, et Jesus absolvatur, cum ille seditiosus sit et homicida, hic beneficus et vitae dator. An illi beneficia, tamquam crimina, exprobrabitis? In hanc sententiam Pilatus respondit. Sed quidnam Judaeorum natio? Illa quidem nihilominus saeviens, Pilatum ipsum, ut Augusti Caesaris inimicum, quippe quod Christo patrocinaretur, his verbis praesentem insequebatur: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris* (*Joan.* XIX), siquidem illi vitam condonas, qui se Regem esse dicit. Haec Judaei.

§ 7. At Pilatus neque sic permisit Judaeos suo arbitratu, quicquid vellent, in Christum facere. Nam si per imperium Praesidis licuisset Judaicae genti facere quae volebat, lapidibus Dominum Jesum obruissent, vel serra lignea dissecuissent. Quod si factum fuisset, nos Crucis beneficio defraudati, damnum passi fuissemus. Crucis enim lignum, Romani judicii proprium est supplicium. Quamobrem Pilatus iterum eos interrogans, ajebat: Quid vultis faciam ei qui dicitur Christus? Illi vero clamabant: Tolle, tolle: crucifige eum. Quibus statim Pilatus assensus est. Datum enim ei fuerat desuper divino nutu. Hujus igitur rectae ordinationis causa, instituta est prima sub Augusto Caesare descriptio. Nisi enim lex haec antea lata fuisset, Domini Jesu Christi corpus sepulturae integrum mandatum non esset. Nam Judaeorum natio nimio furore accensa, Dominicum corpus in ignem, aut in mare dejecisset. Nam si Jeremiam, non sic invisum, in lacum coeni plenum conjecerunt: quid in Christi summopere sibi exosi corpus facturi fuissent, nisi Romanae legis poenam timuissent? Quamobrem cum nulli Judaeorum Pilatus concessisset, ut Christi corpus de Cruce deponeret, Joseph ab Arimathia Pilati amicus accessit, et petiit corpus Jesu, quod et accepit, rem plane singularem atque incomparabilem. Necessaria igitur, ut saepe diximus, descriptio fuit sub Augusto Caesare, qua et sponsus Virginis, ut paulo ante audivistis, census fuit: nam totus mundus descriptione illa rectae ordinationis primordia tunc accepit. Sed prosequamur Evangelicae historiae narrationem.

§ 8. Ibat Joseph cum Virgine, partim adjutor, partim spectator eorum quae futura erant: non quia Virgini adjutore opus esset

vel ei, qui conceptus in utero Virginis portabatur: ille enim est omnium adjutor, ad quem clamantis Prophetae spectat oratio illa: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram* (*Ps.* 120): sed quia ejus dispensationis mysterio necessarius erat Joseph, ut Virgo quasi sub viro esse crederetur, et res ipsa lateret diabolum, ne scilicet scire posset quod futurum erat, id est, quemadmodum Deus ipse cum hominibus versari contentus esset. Sed quidnam evangelista Lucas ait? Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pàreret: et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio. O res admirabiles, et omnium cogitationem superantes! Papae, quam paucis verbis quam magna continentur mysteria! Factum est, inquit, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pàreret. O res omnino admirabiles! Effector temporum, certum exspectat tempus: qui certos temporibus praefigit terminos, praefinitam exspectat diem, ne quis ejus ortum specie quadam, non revera fuisse suspicari posset.

§ 9. Operae pretium autem est, hujusce rei mysteria considerare: ac primum illud contemplemur, quemadmodum parva illa domus, in qua Virgo peperit, Ecclesiae figuram continebat: Praesepe vero altaris, Joseph sacerdotis, per vices munus suum exercentis, Pastores diaconorum, Angeli sacerdotum, et Dominus Jesus Pontificis formam in se gerebat. Thronus autem Dei, per Virginem Mariam figurabatur. Quamobrem supradicta omnia in Virginis partu praemonstrata esse cernens, admirare, cum audis evangelistam Lucam sic dicentem: Factum est in illis diebus, impleti sunt dies, ut pàreret filium suum primogenitum, et involvit eum pannis, et reclinavit in praesepio. Vide admirabilem Virginis partum. Illa ipsa, quae peperit, pannis involvit, et reclinavit in praesepio. Aliarum mulierum, quae in mundo sunt, una parit, et alia infantem pannis involvit. At non ita Virgo fecit, sed quae peperit, illa eadem infantem pannis involvit. Quae sine labore aliquo mater fuit, eadem et obstetricis munere functa est, cum a nulla muliere didicisset. Non enim permisit quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Illa per se eum, qui ab ipsa et pro ipsa genitus est, suscepit, pannis involvit, et in praesepio reclinavit, quoniam non erat ei locus in diversorio.

§ 10. Jam vidisti, amice, quemadmodum Ecclesiae figuram praemonstrabat humile illud habitaculum, in quo Virgo peperit. Quae cum semel concepisset ac peperisset, nunquam amplius genuit, neque virum cognovit: quamvis aliqui delirantes, eo quod audiant evangelistam Lucam dicentem: *Et peperit filium suum primogenitum* (*Luc.* II); audeant dicere, Virginem ipsam alteram conceptionem suscepisse, incorruptam atque ab omni labe puram Virginem, corruptioni subjectam fuisse temere jactantes. Nunquam, inquiunt, diceretur primogenitus, nisi et alter partus

secutus fuisset. Non solum autem adversarii suae temeritatis testem Lucam evangelistam proferre audent, sed Matthaeum etiam eadem scribentem proferunt: quin etiam manifestius hoc apud Matthaeum evangelistam esse contendunt, cum his verbis in ipsius Evangelio scriptum legatur: *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Et post pauca: *Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut praecepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam: et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* (*Matth.* I). Ex his verbis similiter adversarii conantur probare, Mariam alios filios concepisse.

§ **11**. Sed cave hoc suspiceris: absurda enim omnino res est. Nam virginale illud claustrum, in quo divinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum atque impollutum permansit. Non coinquinatum fuit secundum illud coelum, neque commaculatum et tamquam inutile factum est vas Mariae, Dei capax effectum. Dominus autem, primogenitus Mariae vere dictus est, non quia et alter ab eadem natus sit, sed quoniam primogenitus, hoc est, singularis atque incomparabilis, genitus fuerit. Beatus item Paulus, licet de Domini ex Patre qui est sine principio, scribens origine, dicat illum primogenitum omnis creaturae, non propterea et naturalem aliquem fratrem ei fuisse innuit; neque enim, cum eumdem appellat primogenitum mortuorum, jam similem aliquem introduxit infernum conculcantem. Quamobrem haec Scripturae verba prudenter intelligas, et pie credas. Dominus propterea vocatur primogenitus a mortuis, a Patre et a Virgine, ut ex omnibus his notior fieret singularis ejus dignitas qua filius Dei est. Incomparabilis enim fuit Domini origo. Cujus enim mater ipsa Virgo est, ejus origo qua ratione poterit explicari?

§ **12**. Quod autem dicit beatus Matthaeus: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum,* non in eam sententiam accipiendum est, in quam isti prave accipiunt. Vere non cognoscebat illam Joseph, donec peperit filium suum primogenitum, quamdiu scilicet Virgo ipsa, quem conceperat, ferebat in ventre. Namque Joseph quid in ea lateret ignorabat, et quale, quantumve illud esset, et quem ad finem res spectaret, non antea perspectum habuit, quam Virgo peperit. Tunc enim, quanta esset ejus virtus ac dignitas divinitus ei collata, manifeste cognovit. Tunc vidit mammam infanti a Virgine datam, cujus virginalis flos intactus permanserat. Tunc vidit Virginem peperisse quidem, sed nihil eorum sensisse quae parturientes pati solent. Tunc cognovit petram illam e montis vertice abscissam, mammam sugendam dedisse petrae illi spiritali, quae mentis lumine comprehenditur. Tunc cognovit Joseph clarissimi praeconii prophetam Isaiam de Virgine illa hoc scripsisse: *Ecce Virgo concipiet* (*Isa.* VII). Propterea igitur primogenitus dicitur Jesus,

quod singulari et incomparabili modo genitus sit. Nam si verum dicere volumus, Dominus ipse unigenitus vere est ex Patre. Solus enim ex solo sine principio genitus est. Idem Dominus, et unigenitus, et primogenitus: unigenitus ex Patre, unigenitus ex Matre, propter dispensationis terminum. Habet ille quidem multos fratres non natura, sed gratia, et in Virgine, et in Patre. Et in resurrectione habet fratres Dominus Jesus. Sed quinam sunt isti? Ante omnes fuerunt sancti Apostoli, quibus dixit Dominus: Vado ad patrem meum, et patrem vestrum. Ipsi Patri simul cum Filio, et sancto ac vivificante Spiritu, sit gloria in aeterna secula, Amen.

# MARTYRIUM S. ANASTASIAE *

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII.

**Martyrium subiit anno 304 — Romana.**

§ 1. Anastasia, mulierum pulcherrima, inclytae quidem Romae erat nata: generis autem splendore et corporis pulcritudine, et animae nobilitate, et morum honestate et moderatione omnes vincebat, et labris omnium canebatur. Et erat quidem cujusdam viri Praetextati filia: a quodam autem, nomine Chrysogono, fuit in rebus divinis instituta, cui etiam fuit postea caput ornatum coronâ martyrii, sicut etiam procedens declarabit oratio, cum impius Diocletianus Romana sceptra tunc teneret.

§ 2. Cum ergo apud Chrysogonum Anastasia falsam gentilium opinionem verbis luculentis eluisset, eum qui vere est Deus, pro iis qui videntur, cognoscit. Et nunc quidem non libere profitetur pietatem: a patre vero vel invita in matrimonium data viro gentili, nomine Publio, conante, ut dicitur, miscere ea quae misceri nequeunt, illa partim quidem omnino sibi vindicans virginitatem, partim autem abhorrens ejus religionem, ne cum eo quidem omnino cohabitare in animum induxit: sed ut pura ad Christum accederet, et nullum ex ejus praeceptis despiceret, diu noctuque meditans, ad eum omnem direxit cogitationem. Vestem quidem certe saepe mutans, et vili pro splendida se induens, et se

* Duae fuerunt Anastasiae, quarum senior, Sirmii passa dicitur, sub Valeriano Imperatore, et celeberrima erat Constantinopoli. De ea agitur quinto Kal. novembris. Junior cujus festum hodie celebratur, martyrio coronata est temporibus Diocletiani; eaque Romae erat celebris, templumque ipsius nomini dicatum fuit, ubi Summi Pontifices, in nocte Nativitatis Domini secundam Missam celebrabant. Monendi autem sunt lectores, de utrisque Anastasiis contigisse, ut ob communem nomen, incuriâ quadam, Acta communicata atque simul confusa videantur, ut quod alterius est, alteri tribuatur; rursus apocrypha quaedam, immo falsa omnino ferri ex anilibus fabulis congesta de sancta Anastasia, quod interfuerit sanctissimo Virginis puerperio, eo quod scilicet eadem die de ea commemoratio in Ecclesia fiat. — Ex Baronii *Notis* ad Rom. Martyrol. hac die.

habitu quodammodo celans, una eam sequente ancilla, omnes obibat carceres, et a custodibus emens ingressum pecuniis, eos qui in eis pro Christo erant inclusi, et corpore propter tormenta male erant affecti, cum quanta potuit reverentia et honore curabat, pedes lavans, manus abluens, comam sordidam, quoad ejus fieri poterat, expurgans, et quod pilorum erat superfluum, prolixum autem erat propter longam in carcere inclusionem, officiose tondens, sanguinem diligenter abstergebat, vulnera mundabat: deinde etiam alligans linteis, et sanctis amplexibus suum in eos amorem indicans, et alimenta unicuique praebens necessaria, sic exibat.

§ 3. Haec cum fierent assidue, quoniam virum latère non potuit, resciscit etiam Publius: et protinus multi sunt adhibiti custodes Anastasiae, qui non sinebant eam domo egredi, neque ullum ad eam ingredi ex iis qui, ut illi dicebant, mores videbantur corrumpere, et poterant ei persuadere, ut a Publii abstineret consuetudine. Illam autem et hoc quidem male habebat, quod alios omnes qui antea ab ipsa curabantur, neque posset videre, nec ab ipsis videri: quod vero plus quam alia eam cruciabat, et medium ejus cor tangebat, erat praeceptor Chrysogonus: qui cum duobus annis integris multa et varia pro Christo tormenta sustinuisset, habitabat in carcere, ita jubente Diocletiano. Ad eum crebro, quando in sua erat potestate, ventitabat. Tunc autem prohibita, per quamdam anum ei significat ea, quae evenerant: et per eam rogat, ut pro ipsa precetur. Precationis vero haec sit summa, ut ab impio quidem evadat Publio, assequatur autem opportunitatem, ut, quod habet in animo, deducat ad effectum, et perseveret curare eos qui martyricis decorantur vulneribus, quoad ejus fieri poterit: quin etiam ut ipsa vitam finiat in pietatis scopo immutabili. Haec cum significasset Chrysogono, postremo etiam de mariti profectione eum reddit certiorem. Fuerat enim illo tempore Publius missus legatus ab Imperatore ad Persas. Quae cum didicisset Chrysogonus, jubet eam gaudere et bona facere, et praesentia forti animo ferre, et in futurum voluntati quoque consentaneum exspectare exitum.

§ 4. His confirmatur Anastasia, et haec ipsa duxit esse gaudii occasionem, et bonae spei principium existimavit esse calamitatem, nempe et mariti crudelitatem, et nimiam custodum saevitiam. Qui erant similiter quidem omnes acerbi et immitigabiles: Codissius autem erat excellenti improbitate, qui et notus erat Publio, et cui proficiscens hoc maxime mandaverat, ut nec extra thalamum videre aërem, nec libere, si fieri posset, respirare sineret Anastasiam. Grave enim ducebat, si revertens a legatione, vivam videret mulierem, quae foedus cum eo initum jam violaverat. Praeterea vero sperabat sic quoque fore, ut multarum pecuniarum et possessionum efficeretur dominus. Atque ille quidem invenit in via, quem par erat, exitum. Moritur enim periculo

perditus, quae se sperabat facturum, ipse prius juste passus: et effectus Anastasiae conciliator viduitatis, quae non luctum afferebat, sed exultationem. Anastasia autem liberata a vinculo, et a :anibus qui eam custodiebant (sic enim eos convenit appellare), ad solitum gregem ferebatur, et ad consueta pietatis pascua: et molestum rursus induens habitum, obibat carceres, et magna cura ıc diligentia non solum vulnera ac saniem sanctis curabat: sed ıd propositum quoque certamen eos praeclare incitabat et praeparabat. Qualem vero fructum hinc percipiat, declarabit ejus finis: inem autem, oratio.

§ 5. Hoc tempore impius quidem Diocletianus degebat Aquiejae. Ei vero aliorum quidem cura erat posterior: hoc vero prae:ipue erat curae, ut nullus Christianus qui latebat, eum effugeret. ld eum ergo defertur ab omnibus, qui Romae erant, quod maxima nultitudo Christianorum, conjecta in carceres, et plurimis affecta suppliciis, nondum potuit dediscere pietatem. Quorum esse prae:eptorem et institutorem Chrysogonum, qui habebat omnes sibi parentes et pendentes ab ejus lingua. Ille autem alios quidem omnes jussit dedi tormentis, et deinde etiam morti, si non persuaderentur; Chrysogonum autem solum ad ipsum mitti: hoc ıpud se considerans, quod si illum vicisset, omnes protinus erat superaturus. Atque ei quidem, cum duceretur ad Imperatorem, comes fuit Anastasia, undique conferens et comparans ea quae pertinebant ad augendam animi magnitudinem: et ostendens sexus imbecillitatem vinci a magnitudine animi et spiritus.

§ 6. Postquam vero ante Imperatorem adstitit Chrysogonus, lle quidem statim verbis usus est mitioribus: « Persuadeare, o Chrysogone, nostris conjungi partibus: et diis quidem gratificari: ibi autem ea quae sunt jucundissima, praeferre tristissimis, et quae sunt conducibilia, minime utilibus. Scias enim fore, ut tibi non solum tormenta remittamus, et hanc pulcherrimam omnibus ucundissimam lucem largiamur: sed te etiam statim efficiam nagnae urbis Romae Praefectum. » Ille autem nec Imperatoriae potestatis obstupefactus magnitudine, neque donorum flexus ingenti oblatione, libere dixit: « Ego unum solum novi Deum, et eum quidem judico quavis luce suaviorem; quavis vero vita desiderabiliorem; omnibus autem pecuniis quaestuosiorem. Eum et anima colo, et labris confiteor, et omnibus videntibus adoro genibus. Deorum autem multitudinem, et fabulas, et daemones, tantum abest ut colam, ut sim ejusdem cum Socrate sententiae, oportere eos fugere pro viribus, ut qui sint hominum deceptio, et animarum aperta pernicies. Quae vero a te mihi proponuntur munera et honores, nihil melius habere arbitror, quam somnia et umbras, et ea nihili facio. »

§ 7. Non tulit dicendi libertatem Imperator: sed perinde ac in

prima prostratum congressione, eum abripuit impetus, ut soli irae gratificaretur, jubetque ut cum in desertum locum duxissent Chrysogonum, ei caput amputarent, invitus eum majori afficiens beneficio, quam quando lubens dona offerebat: existimans fore, ut eum in suam traduceret sententiam. Atque hoc quidem factum est, prout ipse decrevit *: et sacrum illud corpus projicitur in litore maris, ubi etiam tres sorores et animis, et corporibus, et pietate in Deum, suam habebant habitationem cum quodam Zoilo viro pio et presbytero. Sororibus autem erant nomina ** Agape, et Chionia, et Irene. Hic vero Zoilus, cum sibi revelatas martyris Chrysogoni reliquias sustulisset una cum capite, et in quadam capsa cum quanto oportuit honore deposuisset, abscondit in sua domuncula. Atque tricesimus quidem erat dies ex quo sitae fuerant reliquiae: in somnis autem presbytero Zoilo marytr apparens Chrysogonus, haec ei visus est dicere: « Scias impium Imperatorem Diocletianum, cum de Christi ancillis et sororibus, Irene, Agape et Chionia fuerit factus certior, intra novem dies illas quoque velle comprehendere. Tu autem effice, ut Anastasia Dei ancilla eas curet pro viribus, et ad certamen suscipiendum eis addat animum, donec fuerint redimitae corona martyrii; ipse vero bonam spem concipias fore, ut suavissimos fructus laborum accipias. Nam non multo post tempore, et a laboribus, qui hic sunt, liberaberis, et ad Christum adduceris cum iis qui pro Christo decertarunt. »

§ 8. Fuerunt haec quoque cognita venerandae in primis Anastasiae, et divino spiritu mota, venit statim ad domunculam, quam nondum adspexerat: et accedens ad presbyterum Zoilum, quaerebat sorores; et rogabat de iis quae in somnis sibi visa fuerant. Cum autem vidisset virgines, et locum in quo sitae erant Chrysogoni reliquiae, cum illas quidem magna affectione et pietate adorasset, cum eis autem unam noctem transegisset, eisque congratulata, ad martyrii fortiter subeunda certamina animum satis addidisset, profecta est Aquilejam. Eas enim cum multis aliis sciebat cursum peracturas martyrii, providentia quoque simul ipsam, cum bona et facili occasione, transmittente ad certamen. Atque ipsa quidem proficiscebatur, et qui praedictus Zoilo fuerat, vitae finis contigit. Nam cum hoc Deo ita visum esset, excessit a vita praesenti. Quoniam autem neque de Agape et Irene et Chionia oportebat temere dictum esse a Chrysogono: cum de iis rescivisset, qui omnes impietate superavit, Diocletianus, eas statim accersit, et sistit ante tribunal, et admirans earum habitum et spiritum, et praeterea speciem, et quae in earum vultu vigebat, gratiam, et alioqui cum hoc sciret, quod morum gravitas, et dignitate praeditus ac generosus animus nunquam vincitur ab

* S. Chrysogoni natale die 24 novembris recolitur.
** Harum sororum martyrium quaere die 3 aprilis, in Vol. IV, pag. 128, etc.

asperitate: sed cedit potius verbis mollibus et placidis, et attrahitur officiis, ea via ipse quoque ingreditur.

§ 9. Et primum quidem trium simul facit periculum, simul laudans et admonens: « Cum in vobis videam, dicens, et florem aetatis, et speciem corporis, et generosos praeterea spiritus, qui non minus resplendent, quam externa gratia: quinetiam audiverim vos esse bonas, et bonis prognatas, et praeterea doctrina quoque non mediocriter excultas, per deos, moveor non parva vestri misericordia, si de his omnibus et de vestra quoque vita venietis in periculum, et non prius aliquod bonum de vobis ipsis capietis consilium. Hac enim de causa vos quoque volui ante meum conspectum et vos convenire, ut, cum ex me, et ex vobis ipsis ea, quae oportet, potueritis intelligere, abstineatis quidem ab insipientibus cogitationibus, diis autem offeratis sacrificium, et per hoc, quid non boni vobis ipsis comparetis, deorum amicitiam, meam benevolentiam, gloriae abundantiam, sponsos dignos vestra pulcritudine, divitias et voluptates, et quicquid in vita felix bonumque est et videtur. »

§ 10. Ad haec autem ea, quae erat major natu, vocabatur vero Agape, quae studebat quoque videri prima dilectione in Deum, cum verecundia miscens dicendi libertatem, et labra honeste aperiens: « Nulla, inquit, ratio tibi persuadeat, o Imperator, quod nos vel metus perterruerit, aut persuasio inescaverit, aut intentatae suppliciorum minae, aut bona proposita, aut juventutis misericordia, aut commiseratio pulcritudinis, aut splendor generis, nobis omnino persuaserit, ut aliquid molle et delicatum omnino cogitemus, nedum ut dicamus. Sed haec quidem ipsa vel maxime persuadent mortem contemnere, quod tot bonis a Deo ornatae, et tam multis commodis praestantes, omnium absurdissima videremur cogitare, si Deum, qui ea dedit, nos inconsiderate admodum et ingrate negaverimus: et non ea, quae ab eo accepimus, in iis quae pro ipso passurae sumus, occasionem benevolentiae, certaeque et stabilis fidei duxerimus. »

§ 11. Hanc loquendi libertatem supra modum admiratus Tyrannus, et ratus esse insaniam, et eam ita appellans, ex se plane faciens judicium, Agapem quidem non tentavit amplius; secundo autem jussit sisti secundam, et verbis eam est adortus. Postquam vero hujus quoque similiter, et deinde tertiae desperavit mutationem, postremo dicens: » Haec audacia vestra responsa nulla re alia, quam inflictis tormentis, curabuntur, » illas quidem conjicit in carcerem: ipse autem in supplicio considerando ac exquirendo versabatur animo, novam aliquam et longe gravissimam eis mortem invenire contendens. Quae vero vel ante certamina, animo et instituto erat eorum certationis socia, Anastasia, ea quae consueverat, non cessabat adhuc facere, verbis quidem accendens ad certamen, re ipsa autem earum curam gerens:

et non horum solum, neque reliquorum omnium, qui similiter decertabant, similiter curam gerebat: sed• eos etiam, qui alioqui erant inopes, Christianam autem amplectebantur religionem, minime negligebat: illis quidem alimenta, his vero vestimenta, aliis autem utraque praebens liberaliter: quorum et ab illis unam petebat remunerationem, et ipsa quoque precabatur, ut ei aureum imponeret signaculum, martyrii coronam. Et quod ipsa quidem spe non sit falsa, statim declarabit oratio.

§ 12. Diocletianus autem cum de martyribus multa animo agitasset, et in dubio ejus adhuc esset animus, et simul ut proficisceretur in Macedoniam, quibusdam publicis urgeretur negotiis, cum Dulcitio Praefecto earum mandasset examinationem, quod eas oporteret punire, multa praecepit. Ille vero cum malae naturae adjecisset malum Imperatoris mandatum, et iram maxime exacuisset, paratus erat suum inexplebilem animum exsatiare. Cum autem jam parata essent tormenta, et pro tribunali starent virgines, qui mente erat plane caecutiente, repente coepit etiam esse caecus oculis: vel potius cum videretur adspicere, et non clausos haberet oculos, neminem videbat ex iis qui aderant. Quo factum est, ut maximâ irâ incensus, tunc quidem vel invitus eas abduceret a tribunali: timuit enim, ne aliquid amplius pateretur, si adessent. Postea vero cum rursus essent conjectae in carcerem, et jam ad Deum hymnos dicere et cantica psallere aggressae essent, in animo quidem habuit irrumpere, et ex improviso accedens, illarum venari, ut putabat, praestigias et incantationes. Divina autem voluntate ille quoque ab hoc arcetur consilio. Cum enim a recta declinasset, et ad quamdam propinquam delatus esset domunculam, quae quidem custodibus erat loco culinae, hic cum in vasa culinaria et ollas incidisset, et esset omnino emotae mentis, et putaret se ipsas virgines habere in manibus, vultus quidem ei fuit repletus fuligine: vestis autem plena favillis, fumo et tetro odore.

§ 13. Cum autem quae in animo habebat, fecisset, ut existimavit, illinc est egressus, omnibus ei subjectis extra fores eum exspectantibus. Postquam vero illi eum viderunt, esse aliquod spectrum aut monstrum opinati, in fugam sunt conversi. Ille autem se contemptum putans, ut qui nondum sensisset ea quae sibi acciderant, nondum quidem domum, sed in regiam magna ira et studio contendit, magnum risum movens iis qui videbant. Cum autem venisset in medium aulae regiae et satellitum, et totus conturbatus quaereret Imperatorem, ut qui de iis qui sibi subjecti erant, esset aliquid dicturus, tamquam ab eis extrema affectus injuria, illi morionem aliquem et scurram et mente captum, et quemvis potius ipsum, quam Praefectum existimantes Dulcitium, pugnis et calcibus eum extrudebant, et arcebant ab ingressu. Postquam vero quidam ex eis qui erant ei valde

familiares, cum sero tandem et vix virum agnovissent, et id quod acciderat conjecissent, et insaniae miserti essent, eum domum abduxerunt, visum quidem est illic quoque uxori et liberis, et omnibus qui domi erant, dedecus. Sed lucem adspicere, et veritatem agnoscere ne sic quidem ei venit in mentem: sed id quod factum fuerat attribuens incantationi, vehementius adhuc et insanius spirabat in virgines. Ei itaque parato tribunali, jubet adduci virgines.

§ 14. Postquam autem adductae sunt, jussit eas adstare nudas. Postquam vero virgineis illis corporibus manus admovere lictores (o Domine opifex rerum admirabilium!), tunicae, tamquam secundae carnes et pelles, circumcirca extensae virginibus, inhaerebant coalescentes et conjunctae primis carnibus et ossibus. Cepit eos qui videbant, admiratio propter rem admirabilem, et quae erat praeter opinionem: et stupor invasit eos qui audiebant. Tyrannus autem aliam rursus accipit plagam. Nam cum jam ii etiam, qui erant ejusdem sententiae, reprehenderent ejus crudelitatem, et damnarent uno ore ejus voluntariam caecitatem et insaniam, eis quoque est suffragata superna sententia. Protinus enim quadam divina et coelesti potestate privatur videndi facultate, et perinde ac somno oppressus profundissimo, et nihil intelligens eorum quae fiebant, ita sedebat dormiens, tamquam in lecto et stertens. Eum itaque rursus domum ducunt propinqui, tamquam inanimum aliquod onus portantes. Deinde haec etiam resciscit Imperator; et ejus quidem condemnat levitatem, Sisinio autem cuidam Comiti permittit adversus virgines examinationem.

§ 15. Ille vero ingressus est eadem via, qua Imperator, aliquando quidem tyrannice, aliquando vero blande cum eis agens. Postquam autem omnia dicens et faciens, vidit quidem virginum inter se differre corpora, unam autem esse mentem, et omnes unum et idem dicere, nempe: « Neque minans nos terrebis, neque blandiens persuadebis: nobis enim pro Christo mori, est vita; vivere autem non in Christo, mors. » Postquam haec cognovit, de juniori quidem Irene, ne sic quidem spem omnem abjecit: sed cum eam separasset a reliquis, ab Agape, inquam, et Chionia, eas postremo tentavit. Sed cum multis consumptis sermonibus, se plane novit ea venari, quae capi non poterant, et plane verberare aërem, eas condemnat ut igne mortem subirent. Et parata quidem erat fornax luculenta: virgines vero munitae pulcherrimis armis orationis, una quidem voce ad canticum, uno autem prompto et alacri animo procedebant ad ignem: et sic simul canentes, in ignem insiluerunt. Ignis vero non erat amplius ignis, sed ros tener et mollis. Deus autem dividit miraculum: partim quidem illarum implens petitionem, partim vero suam ostendens potentiam. Nam illae quidem sine dolore suas animas in manus Dei deposuerunt, ignis autem fuit extinctus: et corpora virginea

adeo illaesa et intacta aperte sunt cognita, ut neque ulla pars vestis, neque ullus denique pilus, ullo modo ferret aliquod signum exustionis. Rursus vero harum generosarum virginum reliquias cum unguentis et aromatibus martyrum amans condiisset Anastasia, in quadam capsa deposuit cum pietate magna et reverentia, ut earum esset in martyrio socia, semper precans.

§ **16**. Sic duabus virginibus in Christo consummatis, Comes productam virginem jussit sacrificare simulacris, ne mors, dicens, quae tuas praeoccupavit sorores, te comprehendat. Illa autem ei dicit: « Deum meum, inquit, rogo ut eas sequar in omnibus. » Tyrannus vero cum esset valde callidus, et sciret quam esset grave et detestandum, et vel ipsa morte acerbius Christi servis, intemperantiam: « Te, inquit, in publico statuam prostibulo, cuivis volenti prostituens: ut anima et corpore polluta, ut eloquia docent tuae Scripturae, male pereas. » Martyr autem cum statim in coelum sustulisset oculos, et e profundo lamentabiliter suspirasset: « Confido, inquit, in Deo Servatore meo, quod pedes meos evellet e laqueo, et animam meam liberabit ab omni immunditia. Fidelis est enim qui promisit, quod non sinet nos tentari supra quam possumus. Ego vero deos tuos non colam: neque eis offeram unquam sacrificium. Quod autem fit per vim et repugnante voluntate, quando turpe fuerit, iis quidem qui sunt coacti, videtur potius esse supplicium, quam peccatum: reos autem constituit eos qui vim attulerunt. Meum itaque non fuerit hoc peccatum, quomodo nec iis qui me praecesserunt, martyribus, pollutae carnes et vinum libaminum, per vim in os eorum injectum, omnino obfuit. Si enim non persuadens, sed vim afferens, vis trahere ad cultum tuorum deorum, cur non cito utens potestate, vel invitos Christianos cogis genu flectere daemonibus? »

§ **17**. Haec postquam audiit Praefectus, tradens eam militibus, jussit abducere in prostibulum. Deus autem non sinit, suorum omnino curam gerens: sed protinus ad milites accedentes Angeli, qui ipsi erant induti habitu et veste militari, et tamquam secundi a Praefecto missi, et eam alio transferre jussi, auferunt quidem ab iis qui eam detinebant. Cum vero eam abduxissent in cacumen montis, mirum in modum alti, illic statuunt, metu quidem et perturbatione plenam, quod ad priora attinet: deinde etiam Deo eloquentem verba gratiarum actionis. Postquam autem, quod factum fuerat, accepit Comes, statim ascendens equum, equitavit ad montem. Hîc vero vide mihi res Dei admirabiles, quae mentem quidem vocant ad admirationem, linguam autem ad laudem. Ubi enim accessit ad locum, mente immutatus, videbatur quidem videre procul virginem, et eam appropinquare: visam autem apprehendere, etsi maxime vellet, non poterat; adeo ut illud Isaiae in eo quoque impleretur, dicentis: *Palpabunt tamquam caecus*

*parietem, et tamquam oculos non habeant, palpabunt* (*Isa.* LIX). Talis ei murus firmus et validus objectus fuerat ante virginem. Quamobrem tumulum in orbem circumiens, mansit a matutino usque ad occasum solis, frustra laborans et circumerrans.

§ **18**. Interim autem dum haec fiebant, quidam ex iis qui erant cum eo, militibus arcum dirigens in martyrem, et jaculum emittens, ipsam quidem ferit, Deo concedente. Illa autem passis manibus cum se ad preces composuisset: « Gloria tibi, Christe Deus, effatur, quod non solum ab impio cultu, sed etiam a quibusvis aliis sordibus et inquinamentis me puram conservaveris, et pro tuo nomine decertare volueris. » Cum sic dixisset, in Angelorum manus emisit animam. Ejus autem corpus, cum illinc remotus esset Comes, tollens Anastasia, unguentis conditum et linteis honorifice compositum, simul deponit cum sororibus, quae fuerant sociae certaminis.

§ **19**. Deinde ad Imperatorem Diocletianum defertur etiam martyr Theodote, quae orta quidem erat ex Bithyniae civitate Nicea, Christiana autem erat religione, et in ejus zelo fervens; inquilina vero erat ipsa quoque cum Anastasia et tribus liberis in Macedonia. Cum ergo ipsa quoque se stitisset ante Imperatorem, quidam nomine Leucadius, valde captus ejus pulcritudine (erat enim Theodote quoque facie venustissima), vehementer instabat apud Imperatorem, ut misereretur ejus pulcritudinis, et non sic immaturam perderet puellam pulcherrimam. Quoniam autem ea petebatur ad nuptias, Imperator lubens dedit lubenti: existimabat enim fore, ut ex ejus conjugio ei fieret disjunctio a Christi religione. Cum ergo Theodotem accepisset Leucadius, quid non dicebat, quid non faciebat, studens ei persuadere, ut castitatem quidem et pietatem in Christum abjuraret: impietati autem assentiretur, et sic matrimonio cum eo conjungeretur?

§ **20**. Postquam vero haec agens visus est in aquam scribere, et canere inania, cum essent hujusmodi, quae ei dicebat Theodote: « Si meas quidem opes cupis et pecunias, et me ideo studes uxorem ducere, ecce tibi cedo omnibus, pro omnibus divitiis solum Christum sortita. Sin autem etiam corpoream amas pulcritudinem, scias te ea amare, quae omnino fieri nequeunt. Prius enim meam formam, quam mentem, mutaveris, etiamsi me igne et ferro, et omnibus simul consumpseris suppliciis. » Ubi haec ergo audivit Leucadius, quoniam paratus erat una cum egrediente exire Imperatore, domi quidem relinquit Theodotem: ipse vero iter est ingressus, Theodotae negotium non leviter et in transitu tractandum esse ducens, sed id reservans ad otium et tempus conveniens. Cum ergo relaxata fuisset Theodote, et similem in virtute et fide assumpsisset Anastasiam, una animi alacritate et consensione, et quasi conspiratione, parique zelo peragebant solitum cursum pietatis Christianis, qui in carceribus

publicis inclusi erant, effectae omnia, medici vulnerum, suppeditatores pecuniarum, praeteritorum malorum solatium, et ad futurum validissima consolatio. Et sic quidem virgines.

§ 21. Cum autem rursus intellexisset Diocletianus, quam essent quidem angusti carceres propter multitudinem piorum, qui in iis detinebantur; essent vero inania quaevis excogitata tormenta, a confessione nemine eorum recedente; eos quidem jubet diversis mortis illatis generibus de medio tolli ex hominibus, et ita locum dare carceribus: alios autem comprehendere, qui eadem sentiebant: et primum quidem in vincula conjicere: deinde si sibi non persuaderent, ut suam abjurarent religionem, eos tormentis afficerent. Tanta erat impii contentio adversus Christianos, occulto tyranno, communi, inquam, hoste Christianorum, illum ad hoc incitante. Atque sanctis quidem multa et varia mortis genera sunt dispertita: et alios quidem ignis, alios vero aqua, alios autem ensis, alios vero aliquid aliud ex novis illis praeter haec inventis reperte et in una nocte omnes comprehendit.

§ 22. Martyrum autem amans, quae ipsa quoque mox martyr erat futura, Anastasia, cum de his rescivisset (mane enim advenerat, eos more solito curatura), ubi intellexit vacuum esse carcerem, et aërem implevit vociferatione, et uberes lacrymae fluxere ex oculis: eamque opprimebat gemitus, et lacerabant ejulatus. Rogata vero cur fleret, illa nihil verita, neque volens esse nocturna Christi discipula, sed timens potius, ne pro eo non pateretur nec moreretur, vociferans dixit: « Quaero Dei mei servos, qui modo erant in custodia. » Postquam autem intellexerunt eam esse Christianam, eam protinus comprehensam duxerunt ad Florum Praefectum Illyrici, dicentes: « Invenimus hanc flentem in carcere: et cum intellexissemus esse Christianam, et flere propter Christianos, eam ad tuum judiciale tribunal adduximus. » Cum vero Praefectus eam interrogasset cum admiratione: « Tu ergo es Christiana? » Illa clara voce: « Certe, inquit, sum Christiana. Nam quod tibi videtur esse unum ex nefariis, hoc est mihi ornamentum, et nomen praecipuum. »

§ 23. Postquam autem ille et vitae ejus conditionem, et patriam, et genus accepit, quod scilicet in veteri urbe Roma illustri loco esset nata: « Quid vero, inquit, te persuasit, ut Romam quidem relinqueres, huc autem venires? » Martyr vero: « Quidnam aliud, inquit, nisi solum vox mei Domini? Hanc enim solam sequens, parentibus simul et cognatis et opibus despectis, et amico patriae solo relicto, mei Christi crucem sustuli, promptisque et alacribus eum sum secuta pedibus. » Dicit autem Praefectus: « Ubi est is, quem tu dicis, Christus? » — « Ubique, inquit, martyr, neque est ullus locus, qui eo careat. Est in coelo, est in mari, est in terra. Nihilo secius autem est etiam in omnibus,

qui eum invocant et timent, intelligenter eos illuminans, et cum eis versans. » Ille vero: « Ubinam sunt, inquit, isti, ut eos cognoscamus? » Illa vero: « Hucusque quidem, inquit, hic sunt versati, et nobiscum egerunt in corpore. Nunc autem, terrâ relictâ, nos procul vident, versantes in coelestibus. Mors enim suscepta propter Christum, haec eis conciliavit. In quorum numerum cupio ego quoque referri, et idem quod illi iter ingredi. »

§ 24. Postquam autem intellexit Praefectus haec dixisse martyrem de Christianis, qui interempti fuerant in carcere: « Mihi videris, ait illi, multis opus habere suppliciis. Ecce enim injecisti nobis suspicionem, te illis fuisse causam mortis, ut quae eos contra nos moveres, et eis persuaderes repugnare edictis Imperatorum. Sed non poteras latère deos, quos nihil latet: qui cum tuae menti magnam offudissent caliginem, te tua non praevidentem ad haec impulerunt, et, ut te nobis aperires, persuaserunt. » Quoniam vero cum illustri genere nata esset Anastasia, non fas erat Praefecto eam punire, antequam de ea cognosceret Imperator, omnia refert ad Imperatorem. Ille autem (intellexerat enim quod cum a patre magnam accepisset haereditatem, eam omnem distribuerat pauperibus) jussit eam tuto custodiri, donec veniret in civitatem. Cum vero accessisset, in ejus conspectum deducitur illa beata. Ille autem ante alia eam rogavit de facultatibus: eas enim magis amabat, quam deos. « Ubi est, inquit, aurum quod *tibi* obvenit a patre? » Illa vero respondit magno et excelso animo: « Si adhuc mihi reliquum esset aurum, per quod Christi quidem servis, meis autem conservis, possem subvenire, non me iis qui quaerebant, tradidissem. Quoniam autem in eos qui recte agebant, omnia, ut oportet, sunt a me consumpta: quod mihi solum est reliquum, ipsum quoque corpus studeo Christo meo offerre. » Imperator vero cum verba audiisset sapientia, specie quidem ipsam despiciens ut foeminam et juvenem: revera autem timens, ne majori afficeretur dedecore, quomodo verbis, ita etiam rebus ipsis magis victus, quando ejus per tormenta faceret periculum, ipse quidem dicens non par esse, ut cum muliere insana loqueretur, destitit ab examinatione; Praefecto autem eam mandat examinandam.

§ 25. Ille vero cum statim pellem induisset vulpinam, blandis verbis eam conabatur inducere, dicens: « Cur, o mulier, non vis diis offerre sacrificium, quomodo pater tuus obtulit? Sed iis relictis, colis Christum, quem nescis et ex Judaeis natum, et ab iis ipsis, tamquam maleficum, de medio sublatum? » Anastasia autem respondit: « Ego deos et deas, quas tu dicis, colebam aliquando: nunc vero, rectiori suscepta sententia, eos quidem ab ipsis impositis araneis et avibus, quae eos afficiebant injuria, et a muscis quae in eis habitabant, liberans, igni tradidi; et cum sic eos convertissem in pecunias, satiavi multorum ventres esurientes,

et aliis egentibus praebui vitae adminicula. Sicque ea, quae nulli erant usui, effeci ut non esset otiosa, sed valde utilia. » Praefectus autem statim cum magna acerbitate: « At ego, inquit, non patiar, ut hoc sacrilegum facinus ne auribus quidem accipiatur. » Subridens vero martyr: « Ingenii tui acumen admiror, o Judex, quod hanc rem voces sacrilegium. Si enim ullus sensus, aut ulla vis esset, in his inanimis, quid obstaret, quo minus sibi, dum franguntur et convelluntur, et alia patiuntur, opem ferrent, et eos, qui insultant, ulciscerentur, aut alienum saltem et vestrum tunc implorarent auxilium? Nunc autem ne hoc ipsum quidem sciunt aperte se pati. » Orationem vero interrumpens Praefectus: « Divinissimus, inquit, noster Imperator jussit, ut alia quidem juberem valere: hoc autem solum facerem, nempe ut vel persuaderem ut sacrificares, aut tu alioqui male perires. »

§ 26. Postquam vero dixit martyr, non esse perire, mori propter Christum, sed vitam potius aeternam firmiter apprehendere: cum Praefectus rursus movisset multa verborum examina, multos autem metus atque adeo ipsam mortem ei redegisset in memoriam, ubi vidit eam omnia ex aequo ridentem, omnia rursus refert ad Imperatorem. Propter quae cum ille fuisset magis ad iram incitatus, et quidnam de ea oporteret fieri deliberaret, accedit aliquis ex iis qui cum eo versabantur, et ei studebant gratificari, et: « Jube, inquit, o Imperator, eam tradi Ulpiano pontifici Capitolii. Ei enim vel maxime curae erit, ut qui sit deorum pontifex, et vel omnino persuadebit, vel acerbissime puniens tollet de medio: omnes autem ejus facultates, si modo sint ullae reliquiae, dedicabit Capitolio. » Placuerunt haec Imperatori: et prout fuerat monitus, accersito Ulpiano, eam ei tradit. Ille vero faciens diversum ab asperitate Imperatoris: astu autem potius se eam esse superaturum, et ei persuasurum confidens, eam honorifice abducit in domum suam.

§ 27. Et primum quidem multis iisque probabilibus verbis per auditum quodammodo infundere venenum contendebat. Deinde etiam per adspectum adhibuit deceptionem, valde improbe et malitiose opponens contraria contrariis: hinc quidem mundos muliebres luculentos et sumptuosos, illinc autem omne genus tormenta: hinc lapides pretiosos et grato nitore resplendentes, illinc enses micantes horribiliter. Hinc quidem lectos argento incrustatos, et stragulis elegantibus ornatos: illinc autem collaria et vincula maleficorum, et gravia flagella. Cur vero hoc faciebat vir ille callidus et astutus, et cur cum benignis conjungebat acerba et molesta? Ut vel rebus laetis illiceret, vel terrorem afferret rebus terribilibus. Sed seipsam fefellit injustitia *, ut dicit divinus David, et haec sunt pro nihilo reputata a martyre. Dicit enim, liberalem prae se ferens spiritum, gravemque et honestum habitum: « In

* *Mentita est iniquitas sibi.* In Psalmo 26.

te haec omnia, diabole, et tibi sint soli: quoniam cum eis tradèris ad interitum. Sin autem efficies, ut flagellorum quoque faciam periculum, et his vinculis et collaribus gravabis collum meum, tunc tamquam aliquod colli ornamentum, quod mihi impones, collare gestans, Christo apparebo gratior et venustior: quoniam ipse est Servator meus et defensor meus, et in eo speravit cor meum. »

§ 28. Martyris itaque animi magnitudinem admiratus Ulpianus, et ratus fore, ut eam molliret tempore, quae cedere nolebat, in animo habebat ejus causam differre in tertium diem. Illa vero ei propter moram indignans: « Jam, inquit, existima hos tres dies mihi praeteriisse, et meis verbis animum adhibe. Ecce enim eadem tibi nunc dicam, quae dictura sum post deliberationem. Deos tuos non colo, et tuae et Imperatoris repugno voluntati. Sacrifico autem sacrificium laudis seculorum Regi Christo, qui est meus et solus immortalis Deus, pro quo etiam profundo animam, et tua tormenta despicio, ut solum Christum lucrifaciam, qui est vita aeterna. » Ille vero: « Sciebam, inquit, fore, ut similem Christi mortem tu quoque stulta eligeres. » Illa autem cum audiisset, et ex eo quod dictum erat, laetitiam accepisset: « *Amen Amen* fiat mihi, inquit, Christe mi sponse et Rex. » Pontifex autem interrogavit protinus: « Quid sibi vult illud *Amen?* » Martyr vero: « Sed tu non es, inquit, dignus qui hoc discas. Nemo enim, inquit, qui sapit, commiserit unguentum vasi putri. » Ulpianus autem fecit ut statuerat: et cum ei dedisset terminum trium dierum, tradit eam mulieribus gentilibus, et quae genere ad eam attinebant, mulierum sermone et dierum longitudine fore, ut nonnihil sententiam mutaret, existimans. Illa vero cum sibi persuasisset augere potius, quam minuere suum in Christum desiderium, mulieres quidem illas, et illos sermones, existimabat esse inanes strepitus, qui temere effundebantur in aures: manus autem et mentem simul in altum attollens, ad opem ei ferendam in certamine vocabat Christum, quem diligebat, nec cibum nec potum sumere omnino tribus diebus sustinens.

§ 29. Tertio autem die post venit rursus Ulpianus, ex eo quod valde vellet, minime desperans: sed conjiciens se praedam tenere propemodum. Ubi vero eam interrogasset, et rescivisset incrementum sumpsisse ejus sententiam longitudine temporis, et non solum bonorum promissione, sed etiam suppliciorum formidine mulierem esse superiorem; quin etiam naturali quoque necessitati minime concedentem, quae tanto tempore nec cibum nec potum sumpsit: postquam haec audivit sacerdos falsorum deorum, in aulam quidem prosilit, eam per se contendens trahere: cumque vellet aliquid facere inhonestum, et profanis suis diis dignum, feritur statim, plagâ immissâ, divinitus, et oculorum luce orbatus, obibat totam domum, non potens videre amplius. Quin etiam

et aliis egentibus praebui vitae adminicula. Sicque ea, quae nulli erant usui, effeci ut non esset otiosa, sed valde utilia. » Praefectus autem statim cum magna acerbitate: « At ego, inquit, non patiar, ut hoc sacrilegum facinus ne auribus quidem accipiatur. » Subridens vero martyr: « Ingenii tui acumen admiror, o Judex, quod hanc rem voces sacrilegium. Si enim ullus sensus, aut ulla vis esset, in his inanimis, quid obstaret, quo minus sibi, dum franguntur et convelluntur, et alia patiuntur, opem ferrent, et eos, qui insultant, ulciscerentur, aut alienum saltem et vestrum tunc implorarent auxilium? Nunc autem ne hoc ipsum quidem sciunt aperte se pati. » Orationem vero interrumpens Praefectus: « Divinissimus, inquit, noster Imperator jussit, ut alia quidem juberem valere: hoc autem solum facerem, nempe ut vel persuaderem ut sacrificares, aut tu alioqui male perires. »

§ 26. Postquam vero dixit martyr, non esse perire, mori propter Christum, sed vitam potius aeternam firmiter apprehendere: cum Praefectus rursus movisset multa verborum examina, multos autem metus atque adeo ipsam mortem ei redegisset in memoriam, ubi vidit eam omnia ex aequo ridentem, omnia rursus refert ad Imperatorem. Propter quae cum ille fuisset magis ad iram incitatus, et quidnam de ea oporteret fieri deliberaret, accedit aliquis ex iis qui cum eo versabantur, et ei studebant gratificari, et: « Jube, inquit, o Imperator, eam tradi Ulpiano pontifici Capitolii. Ei enim vel maxime curae erit, ut qui sit deorum pontifex, et vel omnino persuadebit, vel acerbissime puniens tollet de medio: omnes autem ejus facultates, si modo sint ullae reliquiae, dedicabit Capitolio. » Placuerunt haec Imperatori: et prout fuerat monitus, accersito Ulpiano, eam ei tradit. Ille vero faciens diversum ab asperitate Imperatoris: astu autem potius se eam esse superaturum, et ei persuasurum confidens, eam honorifice abducit in domum suam.

§ 27. Et primum quidem multis iisque probabilibus verbis, per auditum quodammodo infundere venenum contendebat. Deinde etiam per adspectum adhibuit deceptionem, valde improbe et malitiose opponens contraria contrariis: hinc quidem mundos muliebres luculentos et sumptuosos, illinc autem omne genus tormenta: hinc lapides pretiosos et grato nitore resplendentes, illinc enses micantes horribiliter. Hinc quidem lectos argento incrustatos, et stragulis elegantibus ornatos: illinc autem collaria et vincula maleficorum, et gravia flagella. Cur vero hoc faciebat vir ille callidus et astutus, et cur cum benignis conjungebat acerba et molesta? Ut vel rebus laetis illiceret, vel terrorem afferret rebus terribilibus. Sed seipsam fefellit injustitia *, ut dicit divinus David, et haec sunt pro nihilo reputata a martyre. Dicit enim, liberalem prae se ferens spiritum, gravemque et honestum habitum: « In

* *Mentita est iniquitas sibi.* In Psalmo 26.

te haec omnia, diabole, et tibi sint soli: quoniam cum eis tradèris ad interitum. Sin autem efficies, ut flagellorum quoque faciam periculum, et his vinculis et collaribus gravabis collum meum, tunc tamquam aliquod colli ornamentum, quod mihi impones, collare gestans, Christo apparebo gratior et venustior: quoniam ipse est Servator meus et defensor meus, et in eo speravit cor meum. »

§ 28. Martyris itaque animi magnitudinem admiratus Ulpianus, et ratus fore, ut eam molliret tempore, quae cedere nolebat, in animo habebat ejus causam differre in tertium diem. Illa vero ei propter moram indignans: « Jam, inquit, existima hos tres dies mihi praeteriisse, et meis verbis animum adhibe. Ecce enim eadem tibi nunc dicam, quae dictura sum post deliberationem. Deos tuos non colo, et tuae et Imperatoris repugno voluntati. Sacrifico autem sacrificium laudis seculorum Regi Christo, qui est meus et solus immortalis Deus, pro quo etiam profundo animam, et tua tormenta despicio, ut solum Christum lucrifaciam, qui est vita aeterna. » Ille vero: « Sciebam, inquit, fore, ut similem Christi mortem tu quoque stulta eligeres. » Illa autem cum audiisset, et ex eo quod dictum erat, laetitiam accepisset: « *Amen Amen* fiat mihi, inquit, Christe mi sponse et Rex. » Pontifex autem interrogavit protinus: « Quid sibi vult illud *Amen?* » Martyr vero: « Sed tu non es, inquit, dignus qui hoc discas. Nemo enim, inquit, qui sapit, commiserit unguentum vasi putri. » Ulpianus autem fecit ut statuerat: et cum ei dedisset terminum trium dierum, tradit eam mulieribus gentilibus, et quae genere ad eam attinebant, mulierum sermone et dierum longitudine fore, ut nonnihil sententiam mutaret, existimans. Illa vero cum sibi persuasisset augere potius, quam minuere suum in Christum desiderium, mulieres quidem illas, et illos sermones, existimabat esse inanes strepitus, qui temere effundebantur in aures: manus autem et mentem simul in altum attollens, ad opem ei ferendam in certamine vocabat Christum, quem diligebat, nec cibum nec potum sumere omnino tribus diebus sustinens.

§ 29. Tertio autem die post venit rursus Ulpianus, ex eo quod valde vellet, minime desperans: sed conjiciens se praedam tenere propemodum. Ubi vero eam interrogasset, et rescivisset incrementum sumpsisse ejus sententiam longitudine temporis, et non solum bonorum promissione, sed etiam suppliciorum formidine mulierem esse superiorem; quin etiam naturali quoque necessitati minime concedentem, quae tanto tempore nec cibum nec potum sumpsit: postquam haec audivit sacerdos falsorum deorum, in aulam quidem prosilit, eam per se contendens trahere: cumque vellet aliquid facere inhonestum, et profanis suis diis dignum, feritur statim, plagâ immissâ, divinitus, et oculorum luce orbatus, obibat totam domum, non potens videre amplius. Quin etiam

praeter caecitatem, vehementissimus dolor ejus invadit oculos. Eo ergo dolore affectus, clamabat sceleratus, et suorum deorum misere invocabat auxilium. Haec autem non temere administravit providentia: sed ut cum ii qui erant extra, sensissent, et, ut par erat, congregarentur ad opem ei ferendam, res evaderet manifesta, quanam ratione et quomodo accidisset, et non liceret sacerdoti causam in aliud conferre, aut mentiri adversus miraculum. Quod etiam factum est, et cum multi adessent testes, deductus domum caecus, et gravi dolore affectus, et deinde gravioribus dolorum stimulis vexatus, jubet ut in execrandum deorum suorum templum deferretur, et illic deponeretur, putans fore, ut qui eos coleret, ab eis curaretur. Egregiam vero, et quam par erat, sui cultus retulit mercedem. Doloribus enim adhuc vehementius eum invadentibus, emittit etiam animam.

§ **30**. Ex eo Anastasia libertatem consecuta, illinc quidem egreditur: venit autem ad Theodotem, quam prius declaravimus habitare apud comitem Leucadium: et sigillatim ei narrat omnia. tam quae passa sit, quam quae per ipsam et cum ipsa Deus fecerit. Paucis post diebus comes quoque Leucadius ex Bithynia reversus, cum Theodote prioribus similes rursus habuit sermones. tentans eam inducere. Postquam autem multa loquens, cognovit se loqui litori, et cum ventis conferre sermonem, Anastasiam quoque resciscit apud eum degere: et furore percitus, propterea quod Theodote illius admonitionibus inducitur, ut eum magis contemnat, Anastasiam quidem statim vinctam tradit tribunali judiciario. Quinetiam Theodotem vinctam transmittit ad Proconsulem Bithyniae, de ea eum per litteras, quamcitissime fieri potuit, reddens certiorem.

§ **31**. Cum autem in Bithyniam pervenisset Theodote, producta est ad tribunal Proconsulis: « Age, inquit ille, o Theodote, jussis parens Imperatoriis, velis diis offerre sacrificium. Sic enim simul et filiis vives, et particeps eris multorum bonorum. Nam etsi non tua, at filiorum quidem certe tuorum causa, aequum fuerit, ut id eligas quod est futurum tibi utile. » Dum haec autem martyri diceret Proconsul, respondens illius filiorum primogenitus, cui nomen erat Evodius: « At nos, inquit, o Praeses, hominum supplicia nequaquam pertimescimus: quae corpori quidem incorruptionem, animae autem potius immortalitatem solent conciliare: sed iis, parum abest quin dicam, aeque ac convivio delectamur. Deum vero potius timemus, *qui potest animam et corpus punire in gehenna* (*Matth.* x). » Proconsul autem, oculis in puerum conjectis: « Cum videam te, inquit, aetate admodum imperfectum, miror quomodo et a quo haec sic didicisti, quae vix multi et longo tempore et labore sunt consecuti. » Quibus puer opportune respondit: « Servator noster et Dominus Jesus Christus, ipse est qui dixit: *Quando ducemini ad Reges et praesides, nolite cogitare quid*

*loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Nunc ergo sunt haec non mea, neque humanae sapientiae verba : sed omnino quidem mea est lingua, aperte autem Dei sunt verba. » Judex vero veluti de matre spem abjiciens, et de primo ejus filio, se transfert ad alios tentandos, eos videns aetate esse imperfectiores, putans fore ut eos ad suam traduceret sententiam. Postquam autem visi sunt rami nihil differre a generosa radice : sed ostenderunt pueri se illius quidem filios, hujus vero esse fratres, se rursus transfert ad matrem et filium ejus primogenitum : « Convertimini, dicens, ad vestra viscera. Parcite teneris infantibus immaturis. Nolite videre eos ante vestros oculos male pereuntes. »

§ **22**. Cum multa ejusmodi dixisset, et vidisset verba temere fundi in aërem, jubet filium ante oculos matris crudeliter caedi virgis. Quod videns generosa mater, non modo nihil indecorum aut gessit, aut est locuta, sed etiam veluti gaudens plagis carissimi filii, adstitit alacris, annuens oculis, gestu incitans, verbis adhortans : « Ne succumbas, dicens, o fili, sta fortiter, nate : has propter Christum plagas, honores et coronae excipient. » His Proconsul vel animo maxime incensus, maligni daemonis suggestione improbum capit consilium. Viro enim petulanti, et ad amores incontinenti tradit hanc mulierem in primis venerandam. Sed non erat insolentis hominis futurum diuturnum gaudium. Nam postquam eam vel solum attigit Hyrtacus (ita enim vocabatur), totus vultus protinus est mutatus, et nec concessum quidem est intueri martyrem sine timore. Itaque magna voce clamavit ad Proconsulem, dicens se, cum primum manum injecit in Theodotem, vidisse quemdam juvenem, vultu formosum et habitu decorum, simul adesse cum Theodote, qui ei incusso colapho, et nares contrivit, et ut per eas sanguis manaret, effecit. Sed non videbat caecus, et stultus Proconsul minime intelligebat : et neque, si nihil aliud, miraculi reveritus fuit evidentiam, neque destitit adversus eam contendere. Sed cum eam rursus sisti curasset, minatus est se ei esse illaturum, quae videbantur omnium gravissima : « Nisi deos, dicens, immortales colueris, interfecti cadent ante tuos oculos filii. » Illa autem : « Vel hoc, inquit, olim maxime sitio. Sic enim cum meos filios vivens ad Christum praemisero, et tamquam in tuto portu constituero, deinde ego sequar evestigio, adeo ut apte possim canere : Ecce ego et filii, quos mihi dedisti, Deus. »

§ **23**. His magis conturbatus, Proconsul, jussit eam igni tradi simul cum filiis. Postquam autem fornax fuit accensa citius quam jussum fuerat, illi tamquam fontem aquae cum gaudio fornacem subiere : et Deum quidem benedicebat mater : collaetabantur autem filii : et sic ambo laeti et alacres animas suas in manibus Dei deposuerunt *. Et illos quidem sic accepit beatus finis. Beata

* Horum natale die 2 augusti celebratur.

autem Christi martyr Anastasia custodiebatur apud Praefectum Illyrici, qui cum de ea diligenter quaesisset, et eam illustri loco esse natam intellexisset, magnasque esse ejus facultates, et ex iis esse ortam, quorum magnae erant opes, a lucro superatus, et captus amore pecuniae, cum eam seorsum ad se adduci curasset « Scio, o mulier, inquit, te esse valde divitem : Christianam autem esse et tu dicis, et ego jam sum expertus. Age, ergo, parens tuo sponso, qui lege cavet, ut omnes despicias divitias, cede mihi pecuniis et possessionibus, et omnibus tuis facultatibus. Tu autem haec faciens, utrinque lucraberis : ut quae legem quidem sis impletura, et libera futura a nostri metu. Deinceps enim tibi licebit et secure sacrificare, et libere colere Deum, qui a te adoratur. »

§ 34. Ad haec veluti quae animum erexisset, supernae sapientiae plena Anastasia : « Sed, o Judex, inquit, alicubi dictum est in Evangeliis a meo Christo, *Vende omnia quae habes, et da pauperibus: et habebis sic thesaurum in coelis* (*Matth*. XIX): Tibi autem, qui es dives, quis est adeo miser et adeo demens, qui cum velit succurrere indigentibus, diviti praebeat res pauperum, et res esurientium ei qui degit in deliciis? Quod si te videro esurientem, et sitientem, et nudum, et aegrotantem, et conjectum in carcerem, tunc convenienter ei, quod dicit meus Christus, te et nutriam, et potabo, et visitabo, et colligam, et suppeditabo quae erunt necessaria. Sed enim secundum carnem et mundum tu quidem es valde dives : ea vero, quorum es pauper et valde inops, et quae oporteret petere, cur non petis? » Rogante autem Praefecto : « Quaenam ea sunt, et quanam ego laboro inopia? » — « Maxima, inquit illa, in rebus maximis, nempe in fide, et cognitione, et veritate. »

§ 35. Praefectus vero captans, ut videtur, gloriam acutioris ingenii, arripiens id quod dixerat : « At tu quoniam, inquit, es fide dives : dic, inquit, verbo monti : transmovere ; et si transmovebitur, convenienter iis quae tuus tibi promisi, Magister, credemus. » Illa autem (erat enim satis erudita), « Et haec quidem, inquit, audet nostra fides et ea quae sunt his longe majora. Fert vero mihi testimonium, Moses quidem, non in terra solum faciens miracula, sed etiam mare dividens et rursus conjungens: Josue autem sistens solem qui est supra nos ; et Elias ipsum totum coelum claudens : ne dicam Christi mei discipulos, quorum vel vestes et umbrae solae mortuos suscitabant, et, qui sunt apud vos dii, daemones expellebant : et quae quotidie vobis videntibus fiunt per eos qui decertant pro nomine Christi, etiamsi nihil eorum quae fiunt, conferat vobis ad intelligentiam, sed sponte propter vestram caecutitis malitiam. Sed non cum vobis visum fuerit, est divina virtus invocanda a Christianis, assentiendo tentatoribus. Scriptum est enim, vos infideles partim quidem signa, partim autem quaerere sapientiam : nos vero praedicare Dominum

Jesum Christum, eumque crucifixum. » — « Hoc, inquit, me conturbat, quod fuerit crucifixus. Quomodo Christus tuus, qui est, ut dicis, Deus, crucem subiit, et praeterea fuit punctus in latere? quod quidem Jovem, qui est Deorum nostrorum maximus et summus, passum esse non potes dicere. Quomodo ergo non eum potius adoras, repulso crucifixo? » Martyr autem: « Quoniam, inquit, crux et mors est Christo gloriatio, et omnibus Christianis: cum ille quidem immortalitatem et gloriam per haec dederit, hi vero acceperint. Tui vero Jovis opera. Sed ego nihil de his. Tu ergo summum quidem illum tuum Jovem, si vis, sicut revera vis, imitare: me autem sine meum Deum imitari. »

§ **26**. His dictis, ira valde fuit accensus Praeses, et jubet eam in carcere quidem includi obscurissimo: omnia vero instrumenta tormentorum deduci in ejus conspectum, ut vel cum vidisset, ei metu persuaderet, ut aliquid de sua remitteret constantia: aut si retineret suam animi magnitudinem, varium et multiplicem ei afferret dolorem, recordatione eorum quae molestia afficiunt. Porro autem jubet etiam exiguum ei dari nutrimentum, idque post occasum solis. Martyr vero cum et sic habitaret, et haec videret, et nollet omnino esse cibi particeps, pro omnibus apud se versabat suum in Christum desiderium. Id autem erat illi et cibus sufficiens, et solatium obscuritatis. Ei vero videbatur etiam singulis noctibus socia certaminis Theodote, et cor ejus replens laetitiâ, viresque et animum addens ad certamina. Quam etiam saepe ventitantem, quae nullum sivit bonum non examinatum Anastasia, hoc quoque interrogavit, quonam modo ad eam veniret post mortem. Illa autem dixit, hoc quoque datum esse a Deo animabus martyrum, ut, postquam hinc excesserint, veniant ad quos velint, et cum eis sermones conferant, et eos consolentur.

§ **27**. Cum venisset vero dies tricesimus, existimans Praefectus fame et alia afflictione confectam esse martyrem, et aliquid de sua remisisse constantia, ubi eam accersisset, et alacriorem liberiusque quam prius loquentem vidisset, iratus fuit custodibus, ut qui ei dedissent aliquid quo se reficeret. Illorum itaque benignitatem accusans tamquam crimen, eos removet a custodia; eam vero committit aliis, quos sciebat lubenter omnia facturos ex ejus animi sententia. Cum eos ergo ei praefecisset, et aliis triginta diebus eam custodire jussisset, et signaculis custodiam obsignasset, abiit. Illa autem, etsi secum ita ageretur, non cessavit tamen facere ea quae consueverat: sed in vehementi oratione, et nocturna statione, et assidua extensione manuum perseverabat. Deinde cum Praefectus illinc eam eduxisset, condemnat cum multis aliis reis, ut in profundum maris projiceretur. Erat autem una cum iis etiam quidam vir pius, nomine Eutychianus: qui ipse quoque propter fidem in Christum, nudatus facultatibus, condemnatus fuit, ut jaceretur in mare.

§ 38. Posteaquam vero in medio mari fuerunt, qui eos ducebant milites, ipsi quidem cymbam quamdam ascendentes, in terram navigarunt: navem autem, quae ducebat Christi martyrem cum Eutychiano et caeteris condemnatis, cum undique perforassent, eam, cum in tanto versaretur periculo, relinquunt fluctibus. Sic navem mare tegebat, et eis parata a Deo adjutrix missa beata Theodote, et velo insidens cernebatur: et clavum dirigens securissime, eis navigantibus cursum praebebat secundissimum. Ad terram autem navem duxit sine periculo. Quinetiam ostendit Eutychianum fuisse connumeratum inter Christi martyres. Tunc itaque, qui erant in nave condemnati, obstupefacti miraculo, ad Eutychiani pedes procidebant et martyris, et rogabant, ut docerentur rationem fidei. Ea ergo quae petebant, consecuti, et in pietate ut oportet, initiati, in Christi gregem sunt cooptati, qui erant omnes simul centum et viginti viri.

§ 39. Haec tertio post die significantur Praefecto. Qui cum statim magno studio totum hunc chorum, nuper initiatum, comprehendisset, et ad tribunal sistendos curasset, eos arbitratus adhuc primam servare sententiam, eis aurum obtulit et divitias, et honores partim quidem jam praebebat, partim vero pollicebatur, si solum vidisset mutatos, et rursus gentilem servantes religionem. Postquam autem spe valde fuit falsus, fortes et validos videns eorum animos, eis contra ostendebat enses nudos, et ignem, et catapultas, et sartagines: « Si nolitis, dicens, at haec vos invitos persuadebunt sacrificare. » Postquam autem illi ex aequo neque vincebantur a malis, nec ab iis quae bona videbantur, convertebantur, cum eos prius multis affecisset tormentis, deinde etiam iniqua morte eos condemnat. Generosam vero Christi martyrem jubet tribus palis alligatam, et igne undique circumdatam, sic finem subire martyrii. Quod quidem cum celeriter factum esset. ipsa quoque in manibus Dei sui deponit spiritum XXII mensis Decembris.

§ 40. Apollonia autem quaedam mulier genere insignis, precata Praefecti uxorem, accipit sacrum corpus Anastasiae: et cum ipsum praeclare et ut oportebat honorasset, deponit in horto domus suae. Postea vero templum quoque excitat martyri praeclarum et magnificum, et postea anniversarium ei festum celebrat. Post annos autem multos, civitatum felicissima, Constantinopolis, inquam, ejus ad se exportatas suscipit reliquias, et eas deponit in magnifico templo et ea digno, thesaurum bonorum, fontem miraculorum, corroborationem animae et corporis: Ad gloriam Patris, Filii et Spiritus Sancti, unius divinitatis et regni: cui convenit omnis honor, majestas et magnificentia, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

EPISTOLAE * DUAE

# S. ANASTASIAE AD S. CHRYSOGONUM

ET TOTIDEM

# S. CHRYSOGONI AD S. ANASTASIAM

UTI HABENTUR IN S. ANASTASIAE VITA AB ANASTASIO BIBLIOTHEC. EDITA. LEGUNTUR EAEDEM ETIAM APUD SUIDAM **.

§ 1. *Sancto Confessori Christi Chrysogono, Anastasia.* Licet pater mihi cultor idolorum fuerit, mater tamen Fausta, christianissima semper vixisse probatur et casta. Haec me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam. Post cujus excessum sacrilegi jugum mariti suscepi: cujus, Deo miserante, torum mentita infirmitate declinans, die noctuque Domini nostri Jesu Christi amplector vestigia. Cum iste patrimonium meum, ex quo illustratur, cum indignis et turpibus idololatris exhauriat, me quoque veluti magam atque sacrilegam custodiae tam gravissimae mancipavit, ut me vitam corporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisi ut amisso spiritu, morti succumbam: in qua morte licet glorier de confessione Domini mei Jesu Christi, tamen in eo mens valde conteritur, quod omnes meas opes, quas Deo devoveram, alienis a Deo et turpibus erogari conspicio. Et idcirco deprecor te, o homo Dei, ut instanter Dominum depreceris, ut aut ad fidem suam si venturum praevidet, maritum Publium sinat vivere: aut si eum in hac incredulitatis perversitate scit mansurum, jubeat eum locum dare suis cultoribus. Melius est enim spiritum exhalare, quam Dei Filium denegare, et eum confitentes impedire. Ipse enim testis est Christus, quoniam si liberata fuero, sanctorum vestigiis adhaerebo, et curam eorum sollicite exercebo, ut coeperam. Vale, vir Dei, et memento mei.

*S. Chrysogoni responsum.*

§ 2. *Chrysogonus Anastasiae.* Fluctuanti tibi inter procellas et turbines mundi, cito super undas deambulans adveniet Christus, et diaboli adversum te flantem spiritum uno jussionis suae sermone compescet. Patienter ergo quasi in medio mari posita, crede Christum ad te venturum, et ad temetipsam conversa, exclama

* Epistolas S. Anastasiae ad S. Chrysogonum, germanas esse, firmiter asserit Baronius. Verum eae a recentioribus Scriptoribus, ut apocryphae, rejiciuntur.

** In *Lexicon*, ad litteram X.

cum Propheta, dicens: *Quare tristis es, anima mea? Et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus* (*Ps.* 41). Geminum divini muneris probatur indicium, cum tibi et terrena reddentur, et donabuntur coelestia. Dominus enim beneficium suum ob hoc protrahit per adversa, ut non sit nobis vile, quod praestat. Vide ne turberis in hoc, quod pie viventibus inferantur adversa. Non enim deciperis, sed probaris. Non est tuta defensio, quam tu putas posse per hominem constare. Scriptura dicente: *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine:* et *benedictus homo qui spem suam ponit in Deo* (*Jer.* XVII). Cave fortiter et vigilanter universa peccata, et a Deo solo quaere solatium, cujus jussa conservas. Cito enim ad te placidum convertetur tempus, et quasi post noctis tenebras floridum diei lumen accipies: atque post glaciale frigus hyemis transeuntis, aurea tibi et serena tempora succedent, et ut omnibus, qui pro Christi nomine affliguntur, temporalem praebeas laetitiam, per quam sine dubio consequaris aeternam. Vale in Domino, et ora pro me.

## ALIA S. ANASTASIAE EPISTOLA

### CUM SE PUTARET IN CUSTODIA MORITURAM.

§ 3. *Confessori Christi Chrysogono, Anastasia.* Finis venit corporis mei: memento mei, ut egredientem animam meam ille suscipiat, pro cujus amore ista sustineo, quae ex ore hujus vetulae recognosces.

### *S. Chrysogoni responsum.*

§ 4. *Chrysogonus Anastasiae.* Semper fit, ut lumen tenebrae praecedant: sic etiam post infirmitatem salus revertitur, et post mortem vita promittitur. Uno fine clauduntur et adversa mundi, et prospera: ne vel tristibus desperatio, vel laetis elatio dominetur. Unum mare est, in quo naviculae corporis nostri velificant, et sub uno gubernatore animae nostrae nautico funguntur officio. Quarundam igitur naves fortissimis carinarum nexibus solidatae, tenebrosi aequoris concito cursu fluctus illaesae praetereunt: quarundam vero fragilis junctura etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt cursum. Prope est enim ut pereant, qui non cogitant, ut ad salutis portum attingant. Tu autem, o Christi irreprehensibilis famula, Crucis Christi trophaeum tota mente constringe, et teipsam ad opus Domini praepara: in quo tuis desideriis dum parueris, cum martyrii palma ad Christum attinges.

# MARTYRIUM S. EUGENIAE

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII *.

**Pro fide necata est anno probab. 262 — Romana.**

§ 1. Commodo post Marcum suum patrem, Romanum tenente imperium, cum jam septem annos in eo transegisset, quidam Philippus vir illustris Aegypto praeficitur: qui simul cum uxore Claudia et filiis mittitur in Aegyptum. Ei erant duo quidam filii masculi, Avitas et Sergius: filia autem, nomine quidem Eugenia, animo vero generosa, sicut etiam corpore et forma insignis. De cujus vita propositum est dicere viris bonis et virtutis amatoribus. Atque Philippus quidem postquam venit in magnam Alexandri civitatem, illic omnia administrabat, Romanos et patrios sequens mores. Et infestus quidem erat iis qui artem tractabant magicam: infestus autem et Judaeis: illorum quidem multos de medio tollens, Judaeos vero ne sinens quidem nominari; mitius autem agebat cum Christianis, ipsos quidem etiam expellens e civitate: sed ante muros, cum ita jussisset Imperator, eos sinens degere et habitare. Aperte autem ostendebat, se Christianos quidem revereri propter perfectam vitae philosophiam: et ideo eos etiam praeferens cultoribus simulacrorum. Ipse vero cum rursus teneretur a superstitione et falsa religione, quae a patre ei fuerat tradita: amaret autem eruditionem et eloquentiam, Eugeniam quoque suam filiam in disciplinis educavit liberaliter, utrunque docens, nempe Romanam et Graecam orationem, et studens videre eam valde provectam in philosophia. Illa autem cum docili ingenio addidisset etiam exercitationem, celeriter advolavit ad doctrinam, animum quidem adhibens omnibus quae erant utilia: omnia autem, quibus animum adhibebat, mente facile apprehendens: quae vero didicisset, ita tenens memoria, ut viderentur scripta esse in ejus corde tamquam in tabulis aeneis.

§ 2. Cum sic doctrinae esset dedita, nihilosecius erat etiam suapte natura studiosa virtutis: et erat quidem digna, cujus cerneretur species, et digna, cujus audiretur oratio; ad imitandum autem erat omnibus utilis et salutaris: et, quod est omnibus admirabilius, cum nondum excessisset aetatis annum decimumsextum, in morum honestate et studio virtutis superabat eos qui

* Monet Baronius, in *Notis* ad Martyr. Rom. hac die, cui Bollandistae, occasione SS. Proti et Hyacinthi, adstipulantur, quaedam in haec Acta irrepsisse, quae censurâ indigeant; prorsus autem commentitium esse, quod de Philippo Eugeniae patre, postea, ut Metaphrastes ait, Alexandrino Episcopo, ibidem legitur. — De S. Eugenia, ut celeberrima virgine et martyre, mentionem fecerunt Avitus Vienn. Episcopus, in carmine ad Fuscinam sororem *De laude castitatis*; Fortunatus, in carmine *De gaudio et spe vitae aeternae*, et Adelmus in Libro *de laude Virginitatis*.

erant aetatis longe provectioris. Cum autem latère non posset, omnia pervadente fama, hanc quae erat virtute clarissima, in administratione reipublicae clarissimus despondit Aquilinus, qui tunc erat Consul, et alioqui tenebat primum locum apud Romanos nobiles. Postquam vero rogaverunt parentes, nunquid ei cordi esset conjugium et gratus sponsus, hic maxime Eugenia ostendit signum generosi animi. Quidvis enim potius pati sustinens, quam sibi caram expellere virginitatem, et amittere castitatem, parentes arte decipit: et viri quidem genus laudavit, mores autem reprehendit: et oportet, inquit, ut plurimum illos sponsos eligere, qui generi ornamentum afferunt, non qui volunt ornari a genere. Cum autem multi etiam alii eam peterent a parentibus, clari opibus et genere, ne illi quidem omnino in omnibus defuit honesta excusatio. Sed specie quidem repellebat eum, qui nunc volebat ducere uxorem: revera vero omnino recusabat matrimonium, et hoc erat, cujus solum studio tenebatur, nempe ut esset casta. Sic vas, quod erat speciosum et mundum, paratum erat scilicet ad divinum unguentum suscipiendum. Propterea bona opera, bona quoque fides mox est secuta, et pura accedit ad purum fontem pietatis. Rei autem haec fuit occasio.

§ 3. Venit ei in manus Pauli divini praeconis divinus liber epistolarum, et cum ad ea quae dicebantur, intelligenda mentem suam defixisset, et cognovisset vere unum esse Deum, qui fecit hoc universum, mente quidem statim illuminatur, ut quae eam diu ante haberet purgatam, et parata esset ad divinum spiritum suscipiendum. Cum autem in praesentia mente Christo credidisset, in aperto parentum suorum celat furorem. Postquam vero venit decretum Imperatoris, extra muros expellens Christianos, et Praefectus hoc jam aggrediebatur, ipsa desiderans secure frui Christianis et eorum doctrina, fingit quidem, se ut rure recreet, et bona fruatur aëris temperie, excedere e civitate, et ut parum relaxet animum a studiis doctrinae. Postquam autem nihil suspicati parentes, eam facile dimiserunt, egreditur in vicos. Cum venisset autem in quoddam praedium, et in eo incidisset in multos monachos valde honestos, et numerose canentes, audit sacrosanctam illam vocem: Omnes dii gentium daemonia: Dominus autem coelos fecit. Hoc cum illa audiisset, et tamquam ob patrium errorem pudore perfusa esset, miserabilem quidem et profundum e corde emittit gemitum.

§ 4. Conversa vero ad Eunuchos qui eam sequebantur, quorum unus quidem vocabatur Protus, alter autem Hyacinthus: audiverant vero ii quoque philosophiam: « Vos quidem scio, inquit, in disciplinis satis esse versatos, et philosophorum percepisse dogmata, quae Socrates et Aristoteles et Plato, et clara tradit Stoicorum secta, et opinio Epicureorum: similiter autem aliorum quoque Sophistarum et Poëtarum, et quicumque gloriantur se

non esse ignaros eorum quae sunt cognitionis. Sciatis ergo haec omnia apertas esse fabulas, et nihil aliud, quam probabilitatem, quae potest multos decipere. Atque Graecorum quidem, qui se de sua valde jactant doctrina, alii nec omnino esse Deum, alii vero multos esse et majores et minores putaverunt. Hi vero omnes uno verbo excludunt, cum dicunt, Omnes dii gentium daemonia. Est enim impietatis haec perfecta et absoluta deletio. Illud autem, Dominus autem coelos fecit, hoc unum aperte Deum inducit, et communem nostrum Dominum reddit nobis cognitum. His convenientia tradit etiam Apostolus Paulus. Inducunt enim me quoque ejus verba, quae ipsa heri legi et nudiustertius, quae declarant unum esse Deum universorum. Quibus nos quoque credimus, ut quae sint valde clara, et fide digna, et quae fidem faciant ex ipsis operibus.

§ 5. « Vobis ergo, si velitis, promptus est et expeditus modus salutis. Ego autem non me amplius in vos geram, tamquam dominam: sed conserva ero et soror. Communem enim Dominum et patrem habebimus Deum. Ut qui ergo simus unius Pastoris, et tamquam fratres unum spirantes, communi sententia veniemus ad Christianos. Audio enim a quodam Heleno hic factum esse monasterium, et illum quidem propter virtutis magnitudinem ascendisse gradum Episcopatus: quemdam autem Theodorum fuisse ejus loco institutum, et praefectum administrationi monasterii, eumque tam praeclare suo gregi praefuisse, et ad eam divinam gratiam pervenisse, ut et daemoniacis et aegrotis, illis quidem vexantem spiritum, his vero morbum facile expellat: quin etiam caecis oculis desideratum Solem praebeat videndum: et iis qui ei subjecti sunt, monachis ita augeat exercitationem, ut nullam praetereant partem diei ac noctis, quae non consumatur in perpetuis precibus et canticis. Horum monasterium nullis licet foeminis ingredi: neque fas est eum ab ulla adspici muliere. Sed vos mei capitis comam tondete, et hos crines auferte, et virili me veste induite, et noctu ad eos ducite: vobis quidem me prope currum sequentibus, reliquis autem famulis simul praecedentibus et sequentibus: ut quando fuerimus in ipso loco, ejus quod factum est, nullum sensum omnino praebeamus. Decaetero vobis curae sit, ut cum portas ingressi fuerimus, salutem, ut par est, adipiscamur. »

§ 6. Placuerunt Eunuchis quae dicta sunt, et ea studuerunt ad effectum deducere. Porro autem felix quoque signum consequuntur. Nondum enim pervenerant, ut ingrederentur monasterium, et magnus inter episcopos Helenus, venit ex Heliopoli, et cum multitudine virorum, haec veluti signo dato canentium: « Via justorum directa est: via sanctorum parata est. » Hoc et iis qui erant circa Eugeniam, auxit fidem, et effecit ut illa mirandum in modum laetaretur. Tamquam certe nacta occasionem, eos

qui circa se erant magis accendit ad pietatem: et multa alia dicens quae ad tempus pertinebant, locoque conveniebant: et quod non forte fortuna, sed divina quadam providentia haec audivisset, et ea quae prius canebantur divini Davidis: sed illa quidem esse quae eam inducant ad pietatem: quae autem nunc canuntur, quae adhortentur ad viam virtutis. Haec cum dixisset, et iis qui psallebant, se et suos admiscuisset, cum illis viam perfecit: quo quidem tempore et multa alia admirabilia audivit turbas de Heleno narrantes, ut ostenderent quantus esset in miraculis, et quam cum is saepe opus habuisset igne, visus sit ardentes carbones ferre in vestibus, illis nihil ex igne laesis: praeterea autem et quaecumque alia assidue faciebat miracula: cujusmodi est hoc quoque dignum quod narretur et mandetur memoriae.

§ 7. Ajunt quemdam magum, qui vocabatur Zareas, cum maleficae artis summum attigisset fastigium, in illis locis esse versatum ad multorum exitium, magna et varia fraude utentem: quem inter caetera dicunt ausum esse aliquid ejusmodi Deo maxime invisum, nempe, famam sparsisse inter eos qui illic habitabant, quod ipse quidem esset a Christo missus benefactor hominum et doctor bonus, mendax autem Helenus, auctoritatem docendi sibi falso tribuens. Existimabat enim quod si pastorem adversus gregem ad bellum concitaret, eos deinceps, tamquam oves quae non sunt custoditae, aggrediens, non contemnendam praedam praeberet patri suo diabolo. Haec ille dicens, fidem faciebat sua improbitate. Scitis enim quam sit malitia efficax, et quam facile multos attrahat, adeo ut ad Helenum turba accedens, ei dixerit, ut vel ipsum doctrinae assumeret socium, aut certe inter se disputarent: ut ipsi ei qui vinceret, accederent. Lubens itaque Helenus adit periculum cum eo disputandi. Confidebat enim in Christo. Zaream autem assumere socium, hominem qui gloriabatur daemonum praestigiis, hoc existimabat vel solo esse auditu abominandum. Postquam ergo dies affuit praefinitus, accessit ad disputationem. Et primum quidem eum acriter est adortus, et crebris magum invasit argumentis. Postquam autem vidit eum uti arrogantia et insolentia tamquam armis, et contendere sibi parare victoriam, non ex veritate, sed ex impudentia, permisit facto judicium: et jubet magnum ignem accendi in media civitate: ambos autem flammam ingredi: et qui eorum maneret illaesus et igne fortior, eum esse aperte, qui a Christo est missus, et dignum esse, qui doceat illius clerum.

§ 8. Postquam vero verba ad rem sunt deducta, et flamma jam fuit in altum sublata, metus quidem statim invasit Zaream, et jubebat primum ingredi Helenum, hoc apud se, ut videtur, cogitans, quod vel non audens, dedecore Helenus afficietur: aut si ausus fuerit, emittet animam: et sic facile fuerit ei vincere, cum fortem amiserit adversarium: et sic omnes poterit ad se trahere.

Postquam autem vir ille divinus professus est se primum subiturum periculum; et cum precatus esset, rogum est ingressus: illum vero non latuit quisnam esset, et nec illius quidem pilum ausus est tangere: tunc ajunt magum illum metu et terrore repletum, recessisse quidem, et aperte ostendisse se vitare periculum, aut Plutonis paleam subeuntem latuisse; a multitudine autem protrusum, fornacem vel invitum intrasse, quae eum aeque facile jam comprehendebat et depascebat, atque quamvis aliam aptam ad urendum materiam; et nisi magnus Helenus miseri calamitatis misertus, eum, cum jam esset semiustus, servasset, ipsa magia et callidis suis inventis omnino periisset, sic pulcre igne fraudem puniente cum veritate. Haec illis dicentibus, beata illa prae gaudio varie afficiebatur, laetabatur, admirabatur eos qui narrabant, rogabat ut per ipsos adduceretur, et Episcopo commendaretur ipsa et fratres quos adducit; et sic in hoc monasterio communiter viverent. Ita obnixe rogans, persuadet cuidam ex iis qui aderant, qui vocabatur Eutropius, ut haec omnia ei fierent, et preces deferret ad Episcopum. « Quando, inquit, divertit et paululum requievit, ille opportune et in otio praebet ei, qui dicit, audientiam. »

§ 9. Interim autem dum haec inter se loquebantur, appropinquarunt monasterio, et ipsi intrarunt cum Episcopo. Una vero cum eis ingressa est Eugenia, adolescenti plane similis et coma et vestitu. Cum jam autem incitatus fuisset Eutropius ad significandum de ea Episcopo, quoddam somnium se obtulit Heleno, qui post divinam mysterii celebrationem ad somnum declinaverat. Erat vero hujusmodi somnium: Sculptum quoddam mulieris simulacrum videbatur a viris ferri honorifice, et id ab eis tamquam Deum reputari: illum autem aegre ferentem, quod homines deciperentur, dixisse ei deae quae erat apud ipsos: « Itane, cum sis a Deo creata et nobis conserva, sustines ab ipsis adorari, et Deo parem reputari? » Illa vero cum hoc audiisset, protinus cum adhuc portaretur, a viris quidem recessit: eum autem est secuta, tales voces emittens: « At ego a te minime recedam, donec me adduxeris ad Creatorem. » Haec Helenus quidem vidit in somnis. Excitatus autem, apud se dubitabat, quonam rediturum esset, quod a se visum fuerat. Statim vero advenit Eutropius, qui tamquam de viro loquens de Eugenia: « Viri, ait Episcopo, tres, fratres animis, fratres corporibus, abjuratis modo rebus gentilium, in tuo grege versantur, ad Christum accedentes, et divinum baptismum rogantes assequi: et deinde tonderi, et referri in numerum horum monachorum. Cum sint autem juvenes, et a se invicem pendeant admirabiliter, hoc petunt praeter caetera, ut se invicem nulla in re disjungantur, non in opere, non in habitatione, neque in aliqua alia conversatione: sed dividi non possint, qui sic sunt conjuncti in Christi nomine. Haec mihi dixerunt, lacrymis vultum

eorum rigantibus, et, ut omnia tibi declararem, vehementer rogarunt. »

§ 10. Cum ex his conjecisset somnium beatus Helenus, et ut oportebat, pro omnibus Deo egisset gratias, jubet eos tres simul ei sisti in conspectum. Postquam autem accessissent, statim dextra apprehendens Eugeniam, et eam alloquens hilarius, placido et laeto vultu rogavit eorum nomina, genus et patriam. Illa vero verecunde, et cum eo, qui virginem maxime decet, rubore: « Nobis quidem, inquit, o divinum caput, patria et genus est gloriosa Roma; fratres autem sumus invicem. Nomen vero primo quidem est Protus: secundo autem, Hyacinthus *: mihi vero, Eugenius. » Jucunde autem eam intuens beatus Helenus: « Merito te Eugenium, inquit, vocas, o Eugenia, ut nomen tuo respondeat spiritui, cum virilem habeas animam, et valde te masculam ostendas in omnibus: sed proposito adhuc vincas naturam, et in Christo confirmeris et invalescas: propter quem nunc, cum sis mulier, te virum esse simulas, propter ejus amorem mutato et habitu, et nomine. Haec autem dico, non tibi sexum exprobrans foemininum, nec te volens traducere, sed ut scias, quantae sis Deo curae, et quemadmodum mihi haec omnia, de te nihil celans, ostenderit, quisnam sis, et quemadmodum veneris: et quinam sint ii qui sunt tecum, et quaenam tibi in hac vita gloria obtigerit et genus. Stude ergo, o Eugenia, non minus te animo generosam ostendere, quam corpore. Nam hoc quoque non minus, quam alia, mihi Deus significavit, quod te ei purum praepararis receptaculum, virginitatem quidem conservans immaculatam: cor vero, in quod non cadit reprehensio: et hujus mundi quidem gloriam reputans ignominiam, divitias autem paupertatem: voluptates vero molestias, et nihil magni ac praeclari habere eam, quae est apud homines, nobilitatem: illam vero solam amans, a qua excidimus propter primum, et haeredes facti sumus per secundum Adam. » Et haec quidem Eugeniae Helenus.

§ 11. Proto autem et Hyacintho: « Vos vero, inquit (neque enim placuit Christo, ut vos lateretis), qui fortuna quidem servi, mente autem estis liberi, et nulli domino subjectam conservatis animae dignitatem, virtutem extollentes, et magni facientes, quibus Christus quoque dicit: *Non vos voco amplius servos, sed amicos* (*Jo.* XV), beati propter libertatem, vel potius propter amicitiam et cum Christo conjunctionem, quod cum illius jugum subire elegeritis in uno inter vos consensu et conspiratione, hujus beatae coepto nullum attulisti impedimentum: sed nunc quoque cum ea estis prompto et alacri animo, et cum illa e vita excedente etiam illic simul eritis, et easdem quas illa coronas et praemia consequemini. » Haec cum nullo alio praesente dixisset Episcopus, Eugeniam quidem permittit manere in habitu virili, cum hoc nulli

* SS. Protus et Hyacinthus die 11 septembris commemorantur.

esset cognitum, neque primum, neque postquam eam allocutus est Episcopus. Quae quidem simul cum Eunuchis, non prius eum dimisit, quam illius manibus divinum consecuti baptismum, et mutarunt habitum, et cooptati sunt in numerum monachorum. Quae autem deinceps sunt consecuta, et quemadmodum deinceps parentes propter eam sunt affecti, et quaenam de ipsa quidem cogitarunt, et quantum dolorem acceperunt, cum spe frustrati essent (nam haec quoque, sat scio, scire sititis), nequaquam par est praetermittere.

§ 12. Postquam enim intempesta nocte, nemine quod factum fuerat sentiente, Eugenia quidem sine strepitu descendit de curru, Hyacinthus autem et Protus ab aliis similiter sunt separati: inane vero vehiculum secutum est eos, qui praecedebant, qui praeibant famuli partim quidem propter tempus, partim autem quod celatum sit id quod gerebatur, nihil eorum, quae pone fiebant, sentientes, quoniam eos sequebatur animal, et maxime Deo huic rei providentia sua opem ferente, ita recta iverunt Alexandriam. Postquam autem jam fuerunt prope civitatem, qui resciverunt quidem, e domo exierunt, cum maximo gaudio suscepturi Eugeniam, anteambulonum videntes multitudinem, et alium deinceps conventum puerorum. Cum vero jam prope essent, et alacri animo ad vehiculum accurrissent, et cathedram quidem vidissent vacuam, nusquam autem Eugeniam, re inopinata et quam nunquam sperassent, obstupefacti, ad lacrymas et luctum de caetero sunt conversi, et communiter commune bonum deflebant. « Quid factum est? Quid actum est? Quodnam malum inexpugnabile nobis accidit? » dicentes. Deinde nomine vocabant Eugeniam, vultum ferientes manibus, plangentes, et plane temulenti dolore. Sed haec quidem foris faciebant amici et noti, et quibus nulla cum ea intercedebat conjunctio sanguinis. Eorum autem, qui intus erant, quis satis tragice descripserit calamitatem? Parentes enim propemodum venerunt ad laqueum, et propemodum se ense confixerunt, quid non loquentes miserabile? quid non facientes dignum lacrymis? Genas lacerabant, pulverem capiti infundebant, se humi turpiter prosternebant, acerbe exclamabant, parentes filiam, fratres germanam, servi dominam: nullus invulneratus, nullus liber ab animi perturbatione: tam vehemens invaserat domum absque igne incendium.

§ 13. Sed postquam inutiles viderunt esse lacrymas, conversi sunt ad quaerendam carissimam. Interrogabant mercatores, percontabantur agricolas, praediorum habitatores, et viarum custodes: sciscitabantur vates ventriloquos, et omnia daemonum oracula, et ea placabant et colebant sacrificiis. Cum autem non inveniretur ea quae quaerebatur, parentibus unum excogitant, qui ejus, quod est grave, videbantur quaerere solatium. Fingunt quamdam fabulam, nihil dissimilem iis quae canuntur apud Graecos: quod, cum

dii capti essent amore Eugeniae, eam in coelum rapuerunt. Quod quidem patri, ut cujus aures talibus assuevissent, gratum erat et acceptum, et filiam insignibus afficiebat honoribus. Quamobrem auream ei erexit statuam, et tamquam novae deae coepit sacrificare. Mater autem et fratres Abitas et Sergius non ita se habebant: sed iis quae dicebantur, dubitantes credere, valde lugebant. Atque Eugeniae quidem fuga, et quemadmodum non solum parentes, sed eos etiam qui ei bene volebant, affecerit, ita habet.

§ **14**. Eugenia autem in divinis Scripturis versabatur et meditabatur assidue, et parandae virtutis magnam curam gerebat. Quo factum est, ut cum non plusquam duos annos transegisset in monasterio, omnes vinceret: mulier, inquam, viros. Quare res communis est virtus, et sexus nullum affert impedimentum ei qui se recte velit gerere. Eugenia ergo primas partes gerebat in virtute: ejus autem maxime erat propria modestia et moderatio, et quod cum prima esset in rebus honestis, nihilosecius esset etiam prima in eo, quod essent ejus moderati spiritus. Eugeniae haec quoque erant signa quibus cognoscebatur, quod cum prima omnium veniret ad synaxes, rursus ultima omnium recederet: praeterea vero misereretur etiam cujuslibet, qui aliqua afficiebatur molestia: vere autem et sincere gauderet cum iis, quibus erant res secundae, quod quidem est factu difficilius propter malignitatem quae oritur ex invidia: quod haberet sermonem, ad cujusvis irascentis cor sedandum, longe efficacissimum; adeo ut qui non secus ac ferae efferebatur, ejus ovi similem redderet mansuetudinem. Postremum hoc erat, et primum, et omnium revera capacissimum, non ficta in omnes charitas, et quae non amorem ad labra usque sistebat, sed etiam a media anima emanabat.

§ **15**. Non multum intercessit temporis, et ad eam accessit gratia curationum cum maxima copia. Et ideo ad quoscumque accedebat morbi visendi gratia, non solum eos verbis consolabatur, sed etiam liberabat a morbo qui eos cruciabat. Eam autem imitantur pro viribus Protus et Hyacinthus, de quibus antea diximus. Cum sic viveret Eugenia, Praefectus monasterii tertio post anno excedit e vivis: ipsam vero vocabat ad Praefecturam fratrum commune suffragium. Eam enim pro viro habebant, et virtutem quidem videbant quae inerat: ignorabant autem id quod apud eam latebat. Illam itaque metus invadit et dubitatio. Neque enim aequum censebat, ut quae esset foemina, viris praeesset: et communiter vocantem despicere fraternitatem, judicabat esse pervicacis et obstinati animi. Visum est ergo ex Evangelio discere, quid agendum, Deo permittente id quod erat incertum et obscurum. Postquam autem fuit explicatum, admirabiliter haec vox Domini resonabat: *Si quis vult inter vos esse primus, sit omnium ultimus, et omnium minister* (*Matth.* xx). Hoc dicto, Praefecturam quidem subit vel invita: se autem sic etiam dat totam ad ministrandum, quid non

faciens indignum, et quae etiam, qui sunt viles et abjecti, facere dedignantur? aquam e puteo effodiens, domum verrens, manibus ligna frangens, et alia omnia, quae sunt minima, diligenter faciens adeo ut etiam esse janitorem lubenter sustineret, propterea quod praecepto parèret lubentissime.

§ 16. Cum sic ergo insigniter exercuisset moderationem, et in Praefectura rursus resplenduisset, insistebat etiam in via quae ducit ad Deum: ad anteriora quidem, ut divinus dicit Paulus, se extendens, eorum autem, quae retro erant, obliviscens propter promptam et alacrem operationem. Atque quam multa quidem fecerit miracula, narrare est alterius temporis et operis, quod proprium postulat otium: maxime cum propter satietatem oratio vitet prolixitatem. Quod vero et dictu est facile, et cui consequens est finis martyrii, et habet seriem consequentem iis, quae deinceps sequuntur, hoc jam dicetur. Erat Alexandriae quaedam mulier, nomine Melanthia, quae facultates quidem habebat multorum talentorum, Dei autem timoris et virtutis erat inops. Ea cum aliquando a diuturno et gravi morbo arrepta esset (erat enim horror, quarto quoque die accedens), ubi fama ad eam pervasit, esse virum quemdam nomine quidem Eugenium, vita autem omnibus admirandum, qui facile solvit morbos difficiles, statim omnibus aliis omissis, maxima celeritate venit ad monasterium, et vehementer rogat ut liberetur a plaga quae eam premit. Misericordia itaque movetur Eugenia, et cum eam sancto oleo sanctis unxisset manibus, protinus efficit ut evomat materiam morbi efficientem. Sicque Melanthia pure consecuta sanitatem, valens quidem revertitur: venit autem ad quemdam ex suis agris, qui etiam erat prope monasterium, et non multo post tempore, cum ex pulcro et puro argento tria vasa confecisset, ea mittit ad Eugeniam, monasterii aedi oratoriae ea dona dedicans pro gratiarum actione. Cum autem munus oblatum non admitteret (dicebat enim non esse monachis utilem, neque convenientem argenti possessionem, sed eam esse vendendam, et pauperibus distribuendam, aut iis qui alioqui opprimuntur pondere debitorum), ipsa cum venisset ad Eugeniam, et quid non dixisset, aut fecisset ad persuadendum? persuadet ut accipiat argentum, et reponat in templo dedicatum.

§ 17. Fuit autem pietas occasio impietatis, et verum est id, quod olim dictum est, non esse ullam rem alteri tam propinquam, quam virtutem vitio: et saepe aliquis juxta eam vadens, imprudens ingreditur in contrarium. Quod etiam accidit Melanthiae. Virtutis enim fortasse mediocrem curam gerens, imprudens, quoniam mentem non adhibuit, ad summam deducta fuit improbitatem. Jam enim effecta familiaris, cum ad eam iret assidue, et virum videret specie juvenem, et facie formosum, eam subit amor nequaquam quidem illiberalis: et paulatim demulcebatur ejus et deliniebatur animus: deinde etiam valde accendebatur, ut quae

existimaret Eugeniam ne posse quidem semper esse castam: sed neque morbi propulsationem divinae fuisse gratiae, sed artis potius magicae, et inimici potentiae. Haec quae cor ejus occupaverant, et vehemens flamma amoris, et gravis incredulitas, persuadent, ut audax facinus aggrediatur, et res tenebrarum libere eloquatur. Res enim gravis est amor, et impudentissima. Neque res est ulla adeo aditu difficilis, ad quam se non posse pervenire et eam consequi existimet.

§ **18**. Cum itaque degeret in agris, ut dictum est, vicinis monasterio, et perturbatione animi valde laboraret, simulat se corpore esse aegrotam, et incredibili celeritate accersit Eugeniam, non fictum hunc morbum curaturam, sed veri et occulti miserabiliter futuram participem. Postquam autem ea, quam desiderabat, facies, fuit intra fores, Melanthia non ferens animi motum intus aestuantem, statim tamquam ex malo thesauro malos promit sermones. Et primum quidem ad nefarium incitabat coitum: « Quod si nolis, inquit, at ego te lege matrimonii palam accipiam in maritum, erisque dominus multi auri, argenti, pretiosae vestis, agrorum, jumentorum, mancipiorum: pro quibus me quoque habebis ancillam pro libera, et tibi in honore aequalis et his omnibus ipse frueris. Non est enim mihi maritus, nec filii nec cognati. Quorsum enim tam pulcher flos corporis, et venustissima species, se exercitatione perpetua tabefacit et laboribus? » Haec cum acri et continenti spiritu persequeretur Melanthia, beata suspirabat quidem ad unumquodque eorum quae dicebantur, et animi perturbatione plenam valde abhorrebat orationem. Tandem autem ad multas ejus nugas caligans, cera, ut dicitur, aures obstruens, et nec amplius quidem audire sustinens: « Cohibe linguam, o mulier, exclamavit, cohibe, et sint haec procul a nobis. Expuis enim in nos ipsum virus draconis veteris. Non prodemus castitatem, non corrumpemus virginitatem: non, o Dei mater et virgo, in quam ego confido, non fallam mea pacta conventa. Unum est nobis matrimonium, Christi desiderium: unicae sunt divitiae, bona quae sunt in coelis: unica possessio, cognitio veritatis. »

§ **19**. Haec cum inhonesta audiisset Melanthia, irâ, quae dici non potest, incensa (est enim gravis amor, et qui non potest omnino cohiberi), profecta est Alexandriam, valde gravia parturiens adversus Eugeniam. Deinde cum etiam difficilem in eam struxisset calumniam, venit ad Praefectum Philippum, nihil sciens ex iis quae ei evenerant: neque quod is esset pater Eugeniae, neque quod illa mutasset habitum muliebrem in virilem. Ad eum ergo accedens, ab intemperantia transit ad calumniam, et eam incipit accusare admodum maligne et improbe, dicens: « Quidam adolescens, facie quidem formosus, sed moribus valde sceleratus, Christianorum simulans pietatem, ad me est ingressus, et cum me

aliquam putasset esse impudicam et inhonestam, primum quidem verbis fallacibus, deinde etiam manibus ad vim usus est vir audacissimus: et nisi altius exclamassem, et, ut accurreret ancilla, effecissem, ego tamquam captiva aliqua polluta essem. » Ita impudens mulier illi purae audebat suum adscribere flagitium. Haec sic dicta, ad furorem valde concitarunt Praefectum, et vinctos ad se jussit adduci, non solam Eugeniam, sed etiam omnes simul qui cum ea erant. Atque eos quidem, ut jussum fuerat, adductos, alium alibi diversae tenebant custodiae. Existimabat enim Praefectus nunquam talia conficturam fuisse Melanthiam, mulierem adeo nobilem, opibusque et gloria insignem: nesciens divitiarum et claritatis esse vehementiorem animi perturbationem, et quae potest persuadere, illa quidem parva reputare: propter id autem, quod ei videtur in praesentia, gratum eligere mendacium. Omnes itaque judices, absentes sanctos propemodum condemnabant, et ex iis, alii quidem aequum censebant eos subjici dentibus ferarum; alii vero in ligno suspendi; alii autem acerbioribus generibus suppliciorum, una cum calumnia punientes pietatem.

§ **20**. Postquam autem adfuit domina, congregata quidem erat magna multitudo ex omnibus, quae circumcirca erant, urbibus: aderat vero etiam Praefectus, et in medium producebatur Eugenia, quae gravibus tenebatur catenis: theatri autem clamores undique erumpebant, et morte esse afficiendam Eugeniam communiter pronunciabant. Paratae erant bestiae, parata tormenta, rotae, ignes, et alia genera suppliciorum, et per omnia acerbi tortores, et ex aequo ad supplicia inferenda saevissimi et acerrimi. In suum itaque conspectum duci Eugeniam jussit Judex. Quae cum adstitisset: « Hoc, inquit, vobis, o omnium hominem maxime impie, jubet vester Christus, ut nec clam quidem faciatis ea quae sunt turpissima: sed tam impudenter et violenter aggrediamini ea quae sunt nefaria? Quis enim tuus erat animus, quando tamquam medicus ingrediens, et ut qui non solum esses medicus, sed qui etiam per te posses facere miracula, ea faciebas quae corruptores et adulteri: et mulierem tam nobili loco natam, tam divitem, et tam honestis et moderatis moribus, tamquam scenicam quampiam, aut ex hostium regione captam, probro et dedecore afficere voluisti? Audacis itaque tu coepti meritas lues poenas, et malus male peribis. »

§ **21**. Cum tam iracunde minatus esset ei Praefectus, Eugenia vultu in terram inclinato, ne in praesentia ejus vultus patri evaderet manifestus: « Meus, inquit, Deus non ea solum, de quibus nunc a vobis accusor, prohibet; sed ea etiam lege sancit, quae sunt his multo excelsiora: qui me etiam nunc volens perpetuo esse castam, providit ut viverem cum his qui in pietate se exercent, monachis, quomodo in hodiernum usque diem me conservavit,

ut et ipsi est perspicuum, et vobis erit paulopost. Quod autem mihi et tormenta et mortem minitaris, imprudens incussisti mihi timorem, qui non opus habet oratione. Erubescerem enim, si horum metu quaererem me defendere, et non quod timeam, ne res Christianorum apud vos male audiant et irrideantur. Verumenimvero oportebat vos non tam faciles aures praebere accusatoribus, neque cum primum audiissetis, tam cito condemnare, sed ambobus prius auditis, deinde ferre sententiam; et si manifestum quidem extiterit me talia fecisse, justum luam supplicium: sin autem haec sunt falsa et aperta calumnia, unam pro omnibus peto gratiam, ut haec mulier nihil grave patiatur, nec si de nobis quidem his pejora dixerit. Sic enim nostra lex jubet, et nos obtemperamus, ut nunquam mala pro malis, sed contra bona potius reddamus. Hujus rei solum mihi dato fides fiat jusjurando, neque opus habebimus ullis orationibus, neque contradictionibus: sed res ipsa aperte ostendet, et facillime te judicabunt oculi. »

§ 22. Cum sic dixisset, seorsum dixit Melanthiae (nam illa quoque praesens aderat): « Etiamsi fieri possit, ut omnes lateat: at tuam non latebit omnino conscientiam. Ne ergo teipsam videaris ignorare, et divinos despicias oculos, qui omnia vident, et juste puniunt calumniam. » Cum vero nihil cederet Melanthia, neque de impudentia aliquid remitteret, jubet statim produci ancillam, quam dicebat Melanthia fuisse testem violentiae. Jussit autem vocari, non ut quae vera esset testificatura (quomodo enim ancilla restitisset dominae?), sed ut abundantius falsum convinceretur: et cerneretur Melanthia non sola, sed cum aliis instituisse calumniari. Cum producta esset ergo ancilla, et volens dominae gratificari, non imperite mendacium mendacio contexeret: « Me, dicens, sceleratus iste saepe tentavit. Deinde consueta intemperantia ei persuasit, ut in ipsam quoque fureret dominam: cui nolenti vim afferebat, donec illa quidem exclamavit: ego autem cum accessissem, et alias evocassem conservas, a turpi conatu vix eum prohibuimus. Quas si velitis accersere, scietis quam pulcre iis, quae a me dicuntur, concinant. » Tunc Praefectus quidem acerbissime conturbatus, probris appetebat Eugeniam: et jam aperte ostendebat se esse proruputurum ad tormenta, utpote quod nihil restaret ad eam convincendam. Illa vero (sed est attendendum, est enim auditu jucunda narratio), « Tempus est, dicens, libere dicendi veritatem: ne de ipsa dictum mendacium nimium jactaretur, et Christiani male audirent apud Gentiles, quid facit? » Cogitur propter nimiam accusatricis impudentiam, etiam aliquid facere praeter honestum et decorum: et superne acceptam disrumpit tunicam, et cum quasdam partes vere sacri nudasset corporis, ostendit omnibus se esse sexu et re vera foeminam: et dicit Praefecto: « Domine mi, tu quidem es meus secundum

carnem pater Philippus, Claudia autem mihi mater: et fratres hi, qui tecum sedent, Abitas et Sergius. Ego vero sum tua filia Eugenia: quae cum universum mundum, et quae sunt in mundo, facile exuissem, pro omnibus solum indui Christum. Ecce etiam quos vides Eunuchos, ii sunt Protus et Hyacinthus, qui mihi et doctrinae et vitae, quae est ex Christo, fuere socii. »

§ 23. Nondum orationi finem imposuerat, et pater et similiter etiam fratres, cum partim, quidem ex iis quae dicebat: partim autem, atque adeo multo magis ex signis quae erant in vultu, deprehendissent veritatem (agnoverant enim in eam conjectis curiosius oculis, hanc ipsam esse Eugeniam), eis cor quidem voluptate ineffabili, prae voluptate autem manantibus lacrymis replentur oculi. Deinde cum eam sustulissent insolium Praesidis, propemodum in ipsam ipsas effundebant animas, et ei suum amorem dispertiebant, hinc pater, illinc fratres: et alia ex parte mater (aderat enim ipsa quoque, cum id didicisset); et partim amplexibus, partim verbis amantibus inter se contendebant, quaenam membra quidem non amplectentes? Quid autem non patientes, aut non agentes ex laetitia ineffabili? aut quid eorum, quae voluptatem animi significant, caventes facere propter multitudinem? Magistratus enim majestatem, et totam illam, quae ex dignitatis splendore oritur, gravitatem superabat natura, et aperte repellebat. Clamabant itaque tamquam divino furore afflati, Ipsa est filia, ipsa est soror: oculorum voluptas, imago animae: quam existimavimus fuisse a diis raptam: quam nos non videntes, ne videre quidem lucem omnino sustinuimus. Haec populus quoque scilicet audiens et videns: « Unus Deus est verus Christus, » clamabant. Quicumque autem ex Christianis paulo diligentioribus exspectabant, ut post mortem, martyrum corpora tollerent, et convenientem eis pararent sepulturam, ii cum audiissent tam repentinam Praefecti et populi mutationem, cum turbis prosiliunt: *Quis est magnus, sicut Deus noster* (*Psal.* 76)? alta voce clamantes; *Qui revelat profunda et occulta, et in astutia ipsorum apprehendit sapientes* (*Job* v). Pater autem cum invitam Eugeniam aurea veste induisset (volebat enim omnes esse suae participes laetitiae), in alta eam sede collocavit, et fecit, ut videretur ab omnibus.

§ 24. Dum haec autem gerebantur, ipse quoque, qui est in coelo Deus, aut ut potius dicam cum divino Job, Qui erat in coelis testis Eugeniae, Qui erat in coelis ejus conscius: repentinum ignem desuper jaculatus, Melanthiae domum consumpsit omnino. Illam enim aeterno reservavit. Hoc autem factum effecit, ut multi converterentur ad veritatem. Protinus ergo a Christianis celebrabatur festum commune, et longa mutata est tristitia, cum Praefectus quidem simul cum filia invenisset pietatem, et ad Christum accessisset, et sancto fuisset obsignatus baptismate: Christianis vero protinus sacrae redditae essent ecclesiae, et ii, quos prius

habebant, honores et privilegia. Non solum autem haec fuerant consecuti, sed etiam eis licebat tuto habitare civitates, hoc enim eis procuravit Philippus, cum retulisset ad Imperatores Severum et Pium Antoninum, esse inutile imperio Romanorum expelli Christianos, ut qui non in paucis sint communi utiles. Eisque convenientibus, rursus videre licebat Alexandriam veluti denuo conditam. Similis quies, et similis successus erat etiam in iis, quae sunt in Aegypto, urbibus: et florebant iterum res Christianorum, claraeque et excelsae fiebant.

§ **25**. Sed quoniam cum virtus adeo recte se haberet, accidit ut contra irreperet vitium, et qui est ejus auctor, graviter sauciaretur, res praesentes non patitur, qui est bonis adversarius: sed tacite se insinuans quibusdam Alexandrinis, qui erant divitiis quidem et generis splendore insignes, simulacrorum autem cultus furori erant impense dediti, persuadet eis, ut eant in regiam: et accedentes ad Imperatores, dicunt, toto quidem praecedenti tempore se in magistratu pulcre gessisse Philippum, et valde pie affectum fuisse in deos. « Nunc autem, inquiunt, nescimus quo motu, jam decem annis abhinc, et se et totam nostram civitatem in animo habuit evertere, honore maximorum deorum traducto ad cultum unius hominis, quem dicunt in Palaestina fuisse crucifixum a Judaeis. Ita mores quidem solvit patrios: honoravit vero novas leges: impios autem nobis praetulit: et ut semel dicamus, nihil omnino omisit eorum, quae pertinent ad nos et deos evertendos. » Haec cum audiissent Imperatores, haec scribunt ad Philippum: « Qui nos quidem praecessit divinissimus Augustus, cum te sciret esse cultorem deorum, et honoris eorum esse studiosissimum, ipse quoque tibi maximum praebuit imperium: et tamquam Regem potius, quam Praefectum, elegit Praesidem Aegypti: nec te, quandiu vixit, ab hoc jussit removeri magistratu, sed cum vitae tempore tibi esse demensum. Nos autem tibi et hunc honorem conservavimus, et non paucos alios adjecimus. Sed haec, quandiu fuisti diis amicus. Quoniam vero nunc de te jactatum est in vulgus, quod et in religione deorum sis mutatus, nec nobis bene velis, jubemus, ut aut insistendo prioribus in honore permaneas: aut si deorum cultum repudiaveris, cesses etiam gerere magistratum: quin etiam facultatum subeas ablationem. »

§ **26**. Haec cum accepisset et legisset Philippus, morbum simulavit, donec venditis facultatibus, eas dupliciter diviserit: et partem quidem ecclesiis, partem autem pauperibus distribuerit, qui erant per totam Alexandriam et ipsam Aegyptum. Erat vero Philippus non solum lingua in dicendo facundus, adeo ut multi gentiles ejus persuasione pietatem didicerint: sed etiam vita maxime pius et philosophus, adeo ut universa Alexandria communi suffragio eum vocarit ad Episcopatum. Quod autem in fide quoque fuerit acerrimus et constantissimus, ex fine ostendetur.

E vita enim excedit, capite redimito corona martyrii. Magistratus itaque successor ei mittitur Terentius. Qui cum primum venisset Alexandriam, omnem movebat rudentem, moliens Philippum tollere de medio. Sed quoniam non poterat eum aperte interficere (erat enim civitatis magnus amor in Philippum), clanculum admittit parricidium: et cum quibusdam fictis Christianis rem mandasset exequendam, ad caedem est impulsus, cum hoc ei jussissent Imperatores. Ii autem cum clam ingressi essent ad Philippum, intentum precibus et orationi ad Deum, eum tollunt de medio *. Timore vero affectus Terentius, ne populus factum aegre ferens. adversus ipsum moveretur, maxime cum esset tantus ejus amor in Philippum, jubet comprehendi eos, qui ipsum occiderant, et conjici in carcerem, re ficta studens rei celare veritatem: et seminans suspicionem, quod non processisset caedes ex ejus sententia. Deinde cum non multum praeteriisset temporis, Imperatoribus scilicet ita decernentibus, eos solvit a vinculis. Sic decessit Philippus, cum tres dies vixisset post plagam acceptam. Intra civitatem vero sepelitur in loco, qui dicitur Isium, ubi ipse, cum adhuc viveret, aedem sacram aedificavit.

§ 27. Eugenia autem post agnitionem, cum aliis virginibus elegit castitatem, et vitam secundum Christum. Beata vero Claudia, quam Philippi quidem uxorem, Eugeniae autem matrem antea ostendimus, aliam quoque domum aedificavit ad excipiendos hospites, praeter eam, quae jam facta fuerat a marito, magnam vim pecuniae in ea consecrans ad ea suppeditanda quae erant necessaria iis qui accipiebantur hospitio. Sed haec quidem sic, et hucusque Eugenia vitam suam sic administravit. Vult autem oratio ejus quoque praeclariorem vitae exitum ostendere, ut qui insignis fuerit corona martyrii. Aliquanto enim tempore post mortem Philippi, conjux ejus Claudia cum assumpsisset filios, Abitam, inquam, et Sergium, et praeterea Eugeniam, in magnam Romam revertitur. Patria autem eam benigne excipit, et Senatus Romanorum ejus filios eligit ad insignes magistratus: Abitam quidem proconsulem Carthaginis, Sergium autem Africae vicarium; Eugeniae vero sufficiebat haec sola dignitas omnium maxima, nempe virtus, et Deo parentem vivere, et habere alias ex filiabus Senatorum, quarum erat idem zelus et idem institutum. Inter quas erat una reliquis longe praestantior, re vera admirabilis Basilla, quae ducebat originem ex genere Imperatoris: quae etiam resplenduit similiter atque Eugenia, sicut statim dicetur. Ipsa enim cum Christum, et quae sunt ejus admirabilia, auditione accepisset, quin etiam audiisset de Eugenia, maximi quidem faciebat ad eam ventitare, et esse divinorum ejus verborum particeps.

* S. Philippi natale die 13 septembris celebratur.

§ 28. Cum ab eo autem arceretur, et propter sponsum (desponsa enim fuerat Pompejo) et propter persecutionem (jam enim magna persecutio accendebatur Christianis), invenit quemdam virum fidelem latorem suorum verborum, et per eum non cessat mittere, multum rogans Eugeniam, ut de divina fide omnia ei litteris significet. Illa autem cum pulcre sciret, quantum intersit inter scripturam et vocem, et quod non similiter quis persuaserit aut docuerit scribens, atque de tantis rebus disserens, quoniam multum interest inter verba animata, et inanimam mortuamque institutionem, prudens simul consilium capit et juvenile. Nam cum Proto et Hyacintho persuasisset, ut servilem habitum induerent, per eos munus mittit Basillae: studens, ut ii ei essent omnia pro epistola, vel illi ipsi potius epistola animata. Cum hos ergo admodum lubenter excepisset Basilla, adorabat tamquam aliquos Christi Apostolos. Cum de ea autem rescivisset Cornelius, magna stella inter Episcopos, noctu venit ad eam propter persecutionem, et eam divino dignatur baptismate. Sic ergo Basilla et Eugenia, ineffabili quodam vinculo colligatae propter Christum amicitiae, fuerunt biga quaedam conjuncta Domino, ipsis animis a se invicem pendentes, et intelligenter conversantes: quin etiam multas alias ad idem jugum trahentes. O quam multas quidem illae virgines: quot autem viros Protus et Hyacinthus communi Domino obtulerunt?

§ 29. Sed cum sic mirandum in modum cresceret fides Christianorum, maligni invidia magis excitabatur adversus pios. Nam cum Valerianus et Galienus Romanorum tenerent imperium, ipse multos Romanos tacite subiens, mala semina injecit eorum mentibus: gravisque accensa est seditio adversus Christianos. Seditionis autem materia fuit Cornelius, et qui cum eo erant, quod cum tota manu et mente res Christianorum dilatare instituissent, non solum Romam ipsam fere totam, sed etiam urbes et regiones, quae erant circumcirca, a cultu deorum abduxerant, et qui ab ipsis nominabatur Christus, ut ab eis communis Dominus et Deus ascriberetur, effecerant. Protinus ergo imperatorium promulgatur edictum, et quoquoversus pervasit per totam Romanorum regionem: ut quicumque erant eximii ex Christianis, et eorum dogmatis doctores, comprehensi, morte afficerentur. Interimebantur ergo alii quidem alio modo: Cornelius autem latebat; maxime quidem, quod in honore haberetur a Senatu, et ab iis, qui erant in eo primi, tam a propugnaculis quibusdam defenderetur. Porro vero ipse quoque seipsum conservabat ad multorum salutem. Se invicem autem exhortabantur ad certamen Basilla et Eugenia: quae a loco disjungi non ferentes, quoniam animis erant inter se unitae, loco quoque conjunguntur, et se sermonibus vicissim impertiunt. Atque Eugenia quidem Basillae et multa alia disserit de proposito certamine, et quod aperte ei revelavit Dominus,

ipsam martyrii cursum mox peracturam. Similiter autem Basilla quoque ei respondit, quod etiam de Eugenia Christus ei significavit, fore ut duplici corona ei caput exornetur: una quidem pro periculis et laboribus, quos subiit Alexandriae, et in reliqua Aegypto: altera vero, pro martyrio et caede quae propter illum facta est. Haec cum inter se contulissent, et pro se invicem precatae essent: quin etiam virginibus, quae erant apud Eugeniam, masculos animos addidissent, et persuasissent ut mortem propter Christum negligerent, corpore quidem in praesentia disjunguntur, altera desiderio alterius, crebras ex oculis lacrymas emittentes: utpote quod ferre non possent oculi eas separari a sui invicem spectaculo.

§ **30**. Cum autem finem accipere oporteret ea, quae de ipsis praedicta fuerant a Domino, de Basilla quidem dixit Pompejo una ex iis, quae ipsam sequebantur, ancillis, quod nisi omni studio et manu regia sibi desponsam Basillam, quae jam erat nubilis, domum duxerit, non amplius in posterum eam habebit uxorem. Scias enim, inquit, eam factam esse Christianam sermonibus Eugeniae: eamque non solum matrimonio, sed etiam toti mundo renunciare. Ea de causa ejus quoque tutorem Helenum differre nuptias, qui est ipse quoque Christianus, et ejusdem instituti. Quin etiam quos, inquit, Eunuchos Eugenia tamquam servos ad eam misit, ii vel omnium maxime artem sectantur magicam, et sic eam incantarunt, ut fateatur se nunc eos habere dominos, et eos colere tamquam deos immortales. Cum mala sic ancilla Pompejo renunciasset, et linguam diabolo aperte tradidisset, et haec locuta esset adversus Christianos, ira valde fuit accensus Pompejus, et adversus Helenum gravia spirans est profectus. Et primum quidem ei vim afferebat, ut sibi puellam ostenderet; deinde etiam celebraret nuptias: nisi ipse aperte vellet esse hostis Imperatorum. Haec cum diceret Pompejus, non latuit quidem Helenum, undenam profecta esset proditio: ingenuum autem et justum ei dedit responsum: « Ego sum, cui obtigit, dicens, puellae tutela: quae donec quidem erat impubes, ea et a me alebatur, et vivebat ut volebam. Cum vero jam ad plenam pervenerit aetatem, et jam tempus acceperit legitimum, ipsa non amplius meam sequetur voluntatem: sed suam sequens sententiam, faciet id quod volet. »

§ **31**. Postquam hoc responsum accepit Pompejus, ad Basillae aedes protinus est profectus: et pulsato ostio, janitori imperavit, ut ei annunciaret. Illa autem sensim eum repulit per puerum, dicens nihil esse commune Basillae cum Pompejo: sed neque ejus adventum omnino culpâ carere. Quomodo enim, qui ad virginem accesserit, et cum ea seorsum loqui quaerit, quam propemodum ne oculis quidem suis licet masculis intueri? His verbis furore concitatur Pompejus: et primum quidem veniens in

Senatum, eum rogat. Deinde cum eos etiam assumpsisset, pedes Imperatoris prehendit non sine lacrymis, et suum tamquam commune deflebat infortunium. « Pro vobis ipsis, dicens, o divinissimi Augusti, pro vobis ipsis exsurgite et vestris diis, et quem ex Aegypto novum Deum nunc introduxit Eugenia, ex urbe vestra expellite. Nam in multis quidem etiam aliis damnum afferunt Christiani, irridentes Imperatores, leges despicientes, benignos et servatores deos, tamquam inania quaedam manufacta conspuentes. Nunc autem hoc quoque scelus impium est ab eis excogitatum. Solvunt etiam leges matrimonii, et prohibent conjugia. Eas enim, quae sunt desponsae, aut etiam despondendae, a viris avellunt: vel potius eos quidem illis privant: sibi vero vindicant, et eas turpiter corrumpunt. Quidnam ergo, quid reliquum est, quod fiat: aut quo se verterit quispiam, si nusquam est matrimonium? Nam id quidem, quod fit praeter legem, leges: quod est autem legitimum, Christiani prohibent: novi quidam, ut videtur, irrumpentes cacodaemones, et hominum generationem tollentes de medio. Quod quidem cum processerit, erit omnino terra vacua hominibus. Quomodo autem de caetero vobis se habebit exercitus, et quomodo non peribit? Quibusnam quidem imperabunt Imperatores, et cum quibus superabunt inimicos? Quomodo vero omnino constabit respublica et vita hominum? »

§ 22. Cum sic valde miserabiliter dixisset Pompejus, simul etiam ei assensus est et suffragatus Senatus: adeo ut misertus Imperator, celerem tulerit sententiam, ut Basilla vel suo sponso matrimonii lege conjungeretur, aut gladio subjecta, vitam finiret. Postquam autem audivit etiam de Eugenia, de ea quoque protinus pronunciat, ut vel persuasa sacrificet, vel tormentis tradita, morte violenta moriatur: communiter vero omnes quoque alios puniri jubet, non solum Christianos, sed eos etiam, qui Christianos suscipiunt, et, ut lateant, procurant. Hanc sententiam postquam audivit Basilla, quae vere regia erat lingua et animo, acriore quoque ipsa, quam ille, voce sic est locuta, et suam tulit sententiam: « Regi regum et creatori desponsa, viri in quem cadit interitus, non admitto conjunctionem, etiamsi hoc videatur Imperatori. Terribile enim est revera, terribile, incidere in manus veri Regis et Dei viventis. » Simul autem et hoc vocabulum Dei lingua emisit, et caput statim fuit ei amputatum. Atque hunc quidem finem habuit Basilla *. Comprehenduntur vero Protus quoque et Hyacinthus, et ad templum Jovis adducuntur, ut cogerentur sacrificare illi abominationi. Cum autem stetissent in conspectu ejus, qui videbatur deus, precati sunt, et statim ante pedes eorum còncidit simulacrum, et admirabiliter et praeter opinionem comminuitur, et in pulverem cineremque redigitur.

* S. Basillae festum die 20 maji agitur.

Postquam autem hoc cognovit Praefectus Nicetius, jubet eorum quoque capita amputari: Eugeniam vero sisti jussu Imperatoris.

§ **33**. Postquam autem adfuit: « Undenam, inquit, artem magicam tam accurate perfecteque didicistis, ut possitis diis quoque ipsis imperare maximis? » Hoc cum diceret, imprudens Proto et Hyacintho evidens contexebat encomium: quoniam sola oratione maximum eorum, qui sunt apud eos, deorum repente confregissent, et in cinerem ac pulverem comminuissent. Divinitus vero inspirata Eugenia, cum multa respondit prudentia: « Hoc quidem, dicens, longe verissimum a te dictum est, o Praefecte, nos vestris diis imperare. Illud autem est plane absurdum, et ad arguendum facillimum, quod ascribas omnia arti magicae: non autem alicui divinae et inexpugnabili potentiae ejus, qui vere est solus apud nos Deus. Si enim magi quidem, ut vos dicitis, immundos quosdam et materiales invocant daemones: isti vero eos, qui sunt apud vos, deos superant, vel potius primum ex coelestibus, non omnia rursus invertetis, et quae sunt superna, inferna facietis, majoribus diis inferiorem sortem attribuentes: et nec deos quidem, sed eos servos facietis, et servos daemonum, daemones autem deos, et primos deorum? Quod quidem etiam alio quoque modo verum est, cum vos eos tamquam veros deos constitueritis, et bonos esse putetis: dubitetis autem, quanam de causa a malis vincantur daemonibus, nescientes ipsos esse quidem malos et maleficos daemones, unum vero esse Deum in omnibus: cujus nomen solum isti non ferentes, sicut cera, ut ait divinus David, a facie ignis, liquefiunt et pereunt. »

§ **34**. Haec audiens Nicetius, ejus quidem magnum et excelsum admirabatur animum. Sed cum esset totus deditus insaniae simulacrorum, et nihil aliud spectaret, quam ut eis placeret, jubet eam duci in templum Dianae; sequi autem spiculatorem, ei ensem intentantem; et partim quidem admonentem, partim autem minitantem, quod nisi sacrificet, eo quem habet in manu, transadiget, ostendendo ensem. Illa vero postquam venit in templum, stans ex adverso imaginis specie orantis, precata est interitum simulacrorum: « Deus aeterne, dicens, qui me tua voluntate et nasci et educari et virginem in hodiernum usque diem conservari dignatus es, et ut efficerer sponsa unigeniti, et ut in me adesset sanctissimus spiritus, et in me regnaret, effecisti, ipse nunc quoque mihi adsis in hac tui confessione, efficiens admirabilia et quae sint contra opinionem: ut qui te colunt quidem, sint in gloria: ignominia autem et dedecore afficiantur qui hanc mutam et surdam adorant abominationem, et gloriantur in suis sculptilibus. » Ea haec orante, Deus quidem valde movet terram: templum vero evertitur; conteritur autem simulacrum; reliqua vero simul conturbantur. Stupent, qui vident: pervadit etiam ad eos, qui procul erant, miraculum. Alius autem aliunde confluente

quicumque erant quidem sanae mentis, id quod factum erat, ducebant miraculum, et putabant opus divinae potentiae: quibuscumque vero praeter id, quod erant recta privati opinione, deerat etiam sapientia, ii multis contumeliis afficientes Eugeniam, eam etiam vocabant magam.

§ 35. Haec audit etiam Imperator, et suorum deorum quodammodo ultor fieri properans, jubet lapidem quidem gravissimum suspendi a collo ejus: ipsam autem jaci in fluvium Tiberim. Sed sic quidem, qui concipiunt laborem, et pariunt iniquitatem: Deo autem curae erat, ut eorum jussus esset irritus et inefficax. Unde etiam lapis quidem ab ejus collo est exsolutus: ipsa vero non secus ac magnus Petrus, citra ullam offensionem ingrediebatur supra undas fluminis. Deinde cum ea aqua visa esset potentior, eam igne punire constituit, et magnam illam Eugeniam accepit fornax. Sed qui eam custodiebat Dominus, hic quoque nunc aderat: statimque ostensum fuit, ignem protinus amisisse naturam, et corpus ejus conservatum est illaesum. Quid postea? Tenebris punitur profundissimis: praeter tenebras autem etiam fame, et eam domus accepit obscura, nec cibi quicquam omnino sumentem. Nesciebant autem omnino esse cum ea Dominum lucis, a quo etiam matutinum, ut ait Propheta, lumen erupit, et divino lumine tota domus illustrabatur. Non solum vero lumen dabatur, sed etiam quoddam divinum superne suppeditabatur alimentum, panis qui quotidie parabatur admirabiliter, nive quidem candidior, voluptate autem plane divinus: et quod est omnium maximum, ille ipse accedit Servator: « Ego sum, dicens, Eugenia, qui propter te crucem et mortem sustinui, propter quem tu quoque haec pati constituisti. Ergo et te maxima amiciam gloria, et multis implebo gratiis. Sit autem hoc quoque signum tui honoris. Ipse enim dies te transmittit ad vitam supernam, qui me vidit infra adventasse ad homines. »

§ 36. Cum sic dixisset, ille quidem ab ea recessit: haud diu post autem effectum sortita sunt ea quae dicta fuerant. Mittitur enim quidam impius, monachi habitum prae se ferens: qui cum fuisset intra carcerem, ense facta caede consummat martyrem eo ipso die quo celebrabatur festum natalis Servatoris nostri. Cum justa autem fecissent tali filiae et sorori, ejus mater et fratres, sacras ejus reliquias deponunt quidem in loco qui non abest procul a Roma: vocatur autem via Romana. Sic quidem vixit honorifice Eugenia, et sic e vita generose excessit, convenienter suo nomini: adeo ut nesciamus utrum magis admiremur, in Christo ne vitam, an mortem pro Christo. Unde etiam, quantam sit pro utrisque gloriam consecuta, evasit paulo post manifestum.

§ 37. Nam cum duobus animi motibus distraheretur mater, et partim quidem laetaretur, quod propter Christum esset sacrificata: fleret autem, quod a filia tali disjungeretur, et non moderate

ferret separationem, martyr ei apparet in somnis, adeo quidem splendide vestita, ut nec in eam satis posset conjicere oculos: talibus vero comitata virginibus, et tam praeclaris, ut nulla Regina posset cum eis comparari. Cum sic ergo accessisset, visa est dicere matri: « Quorsum, o mater, ita te afflictas, multis pro nobis liquefacta lacrymis? Non sunt res nostrae prosequendae fletibus, sed laetitia. Scias enim quod ego et pater Philippus, vivimus in quadam ineffabili martyrum laetitia, una cum Christo versantes et conregnantes: qui te etiam non ita multis post diebus ad hanc vitam evocabit. Meis autem fratribus conserva firmum ac stabile, quod est in Christo, signaculum, et assidue exhortare, ut sint etiam mihi fratres animis: ut sic totum genus offeramur pulcrum donum Domino. » Haec mater audivit ab Eugenia. Dicebatur autem etiam vidisse assistentes Angelos, quorum habitus erat signum gaudii simul et pudoris, ipsis veluti indicantibus, quod illi essent honore digni, et perpetui etiam gaudii participes. Quod detur nobis omnibus quoque consequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: quem decet omnis gloria, honor et potentia nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

# DE S. STEPHANO PROTOMARTYRE *

## SANCTI GREGORII NYSSAE PONTIFICIS ORATIO

### PETRO FRANCISCO ZINO VERONENSI INTERPRETE.

§ 1. Quam praeclara bonorum series, quam dulcis laetitiae successio! Ecce enim celebritatem ex celebritate, et gratiam pro gratia suscipimus. Heri nos excepit convivio rerum omnium

* De sanctissimi Protomartyris natali, inventione et translatione variae sunt eruditorum opiniones. Ast, quo ad natale pertinet, hanc diem, a S. Augustini aevo, Ecclesia universa, ut S. Stephani natale, constantissime celebravit. Quo loco autem ipse lapidibus òbrutus est, magnificam basilicam Eudocia Imperatrix aedificavit. Tam porro a Latinis, quam a Graecis Patribus, S. Stephanus *Archidiaconus*, seu Diaconorum Primiçerius, idemque et *Protomartyr*, appellatur. Nec vero supervacaneum nobis videtur ad haec addere SS. Patres, ut in ipsis Orationibus, quas hic edimus legi potest, quasdam SS. Stephani, Joannis Evangelistae et Innocentium Festorum congruentias cum Festo Nativitatis Domini invenisse: qua de re Festa haec *concomitantia* dicuntur. S. Bernardus omnium Martyrum conjunctionem cum Christo in hujuscemodi Festis videt, martyrum, scilicet, *voluntate et opere*; Martyrum *voluntate et non opere*; Martyrum demum *opere et non voluntate* (*Memor.* Lib. 1). — Qui primus S. Stephani protomartyris sacras reliquias in Occidentem detulerit, Orosius fuit, ut in Aviti Epistola, quae in Surii Vol. VIII, pagg. 99-100 habetur, legitur: id quod anno 416 accidit. Verum, totum ejusdem corpus, quod adhuc supererat e Jerusalem Constantinopolim, anno 439, Aelia Eudocia imperatrix, Theodosii II uxor, transtulit, ibique, in S. Laurentii Basilica quam honorificentissime recondidit. Circa demum S Stephani ad Urbem translationem quam Papa Pelagius, ut in *Martyrol. Rom.* ad diem 7 maji legimus, perfecit, en quidnam in suis *Notis* ad idem *Martyrologium* Baronius conscripsit: " Habentur rei gestae vetera monumenta scriptis mandata a Lucio, archidiacono, sed quae non modica castigatione indigeant. Legimus ea in *cod. ms.* monasterii S. Caeciliae Transtiberim. Petrus diac. Cassin. in *Lib. de Viris illustr. Monast. Cassin.*, cap. 35, testatur, sanctum Brunonem Episcopum Signinum de ea translatione scripsisse sermonem; idemque, capite 45, addit, alium insuper sermonem conscriptum esse a Petro ejusdem monasterii bibliothecario de eadem translatione Constantinopoli facta Romam. „

Dominus; hodie excipit Domini imitator. Quomodo autem hic, et quomodo ille? Ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens. Ille propter nos vitae speluncam ingrediens, hic e spelunca propter illum egrediens. Ille dum se pro nobis cruciatibus affici, hic autem pro illo lapidibus obrui sinit. Ille mortem e medio tollens, hic super jacentem mortem incedens. Ad hoc spectaculum, fratres, nos item animis concurramus, quo pugil egregius in stadio confessionis exutus, adversus improbum humanae vitae adversarium certat. Stephanus enim vere, quemadmodum Paulus ait, spectaculum factus est mundo, et Angelis, et hominibus. Primus martyrii coronâ redimitus est. Primus in martyrum choro iter arripuit. Primus adversus peccatum usque ad sanguinem restitit.

§ 2. Tunc autem omnem supracoelestes incolentium sedes exercitum, et incredibilem omnium Angelorum tam ministrantium quam assistentium numerum, et quicquid honesti praeclarique per supremam illam quietissimam regionem in Principatibus, et Virtutibus, et Thronis, et Potestatibus, et Dominationibus audimus, universam denique coelitum multitudinem spectasse pugilem hunc manus cum adversario conserentem existimo. Vita autem humana veluti stadium pugnantibus exposita est. Congressi sunt igitur, improbus quidem humanae vitae hostis, ex quo primi parentes ceciderunt, ad ea usque tempora superandis hominibus exercitatus: magnus autem fidei propugnator, impetus illius contemnens, et pro nihilo ducens. Arma vero fuerunt, mortis quidem inventori, mortem intentantes minae: vitae autem discipulo, confessio fidei. Ecquis non esset novum hoc certaminis genus admiratus, cum vita et morte veritas dijudicaretur, mors autem foret veritatis indicium? Vitae enim ad eam usque diem absconditae et incognitae praedicator, re ipsa praeconium hominibus denuntiavit. Quid enim aliud tam prompte mortem oppetens significabat, nisi vitam hanc, quae relinquitur, cum vita pretiosiori commutari?

§ 3. Sed operae pretium erit, ut certamen ipsum, oratione tamquam in tabula diligenter depicta, proponamus, ut recta ratione et via ex ipsa gestorum serie, rerum admirabilium ordo nobis appareat. Nuper igitur vehemens spiritus desuper veniens, omni aërea et impostrice daemonum potestate disjectâ ac dissipatâ, Apostolorum domum impleverat, et instar ignis in linguas pro numero eorum, qui gratiam accipiebant, dispertitus, in singulis ipsorum inhaeserat. Jamque propter incredibile vocis et linguae miraculum eos, et qui ex omni natione Jerosolymis degebant, stupor invaserat et conturbatio. Nam licet variis diversisque linguarum generibus distinguerentur, singuli tamen eadem plane lingua, uno atque eodem tempore discipulos loquentes audiebant, quum ea loquendi facultas nullo esset praecedenti studio aut diligentia comparata. Oportebat enim ut qui in terrena turri

exaedificanda similitudinem vocis amiserant, eam in coelesti Ecclesiae constructione recuperarent. Hinc igitur gratiae Spiritus S. dispensatio duxit initium, ut quod in omnes homines beneficium conferebatur, hac ratione ad omnium cognitionem perveniret, ne, si religionis promulgatio, unicae tantum linguae terminis concluderetur, hominibus eam linguam ignorantibus nihil prodesset. Quare cum Pharisaei nec propriis auribus jam fidem haberent, et eos, qui rei tam admirandae stupore tenebantur, irriderent, quod musto ejusmodi furorem Apostolis injectum dicerent, Petrus autem, uno orationis jactu, tria animarum millia Christo piscatus esset, assiduaque deinceps eorum, qui servabantur, accessione cresceret Ecclesiae multitudo, cum et ille, qui jam inde ab ipso ortu claudus erat, Speciosam templi portam ipsis aperiret. Tamquam enim ei praesideret, suae curationis spectaculo homines animo claudicantes ad fidem ducebat. Quamobrem cum ad fidei praedicationem confluerent, et usus Ecclesiae plurium operâ, qui gratiae ministrarent, indigeret, Spiritus Sanctus ad adjuvandos Apostolos Stephanum, multâ sapientiâ gratiâque praeditum, advocavit.

§ 4. Nullus autem eum propter hoc ministrandi nomen Apostolica dignitate inferiorem existimet. Siquidem et Paulus mysteriorum Christi se ministrum novit, et omnium Dominus, dum per carnem salutem humanam disponeret, ministri nomen non erubuit, dicens, se in medio nostrum esse, tamquam qui ministrat, qui divisiones ministrationum facit, ut inquit Apostolus. Nam sicut ignis idoneam nactus materiam, sublimem flammam tollit, et splendidiorem lucem efficit, ita Spiritus Sanctus ex magno Stephani animo clariores gratiae radios emittebat. Quapropter omnes qui alicujus erant cognitionis et disciplinae participes, in eum spectabant, et cum illis, qui multitudine superiores videbantur, conjuratione facta, et tamquam in phalanges instructi et densi, vim et impetum Stephani sustinere conabantur. Ille vero et cum pluribus, et cum paucioribus eodem tempore congrediens, a nullis poterat expugnari. In hoc autem certamine quamvis specie ipsa Alexandrini, et Libertini, et Cyrenaei, et ex omni parte homines inter se conjuncti, adversus fidei propugnatorem viderentur irruere, occulte tamen ipse pater mendacii, veritatem quae in Stephano loquebatur, per homines oppugnabat. Sed omnibus fraudis defensoribus a viro strenuo profligatis, de mendacio victoriam et triumphum veritas reportavit. Hostis igitur veritatis criminabatur veritatis ministrum, quod veritatem non quae esset, indicaret: sed quae non esset, assereret. Quid istas insidias adversus praeconem hunc struis, o diabole? dixissem ego. Si quid vales, si aliquid roboris est tibi, veritatem laedito, quae in Stephano est. Sin dolis et machinis tuis illa sublimior est, cur in ipsius vas exerces odium et malevolentiam tuam? Cur, eo relicto, quod

continetur, id, quod continet, e medio tollis? Sic faciunt et canes; lapides, quibus petuntur, arripiunt et mordent: eos, qui jecerunt, ne attingunt quidem.

§ 5. Cum igitur rebus verissimis ac necessariis mendacium coargueretur, et omnibus veritatis lucem intuentibus, nullum amplius fraudis propugnatorem improbus inveniret, confugit ad artes suas, et malitiae suae vim accusatoribus judicibusque distribuens, atque in utrosque ingressus, eos falsis criminibus Stephanum oppugnare, hos cum indignatione calumniam suscipere compellit; Judaeisque sese variis modis insinuans, omnia ipse fit contra Stephanum, accusator, judex, carnifex, et reliqua caedis instrumenta, nesciens quo ipso casu post eam Stephani condemnationem praeceps abiturus esset. Ut enim periti luctatores, subeuntes corpora colluctantium, graviorem ipsis casum machinantur, sic magnus Stephanus humi prostratus, gravem adversario ruinam molitus est. Ex eo enim tempore totum orbem terrarum Apostoli peragrarunt. Id Evangelii ubique gentium disseminandi principium fuit. Nisi enim Stephani caede populus Judaeorum in Apostolos saeviisset, solis fortasse Jerosolymis Evangelium inclusum permansisset. Nunc autem a Judaeis oppugnati, in alias orbis partes divisi sunt, et mysteriorum doctrina diabolum undique detruserunt. Sic excepit Samaria verbum Dei. Sic obiter per Philippum Eunuchus salutem adeptus est. Sic vas illud magnum Ecclesiae Paulus, furore et minis armatus, a diabolo in ipsum armigerum tela convertit. Nam dum ipsos ex omnibus regionibus expellere et exterminare conatur, fecit, ut nullus relinqueretur locus, ad quem Christi fides non perveniret. Hinc enim Aegyptios, Syros, Parthos, Mesopotamitas, Italos, Galatas, Illyrios, Macedonas, et omnes undique gentes ad fidem confluere persuasit verbum Dei. Cernis, quantum pugnandi scientia valeat Stephanus? et quam multis casibus prostratum afflixerit adversarium, qui calumniae fraude superior videbatur? Sed ad ipsum stadium revertamur.

§ 6. Quibus verbis commovent populum isti calumniatores? Homo iste non cessat, inquiunt, loqui verba impie contumeliosa adversus locum hunc sanctum et legem. Audivimus enim eum dicentem: « Jesus Nazarenus ille destruet locum istum, et mutabit instituta, quae tradidit nobis Moses. » Haec est oratorum diaboli criminatio. Quae porro audientium amentia? Quid indignantur aut succensent huic reo? Quid in ea accusatione criminis deprehenderunt? Quae enim illi data sunt crimini, praenuntiant ea, quae in posterum sunt eventura. Ajunt enim, eum dixisse, locum destructum iri, et mutatum iri Mosis instituta. Quodnam in his, seu verum dicat, seu mentiatur, crimen existit? Si mentitur, quod triste denuntiat, non eveniet. Sin vera loquitur, quam affert injuriam oratio, quae futuros rerum exitus praedicit? Quae futura

sunt enim, sive taceantur, sive significentur, omnino contingent. Praedicentis autem caedes quam molestiarum allevationem afferat? Quid? quod Jesus Nazarenus accusatur, in Stephanum autem fertur sententia? Atqui si injuriam faciens, movet indignationem, injuria autem est, loci et institutorum eversio et immutatio: haec vero non per Stephanum, sed per Jesum, ut asserit accusator, efficienda sunt, eum, qui accusatur, condemnari oportebat.

§ 7. O iniqua audientium sententia! Quoniam, inquiunt, Jesus mutabit leges, Stephanus lapidibus obruatur. Quo autem pacto legem abrogabit Jesus, qui legis adeo studiosus fuit? Qui instituta vetera tantopere confirmavit? Qui veni, inquit, non legem ut solverem, sed adimplerem? Qui legem eam, qua homicidium interdicitur, sic approbavit, ut discipulis initio ne irasci quidem permiserit? Qui pariter cum ipsa cupiditate adulterium convulsit? Qui jubens, ut ne illos quidem ulciscerentur, a quibus essent injuria lacessiti, inferendae injuriae principium abstulit? Qui praecipiens, ut quae possiderent, omnia pauperibus distribuerent, avaritiae vitium exterminavit? Cur haec illi in eo judicio non commemorarunt, non perpenderunt? Illorum mihi nunc judicum parricidarum confessum adesse velim, et de locis, pro quibus indignantur, discere, ubinam celebre templum illud, ubi incredibiles illae lapidum magnitudines, ubi aurum illud, quod reliquam materiam propemodum exaequabat, ubi legitima sacrificia, hircus, vitulus, agnus, caprea, columba, turtur, hoedus repudiatus. Si propterea morte Stephanum affecerunt, ut earum calamitatum nulla contingeret, ostendant, quaeso, quam multa sibi propter homicidium illud integra conservarunt. Quod si nihil horum est, quamobrem Stephanum condemnarint: cur ea caedes patrata sit dicant. Sed in ipso certaminum ordine videamus, quomodo parricidas, a quibus densa lapidum instar nivium multitudine obruitur, ulciscatur, quae dicta rejiciat in eos, qui lapides in ipsum conjecerunt. Cognoscant Judaeorum filii, Christianorum arma, quibus magnus Stephanus injurias suas persecutus, legem vitae rem ipsam statuit. Nam illi quidem immani et ferina quadam rabie virum sanctum circumvenientes, ad eum unum scopum respiciebant, ut quicquid in manus veniret, pro telo corripientes, in ipsum contorquerent: at ille tamquam sacerdos quidam ex spiritali lege puram hostiam immolans, non alienus, sed proprium corpus adducebat, et loco libaminis sanguinem effundebat, et pro iis, qui se tam nefario scelere obstringebant, Deum, quem adspiciebat in coelestibus adytis, precabatur, et pro caede sua beneficium rependebat, audientibus homicidis clamans et dicens: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Ac ille quidem scelus, quod parricidae propriis impuris manibus exarabant, precatione delevit; ipsi vero ea precatione magis etiam concitati, non prius jaculari destiterunt, quam magnus Stephanus tamquam mollibus

floribus et levi quodam rore circumfusus, dulcissimo ac beatissimo somno consopitus est.

§ 8. Sed nos victoria pugnam antevertimus, et ante certaminis finem, virum adspicimus coronatum. Priusquam enim pugnandi labores videremus, ad certaminis exitum oratione provecti sumus. Neque enim illa, mea quidem sententia, praetereunda erant, ex quibus maxime martyris virtus eluxit. Qualis videlicet interficientium confessus fuerit, et quomodo pariter universos ad patrandam caedem furor incitarit: quanta ad facinus congregatis conspiratio, qui singulorum intuitus, quae figura, quae dentium affectio. Nam, ut Scriptura testatur, dissecabantur cordibus, et stridebant dentibus in eum, qui tot taliumque corona circumseptus, et contra omnes adversarias copias parricidis opitulantes sese objiciens, animi prudentiaeque magnitudine in omnibus excelluit. Opposuit enim furori patientiam, minis contemptionem, mortis terrori despicientiam vitae, benevolentiam odio, malevolentiae charitatem, calumniae veritatis declarationem. Veritatis enim defensor non uno tantummodo victor apparuit: sed omnibus malitiae generibus, quae exercebant Judaei, variis ipse virtutibus occurrit: cum omnibus congressus est, omnesque superavit. Sic in certaminum ludis victores accipio factitare, ut per totum saepe stadium nudi, cunctis adversariis victis, praemia victoriae ferant. Itidem in martyrum stadio se Stephanus gessit, qui omnem hostis vim atque impetum excipiens, illustrem in omnibus victoriam reportavit. Falsam enim Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum sapientiam, vera sapientia devicit, metum dicendi libertate, comminationem despicientia, beneficientia crudelitatem, veritate mendacium. Illi quidem ad caedem spectabant, jamque manus armabant lapidibus, et anhelitu, adspectu, dentium collisione saevitiam prae se ferebant: hic autem eos intuebatur ut fratres, ut patres demulcebat: « Viri fratres, inquit, audite me. » Illi calumniam adornabant; huic confessus interficientium erat veritatis schola. Sermonem timore non intermisit, neque periculo territus despondit animum: sed morte rebusque praesentibus neglectis, et pro nihilo habitis, mentem in sublime tollens, eos tamquam puerulos temere desipientes erudiebat, ex rebus, quas ipsi certas et exploratas habebant, demonstrans, quibus in erroribus versarentur.

§ 9. Adducit igitur Abrahae testimonium, omnemque illius historiam breviter eis ante oculos ponit. Tum sanctos viros, qui deinceps successerunt. Deinde genitum Mosem, educatum, institutum, in monte percipientem mysteria, vexantem Aegyptum, Israëlem conservantem, id quod Domini mysterium declarabat. Quare consessus etiam maxime commotus est, et morbus ejus inflammatus, cum Mosem, cujus se studiosissimos fingebant, pro Stephano stare perspicerent. Itaque consurgentes, rei finem et

crudelitati suae, et Stephani desiderio dignum imponunt. Ipse enim naturam humanam egressus, etiam antequam migret e corpore, puris oculis coeli fores sibi patefactas adspicit, et quae in coelestibus adytis continentur, divinamque gloriam, et gloriae divinae splendorem contuetur. Ac paternae quidem gloriae nulla figura describitur, sed splendor in ea specie, quam homines viderant, ab athleta, quatenus humana capiebat natura, perspicuus cernitur. Ex natura igitur hominis in angelicam transmutatus, adeo ut ipsis etiam homicidis esset admirationi, quod facies ejus Angelorum dignitate insignis fulgeret, vidit ea quae humanis oculis cerni non possunt, et gratiam a se perspectam declaravit. At illi, occlusis auribus, quod narrabatur, non acceperunt. Qua quidem una in re ex tam multis se recte gesserunt. Profanorum enim aures non erant dignae, quae divinae rei perspectae narrationem audirent. Ille quidem ea, quae sibi soli concessa fuerant, explicatione in commune proponens, gratiam praesentibus impertivit. « Ecce video, inquiens, coelos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. » Ipsi vero clamantes voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Bene historia, quae de ipsis loquitur, factis clamorem adjunxit, ut eorum propositum Sodomitarum proposito simile significaret. Siquidem et flagitium ipsorum, clamor irritantis appellatus est. Clamor enim, inquit, Sodomorum et Gomorrhaeorum venit ad me. Clamaverunt igitur et isti, ut eorum in Stephanum clamor audiretur. Sed athleta sibi parricidarum crudelitatem prodesse non ignorabat. Etenim cum ab ipsis undique lapidibus peteretur, id factum tamquam coronam, victoriae praemium, in adversariorum manibus contextam suscepit. Proinde benedictis eos remuneravit, indignum existimans, rem, quae gerebatur, contrarios exitus ita partiri, ut sibi vitam, adversariis autem exitium pareret, et ex illis bonis, quibus ipse dignus efficeretur, hostes, qui eorum bonorum sibi auctores essent, exciderent. Sic Christum respiciens, eis, a quibus oppugnabatur, prodesse didicit. Nam simul atque tolerantiae legislatorem adspexit, meminit earum legum, quibus jubemur inimicos diligere, et benefacere iis qui oderunt nos, et precari pro iis qui nos persequuntur. Verum hic athleta non capitur humanis laudibus. Neque enim eum certaminis finem propositum habuit, ut ab hominibus gloriam assequeretur: sed animi virtutisque magnitudine totum mundum supergressus, posthabita et neglecta omni laudandi ratione, mensuram humanae facultatis superavit.

§ **10**. Quamobrem omnium hominum celebratione habeat victoriae praemia, nobisque historia, quam de ipso conscriptam legimus, ad animorum salutem opituletur. Quemadmodum enim pugiles, qui donati rude, artem desierunt, in palaestra erudiunt juvenes, quo agilitatis artificio colluctantium prehensiones

evadant: ita nos etiam censeo ad pietatem institui per magnum Stephanum oportere, ut hostium adversus spiritum pugnantium fallacias evitemus. Nam qui rabie inflammati, Spiritus gloriam oppugnant, ajunt, suae ipsorum absurditatis Stephanum esse fautorem atque patronum: intentis enim in coelum oculis, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Quapropter ad evertenda religionis decreta sic argumentantur: « Si cum Patre et Filio Spiritus omnino connumerandus est, cur in eo spectaculo Stephanus simul cum Filio non conspexit et Spiritum?» Quomodo igitur iis, qui ejusmodi rationibus supplantantur, Stephanus manum praebebit, aut certandi artificio fractos eriget et confirmabit? An eodem ex loco feret auxilium, ut infidelitas oppugnantis infringatur? Quaeris ergo tu, qui Spiritum insectaris, cum Patris gloria Filiique ad dexteram ejus stantis conspecta sit, ubinam Spiritus? Si in te Spiritus esset, non, quemadmodum qui oculis capti sunt, aurum, quod ante pedes suos jacet, non cognoscentes praetereunt, de ipso spiritu sermonem propositum praetercurrisses. Sed nunc saltem audi, nisi forte, ut Judaei, aures obturasti. Quo pacto vidit supercoelestem gloriam Stephanus? Quis ei fores coelorum patefecit? Nunquid ea virtus humanarum virium fuit, aut cujuspiam Angelorum, inferiorem naturam ad sublimitatem illam extollentis? Minime vero; neque enim sic habet historia, quod Stephanus multo robore praeditus, aut Angelorum fultus auxilio, viderit ea, quae vidit. Quid igitur dicit? Stephanus autem plenus Spiritu Sancto, vidit gloriam Dei, et unigenitum Filium Dei. Non enim, ut ait propheta, licet lumen intueri, nisi in lumine conspiciatur. Ideo, in lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Non nisi in lumine lumen spectari potest. Quomodo enim solem adspiciat, qui extra radios ipsius positus sit? Cum igitur in lumine Patris, id est, in Spiritu sancto ab eo procedente, unigenitum videatur lumen, idcirco prius gloria Spiritus illustratus, Patris et Filii gloriae cognitionem assequitur. Alioquin quomodo sententiam illam Evangelii: *Deum nemo vidit unquam* (*Jo.* I), esse veram; aut Apostolum clamantem: *Quem nullus hominum vidit, neque videre potest* (I. *Tim.* VI), non iis, quae in historia scripta sunt, dicemus adversari? Etenim si natura et vi humana patris et filii gloria percipi potest, ille mentitur omnino qui Deum negat posse comprehendi; sed neque illum mentiri, et historiam esse veram, necessarium est. Manifeste igitur malitia spiritum impugnantium est deprehensa. Quandoquidem simile simili conspicuum esse Scriptura testatur. Stephanus enim non in natura utique humana persistens Deum vidit, sed Spiritus sancti gratia confirmatus, per eum ad intelligentiam Dei sublatus est. Quamobrem si, ut inquit Apostolus, sine spiritu Dominum Jesum intueri non licet, nec paternam gloriam percipere, planissime constat, ubi Spiritus est, illic et Filium conspici et Patris gloriam comprehendi.

§ **11**. Caeterum ex iis quae tacite praetermissa sunt, alterum impietatis telum ab iis, qui Christum oppugnant, contorquetur. Ajunt enim, Unigenitum inferiorem esse. Etenim cum a dextris Patris dicatur stare, ex his verbis asserunt demostrari, eum obnoxium esse patris potestati. Quid igitur istis Paulus respondebit, aut ante Paulum Propheta David? Uterque enim doctrinà Spiritus, gloriam Unigeniti declarat. Nam David ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (*Ps*. 109); Apostolus autem, *ad dexteram throni Dei sedere Dominum* (*Hebr*. I) dicit. Quare si status inferiorem arguit, sessio prorsus aequalem esse significat, aut contradicant ipsi. In unoquoque enim horum eadem magistra spiritus gratia. Siquidem et Stephanus plenus Spiritu Sancto vidit ea quae vidit; et quae vidit, locutus est. David autem in spiritu vocat ipsum Dominum, ut Evangelium testatur. Paulus vero, quemadmodum ipsemet dicit, in spiritu loquitur mysteria. Quare si magister unus est, nulla re a seipso discrepans, et magister hic est spiritus veritatis in omnibus qui divinitus afflati sunt, quomodo quispiam in ejus decretis discrepantiam suspicabitur? At aliud est, inquies, sedere, aliud, stare. Si trita verborum significatio consideretur, ego quoque ad sententiam tuam accedo. Sed non est fas, haec verba sic accipere, ut eandem in natura corporis experte, quam in corporibus, vim habeant. Nam in homine quidem, sessio figuram corporis quiescentis describit, ne genua corpus ipsum sustinentia omnino defatigentur: e contrario autem, statio rectum hominem super genibus consistentem, non autem sedendo quiescentem, indicat. At in illa suprema natura, et sessio et status, ab ejusmodi significatione removentur, et apposite ad rem ipsam explicandam adhibentur. Neque enim illam omni corporea figura vacantem, aut super genibus stare, aut ulla corporis parte sedere opinabimur. Sed per utramque vocem, perpetuam et immutabilem in omni bono stabilitatem et quietem pie cogitabimus. Etenim qui Deum stare, et qui eundem sedere dicit, verborum varietate discordes sunt illi quidem, sed tamen re ipsa consentiunt: cum et ille firme progressum, et hic immobilem in omni bono insedisse Deum significet.

§ **12**. Quemadmodum autem Propheta David et Apostolus Paulus Unigeniti sessionem exponentes, non effecerunt, ut Patre stante, sedere Filium cogitaremus, quamvis ipsius tantummodo Filii sedentis mentionem fecerint, sic cum ex Stephano Filium stantem exaudis, haud recte solius Patris sessionem esse suspicaberis: sed ut ex Pauli et Davidis oratione sedere Patrem, quoniam Filius ad dexteram ejus sedeat, confitemur, licet nulla de Patre fiat mentio. Sic enim imaginis ratio servatur, si quicquid in hoc intelligitur et videtur, idem et in exemplari credatur. Et quemadmodum in bono bonum, et in lumine lumen, et in omnibus ipsum pulcritudinis exemplar, per naturam propriam in

imagine exprimitur: eodem pacto ex sede Filii, quomodocumque ea intelligatur, et Patris sedes comprehenditur, itidemque status ex statu, ne tollatur imaginis ratio, si in varietate proprietatum aliena sit ab exemplari.

§ **12**. Haec nobis obiter, fratres, ad quaestionem propositam dicta sint, quae ex visione Stephani orta est. Faxit autem Deus, ut Stephani non certaminis solum spectatores, sed etiam gratiae participes simus, et Sancto Spiritu ad profligandos et delendos adversarios impleamur, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

## SERMO BEATI PETRI DAMIANI

# DE EODEM S. PROTOMARTYRE STEPHANO

UT HABETUR VIII TOMO ALOYSII.

§ **1**. Adhuc filium Virginis habemus in manibus, et obsecutoria delinitione vagientis Dei honoramus infantiam. Ducit nos Virgo ad veneranda cunabula, et Spetiosa prae filiabus hominum ad Spetiosum forma prae filiis hominum; Benedicta inter mulieres, ad Benedictum inter homines nos conducit. Submurmurat nobis in aurem (ne forte domus exasperans audiat et concitetur) revelata esse velamina Prophetarum, et completum consilium Dei. Videte miraculum Matris Domini, quia creatura creat, et Creator creatur. Scintillat sidus, magus adorat, exultat polus, tellus resultat, gloriantur Angeli, pastores adgaudent, virgo parit, nascitur Deus, et coelorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris prosequuntur. In istis bonis versamur. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis* (*Ps.* 126). Scio quia dulce vobis est, *In principio erat Verbum*; dulcius, *Verbum caro factum* (*Joan.* I); dulcissimum, Verbum in Cruce suspensum. A tanto puerperio quis insanus oculos suos amovere, nedum avellere praesumat, nisi ipse jubeat qui dicit: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt?* (*Cant.* VI).

§ **2**. Ecce dum osculatur nos osculo oris sui, dum tantis miraculis et stupidos nos facit et attentos, Stephanus plenus gratia et fortitudine, facit prodigia et signa magna in populo. Nunquid aequum est derelinquere Regem, et ad militem oculos retorquere? Nequaquam, nisi imperaverit Imperator. Surgit ipse Rex filius Regis, et lapidantium acies interrumpens, triumphatorio certamini non sine dolore cordis assistit. Videt opprimi primum et primicerium purpuratae cohortis, et grandinaria lapidum densitate, fontes sanguinis de corpore protomartyris ebullire. Videt quia

universa debacchatio redundat in ipsum, et ipsi soli improperia exprobrantium cumulantur. Ubi pietas et misericordia tua, Domine, si non compateris patienti? Ubi et aequitas, et justitia, si non judicas, et vindicas de populo lapidante? Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat *ut gigas ad currendam viam* (Ps. 18), et videamus quibus armis armatus vexillifer martyrum in campum pugnaturus descendit: et ut diligentius elucescat singularis martyrii prima praerogativa, revocemus ad memoriam Apostolicorum Actuum descriptionem, in quibus historicis et figuralibus dictis conversatio et passio belligeri militis continetur.

§ 3. Stephanus, inquiunt, *plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.* Non parvum latet hic mysterium, nec vilipendenda simplicioris scripturae manifesta positio. Ad Virginem quippe loquens Archangelus verba de coelestibus scriniis sumpta, nec alterius, nisi ipsius Dei spiritu fabricata, nova salutatione perorat. Nulli dubium, quin omnium verborum excedant altitudinem, utpote de melioribus disciplinis Sancti Spiritus evoluta, quorum enunciatione confoederandum erat illud unicum sacramentum Verbi et hominis, divinitatis et carnis. *Ave*, inquit fortitudo Domini, *gratia plena.* Quid autem de Stephano? *Stephanus plenus gratia et fortitudine.* Nonne Lucas eisdem pene litteris de utrisque loquitur? Sed licet longe excellentior modus in Virgine praedicetur, secundario tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus sublimiori genere quam reliqua martyrum multitudo, plenus gratia, refertus videlicet, et cumulatus, quod raro in scripturis canonicis subtilis inquisitor inveniet. Jungitur gratiae fortitudo, quia infusio spiritu libertatis ignitus animus in lucem veritatis erumpit, nec patitur ullo pacto rigorem justitiae vel submitti aliquando, vel dimitti. Sic loricatus gratia, et hasta fortitudinis sapienter infrendens, faciebat prodigia et signa magna in populo. Ille potest signa et prodigia facere, in quo gratia et fortitudo sedem fortissimam statuerunt. Sic exit Stephanus ad homicidas, ad legis adulteros, ad crucifixores filii Dei patris: loquitur genti peccatrici in Aegypto, populo gravi iniquitate in deserto, semini nequam in terra promissionis, filiis sceleratis in morte Salvatoris. *Dura cervice*, inquit, *et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis*, etc.

§ 4. *Surrexerunt autem quidam de synagoga*, utique Satanae, et undique conglobantur, vel ad convincendum, vel ad occidendum; faciunt parietem unum, impietatis squama squamae conjungitur; sibilant sibi serpentes ad invicem, et conveniunt in unum adversus Dominum, et adversus servum ejus. Velit nolit, cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapientiae, Spiritui Sancto praesumptio et vanitas spiritus humani. *Et non poterant*, inquit,

*resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* Non dixit, Non volebant, quod rationabilium est et perfectorum : sed, non poterant, ubi menti malae facultas tollitur, non voluntas mutatur. *Redarguebantur,* ait, *ab eo cum omni fiducia.* Fiducialiter agit, nec mutat, nec mutatur mens imperterrita, quae magis amat justitiam quam vitam, fidem quam sanguinem, mortem quam justitiae taciturnitatem. Concurrentes rapiunt eum, adducunt in concilium, et gaudent eum infra sua retiacula conclusisse. *Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (*Prov.* I). Tunc vox liberior, et illorum cotibus sermo exacuitur veritatis, totumque martyrem rapit sibi Spiritus Dei, et ex ejus ore sonantiori organo modulatur. Apparet ei una facies scripturarum, et veteris instrumenti dispendia in compendiosam redigit brevitatem. Replicat promissiones et beneficia Dei, murmurationes et maleficia populi, bona praestita, reddita mala, et ad extremum divini sanguinis exprobrat effusionem : vocat refractarios Spiritui, dura cervice, incircumcisos corde et auribus; et sublimi voce homicidas et proditores appellat. Non veretur conventicula congregata de sanguinibus, et inter manus quaerentium animam ejus, deliberatione justitiae cacumen veritatis ascendit. Dissecantur cordibus, et strident dentibus in eum, concipiunt dolorem, et prope est ut pariant iniquitatem. Mirum quia non revocantur insueti novitate miraculi, quod luminosa protomartyris facies non refrenat insanos. *Videbant,* inquit, *faciem ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos.* Quid est, Judaei? Lumine vultus Dei insignitur gloriosus Levita, et vibranti splendore Stephanus serenatur, reverberantur oculi vestri, et tamen invidiae magnitudo, visionis majestatem occludit. Respondeant mihi divinorum voluminum evolutores, ubi revolverint, hominem in terris positum, vultum Angelicum induisse, et cum in utrisque legibus vel raro, vel nunquam invenerint, adstupeant gloriae triumphantis.

§ 5. Sequitur: *Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum, vidit gloriam Dei,* etc. Mirum dictu, et totius supergressio creaturae. Intendit in coelum, videt jam non coelum, sed coelos apertos, videt gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Movet me haec intentio, quae de cordis puritate refusa, vim facit coelis, et ad ipsius divinitatis consistorium penetrat et attingit. Coeli aperiuntur, gloria Dei videtur, Jesus conspicitur, stans non solum a dextris Dei, sed a dextris virtutis. Hanc intentionem fecerat abjectio mundi, contemptus sui, cordis munditia, dilectio Dei, amor proximi, veritatis defensio, desiderium Christi. Retorquenda essent haec omnia ad communes flosculos moralitatis, nisi esset excellentia martyris commendanda. Felices oculi, subtilis visus, visio gloriosa. Simulque signanter recollige positionem verborum. Plenus est Spiritu, et sic intendit in coelum : quia qui Spiritu divinitatis afflatur, conculcatis

terrestribus, coelestibus inhiat et aeternis. Post haec aperiuntur coeli, nullaque praevalet obfirmatio vel clausura, quam non transvolet aut irrumpat mens illa summae menti affectanter inhaerens. Aperiuntur ergo coeli, et puto quod omnes coeli, eorumque apertionem sequitur visio gloriae Dei, et videtur Dominus Jesus stans a dextris virtutis Dei. Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellante bellatur, quia lapidatur in lapidato.

§ 6. Non mediocris stupor involvit me, utrum primitivus flos martyrum corporeis, an incorporeis oculis ista prospexerit. Grande quidem miraculum, si mentali intuitu stellantibus se immersit arcanis, si mundi corde oculi tam solemnem inspexerint visionem. Quod si corporalibus, certum est hunc omne hominum genus disparilitate gloriae praevolasse, et pennis fidei et virtutum, incorporea corporeis, et si non comprehendisse, apprehendisse tamen. Nihil audeo temere diffinire, vel ex abrupto praecipitare sententiam, cum finitivam super hujusmodi regulam me non legerim invenisse. Securius tamen sequor Apostolum, immo spiritum Dei in Apostolo, qui cum summa verborum deliberatione magi securae ambiguitati, quam periculosae diffinitioni, ista committit. *Sive*, inquit, *in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (2. *Cor*. XII).

§ 7. Exclamant statim clamore horribili, continent aures suas, et eas obstruunt veritati. Impetum fecerunt unanimiter in eum, facti amici in morte illius, et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Ejicitur martyr extra civitatem sanguinum, in qua prius justitia habitaverat, nunc autem homicidae, de qua dicit sanctus: *Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate* (*Ps*. 54). Haec est civitas, quam die ac nocte circumdat iniquitas, civitas castellum despective vocata, quod contra Apostolos et Apostolorum Dominum durissimis infidelitatis vectibus est munitum. Extra portam civitatis hujus passus est Dominus, extra eam lapidatur servus, exiens ad eum extra castra, et portans similitudinem improperii ejus. Deponuntur vestimenta martyris ad pedes persecutoris, qui ad tactum sacrarum vestium, et orationibus lapidandi fuerat convertendus. *Et lapidabant*, inquit, *Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, accipe spiritum meum*. Currunt illi ad lapides, et ille ad preces: lapides lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis, et tinnitus redditur pietatis. Domine Jesu, inquit, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Rogat suscipi spiritum suum, spiritum utique, et spiritum illum, quem signanter quasi quoddam tertium Apostolus in homine praecipit conservari. *Ut integer*, inquit, *anima, et spiritus, et corpus in diem Domini sine querela servetur* (1. *Thess*. V).

§ 8. O quanta pietas, quantus affectus, et ardentissimae charitatis integritas! Recte martyrii florem iste sibi praevendicat, in

quo similitudo Domini pendentis in Cruce, mirabilibus formulis est impressa. In ligno enim spinis, clavis, lancea affixus, et crucifixus, dissimulat illum unicum dolorem, et obliviscitur mortis vicinae, novum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, et apertiori campo terminos traditae legis amplificat, non jam solum amicus amicis, sed velint, nolint, amicus pariter inimicis. *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Non potuit esse inefficax oratio morientis, unde et inimicorum numerositas ad numerum amicorum transivit. Vide quam recto cursu Stephanus, etsi non aequat, sequitur tamen Redemptorem. Volat saxorum imber, et fortissimis invidorum manibus loca vulnerum duplicantur, sed patienter patitur coronatus noster, de corona nominis ad coronam regiminis transferendus. Nescit affectum carnis, et mortis horam ignorat: et vide quid deliberet faciendum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Clamat voce magna, quia magna utique charitate: positis genibus, quia vera et humili simplicitate. Pro se orans stat, et erigitur: pro lapidantibus flectit genua. Quis audivit unquam talem, et quis vidit huic similem? Plus dolet persequentium peccata, quam sua vulnera: illorum iniquitatem, quam suam mortem. *Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.* Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum aeternitate! Obdormivit, inquit, in Domino, absorptus in claritatis abyssum, et inter Dei sui brachia requiescens. Sedebat a dextris Dei Dominus Jesus, sed primo martyri martyrum caput. Recolitis quid illa Ecclesiae lingua, Augustinum loquor, de hoc martyre senserit, quem post mortem septem mortuos asserit suscitasse?

§ 9. Eja vos, qui Levitico ordine praefulgetis, cantate huic canticum novum, et tantae festivitati festivis vocibus incumbite. Fortassis aderit canentibus, et suggeret de nobis Domino suo judici nostro. Ne statuas illis aliquid ad peccatum: qui est Deus benedictus in secula. Amen.

---

# VITA

# BEATI JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE

## PER SIMEONEM METAPHRASTEN SCRIPTA.

**Obiit circa annum 101.**

§ 1. Quam parum absit homo ab Angelis, quodque ipsi possibile sit una cum illis versari, viciniusque assistere, immo etiam Deum imitari possit, quodque multo majus est, filius illius juxta gratiam effici, ostendit prae omnibus magnus hic Evangelista et Apostolus, matre quidem Virgine ditatus, dignus autem habitus, qui Christi frater vocaretur, ipsique factus socius et particeps arcanorum. Verum ipsamet divina oracula voce maxima praedicant Dei in seipso magnalia. Attamen id manifestius sermo nobis explicabit. Hic enim verbi vox, filius tonitrui, universum praedicatione comprehendens orbem, et, quod majus est, solumque in se sufficiens, dilectus ab ipso Christo meo, patriam quidem non habuit civitatem aliquam, sed ex vili quodam pago, et abjecta regione natus est *. Confirmant hunc sermonem scribae, dicentes: *Prophetam ex Galilaea non surrexisse* (*Joan.* VII); confirmat et ille vere Israelita, contendens nullum bonum esse posse a Nazareth (ib. I). Ex hac igitur hic, et ex tali tantus sacerdos, veluti ramus quidam productus, patre quoque, conformiter ad patriam, abjectus et obscurus, nempe piscatore ac paupere **. Et hic quidem puerilem jam aetatem egressus erat: porro pater filium ad idem opificium assumit, piscatoriae artis haeredem ipsum efficiens. Artis itaque socius erat filius patri, et familiaris ac domestica erat utrique paupertas. Quid enim pauperius et abjectius dicere quispiam poterit, quam sint piscatores? Quorum hic unus erat praeco veritatis, ac praeceptor. Quodque majus est ad abjectionis demonstrationem, non in mari piscabatur, sed in brevi quodam lacu, una cum patre, et fratre Jacobo versabatur, rupta sarciens retia (quod et ipsum extremae paupertatis erat), ac manuum artificio consolans necessariorum indigentiam. Itaque graecanicae disciplinae ne in modico quidem particeps erat. Cujus rei testis est sanctus Lucas, qui ipsum idiotam vocat et alienum a litteris. Unum hoc solum habebat insigne, quo agnosceretur, et bonum hoc vinculum a patribus trahebat, nempe pietatem.

§ 2. Ubi autem umbraticae nebulae elevatae sunt, et ea, quae

* Probabiliter in Bethsaida vel Capharnai pago.

** Zebedaeus vocabatur: is ad lacum Genezareth sedem habebat. Mater vero erat Salome.

figurarum erant, transire in veritatem coeperunt; et tu, Domine, qui singulatim finxisti corda nostra, non dispersisti testamentum tuum, quod nobiscum pactum erat, sed videns vidisti afflictionem Israel; et non exutus divinitate, propter nos factus es id, quod nos, sine peccato; et throno Patris non relicto, Virginem inhabitasti propter me, ut ego coelos inhabitarem, et ex veteri casu revocatus, et liber a peccato, ac primam adoptionem suscipiens; oportuit sane esse et discipulos, qui mysterio dispensationis ministrarent. Tunc quidem vocantur Andreas et Petrus; advocatur autem et hic, qui circa pisces et retia ac lacus versabatur; et jussus verbi voce, ut hominum piscator constitueretur, protinus fratre scaphaque relictis, ei, qui se vocabat, adjungitur*: et terreno homine exuitur propter coelestem, ac piscationem animarum transmutatus addiscit, et praeceptoris vestigia secutus, inimicos diligit, persequentibus benedicit.

§ 3. Utque uno verbo absolvam, in hujus lege exacte instruitur, talemque nactus praeceptorem, similem demonstrat disciplinam; et ascensiones in corde disponens discipulus familiarissimus, ac praeco maxime theologus efficitur: omnes sensus moderatur, familiaris omnino virginitati efficitur, tali utendo alimenti ratione, ut summa parsimonia vivere dumtaxat posset, sacrumque corpus, ut subsisteret, conservare. Hinc etiam virginitatis appellatione ditatur, et amicus ejus, qui imperium tenet, efficitur: magis autem et ipsum habet in seipso loquentem; et rursum ab eo audit, quae ille a Patre audierat; cumque in montem ascenderet, ipse una conscendit, ac dignus habetur visione admiranda, et majori, quam dici possit, ipsam verbi divinitatem denudatam intuitus, et coelestem audivit vocem, qua dilectum filium declarat pater, ac veteri testamento praeponit Evangelium.

§ 4. Decens ac honorifica coena subsequitur, et ne tunc quidem Joannes relinquitur. Deinde cum Petro opus esset discere, quisnam is esset, qui horrendam illam proditionem parturiret, nec ipse auderet interrogare, quamquam primas teneret in choro discipulorum, Joanni hoc committit. Noverat enim id, quod Christus erat apud ipsum, hoc Joannem esse apud Christum: et quod ipse quidem diligeret, ille autem dilectus esset. Et vide quanta accedat ipsi libertas loquendi. Neque enim vulgari modo interrogat, neque primum excusans, quod metu accederet: sed sciens quanto ipsum amore prosequeretur, sedenti adhaeret praeceptori, et in hujus pectus recumbens, ait: *Domine, quis est qui tradit te?* Ille autem libenti etiam animo accipit, quod ille fecerat, et quasi opportune fuerit libere locutus, gratum habet. Ex eo enim, quod protinus quaestionem solvat, ac pane designet proditorem, significat se non aegre ferre eam libertatem. Itaque hinc

* Videtur tamen S. Joannem Evangelistam antea discipulum fuisse, etsi per breve tempus S. Joannis Baptistae.

etiam manifestum est, quod cathedram, quam proxime Christum cum fratre petivit, non gloriae, sed Christi amore petiverit, et quod nollet hic alium esse sibi dilecto viciniorem.

§ 5. Condemnatur Jesus, et adest Joannes, ac ad atrium Pontificis, cum notus esset Pontifici, una congreditur, loquiturque ostiariae, et Petrum pro foribus stantem introducit. Imminet tempus salutaris passionis, et verbum permanet, ut procedat ad patrem, ac Joannes cum matre adstat cruci, materque audit a filio ac suo conditore: *Ecce filius tuus dilectus;* et rursum hic, *Ecce mater tua.* Ab hoc igitur tempore virgo hic mente et corpore, matrem ac Virginem sibi vindicat; nec multo post Christum, qui resurrexerat, videt, vidensque agnoscit, et cum Petro ad sepulcrum venit, ac prior procurrit, et postquam sepulcralia vidit, spiritus inflationem suscipit, ejusque donis ditatur, ac divinis manibus consecratur universi orbis Apostolus.

§ 6. Quoniam autem praeceptorem audiverat alias quoque oves habere, quae licet ex hoc non essent ovili, oportet tamen et illas congregare, et ab eodem regi pastore, fierique unum ovile, et eas recte ac libere ipsum sequi, neque aliena fistula rapi et dispergi, ac corrumpi, haec, quantum aequum est, anxie curat, et in iter ad hoc mittitur, ut dispersas oves in unum congregaret, et eam quae errasset, fistula veritatis revocaret, ac sub uno vero pastore ovile repararet: si quis duram ac repugnantem haberet animam, hoc eodem igne succulentam redditurus ac teneram. Unde, relictâ Palaestinâ, in Asiam proficiscitur; cumque ea, quae ipsam concernebant, recte disposuisset, Joniam occupat, ac Ephesum aggreditur, ubi plures ac crudeliores ferae erant, et talia, quae periculo quovis longe periculosiora essent. Et primum quidem templum Amazonum, ipsis idolis consecratum, una prece subvertit, ac veluti plateae lutum diruit. Deinde sacrificorum, qui a sacrificiorum appellatione cognomen sortiti sunt, hos quidem sermonibus, illos autem signis, rationibus ac necessitatibus transfert ab errore: et hujusmodi exuberantibus modis efficit, ut transmutentur ad discendam pietatem, et ipsi etiam aliis constituantur deinceps veritatis duces ac praeceptores. Ac ita partim quidem alios objurgando, partim vero, quae conveniunt, etiam admonendo, omnibusque omnia factus, in sortem eorum, qui salvi fiunt, omnes pellicit: ut hinc factum cognosceretur, quod a Paulo dictum est: *Ubi abundavit iniquitas, ibi superabundavit et gratia* (*Rom.* v).

§ 7. Verum maligno illi non dabatur inter haec requies. Certe oculis invidis intuitus pietatem adeo succrescere, cognitâ hujus rei causâ, omnem adversus illud movet lapidem. Quid ergo sumit consilii? Domitianum * Vespasiani filium ingressus, qui post

* Domitianus, anno 81, imperium suscepit; imperavitque annos 15. Primo bonus et clemens, postea atrox caedibus suppliciis atque libidinis aestu. Tandem a conjuratoribus quibusdam, ipsa ejusdem uxore consentiente, trucidatus est. Senatus deinde ejus nomen eradendum, abolendamque omnem memoriam decrevit.

Titum obtinuit imperium, cum illo adversus pietatem decernit. Ante omnia autem Joannem, qui robur universorum erat, tollere conatur; statimque ipsum ab Asia ducit in Europam, et in exsilium relegat, quemadmodum insequens sermo manifestare poterit. Ubi enim in conspectum Imperatoris venisset, et quis, et unde ortus esset, quamque profiteretur religionem, et quemnam diceret esse venturum, interrogatus esset: Joannem quidem se vocatum esse, et a Judaeorum genere prodiisse, ac sodalitii Christianorum esse respondet; se autem annunciare hunc esse venturum, cujus thronus veluti luna praeparatus, ac perfectus esset in seculum. Ubi autem dixisset Imperator: « Et quibus modis haec confirmare poteris?» Neque enim haec sufficientia sunt ad faciendam fidem eorum, de quibus non est in promptu demonstratio. » — « Morbi protinus (o ineffabilem Domine tuam potentiam!) et daemoniorum legiones pelluntur; reviviscunt autem mortui, jussum sequendo velocius, quam viventes. Quibus, o Rex (ajunt Joannem dixisse), ne dubites, ab his, quae apparent, conjecturam faciens eorum, quae manifesta non sunt. Porro quae de Saturno, et Jove, caeterisque diis vestris feruntur, nisi sufficientes essent, qui ante nos demonstrassent, utique et ego facile ostenderem nihil esse, sed plena potius ingenti vituperio, risuque ac dementia. Verumenimvero deceptionis salsugine abjecta, satiare potius fonte potabili ac dulcissimo. »

§ 8. Hunc autem stupore simul et ira correptum ajunt, hinc quidem ob portenta ab ipso peracta, illinc vero ob id, quod deos suos calumniaretur. Itaque ad sermonis splendorem non accessit ob tenebrarum, quae in ejus corde erant, crassitiem. Quod autem hunc non occiderit, dictus ad Petrum sermo prohibuit, puta: *Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?* Sed virum perpetuo exsilio condemnavit, in unam Sporadum insularum relegans (Patmos * huic nomen erat), cum olim apud Romanos aequaretur morti exsilium. Ductus est igitur ad exsilii terminum magnus Apostolus, et insulam apprehendit **. Non longo postmodum tempore insulares servatorem ac patronum ducunt *tonitrui filium****, et ad aequitatem transeunt, seseque ad pietatem componunt. Itaque cum hic esset Apostolus, et admirandus Dionysius ferme jam nonaginta esset annorum, ex Athenis scribit ei in hunc modum: « Tuam saluto sacram animam, dilecte, et erit mihi id peculiarius prae multis. Salve, igitur, vere Christo dilecte.» Consequenter autem etiam haec addit: « Quid admirandum, si Christus verum loquatur, et iniqui discipulos e civitatibus expellant, ipsi sibi ipsis condigna distribuentes, et execrandi a sanctis se

* In mare Aegeo. Apud Romanos locus quidem erat exsilii. Nunc vocatur *Patino* vel *Palmosa*.

** Anno Chr. 92. Miramur porro Metaphrastem nullam hic fecisse mentionem de saevo supplicio, quod S. Joanni, Romae, apud Portam Latinam, illatum fuit, ut testantur Tertullianus, Hieronymus et Eusebius. Tu vero, circa idem martyrium, cujus in Ecclesia perpetua est memoria, Breviarium Rom. die VI maji consule.

*** Filius tonitrui, idem est ac *fulmen*.

segregantes ac separantes? » Deinde etiam ad ipsum finem Epistolae haec de futuris subscribit: « Omnino enim fide dignus sum, inquit, ut qui a Deo didicerim, quae decreta sunt, ut tibi contingant, et dico etiam, quod liberandus sis e custodia, qua in Patmo servaris, et in Asiaticam terram reversurus, ibique facturus boni Dei imitationes, et his, qui te sequentur, traditiones. » Sed haec quidem postmodum suo tempore contigerunt, ac terminum accepit vaticinium (quemadmodum in sequentibus sermo manifestare poterit), cum jam Dionysius sub Domitiano pro Christo vitam martyrio finisset.

§ 9. Quae sunt autem facta post haec? Domitiano ex hominibus sublato, Nerva in Imperio succedit, et condemnatis in exsilium, tamquam benignus et humanus donat revocationem. Nec multo post tempore Trajanus sceptra Romana suscipit, et consecutive humanum confirmat edictum, revocans eos, qui in exsilio erant. Venerunt ergo et in Patmon Imperatoris edicta, venit et ad Joannem revocatio *. Et ille quidem decrevit navigare in Ephesum: porro qui in insula erant, dicebant, ne se desereret, sed apud ipsos permaneret, non aliter quam qui ferre non possunt, ut a pio patre derelinquantur. Hinc autem lamenta, luctus, ac lacrymae. Quis, inquiunt, nobis tuum explebit ordinem? Cui vero tali patri ac pastori subjecti esse poterimus? Quid desiderii, quid flammae ex ipso procedentis, solatium efficiemus? Quum autem persuadere non possent, dum supplicarent ut virum apud se retinerent, secundae fuit supplicationis initium, et secundas rursum faciunt petitiones, ne totum seipsum auferret, neque universa tristitiae mole eos offenderet, sed vel pro re umbram, suos, inquam, sermones pro se apud ipsos relinqueret, ac mysterium, quod apud nos factum est, universae dispensationis Christi describeret. Cedit igitur illorum petitioni, immo cedit potius paternis visceribus, quibus hic erga ipsos utebatur, praesertim cum superna providentia ita disposuisset multorum salutem ac Evangelii praedicationem. Et primum quidem ipse jejunium sibi imperat, jejunus ipse ac propemodum corpore exhaustus, aliisque hoc ipsum constituit, ac abstinentiam a malis, et hos quidem in tali quiete relinquit.

§ 10. Caeterum unum quemdam e septem se sequi jubet (Prochorus ** hic erat), ut ipse quidem ea, quae a Deo essent: iste autem, quae ab ipso, notaret. Porro ipse montis verticem capessit, et more Samuelis quidem rectus erigitur: sicut Moyses autem manibus elevatis effiguratur, et mentem a sensibus abstractam, totam refert in id, quod exoptat. Quid ergo hinc secutum est? Horrenda tonitrua, et terrores, ac fulgura continue vehementi fragore elisa, et repente effulgentia: quorum si quis imagines ac

* Ab exsilio revocatus fuit S. Joannes Evang. circa annum Chr. 98.
** Exstant quaedam S. Joannis Ev. Acta, quae Prochori nomine inscribuntur.

figuras dixerit ea, quae multo antea sub Moyse contigerant, quando Deo aderat, et ab eo tabulas accipiebat, nequaquam a veritate aberraverit. At Prochorus interim pronus quidem, et velut exanimis non ferebat inter hujuscemodi versari spectacula: ipse vero stat imperterritus, cum charitas procul abjecisset timorem. Ad extremum tonitru in vocem exprimitur, ac dilucide resonat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Prochorus, qui divina institutione proximus erat, lumen quidem videbat, quamquam subtremulus, porro neminem audiebat; quia neque hi, qui cum Paulo et Moyse quondam erant, eos audierunt, qui illos in sacris instituebant. Lingua tonitrui, theologus est *. Et sacrarum rerum discipulus, represso paululum timore, subtremula manu, quae inde sumpta sunt, exarat, donec perfectum est Evangelium. Denique cedunt pauperes, ac terrenis revelantur coelestia.

§ **11**. Tandem etiam a monte descendit Joannes, novam legem sibi creditam habens, quemadmodum olim tabulas Moyses Dei inspector, illamque ferens dat his qui petiverant. Ita ergo ubi novam legem, quam acceperat, illis tradidisset, ipse vi sane, et invitis quidem insularibus, navigabat tamen Ephesum versus. Porro illi, veluti qui oculorum caecitate longo tempore detinentur, si quando possint morbum repellere, longe jucundius solem intuentur: ita et Ephesii recipientes Christi dilectum, quodam etiam modo desiderabilius, quam prius, afficiuntur. Quid autem ille? Quamquam vehementer fuisset frequenter fatigatus, non dat oculis somnum, nec palpebris dormitationem, nec requiem temporibus, sed populum quidem exhortatur, adversus autem incredulos zelum ostendit, errore supplantatos reducit ad veritatem: feras arcet, quae post suum discessum impudenter in ovile se ingesserant, ac gregem revocat. Ita, dispositis his quae circa Ephesum erant, ad propinquas gentes discedit, hic quidem Episcopos constituturus, illic vero integras quoque docturus Ecclesias spiritu obsignari.

§ **12**. Verum me huc sermonis progressum, factum illud animae generosae ac humanae occupat, quod etiam altius repetens (veluti narrat Clemens ille Alexandrinae Ecclesiae presbyter, vir et in aliis admirandus, et eloquentia sane laudabilis, in sermone: *Quis dives salvus fiat?*) retexam. Quum enim pervenisset Joannes post reditum ex Patmo ad quamdam vicinarum civitatum, cujus etiam appellationem nonnulli dicunt, et fratres, qui in hac erant, opportune recreasset, quemdam ibi adolescentem reperit magnitudine mediocrem, adspectu civilem; cumque perspicaci spiritus efficacia generositatem animae illius, ac morum liberalitatem observasset, benedictiones dat adolescenti, et sufficienter ipsum inungit ac excitat. Quoniam autem jam discessurus erat, et alio accessurus, ut et terram praedicatione, et mare, ac insulas accederet,

* S. Joannes et *Theologus* antonomastice cognominatus est.

civitatis Episcopo adolescentem in ecclesia coram Christo teste commendat, ubi multa de illius disciplina et educatione praecepisset. Ille vero prompto suscepit animo, pollicitus multa quoque se adjecturum in cura circa adolescentem. Deinde ille quidem Ephesum discedit: hic autem assumptum in domum adolescentem alebat, instruebat, curam ejus habebat, tandem etiam baptizavit. Porro ubi Domini signaculum, nempe firmum munimentum ipsi addidisset, deinceps custodia liberum esse dimisit. Ad hunc autem, qui ante tempus remissionem acceperat, subeunt nonnulli coaetanei, effrenes ac indisciplinati in cupiditatibus. Et primum quidem adolescentem ad vitia persuasibilem, pretiosis conviviis ac mensis sibi conciliant. Quae autem hinc sequuta sunt? Facilis enim ac proclivis est via quae ducit ad vitia, et eum, qui primum ejus attigit gradum, facile admodum est per omnem aequalitatem detrahi protinus usque ad extremum. Hac via dum etiam nocte ad furta accederent, adolescentem una protrahunt. Ille vero jam amore latrocinii succensus, et spe divitiarum cupiditatem exacuens, nihil jam meditabatur, quod esset exiguum, propter naturae ac indolis generositatem. Denique etiam latronum sodalitatem his, qui secum erant, demonstravit, atque hic latronum princeps, primusque raptor erat vehementissimus. Post haec vero ubi Joannes rursum ad eam civitatem remeasset, caeteris, propter quae eo venerat, dispositis, ut aequum erat: « Age sane, inquit ad Episcopum, depositum nobis redde, quod ego et Christus loco testis in ecclesia apud te deposuimus. » At ille cum existimaret pecunias esse, quae repeterentur, primum quidem obstupuit, cum sibi non esset conscius se id, quod repetebatur, accepisse, et neque credere posset fieri repetitionem ob ea, quae non haberet, neque Joanni non credere. Ubi autem dixisset: « Adolescentem repeto, et fratris animam, » intimius suspirans senex, ardentiori spiritu, ac sublacrymatione miseriam indicans: « Ille, inquit, mortuus est. » Porro interrogatus, quando, et quomodo, quave morte: « Deo, inquit, mortuus est, cum latrocinium exercere elegerit, et montem loco ecclesiae inhabitare, perditorum conversationem amplexus potius, quam nostram erga ipsum sollicitudinem ac curam. » At ille ob hoc dolore vehementi oppressus: « Revera, inquit, egregium te custodem animae fratris reliqui: verum equus jam adsit, ac viae ductor mihi detur. » Statimque, conscenso equo, totas laxabat habenas, minorem esse existimans equi velocitatem pro sua festinatione. Jamque, monte apprehenso, a latronum custodia, nihil deprecans, neque fugiens, capitur. « Et in hoc, inquit, veni: itaque ad principem vestrum me ducite. » Porro ubi ille hunc esse ipsum Joannem cognovit, certe pudore suffusus fugit. At hic oblivioni tradita senectute, ac motione, quae mundum consequi solet, persequitur. Deinde magna quadam gravique voce clamans: « Quid, inquit, fili, fugis me patrem tuum?

Meam reverere canitiem, ac floris aetatis tuae miserere: adhuc tibi spes vitae relinquitur, ego pro te rationem reddam: consiste in loco, fili: Christus me misit ad te. » Haec cum audisset adolescens, primum quidem constitit, terrae pavimentum intentis oculis intuens, prae pudore oculos non potens sursum erigere. Deinde, projectis in terram armis, miserabili quodam modo cum magno dolore ejulatur, ac venientem amplexatur senem, propter gemitus quidem efficiens, ne fletibus dignus esset; propter lacrymas vero, ne vel lamentis; solam occultat dexteram: verebatur enim et hanc ipsi porrigere, quam tot sceleribus ac latrociniis foedaverat. Porro ille veluti pater vehementi amore visceribus sauciatus, spondet veniam, misericordem pollicetur judicem, et apprehensa dextera, deosculatur, et ad ecclesiam reducit adolescentem. Deinde abundanti utens oratione, perseverat jejuniis annitens, et adolescentis animam variis sermonum cantilenis velut unguentis quibusdam deliniens, non prius abscessit, quam hunc priori sanitate donaret, magnum quoddam vitae relinquens exemplum ad poenitentiam. Et hoc quidem tale est, et adeo dignum, quod non occultetur.

§ 18. Porro illud longe majus est, longeque magis admirandum, et ex eadem benigna illa anima compassionem simul et potentiam ostendens. Dicitur enim quidam fidelis eo tempore, qui prius vitae necessaria sufficienter habuerat, nec aliqua pressus fuerat indigentia, ad extremam inopiam postmodum recidisse, ut et debitorum multitudine circumvallaretur, et innumeris foeneratoribus suspectus esset, ac velut fera quaedam a tergo sagaciter investigaretur ab illis et inquireretur, ac in ipsarum rerum necessariarum inopiam vagaretur. At enim cum pudore, quem ob foeneratorum exactiones misere sustinebat, jam etiam necessitatem ex indigentia non ferens homo, ad mortem decrevit confugere, idque conabatur, ut haec quantocius ad se veniret, si forte hinc et egestatem, et debitorum multitudinem dissolveret. Verum, quoniam haec ultro non veniebat, compendiosam viam ad hanc invenit, et quem tunc peritissimum esse sciebat conficiendis venenis ac praestigiatorem, cultu hebraeum, hunc accessit, eique revelat quid in animo haberet, ac orat eum, ut qui possit sibi auxilio esse in eo quod mente conceperat, et suae mortis fieri particeps. Atque hic confestim promptus invenitur minister, ac venenum illi tradit, vitaeque subversionem consulit. Porro miser ille, accepto veneno, domum redit. Cum variis autem luctans cogitationibus, curisque duplicibus anxius, et nunc quidem praesentibus delectationibus hujusque vitae concupiscentia allectus, nunc vero foeneratorum multitudinem, aliasque ex indigentia procedentes molestias considerans, medius stabat inter extremam consilii inopiam. Siquidem cum ad dulcem hanc lucem respiciebat, venenum respuebat: quando vero ad circumstantem undique egestatem, animoque insidentem anxietatem, ausum sumebat adversus

mortem: victus tamen est a necessitate, et ut hinc liberaretur a molestiis, elegit ab ipsa vita liberari. Denique, infuso veneno, sumptoque extremis digitis cratere, quandoquidem animus ad id non accedebat, sed timide admodum se habebat, intusque sibi cor continue palpitabat: tandem Crucis signaculo Christianis consueto venenum consignat, statimque ubi clausis oculis bibisset (o magnam ac admirandam, Christe, tuam potentiam), illaesus permansit, Cruce veneno suam tollente vim.

§ 14. Cum autem simili rursum necessitate opprimeretur, et ab ipsis creditoribus obsideretur, animamque haberet priori oppressam inopia, et quae omni modo quaereret e praesentibus liberationem, labefactabatur tamen ad sumendum alterum venenum et ad mortem accedere recusabat. Verum cum e praesentibus non liberaretur difficultatibus, gravius esse malum judicans iterata etiam morte, accedit ad veneficum, rursumque ab illo poscit aliud pharmacum, ut malum malo mederetur, cum id, quod prius acceperat, nihil ad id, quod necesse erat, tulisset auxilii, utpote sua natura illud vincente. Nam id impedimento fuisse veneni efficaciae demens dicebat, non intelligens Crucem fuisse, quae hic mortem abstulisset, quae etiam antea serpentem, longe hoc veneno potentiorem, sustulerat. Itaque praestigiator ille ac veneficus, et ipse pharmaci debilitatem damnans, aliud ipsi porrigit, quod priore multo efficacius erat. Cumque rursum domum venisset, ac illud bibiturus esset, cum priori timore et agonia, duplicibusque illis anxietatibus luctabatur, et sudore undique circumfluebat, ac tremebat. Deinde ubi rursum consueto Crucis signaculo calicem consignasset, ac bibisset, iterum illaesus permansit, ipseque obstupuit, sane cum causam conjectare non posset, ac mirum in modum desperationis stimulis jactabatur; nondum enim intelligere poterat quod Crucis efficacia esset, quae veneni vires extingueret. Cumque homo animi angustiae ac calamitatum pelago immersus, nec vel paululum ad saniorem mentem redire, nec ea quae (ut ajunt) ante pedes erant, cognoscere posset, hinc iterato abit ad Hebraeum, et eadem quae prius exponit. Cum autem et ille consternatus esset, longoque tempore super ea re consilio destitueretur, deinde etiam causam aliquam deprehendere cuperet, propter quam in veneno falsus esset (ipse enim veneficus erat, et hujusmodi rerum artifex), quo pacto et in quem modum, ubi domum rediisset, venenum acciperet, minutatim per singula interrogabat. Hic autem: « Nihil, inquit, aliud ago domum veniens, quam quod infuso crateri veneno, deinde paululum etiam labefactus, et anxietate in corde concussus, Crucis signo, ut quod a Christianis ex consuetudine fieri solet, propter timorem calice obsignato, oculis clausis illud bibo. » Ubi primum Crucis nomen hic audisset Hebraeus, intellexit statim quod erat, nempe Crucem esse quae vim tolleret veneni. Porro ne res nudae solum haereret

suspicioni, quamdam etiam requirit fidem: cuidam illius cani tradito veneno, hunc protinus interimit.

§ 15. Hebraeus autem nullas amplius requirens demonstrationes, abjurata patria secta, ad veritatem accedit. Idque primum tollit errorem, et venenum ei, qui alio modo usus fuerat, vere mortiferum ostensum est prioris veneficii, ipsius signum mutationis idoneum. Accedit ad Christi discipulum, ducem errantium: tubae variarum spiritus linguarum mentis conceptum indicat, arguit insipientiam, publicat pravum illud mysterium, manifestat prioris erroris insensibilitatem. Porro ille et accedentem suscipit, et laudat resipiscentiam, ipsumque adhortationibus munit ac consiliis. Deinde et baptismate regenerat, et universorum Domino conciliat. Verum neque communis salutis dispensator eum, qui Hebraeo fuerat occasio mutationis, ita male habentem neglexit: sed causa cognita, quae ipsum ad id periculi duxerat, et propter quam ultro propria quoque vita misere privandus erat, et paternis ipsum refovet colloquiis, et illius animam, quae jam conciderat, erigit, ac tristitiam et desperationem àbjicit. Deinde opere etiam affert consolationem, quandoquidem et hoc poterat efficere. Quoniam enim et debitorum repetitione, et rerum necessariarum inopia oppressum illum vidit, et ob id ipsam vitam misere abjicientem, quid facit? Atque hinc mihi considerate, quibus donis ille dotatus fuerat. Quod enim antea Petrus, cum ipso templum ingressurus ad horam precationis nonam, qua (ut inquit Lucas) usus est in claudo, qui ad Speciosam templi portam sedebat, ac eleemosynam petebat, dicens: *Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do* (*Act.* III), simul et pedes ipsi sanos reddens: hoc sane et iste hic facit. Sciens enim nihil sibi argenti esse vel auri, ut hinc illius indigentiae necessitatem consolari posset, herbae, quae in proximo erat, quantum ambabus manibus comprehendere posset, jussit homini accipere. Ille vero cum ignoraret, quaenam esset causa, et quidnam hac re sibi vellet Apostolus, ac herbam, quantum totis manibus assequebatur, comprehendisset, ipse, facta dumtaxat oratione ac signo Crucis, ipsam restituit, et protinus correptam herbam aurum esse ostendit, aurumque purissimum: atque hunc confestim tollere jussit, simulque et consilii inopiam ac desperationem ex praesenti egestate contractam dissolvere, et debita reddere, ac residuae vitae occasionibus providere, Deoque gratiarum actiones reddere. Quid igitur fieri posset, quod huic aequaretur miraculo? Siquidem in templi introitu forsan et hic quodammodo fuerat Petro auxilio, et abundantiorem ambo spiritus gratiam postulaverant: Hic autem solam Joannis vim ac fortitudinem est intueri, quantaque erga Deum spiritus familiaritate ditatus sit.

§ 16. Sed haec quidem exhibebat, dum adhuc in terra conversaretur, errores abigens, et pietatis praedicationem disseminans,

ac revocans veritatem. Postquam autem omnes, quod suarum erat partium, Deo adduxerat, coelum quidem efficiens proscenium, terrae autem orbem theatrum, ac Angelos spectatores, qui stupefacti erant ad decorem virtutis illius ac prudentiam (desiderabilia namque super aurum et lapidem pretiosum multum, ac dulciora super mel et favum, erant doctrinae ipsius divina eloquia), civitatem egressus est, discipulis praecipiens, ut ligonem ac sarculum secum conferrent: ac protinus in montem quemdam ascendens, ubi nunc hujus templum extructum est eximiae cum pulcritudinis, tum magnitudinis, stansque in ipso: « Hic, inquit, filii, mihi fodite. » Deinde ubi se totum consignasset, ac dixisset: « Et tu mecum esto, Domine Jesu Christe, » adstantibusque subjunxisset: « Pax vobis, fratres; » in foveam demisit pallium, et ipse quoque in eam descendit, ac corpore mediam obtinuit Asiam, ubi olim, qui e Graecanico coetu erant, philosophabantur. Porro discipuli comas evellebant, genasque percutiebant, ac orbationem miserabiliter deplorabant, pastorem, gubernatorem, servatorem, denique eum, qui omnibus omnia erat, inclamabant. Deinde etiam civitatem accedentes, his, qui in civitate erant manifestant id quod factum erat. Interim autem die illucescente, concurrunt ad monumentum, discere cupientes, num praeceptor adhuc superviveret, et ovile accesserunt. Porro pastor nusquam comparebat, solae jacebant crepidae: is autem, qui has abjecerat, disparuerat. Discurrunt huc et illuc, quemadmodum hi, qui cum Eliseo erant, scrutantur, investigant, verum incassus efficitur ipsis labor. Deinde vix tandem illius vocis recordati: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* (*Joan.* XXI), ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Enoch et Eliae Thesbitae conjungitur: hi autem a lamentis discedentes, Deum universorum laudabant, qui suum dilectum adeo magnificaverat *.

§ **17**. Hoc itaque die, quo haec contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conventus ex omni genere ac universa aetate, qui astrorum splendorem imitetur. Praeterea in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinavit, minutus quidam pulvis manat ac exoritur, cuivis accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cum igitur in nocturnis laudibus festi ipsius, ab his qui in eo ministrant, tradatur coetibus ad hoc congregatis, non facile exhauritur: sed quo amplius hauriunt, tanto magis manat, veluti perpetuus quidam thesaurus, qui simul et participantes reddit ditiores, ac seipso abundantior semper efficitur, gratia ac

* Baronius, in *Notis* ad Martyrologium Rom. hac die, pluribus antiquitatis testimoniis adlatis, probat, contra quorumdam recentiorum assertiones, vere S. Joannem Evang. vitâ functum fuisse. Sepulcrum autem hujus S. Apostoli, Ephesi, summo honore habebatur. Inter religiosas Orientalium peregrinationes percelebris erat, ait idem Baronius, Ephesina, visitandi gratiâ sepulcrum hoc, quum praesertim certa quadam traditione exploratum haberetur, illic apud S. Joannem Dei Genitricem Mariam aliquandiu permansisse.

benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul ac Spiritui Sancto gloria, imperium, honor et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

## SERMO BEATI PETRI DAMIANI

### PRIMUS

# DE EXCELLENTIA S. JOANNIS EVANGELISTAE

§ 1. Hodie, dilectissimi, nobis laetitiae gaudia geminantur, quia recenti adhuc nativitate Dominica, beati Joannis occurrit solemnitas gloriosa. Hodie Discipulus quem diligebat Jesus, dilectoris sui amplexibus stringitur, societate perfruitur, et quod viderat, quod audierat, quod manibus attrectaverat de verbo vitae, tanto jam liquidius, quanto sublimius contemplatur. Hodie scilicet illa mirabilis aquila, quam et olim Ezechiel eminere caeteris quatuor animalibus vidit, et ipse Joannes suimet (ut ita loquar) propheta factus, volantem in mystica visione conspexit, ad unicam Angelorum et hominum escam, librata pennis sublimium meritorum, feliciter evolavit. Licet enim ubicumque fuerit corpus, illic necessario congregentur et aquilae; iste tamen tanto familiarius ad vitae pabulum, corruptionis vinculis jam solutus, accedit, quanto et in carne adhuc positus, in ipsum aeterni Solis orbem, hoc est in divinae substantiae claritatem, radios purificatae mentis infixit.

§ 2. O quam miranda super nos coelestis consilii dispensatio! O quam profunda divinae sapientiae est altitudo! Descendit Deus ad hominem, ut occultam hominibus patefaceret Deitatem. Ad humanae mortalitatis exire dignatus est publicum, ut nobis aeternitatis suae revelaret arcanum. Sed si mox, ut in Evangelicae doctrinae coepit verba prorumpere, ac novae gratiae mysteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, statim divinitatis suae panderet sacramentum, cujus, quaeso, ferret auditus, cujus unquam caperet intellectus? Nam ut de divinitate nunc taceam, cum Dominus diceret: *Quia nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; et qui manducat me, ipse vivet propter me* (*Joan.* VI); protinus aspernati sunt verbum, et exhoruere dicentes: *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Deinde Scriptura subjungit: *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant:* videlicet non de turba, non quilibet imperiti, sed ipsi etiam discipuli nequiverunt capere verbum mysterii. Quid ergo isti facerent

ante solem, qui caecati sunt ad lucernam? Quomodo tonitrui sustineant sonitum, qui clangentis tubae pondus ferre nequeunt, immo qui suppressae ac temperatae humanae vocis exilitate surdescunt.

§ 3. Propterea igitur Redemptor noster dilectum sibi speciali praerogativa Discipulum, ad declarandam suae divinitatis essentiam quoddam quasi organum fecit, atque ut hic suppleret, quod ad tempus ipse Dominus dispensative suppresserat, sibimet vicarium dereliquit, quatenus expleto passionis, ac resurrectionis, ascensionisque mysterio, post tredecim fere annorum lustra, cum jam videlicet homines liberiorem ad capessendam veritatem haberent mentis obtutum, hic coëssentiali et coaeterni Deo Verbi panderet sacramentum, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I).

§ 4. Humanae quippe imbecillitatis ordo poscebat, ut prius Christi humanitatis primordia, cursum, consummationemque pernosceret, miracula etiam, quae in hominem gessit, addisceret, sicque paulatim ad comprehendendum divinitatis occultae mysterium, suis vegetata provectibus adspiraret. Quapropter divini fuit causa consilii, ut caeteri Evangelistae, qui in describenda Salvatoris humanitate versati sunt, longe praecederent; Joannes vero, cum homines tamquam primo lactantes firmiora jam in via veritatis vestigia figerent, eos ad conscendendam divinae scientiae gratiam promoveret. Hanc denique supereminentem divinae scientiae celsitudinem tunc divinitus illustrata mente concepit, cum in sacrosanctae mysticae coenae convivio supra pectus recubuit Redemptoris. Et quia in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, ex illo coelesti gazophylacio summam traxit, unde nostrae paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit. Ex illo (inquam) nobis aerario divitiarum copias attulit, et in communem totius mundi salutem bene prodigus erogavit: immo super fontem perennis vitae recubuit, ut et ipse tunc semper manantia fluenta divinae doctrinae hauriret, et eadem nobis postmodum praefixo certi temporis articulo propinaret.

§ 5. Magnus videlicet paradisi fluvius, qui ex principali sui fontis origine profluens, ac uberiori coelestium charismatum inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat, et ad proferenda bonorum operum tamquam novarum frugum germina, uberrima fertilitate fecundat. Et non immerito tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis virgini debebatur, ut qui carnis sibimet amputavit illecebras, felici commercio, pro carnali dulcedine, coelestium epularum divitiis frueretur. Ad tantum scilicet gratiae provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus adspirasse. Nec mirum si

benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul ac Spiritui Sancto gloria, imperium, honor et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

## SERMO BEATI PETRI DAMIANI

### PRIMUS

## DE EXCELLENTIA S. JOANNIS EVANGELISTAE

§ 1. Hodie, dilectissimi, nobis laetitiae gaudia geminantur, quia recenti adhuc nativitate Dominica, beati Joannis occurrit solemnitas gloriosa. Hodie Discipulus quem diligebat Jesus, dilectoris sui amplexibus stringitur, societate perfruitur, et quod viderat, quod audierat, quod manibus attrectaverat de verbo vitae, tanto jam liquidius, quanto sublimius contemplatur. Hodie scilicet illa mirabilis aquila, quam et olim Ezechiel eminere caeteris quatuor animalibus vidit, et ipse Joannes suimet (ut ita loquar) propheta factus, volantem in mystica visione conspexit, ad unicam Angelorum et hominum escam, librata pennis sublimium meritorum, feliciter evolavit. Licet enim ubicumque fuerit corpus, illic necessario congregentur et aquilae; iste tamen tanto familiarius ad vitae pabulum, corruptionis vinculis jam solutus, accedit, quanto et in carne adhuc positus, in ipsum aeterni Solis orbem, hoc est in divinae substantiae claritatem, radios purificatae mentis infixit.

§ 2. O quam miranda super nos coelestis consilii dispensatio! O quam profunda divinae sapientiae est altitudo! Descendit Deus ad hominem, ut occultam hominibus patefaceret Deitatem. Ad humanae mortalitatis exire dignatus est publicum, ut nobis aeternitatis suae revelaret arcanum. Sed si mox, ut in Evangelicae doctrinae coepit verba prorumpere, ac novae gratiae mysteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, statim divinitatis suae panderet sacramentum, cujus, quaeso, ferret auditus, cujus unquam caperet intellectus? Nam ut de divinitate nunc taceam, cum Dominus diceret: *Quia nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; et qui manducat me, ipse vivet propter me* (*Joan.* VI); protinus aspernati sunt verbum, et exhoruere dicentes: *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Deinde Scriptura subjungit: *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant:* videlicet non de turba, non quilibet imperiti, sed ipsi etiam discipuli nequiverunt capere verbum mysterii. Quid ergo isti facerent

ante solem, qui caecati sunt ad lucernam? Quomodo tonitrui sustineant sonitum, qui clangentis tubae pondus ferre nequeunt, immo qui suppressae ac temperatae humanae vocis exilitate surdescunt.

§ 3. Propterea igitur Redemptor noster dilectum sibi speciali praerogativa Discipulum, ad declarandam suae divinitatis essentiam quoddam quasi organum fecit, atque ut hic suppleret, quod ad tempus ipse Dominus dispensative suppresserat, sibimet vicarium dereliquit, quatenus expleto passionis, ac resurrectionis, ascensionisque mysterio, post tredecim fere annorum lustra, cum jam videlicet homines liberiorem ad capessendam veritatem haberent mentis obtutum, hic coëssentiali et coaeterni Deo Verbi panderet sacramentum, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I).

§ 4. Humanae quippe imbecillitatis ordo poscebat, ut prius Christi humanitatis primordia, cursum, consummationemque pernosceret, miracula etiam, quae in hominem gessit, addisceret, sicque paulatim ad comprehendendum divinitatis occultae mysterium, suis vegetata provectibus adspiraret. Quapropter divini fuit causa consilii, ut caeteri Evangelistae, qui in describenda Salvatoris humanitate versati sunt, longe praecederent; Joannes vero, cum homines tamquam primo lactantes firmiora jam in via veritatis vestigia figerent, eos ad conscendendam divinae scientiae gratiam promoveret. Hanc denique supereminentem divinae scientiae celsitudinem tunc divinitus illustrata mente concepit, cum in sacrosanctae mysticae coenae convivio supra pectus recubuit Redemptoris. Et quia in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, ex illo coelesti gazophylacio summam traxit, unde nostrae paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit. Ex illo (inquam) nobis aerario divitiarum copias attulit, et in communem totius mundi salutem bene prodigus erogavit: immo super fontem perennis vitae recubuit, ut et ipse tunc semper manantia fluenta divinae doctrinae hauriret, et eadem nobis postmodum praefixo certi temporis articulo propinaret.

§ 5. Magnus videlicet paradisi fluvius, qui ex principali sui fontis origine profluens, ac uberiori coelestium charismatum inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat, et ad proferenda bonorum operum tamquam novarum frugum germina, uberrima fertilitate fecundat. Et non immerito tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis virgini debebatur, ut qui carnis sibimet amputavit illecebras, felici commercio, pro carnali dulcedine, coelestium epularum divitiis frueretur. Ad tantum scilicet gratiae provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus adspirasse. Nec mirum si

Redemptor noster beato Joanni vicem suam ad declarandum divinitatis suae mysterium delegavit, quem ad custodiendam venerabilem Matrem suam, perpetuam scilicet Virginem, quasi alterum filium sui loco supposuit: *Mulier*, inquiens, *ecce filius tuus:* ad Discipulum autem: *Ecce mater tua* (*Joan*. XIX). Dignum quippe fuerat, ut cui potissimum commisit coelestia, committeret et terrena.

§ 6. Et quia Mediator Dei et hominum ex duabus naturis, divina scilicet et humana, consistit, unus Emmanuel, aequum admodum visum fuit, ut beatus Joannes utriusque naturae fidelis minister existeret, qui et divinitatis sacramenta conscriberet, et beatae Genitrici, perpetuae custodiae ac sedulitatis suae ministerium exhiberet. Cujus utriusque, excellentissimi videlicet sacramenti, quodammodo ministrum se esse testatur, cum per omnem Evangelici textus sui seriem, sic styli modum temperat, et quadam vicissitudine mysticae varietatis alternat, ut modo humana pronunciet, modo divina: modo quae humanitatis sunt, historialiter inferat: modo quae sunt divinitatis, quadam sublimium ac subtilium verborum majestate depromat. Tantaque locutionis arte verborum vim temperat, ac libratae moderationis sobrietate dispensat, ut nec divinitatis arcana vulgari, nec ea, quae fidei nostrae necessaria sunt, patiatur abscondi. Proinde dum historiae verba contexit, velut per tenuissimas rimas divinitatis fulgorem ad oculos hominum coruscare permittit; sicque dum tenuissimo lucis aeternae radios oculus mentis nostrae perstringitur, ad indagandum mox illud inaccessibile summae veritatis lumen perspicacius aperitur. Quia vero beatus Joannes, alternato suae narrationis ordine, modo divinitatem Christi sublimiter intonat, modo quae humanitatis sunt, plane quodammodo atque humiliter asserverat. sicut ipse in Evangelii sui principio coepit, ita seriatim usque ad finem, hunc eumdem modum per omnem suae descriptionis articulum tenuit. Nam, sicut nostis, in capite sui libri deificum illud ac singulare ponit exordium: *In principio,* inquiens, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ecce aquila Dei ad coeli verticem sublimiter evolat, sed ad escam carnis necesse est, ut pressis alis aliquando in imum submissa descendat. Unde et paulo post quid subdat, audite: *Et Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis.*

§ 7. Hanc itaque diversitatem humanitatis, atque divinitatis unitae sibimet, atque inconfusae, sponsa de sponso dicit in Canticis: *Venter,* inquit, *ejus eburneus, distinctus sapphiris* (*Cant.* V). In membris quippe humani corporis vix aliquid ventre fragilius, sive tenerius invenitur, ideoque per ventrem recte fragilitas in Christo assumptae humanitatis accipitur. Ebur autem os est elephantis, quod videlicet animal fertur esse castissimum, frigidissimaeque naturae. Venter ergo eburneus est sponsi, quia suscepta

Redemptoris humanitas, ab omni peccatorum contagio casta prorsus et inviolata permansit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Sapphirus autem lapis est, sereni coeli habens colorem, unde et in visione Domini dicitur: *Erat sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi coelum, cum serenum est* (*Exod.* xxiv). Per sapphiros ergo opera divinitatis intelliguntur, quae in carne Dominus ostendebat. Venter ergo sponsi distinctus erat sapphiris, quia Christi humanitas divinis virtutibus refulgebat. Nec plenus sapphiris esse dicitur, sed distinctus, ita videlicet, ut inter sapphiros candor eboris appareret, quia sic Dominus ex parte hominis assumpti operabatur humana, ut aliquando nihilominus ex parte deitatis ostenderet et divina. Nam esurire, sitire, flere, postremo crucifigi, et mori, humanitatis erant opera: miracula vero facere, et non solum alios, sed etiam semetipsum a mortuis suscitare, evidentissima erant divinitatis indicia. Hoc itaque modo beatus Joannes quasi eburneum ventrem sponsi sapphiris distinguit, dum aliquando divinitatis alta, aliquando humanitatis infirma describit.

§ 8. Quia igitur hic beatus Joannes de Deo mirabiliter atque incomparabiliter caeteris mortalibus loquitur, jure factum est, ut non solum a Graecis, sed etiam a Latinis undique Theologus appelletur. Theotocos Maria, quia Deum veraciter genuit; Theologus Joannes, quia Dei Verbum ante secula apud Patrem esse, et Deum esse, non solum inenarrabiliter vidit, sed et profunda sublimitate descripsit. Unde non immerito potest dicere cum Propheta: *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Ps.* 44). Recte ergo Virgo virgini ad obsequium traditur, et pro Domino servus vice filii subrogatur, ut virginalis pudicitiae splendor, ex utraque persona sibimet invicem congruat, et floridus intimi candoris adspectus, quod in uno virere considerat, hoc vernare et in altero deprehendat.

§ 9. Libet hic, fratres mei, pulcram varietatem divinae dispositionis coram charitate vestra perpendere, et egregios duos Redemptoris nostri discipulos, qualiter inter se quadam dignitatis similitudine congruant, comparare, Petrum videlicet, et Joannem. Commisit namque Dominus Petro claves Ecclesiae, voluit et beato Joanni custodiam Mariae delegare. Utraque nimirum mater, mater Maria, mater Ecclesia. Sed Maria mater Christi, Ecclesia mater populi Christiani. De Maria Christus carnem suscepit, Ecclesiam vero de lateris sui carne produxit. Ex ista prodiit secundum carnem natus, illam protulit carne jam mortuus. Ex ista voluit nasci, pro illa dignatus est mori. Ex una semel natus est in persona sua, ex altera quotidie nascuntur membra sua. Traxit ex altera quod pro altera moreretur, et quo utraque communiter salvaretur. Magna igitur et felix mater est beata virgo Maria, ex cujus visceribus caro Christi assumpta est, ex qua rursus per

aquam et sanguinem profluxit Ecclesia. Hoc itaque modo et ex Maria prodiisse videtur Ecclesia. Utraque tamen casta, utraque munda, utraque perpetuae virginitatis signaculo praemunita.

§ **10**. Harum itaque duarum matrum, duarum perpetuo virginum, alteram Petro, alteram Joanni voluit commendare, ut propenso diligenter utriusque pondere ministerii, excellentium meritorum dignitas in duobus coeli senatoribus videatur aequari. Dicit Dominus Petro: *Tibi dabo claves Regni coelorum* (*Matth.* XVI). Nunquid et beata Maria coelum non fuit, in cujus utero virginali novem mensibus tota divinitatis plenitudo permansit? Ex ipsius quippe castis mundisque visceribus, Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, immaculata se carne vestivit. In angusto scilicet alvo conclusus, totius orbis jura regebat immensus. In brevissimo, inquam, virginalis uteri domicilio constitutus, et coeli gubernabat imperium, et terrenorum omnium non amiserat principatum. Non ergo praesumptive coelum dicitur venerabilis virgo Maria? Atque ideo beatum Joannem Dominus quodammodo coeli clavicularium esse constituit, cum beatae Genitricis suae eum decrevit esse custodem?

§ **11**. Proinde ut beato Petro Joannes multipliciter comparetur, cum discipulos suos Redemptor noster inquireret, qua circa se homines opinione ducerentur, illique protinus respondissent, alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis, donec ad Petrum ventum est, nutabat assertio, nec ambiguitatis vinculum solvebatur. At ubi quid habeat discipulorum sensus exigitur, praecedit in veritatis confessionem, qui primus erat in Apostolica dignitate, Petrus videlicet: *Tu es*, inquiens, *Christus filius Dei vivi* (*Matth.* XVI). Inter nutantis adhuc fidei sinuosa volumina, inter procellosas ambiguitatum fluctuantium tempestates, piscator ille veritatis anchoram fixit, et naviculam fidei in tutissimo tranquilli portus gremio collocavit.

§ **12**. Sed videamus utrum Joannes et huic operi aliquam cum Petro similitudinem habeat. Constantissimae itaque praedicationis arguitur, sicque a Domitiano tunc Caesare in exsilium destinatur. Protinus haeretici Marcion, Cerinthus et Ebion, caeterique quamplurimi, quos ipse convenienter Antichristos appellat, causas Ecclesiastici gregis irrumpunt, et velut lupi graves super ovilia pastoris adminiculo destituta grassantur, Christum scilicet ante Mariam non fuisse dogmatizantes, et ita simplicem Evangelicae fidei puritatem, perfidiae suae squaloribus corrumpentes. Confunditur mundus, turbatur Ecclesia, vacillat fides, et velut inhorrescente tempestate perfidiae, plurimi naufragantur. Quid plura? Tandem, perempto Domitiano, divina duce gratia, rediit Joannes Ephesum, turbatamque gemit Ecclesiam. Sed quicquid invenit erroris turbine atque tempestate turbatum, solidius atque robustius ad pristinae fidei revocat sacramentum. Nam rogatus

(ut ab historiographis traditur) a charitate fere totius universalis Ecclesiae, in illius tandem erupit divinae inspirationis elogium: *In principio,* inquiens, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Hoc itaque signaculo veritatis, et haereticorum tergiversationibus metam fixit, et catholicorum fidem perpetua ex tunc et deinceps certitudine roboravit.

§ **13**. Petrus igitur petra. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi). Petra quoque factus est et Joannes, supra cujus fidei fundamentum totius Ecclesiae structura consurgit, quam videlicet, sive haereticorum furor impingat, sive tentationum irruat impetus, non evertit. Haec petra veri David fundam implet, qua Philisthaeum Goliad signanter in fronte percutiat, ubi videlicet profanus et impius Crucis vexillum non habebat. Haec siquidem petra omnes Ecclesiasticae doctrinae adversarios destruxit, haec Judaicam perfidiam cum omni prorsus haereticorum pravitate prostravit. Nec mirum si instar Petri et Joannes petra dicatur, cum haec ad Ezechielem Dominus dicat: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, et ut adamantem, et ut silicem dedit faciem tuam* (*Ezech.* iii). Plane quod uterque discipulus protulit de sacramento Dominicae fidei, quamquam profundissimum sit, atque omnino divinum, et utrumque pari modo vires humanae mentis excedat, nec videatur diversum in excellentiae divinitate, quod eodem prolatum est Spiritu dictante: illud tamen beati Joannis singularitatis locum sibi vindicare conspicitur, quia neque ante illum, neque post illum hoc idem scripsisse aliquis invenitur. Nam illam beati Petri Apostoli sententiam et Martham sororem Lazari, eisdem fere verbis legimus protulisse. Cui nimirum cum Salvator diceret: *Omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum:* atque subjungeret: *Credis hoc?* Illico eodem Spiritu, quo et Petrus, inspirante respondit: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (*Joan.* ii).

§ **14**. Quid autem mirum, si Joannem de divinitate loquentem, beato Petro praeferimus, cum illud Evangelii sui singulare principium ipsa etiam Dominica verba (si dici liceat) excedere videamus? Nec injuria sit Redemptori nostro, si dicatur aliquid ipse sublimius depromere per discipulum, quam per semetipsum, et per illius linguam manifeste proferre, quod per semetipsum liquido noluit aperire. Nam et hoc beato Joanni Dominus concessit in verbis, quod et Petro contulit in miraculis, videlicet ut et iste altiora proferret, et ille majoribus virtutum prodigiis coruscaret. In Apostolorum enim Actibus invenimus, quia in plateis ejiciebant infirmos, et ponebant in lectulis, et grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Quod utique Dominum

fecisse nusquam legimus, ut per umbram videlicet sui corporis, remedium sanitatis alicui attulerit. Sed quod praedixit, exhibuit: quod promisit, implevit. Nam in ejusdem Joannis Evangelio dicit: *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora eorum faciet, quia ego ad Patrem vado* (*Joan.* XIV). Enimvero ipse operabatur in Petro, ipse loquebatur in Joanne: *Non enim,* inquit, *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x). Merito nempe beatus Joannes et praecedentes omnes, et subsequentes divinorum scriptores voluminum, gloria singularis eloquii praecedit, quem non luxuria polluit, non libido corrupit, sed virginalis integritas perpetuae incorruptionis titulo decoravit. Qui nimirum nuptialis copulae thalamum deserens, omnem illecebrae carnalis ardorem in coelestium deliciarum voluptatem transtulit, arctissimeque se in sui Redemptoris ac dilectoris amore conjunxit, propter quem scilicet conjugalis tori foedera abdicavit.

§ **15**. Unde divinitus illi concessum est, ut tanta cor ejus circa fratres charitatis gratia repleretur, ut sacrosanctum pectoris ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii. Quod profecto in quibusdam scripturis ejus patenter agnoscitur. in quibus utique per omnem fere paginam, quasi per quasdam rimas, charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus aestuare. Modo enim patres nominatim ad charitatem provocat, modo non filios, sed filiolos, quasi tenere diligens, appellat. Modo propriis aetatum vocabulis infantes, modo juvenes, modo singillatim admonet adolescentes. Modo etiam mulieribus epistolas destinat, easque ad cautelam fidei, et studium sincerae dilectionis invitat. Hic itaque inenarrabilis charitatis ardore succensus, huc illucque se vertens, undique circumiens, ubique discurrens, omnia hominum genera ad salutem concitat, omnia aetatum incrementa perlustrat, omnes humanae conditionis ordines oculo curiosae sollicitudinis investigat, et tamquam arcus universalis Ecclesiae factus, totius humani generis summam, ulnis paternae dilectionis amplectitur, atque ad Redemptoris sui consortium trahere, unumquemque singillatim admonendo, conatur. Amor quippe Domini, quo eum prae cunctis mortalibus dilexit, et ei pondus fraternae dilectionis exhibuit, ut nimirum plus amaret, qui plus amabatur, et qui primus erat in Redemptoris amore, praecipuus fieret in fraterna charitate.

§ **16**. Quantum autem apud Dominum impetrandi locum quam praecipuae familiaritatis Joannis obtinuerit privilegium, hinc manifestius colligere possumus, quod idem beatus Joannes Evangelista testatur, quia in ipso vitalis coenae convivio Jesus conturbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: *Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Deinde sequitur: *Adspiciebant ergo adinvicem discipuli haesitantes, de quo diceret*

Moxque subjungit: *Erat ergo recumbens unus ex discipulis Jesu in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dicit ei: Quis est, de quo dicit?* Atque ut historiae stylo non tenear, Joanni interroganti Dominus mox respondit: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero* (*Joan.* XIII). O admirabilem, o incomparabilem virum, et omni Christianae devotionis praeconio praeferendum! Ecce verbum profertur in medium, et totus tacet ac sub silentii censura reprimitur senatus Apostolorum. Tanta siquidem Magistri praesidentis videbatur auctoritas, ut sub districta se compesceret beata discipulorum concio disciplina. Haesitant, ambigunt, atque inter se invicem oculorum nutibus quodammodo interrogantes adspiciunt: verumtamen lingua referre quod gestiunt, vel Dominum consulentes inquirere non praesumunt. Tacet Petrus, tacet coeli clavicularius. Tacet denique lingua, quae clavis facta coelorum, coelum simul et terram ligat, et solvit. Tacet is, inquam, cui portae inferi non praevalent, qui ligandi animas atque solvendi obtinet principatum. Silet Andreas, qui ipsi fratri ad fontem vitae praevius fuit. Non loquitur Thomas, qui viam se nescire professus, eumdem esse viam, veritatem et vitam, ipso referente, cognovit. Non praesumit os aperire Philippus, qui dum Patrem sibi poposcit ostendi, profunda mysteria individuae Trinitatis audivit. Omnes tacent, omnes dubitant, et latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, sed tantum nutibus oculorum. Sed cum res diu sub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quispiam absolveret, tandem Joannis patrocinium quaeritur, et sic ad rei dubiae notitiam pervenitur. Ille nimirum, condiscipulorum persona in se suscepta, consultor accedit, qui de ampliori familiaritatis atque dilectionis praerogativa confidit.

§ 17. Unde considerandum est, fratres mei, quantae devotionis instantia beati Joannis ididae Dei flagitare debemus auxilium, quem sibimet interventorem et ipsi Apostoli quaesierunt. Quantum apud justum judicem pro peccatoribus poterit, qui et pro ipsis coelestis curiae senatoribus intervenit? Et qui advocatus factus est summis, quam humiliter implorandus est a minimis? Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognovit, qui se ab illo adorari prohibuit. Vide, inquit, ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem noverat apud communem judicem locum gratiae familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat aequalem. Fratrem recognovit, socium judicavit, subjectionis obedientiam non accepit. Quamvis enim in omnibus sanctis semper sit Angelicae munditiae contubernalis, et cognata virginitas, beatus tamen Joannes tanto reliquos virgines superat, quanto virginitati beatae Mariae per sedulitatis ac perpetuae

custodiae meritum appropinquat. A qua sola videlicet praeceditur, quia foecunditas virginalis, quae est in Maria, nullis est omnino meritis comparanda, et non solum quia foecunda est, sed quia Deifica. Virginem enim pàrere, novum ac singulare est; Deum vero pàrere, ita novitatem singularitatis exsuperat, ita omnia, quae miranda sunt, antecedit, atque incomparabiliter supereminet, ut nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenus explicari. Sed sicut venerandae Matris Domini virginitas, beati Joannis virginitatem excedit, sic ipse pro glorioso ejus contubernio caeteros a mundi primordio virgines antecellit.

§ 18. Huc accedit, quod ille recubitus in pectore Salvatoris, ille divinus ardor, quem ex arcana ejus inspiratione concepit, ita in ejus visceribus omnium libidinum fomenta decoxit, ut corpus ejus, tamquam re vera Spiritus Sancti templum, a cunctis vernaret aestuantis luxuriae squaloribus defaecatum. Nec ullum locum in eo vindicabat flamma libidinis, cujus templum gratia Sancti Spiritus jugiter obumbrabat. Quocirca dignum fuit, ut beatus Joannes Apostolus Archangelo Gabrieli ad custodiam Matris Domini socius haberetur, quatenus ille coelestis olim paranymphus intactam Virginem invisibiliter custodiret, et iste forinsecus fragilitati foemineae, obedientiae suae ministerium exhiberet. Et congruum erat, ut quae talem genuit, qui coeli simul et terrae Dominus esset, utriusque patriae cives in suo consortio haberet, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum. Quapropter beatus Joannes quanto familiarior cum Matre Verbi versatur, tanto et ipsi vicinior Verbo invenitur. Et quoniam non ab alio, sed ab ipsa Veritate Mariae dictus est filius (*Mulier*, enim, inquit, *ecce filius tuus*; atque idipsum iterando confirmat, ad discipulum dicens: *Ecce mater tua*), nemo jure videtur major meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est Salvatoris.

§ 19. Hujus igitur tam sublimis, tam pii, tam casti, tamque praecellentissimi Deo dilecti, fratres carissimi, laboremus praecepta servare: per hujus vestigia, inquantum possumus, duce divina gratia studeamus incedere. Sed si omnes cum Joanne virginitatem habere jam in carne non possumus, quia post naufragium secunda restat tabula, studeamus florere virtutibus, et sic virginitatis amissae dispendium optime compensabimus. Non igitur nobis avaritiae ardor incandeat, non iracundiae nos furor impellat. Non in nobis flamma libidinis aestuet, non turpis cogitatio pulcram animae nostrae coram Deo speciem foedet. Non nos terrenae facultatis abundantia in superbiam erigat, non tenacitas misericordiae viscera pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua castitas, humilitas, patientia, sobrietas, justitia cum pietate, severitas cum mansuetudine. Inter haec, fratres carissimi, caeterarumque dona virtutum, charitas, quae mater est omnium, in sacrario pectoris nostri semper teneat principatum: quia, sicut

Joannes dicit, *Deus charitas est* (1. *Joan.* IV), ut qui per charitatem Dei Filius descendit in Virginem, per eam nos exaltet ad paternae gloriae claritatem, qui vivit et regnat in Trinitate perfecta, unus et verus Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

## EJUSDEM BEATI PETRI DAMIANI

### SERMO SECUNDUS

# DE EODEM S. JOANNE EVANGELISTA

§ 1. Gaudemus, fratres carissimi, copiosum nostrae fraternitatis adesse conventum, quia dum nos ad hodiernam festivitatem, beati Joannis gloria provocat, etiam Spiritus Sanctus, ut tam reverenter, tam pacifice, tam devote conveniatis, indubitanter inspirat. Dignum quippe est, ut qui a Christo prae cunctis mortalibus specialiter est dilectus, a Christi dilectoribus permaxime diligatur, praesertim cum et ipse circa nos tantae charitatis extiterit, ut divinitus sibi traditis sapientiae et scientiae clavibus, omnes sacramentorum coelestium thesauros expenderet, et aeternae vitae divitias, quas solus acceperat, nobiscum participando largiretur, et fideliter erogaret. Quid enim divinae sapientiae quaeris, quod apud Joannem reperire non possis? Quae enim haeretica pravitas, quae Ariana perfidia, quae Judaeorum vesana calumnia, quae gentilium Philosophorum versutia, quae denique schismaticorum abominanda scissura, beati Joannis non est eloquio superata, ejusque doctrinis evidenter attrita? Si quando enim ab inimicis veritatis objiciuntur nobis volumina quaestionum, illico Joannes accedit in medium, Joannes occurrit, Joannes silentium verbosis imponit. Quoties siquidem de vera humanitate ac divinitate Christi certamen quaestionis oboritur, quae videlicet omnibus pacis inimicis communis est materia dimicandi, protinus ad Joannis Evangelium curritur, Joannis in pugna patrocinium quaeritur, et sic mox cuncta litigiosi certaminis jurgia conquiescunt. Quid igitur necessarium in doctrinis, quod Joannis volumina sacrosancta non teneant? Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatissimus incomparabiliter non excellat? Apostolus siquidem in Epistolis, Evangelista in Evangelio, Propheta in Apocalypsi. Propheta, inquam, et non qualiscumque, sed mirabilis, atque ad similitudinem alterius, et plusquam Propheta. Nam quia Prophetae officium est, futura praedicere, non etiam praesentia demonstrare, beatus Joannes Baptista idcirco caeteris Prophetis enituit, quia Dominum digito, quem prophetabat, ostendit. Nunquid et iste Joannes plusquam Propheta non est, qui praeter

non obstupescat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obiit; et quia non communem cum hominibus vitam duxit, non communi hominum morte transivit. Nam, ut historiae continent. quadratam in ecclesia foveam fieri jussit, moxque in eam descendens, extensis manibus, post prolixa fusae orationis verba migravit. Mox autem tanta super eum lux coelitus est immissa, ut nullus eam ferret adspectus. Postmodum vero inventa est fovea nihil aliud in se continens, nisi manna, quod videlicet, sicut dicitur, usque hodie scaturire non desinit. Sic nimirum, sic, sic dilectum auctori vitae Discipulum transire de seculo dignum fuit, ut tam fieret a dolore mortis extraneus, quam a corruptione carnis fuerat alienus. In sepultura in Crucis modum jacere voluit, quia Crucem in suo corpore pie vivendo semper portavit; et sicut Petrus magistrum secutus est a persecutoribus crucifixus, ita quodammodo et Joannes in Ecclesiastica pace sepultus.

§ 7. Sed Dominus inter eos forte diversitatem docuit, cum Petro dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere* (*Joan*. XXI). Qui enim Petrum voluit secum in crucis patibulo triumphare, ipse decrevit Joannem in Ecclesiastica pace quiescere; quatenus et ille subeundi martyrii praeberet exemplum, et iste erecta supra fundamentum fidei Ecclesiae fabrica, quietus migraret ad coelum. Ille secuturis martyribus fuit constantiae forma, iste noviter in fide plantatis extitit morum atque virtutum spiritualium disciplina. *Sic eum volo manere donec veniam*. Veniam, inquit, ut eum vinculo carnis absolvam. Veniam, ut eum ad gloriae meae consortium transferam. Veniam, ut laboribus ejus dignae remunerationis praemium reddam. Ad hujus denique promissionis effectum clarum dedit indicium, cum in ejus obitu radiantem fecit enitescere lucem, per quam liquido patuit, ipsum videlicet advenisse lucis auctorem. Affuit itaque Dominus promissionis suae non immemor, qui et animam ejus in illa supernae Jerusalem quiete susciperet, et sacratissimum corpus in ea, quae ipse novit, secreta transferret. Nam et de beato Enoch legitur, quia ambulaverit cum Deo, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.

§ 8. Jam vero illud quis digne miretur, quod in sepulcro ejus manna reperitur, et in terrae specu panis coeli non semel, sed quotidie nascitur? De manna quippe, salvo altiori mysterio, scriptum est: *Panem de coelo dedisti eis, Domine, habentem omne delectamentum* (*Sap*. XVI). Veniant igitur omnes nationes gentium, et obstupescant miraculum omnibus inauditum. Veniant, inquam, et admirantes adspiciant, quia in sepulcro, quod proculdubio domus est vermium, panis oritur Angelorum, adeo ut cum Propheta in magni muneris admiratione pronunciet, quod Israëlitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: *Panem coeli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo* (*Ps*. 16); quod illis tunc

mittebatur e coelo, nunc scaturire conspiciatur e sepulcro. Si enim magnum miraculum manna non esset, nequaquam Moysi Dominus servari per secula illud praecepisset. *Imple,* inquit, *Gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui eos in solitudine, quando eduxi eos de terra Aegypti* (*Exod.* XVI). Ecce quid meretur pudicitia virginalis. Ecce quantae magnitudinis est integritas inviolatae carnis. Videte, fratres mei, considerate, perpendite, quid deliciarum incorruptio carnis habet in coelo, si cibum coeli germinat in sepulcro? Quantis illic honoribus sublimatur beata virginitas, ubi nimirum sola est gloria, si et in loco foetoris atque putredinis tam mirabiliter est gloriosa?

§ 9. Unde et si non audeamus pleniter diffinire, pium tamen est arbitrari, ut sicut de beata Dei Genitrice creditur, ita etiam beatus Joannes jam resurrexisse probabiliter asseratur, quatenus sicut in virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata resurrectione merito videantur aequales, nec sit in resurrectione diversitas, quibus tanta fuerat unanimitas conversationis in vita. Si enim beatissimi virgines isti, videlicet Joannes et Maria, nullatenus surrexissent, cur in eorum tumulis sepulta cadavera non jacerent, cum scilicet beatorum Petri et Pauli, caeterorumque Apostolorum ac martyrum corpora suis quaeque noscantur mausoleis tumulata? Nam quod vere beatus Joannes obierit, ac proculdubio mortis jura persolverit, nullo modo melius quam per ejus verba valet probari. Cum enim exisset sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur, cur ipse vera dicentibus obviasset, dicens: *Et non dixit Jesus, non moritur?* (*Joan.* XXI). Frustra nimirum hic moram texere, ac verba multiplicare videretur, si dum illi vera dicerent, ut non moreretur, iste protinus obstitisset dicens: *Non dixit Jesus non moritur,* ac per hoc veritati quodammodo contradiceret, si vera referentibus contrairet. Sed dum se non moriturum, Salvatorem dixisse negavit, moriturum se indubitanter asseruit. Porro autem quod in sepulcro sanctum corpus ejus ulterius non apparuit, divinae sine dubio virtutis operatio fuit. Scriptum est in Deuteronomio: *Mortuus est Moysis famulus Domini in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in praesentem diem* (*Deut.* XXXIV). Renovatum est itaque illud de corpore Moysi nunc etiam in Joanne miraculum. Et qui legislatorem tunc dignatus est, nullis scientibus, sepelire, ipse etiam corpus Evangelistae sui secreto quodam mysterio voluit sepulturae subducere. Uterque scilicet lux mundi, uterque coelestium mandatorum bajulus, uterque divini consilii revelator. Nec immerito in dignitate suis delata cadaveribus congruunt, qui in sublimibus vitae suae meritis, licet diversis temporibus, concorditer claruerunt.

§ 10. Verum si res diligenti consideratione perpenditur (cum beati Moysi pace loquar) Joannes potior invenitur. Ille siquidem minister extitit legis, hic praedicator est gratiae. Ille praecepta tradit, quibus peccata punirentur: iste poenitentiae baptismum contulit, quo omnia crimina delerentur. Ille annuntiator est umbrae, hic minister est veritatis. Ille dixit Domino: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te*: sed protinus audivit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII); iste vero Deum incarnatum, non solum vidit et audivit, sed etiam manibus contrectavit, sicut ipse testatur, dicens: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod oculis nostris perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis*. Et non solum Deum hominem factum oculis carnalibus vidit, sed et ipsum Verbum, quod erat apud Patrem, per quod facta sunt omnia, illustrata divinitus mente conspexit. Atque ut adhuc comparatio producatur, Moyses tabernaculo praeerat, quod nubes operiebat, ita ut aliquando nec ipse Moyses posset intrare, sicut in Exodo legitur: *Quia operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud* (*Exod.* XL), nec poterat ingredi Moyses tectum foederis, nube operiente omnia; Joannes vero melioris tabernaculi custos factus, beatae Mariae minister extitit, quam non videlicet corporea hujus aëris nubes obtexit, sed Spiritus Sanctus invisibiliter obumbravit. Et gloria Domini, hoc est filius Dei, qui hoc tabernaculum, non mox discessurus, sed veram carnem suscepturus implevit, non mansit sub aëris caligine, sed potius in Solis lumine, sicut per Prophetam dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum* (*Ps.* 18). Per illum manna datum est tunc Israëlitico populo: ecce quanto gloriosius habet iste manna in sepulcro. Et quid plura? Ille faciem suam obnubit, ne videatur a populo: iste etiam divinitatis revelat essentiam, ut Deus ab hominibus agnoscatur. Atque ut idem repetam, ille splendorem sui vultus obtexit, ne ab illa plebe conspiceretur: iste Dei Verbum, quod est imago Patris, splendor gratiae, et figura substantiae ejus, perspicue revelavit, ut a nobis agnosceretur. Postremo Dei Filium, quem iste prae manibus habuit, cum quo diutissime conversatus est, a quo unice atque specialiter dilectus est, ille quidem obnixe ac desiderabiliter petiit, dicens: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV); sed impetrare non valuit. Verumtamen dum magnis, summisque apud Deum meritis ambo claruissent, uno uterque spiritu plenus fuit, uno uterque desiderio concorditer aestuabat. Nec nos alterum alteri praeferre praesumimus, si diversitatem pro sui cujusque dignitate pensamus. Duorum quippe viatorum vivacitate parium, qui orto sole graditur, clarius quaelibet opposita conspicit, quam is, qui antelucanus exsurgit. Et

ditior est, qui autumnalem fructuum maturitatem carpit eo, qui vernae propaginis arbusta plantavit. Convenienter igitur factum est, ut sicut Moysi, ita et Joannis glebam omnipotens Deus absconderet, et in duobus mirabilibus viris unum miraculum exhiberet.

§ **11**. Et notandum, quam affectuose, quam pie, quam paterne, quam amabillime, Salvator, *Sic*, inquit, *eum volo manere, donec veniam.* Veniam, inquit, non mittam. Non mittam videlicet aliquam supernam virtutem, non Angelicam potestatem, quae hujus ministerii mihi fungatur officio, quae obedientiae hujus exequatur effectum. Ipse per memetipsum veniam, ipse egredientem ejus animam in gloriae meae claritate suscipiam, quam et in carne manentem divinitus illustrabam. Quantae igitur reverentiae habendus est hominibus beatus iste Joannes, quem ipse auctor vitae honoravit in carne viventem, honoravit et de seculo recedentem? Nimis enim honorati sunt amici tui Deus. Honoravit siquidem eum in vita, dum de sacrosancto pectore suo sibi reclinatorium fecit. Honoravit rursus in morte, cum ad suscipiendam felicem meritis animam dignatus est advenire. Nec mirum si diversis eum honoribus cumulavit, quem et in consortium sibimet adoptivae fraternitatis adscivit.

§ **12**. Dictus est etiam frater Domini beatus Jacobus; sed ille frater ex natura, iste frater ex gratia; ille ex cognatione, iste ex praecipua dilectione; ille per lineam maternae consanguinitatis, iste per vinculum paternae charitatis. *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan*. XIV). Et quid amplius dicam? Frater Domini fuit ille carnalis, iste spiritualis. Sed quantum cognatio spiritualis carnalem necessitudinem probatur excedere, in ipsius Domini verbis possumus luce clarius invenire. Ait enim: *Spiritus est, qui vivificat, nam caro non prodest quicquam* (*Joan*. VI). Jacobum itaque ut frater esset Domini, natura carnalis instituit, Joannes autem tanto nobilius frater est, quanto et ipsius naturae Dominus eum in affinitatem sibi spiritualis adoptionis assumpsit. Quamquam et ipse Jacobus idcirco beatus sit, quia ejusdem spiritualis affinitatis cum Domino participium tenet. Alioquin nisi Domino per spiritum jungeretur, per illud terrenae vinculum consanguinitatis a Domino nullatenus salvaretur. Quod tanto excellentius Joannes, quanto et ante Crucem constitutus audivit: *Ecce mater tua.* Merito ergo quo eum caeteris plus dilexit, sublimius eum caeteris honoravit. Et nos, fratres, pro modulo nostro dignis eum studeamus efferre praeconiis, dignis veneremur semper obsequiis.

§ **13**. Notandum tamen, quia nunquam tam digne, tam reverenter beatos Apostolos colimus, quam cum Apostolica praecepta servamus, cum eos in via Dei praecedentes semper attendimus,

cum eorum vestigia sequimur, cum eorum angustam et arctam semitam sine offensione tenemus. Enimvero in baptismo Apostolorum ducatum secuti sumus, quia per eosdem fidem sanctae Trinitatis inter ipsa regenerationis rudimenta didicimus. Sub cujus videlicet figurae mysterio, sacerdotes Israëliticae plebis olim transeundo Jordanem praecedebant, et populus sequebatur. Sed non sufficere illis visum est, si sacerdotum tantummodo vestigia in transitu sequerentur, nisi et duodecim lapides de Jordanis alveo tollerent, atque in Galgalis pro testimonio ponerent. *Elige*, inquit Dominus ad Josue, *duodecim viros, singulos per singulas tribus, et praecipe eis, ut tollant de medio alvei Jordanis, ubi fixerunt sacerdotes pedes, duodecim lapides durissimos, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis tentoria hac nocte* (*Josue* IV). Ut autem non omnia, licet plena mysteriis, verba discutiam, quid per hoc factum nobis innuitur, nisi ut postquam mystici Jordanis fluenta transimus, postquam de lavacri salutaris fonte consurgimus, durissimos duodecim lapides, idest firmissima Apostolorum exempla ad imitationem nobis proponere studeamus? Lapides quippe, ubi sacerdotes pedes fixerant, in loco castrorum ponimus, si in procinctu spiritualis nequitiae positi, Apostolorum vestigia constanter et firmiter teneamus. Nam juxta Salomonis sententiam, *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII); nimirum qui in moribus suis praecipites ac fluidi sunt, more aquae praecipites ad ima defluunt. Qui vero constantes ac firmi, in arcem quotidie virtutis excrescunt. Quod nimirum et illud ejusdem historiae significare perpenditur: nam transeunte eodem populo, aquae superiores instar montis intumescunt, inferiores vero in mare mortuum delabuntur; quia profecto ex eis, qui baptizantur, alii in accepta coelestis gratiae dulcedine perseverant, alii in peccatorum amaritudinem defluere, reprobe vivendo, non cessant, et velut in maris mortui salsuginem corruunt, dum sapiendo terrena, per pravae vitae declivia ad mortem tendunt.

§ **11**. Nos autem non sic, dilectissimi, non sic, sed ad veram sapientiam tendentes, ita per Dei misericordiam in virtutum studeamus alta proficere, ut in vitiorum pudeat voraginem declinare. Sic perseveremus semper ad superna properare, quo tendimus, ut divini amoris dulcedinem in nostris jugiter mentibus conservemus. Illius itaque sapientiae laboremus participes fieri, qua beatus Joannes per amplioris gratiae cumulum meruit incomparabiliter illustrari. Cujus nimirum splendore concepto, coelum velut aquila penetrat, ita ut creata cuncta transgrediens, ad ipsum rerum omnium verticem, mentis contemplatione pertingat. Nostis, fratres mei, quia in mundi nascentis origine, tertio die germinaverit terra, quarto coeli facta sunt luminaria, quinto volatilia sunt creata. Quare autem in creandis rebus hic ordo

decucurrit, nisi ut nos instrueremur, quia prius necesse est, ut mens nostra virentium virtutum opera germinet, quatenus sic mereatur coelestis gratiam luminis, ac postremo evolare valeat ad contemplandam speciem veritatis? Germinemus itaque, fratres, ut illuminemur, quatenus illuminati, virtutum pennis ad coelestia sublevemur. Non nos mundi hujus dulcedo falsa demulceat, non carnalis illecebrae voluptas luxuriosa resolvat. Nusquam certe praeceptum in veteris testamenti caeremoniis invenitur, ut mel sacrificiis misceatur. Per quod intelligitur, quia his, qui Deo vitae suae sacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult inesse dulcedinem, nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertineat voluptatem. Oleum autem frequenter immittitur, ut omnis nostrae operationis oblatio hilariter offeratur. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (1. *Cor.* IX). In omnibus etiam sal jubetur admisceri, ut omne boni operis sacrificium, rationis, discretionis, ac coelestis sapientiae sale sit conditum.

§ **15**. Hoc autem divinae sapientiae sale, ita omnis beati Joannis doctrina videtur respersa, ut merito dicatur os Dei, lingua Spiritus Sancti, cedrus paradisi, lux Ecclesiae, decus orbis, praeco coeli; lumen mundi, sidus hominum, specimen Angelorum, lapis vivus, speculum lucis, logotheta divinitatis, forma fidei, columna coeli, architectus veri tabernaculi, quod fixit Deus, et non homo. Nam et Cherubin jure perhibetur, qui scientiae plenitudinem ex ipso Redemptoris pectore percepisse cognoscitur. Verumtamen cum nos quantumlibet efferre contendamus, celsitudinis ejus merita non aequamus, quia qui divinae laudis praeconia meruit, ad ejus digne laudanda merita humanae linguae fragilitas non assurgit. Ipse quippe ejus laus est, qui illi et olim pretium, et nunc factus est praemium. Per hujus ergo vestigia, dilectissimi, ad Redemptorem nostrum pleno cordis amore tendamus, hujus doctrinam velut coruscam in tenebris lampadem nostris semper gressibus praeferamus. Pudeat jam terrenis incumbere, qui per spei desiderium ad coelestem coepimus gloriam festinare. Qui ad coelestium nuptiarum desiderium properat, terrenae voluptatis coeno volutari erubescat. Qui titulis Angelicae dignitatis èmicat, locum in exsilio non requirat. Incassum porro terrena lucra congerimus, qui divitias immortales in regni coelestis palatio possidemus. Quem ergo pondus terrenae corruptionis aggravat, rerum extrinsecus affluentium copia non extollat. Qui ad hoc constitutus est, ut totis viribus jugiter cum adversario dimicet, torporis hunc et negligentiae dissolutio non enervet. Sic, sic per divinae pietatis auxilium, et florentes virtutibus, et vitiis repudium dantes, si hic eum sequimur, qui nobis iter Crucis ostendit, illuc perveniemus ad eum, qui calcato mortis imperio, coelum cum triumphali gloria penetravit, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu S. vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

MARTYRIUM SS. MARTYRUM ET CONFESSORUM

# THEODORI ET THEOPHANIS INSCRIPTORUM

AUCTORE SIM. METAPHRASTE,

UT HABETUR IN QUINTO TOMO ALOYSII.

**Martyrium subiêre anno 835 — Palaestini.**

§ 1. Ex iis, qui pro Christo certare constituerunt, alii quidem pro pietate solummodo decertarunt adversus Gentiles, qui vindicabant et tuebantur errorem simulacrorum; alii autem pro fide orthodoxa, adversus Christianos quidem, sed non sane in rectam fidem affectos, non minores, quam illi, sudores subeuntes. Quamobrem illis quoque sunt pares coronas consecuti. Quorum unus est, qui nunc est nobis propositus dicendi argumentum, mirabilis ille et magnus Theodorus, de quo sigillatim tractabit oratio. Eum tulit Palaestina; civitas autem Jerusalem. Hujus autem viri generosi parentes notos reddebat pietas; eisque opes erant et facultates, ex Christo vocari et nominari. Ex quibus cum vir ille sacrosanctus germinasset, quid opus est dicere, quantas statim ab ineunte aetate divitias habuerit intelligentiae? Nam cum adhuc quidem esset puer, non erat ejus ingenium, quale est puerorum, ut ad parva adspiceret, ut ludis delectaretur et rebus ludicris; sed nusquam quidem libentius versabatur Theodorus, quam in templis venerandis. Nullum erat ei jucundius spectaculum, quam ad pulcherrimos et honestissimos mores intuentem, seipsum componere. Nulla re magis gloriabatur, et se magnifice circumspiciebat, quam quod videretur obedire parentibus. Et ut semel dicam. statim ab initio ostendit, sicut plantae generosae ex primo germine, qualisnam esset virtute evasurus.

§ 2. Cum autem jam a puerili aetate excederet, jubetur a parentibus ventitare ad Grammaticum. Ut vero non solum occuparetur in disciplinis, sed etiam formaretur ad virtutem, traditur divini Sabae monasterio, quemdam assecutus magistrum Presbyterum, qui erat, inquam, unus ex ecclesia, et simul quidem in doctrina et virtute primas tunc partes obtinebat. Habebat autem fratrem quoque Theophanem: qui, quod ad aetatem quidem attinet, erat minor tempore, in virtute vero secundas habere non sustinebat; et frater esse volebat non tam ex carnis similitudine, quam ex eo, quod nihil differret in virtute: sed optímos imitans pictores, ad illum tamquam ad archetypum exemplar intuebatur, et accurate imitabatur. Atque illic quidem versabantur utrique;

sed divinus Theodorus, cum esset acerrimi ingenii, et brevi tempore universam pervasisset eruditionem, captus sublimiorum amore disciplinarum, egreditur quidem ex monasterio; accedit autem ad virum quemdam, aetate quidem provectum, sed qui convenienter tempori virtutem exercuerat, et eruditionem comparaverat. Cum illo ergo versans, et virtutis fit imitator, et ad capiendam disciplinam non multo opus habet tempore: sed celeri et ardenti ingenio, acrique et constanti studio, brevi tempore omnia in sua collocavit anima. Hujus autem rei testimonium ferunt libri, quos ipse postea edidit pro pietate, etiamsi esset excelsior, quam ut ex eis ullam laudem ambiret.

§ 3. Sed aliquandiu quidem est versatus in litteris. Vincebat enim amor virtutis, volens eum totum ad se trahere, et eum in ea totum esse occupatum, et non propter illorum studium, ejus perpetuam interrumpi cum eo consuetudinem. Se certe rursus tradit divini Sabae monasterio, sicque sub Deo vivebat, et opera faciebat, quae erant digna puris illius oculis. Hinc quis Theodoro quidem moderatior? Quis autem ad continendam iram generosior? Quis minus propensus ad explendas cupiditates? Quis dicendi et tacendi tempus magis observabat, et melius conjiciebat tempus cujusvis rei faciendae? Adeo ut nec silentium contemneret, neque dicendi libertatem omitteret, propter animi mollitiem, abjectumque et demissum spiritum. Quis sic carnem castigavit, et oculum fraenavit, et cogitationum repressit impetus? Ex quo quid accidit? Nutu quidem Dei, suffragio autem omnium qui erant in monasterio, ab eo qui tunc erat Antistes Sion, ordinatur presbyter. Et sic habebat eum magni Sabae monasterium, sedulo operantem mel virtutis.

§ 4. Quod autem ex rebus illius praeclaris me propemodum effugit, et quod, nec si velim quidem, facile est despicere, jam dicam. In eum enim fit tale quid, quale prius in Jeremiam, cui dictum est: *Antequam natus esses, te sanctificavi: et unxi te prius, quam formatus esses in Israël* (*Jerem.* I). Nam cum magnus ille senex et magister in divini Sabae monasterio, ut prius indicavit oratio, hunc rerum divinarum studiosum doceret Theodorum, et ad disciplinae exercitationem et virtutem incitaret, hic autem lac virtutis quotidie, ut ita dicam, exsugeret et spiritaliter aleretur, magnus ille senex et homo Dei, cum scilicet divinitus id rescivisset, praedicit apertissime. Ne autem videretur discipulo gratificans fingere revelationem (est enim re vera suspecta laus amantium), ipsam quidem tunc occultat silentio; postea vero, ubi pueri quoque fide dignam virtutem habuit, iis, quae dicebantur, enunciat, omnibus cum praeclara et insigni praedicatione, alta voce clamans, quod hic egregius adolescens, praeter alia quae propter Christum sustinebit, e vita etiam excedet martyrio. Quod hujus esse potuerit a pueritia virtutis argumentum illo evidentius?

Adeo ut sufficiat, etiamsi nihil aliud ab eo recte gestum esset, ad ostendendum eum qui laudatur, nulli esse secundum eorsum qui beati dicuntur.

§ 5. Postquam autem cum aliis bonis accepit etiam donum Sacerdotii, quid opus est recensere, quaecumque ad illius honorem recte ab eo gesta sunt, etiamsi aeque studeret latere, ac nullus alius ex iis qui res gerunt improbas? Nam cui quidem ad fidem, cui vero ad spem, cui autem ad charitatem fuit ille secundus? Sed lenitate, sed moderatione, sed benignitate, sed zelo qualis fuit? Qui etiam usque ad vincula, et plagas, et mortem, pro Christi imagine adiit pericula? Verumenimvero satius est de imagine ex alto explicare, quomodo se habuerit. Generis nostri hostis et inimicus ab omni aevo, cum multa jam adversus nos bella et saepe suscitasset, alia rursus via ingreditur, et fortiter armatur adversus pietatem. Quoniam enim vidit Deum factum hominem, ut hominem Deum faceret, fit rursus serpens, et rursus diabolus, et divinas leges et divina jura convellit sceleratus, et perperam rursus interpretatur voluntatem legislatoris; et cum sciret se non posse homines a Deo abducere, esca temperat insidias; et cum persuadere non posset, ut Christum negarent, divinam ejus imaginem omnino adorare prohibet, ut sic lateret, ab illo susceptae carnis abolens confessionem, et paulatim extinguens, quod est propter illam, nostrum in Servatorem desiderium. Ubi autem ei insidiae ex animi sententia processère (invenit enim animos aptos ad excipienda semina), o magnam tuam, o Christe, patientiam! pervenit etiam usque ad ipsos Imperatores, et fit valentior, inveniens vires ex potestate: et tantâ adjuvatur potentiâ, ut propemodum nos quoque essemus, sicut ab initio, ut sacra docent eloquia, quando Dominus nobis non imperabat.

§ 6. Nam cum eo tempore Leo *, qui genus ducebat ex Armenia, tyrannica manu sceptra invasisset, et pio Imperatori Michaëli imperium quidem ademisset; ut habitum autem et vitam susciperet monasticam, effecisset, ille quod erat involuntarium admisit, perinde ac si et cecidisset ex animi sententia. Ipse vero paululum adhuc intus inhabitantem habens impietatem, eam edit in lucem, tamquam adulterinum aliquem et malum foetum; et paulo post aperte ostendit truces suos spiritus adversus divinas imagines, et earum tollit adorationem. Et primum quidem simul cum Orthodoxo Pontifice ** pietatem exterminat; deinde etiam dejicit pulcritudinem sacrarum imaginum, veluti quosdam oculos hebetans Ecclesiae. Et Orthodoxus quidem, ut dixi, Pontifex mittitur in exsilium: mercenarius autem ejus loco inducitur, et non

* Leo, hujus nominis V, Armenius, sceptro est potitus anno 817; anno vero 820, nocte quae Domini Nativitatem praecedit, dum in palatino templo sacris operabatur, a Michaële Balbo per insidias, juxta altare interfectus est.

** Nicephorum intellige Constantinopolitanum Praesulem.

pastor *, qui erat ejusdem, cujus Tyrannus, sententiae, et concors in impietate, ara cum sacro, ut est in proverbio: et olim mortuam in venerandas imagines haeresim contendebat excitare. Sed enim qualia sunt Dei judicia? Virga peccatorum statim in nos emittitur, ut vel sic intelligamus, qualem per magnam amentiam Dominum provocamus ad iram. Arabes enim, qui habitant solitudinem ad Orientem, exercitu in expeditionem ducto contra Romanos, multas quidem eorum regiones populabantur, et ex vicis et agris praedas agebant. Faciebant autem etiam excursiones in monasteria quae erant in Palaestina, quorum primum et maximum erat divini Sabae monasterium, in quo hic magnus, sicut prius diximus, se exercebat Theodorus.

§ 7. Haec videns divinus ille Antistes et Pastor ** Jerosolymitanae Ecclesiae, et sciens haec esse poenam peccati, et irae poculum, propterea quod despicatui habetur et aboletur divinarum adoratio imaginum, excitatur protinus ad zelum, et quaerit modum, quo poterit tantum extinguere incendium, et ostendere eos male facere, qui sunt parati nova introducere, et prompti ad patrum transmovendos limites. Sic enim revocabuntur captivi, et consequentur misericordiam sauciatae animae. Ad hoc ergo admodum aptum sanctum invenit Theodorum, ut qui et virtute esset celebratus, et in dicendo exercitatus, et zelum spiraret acrem et juvenilem. Ille autem: « Ecce me, dicit Pontifici: mitte me, et proficiscar, et tuis adjutus precibus, pudore afficiam impietatem.» Ipsum ergo mittit Patriarcha, cum precibus eum undique muniisset, et spe in Christum totum corroborasset. Ut autem praetermittamus ea, quae intercesserunt, cum venisset in regiam, fratrem habens Theophanem, qui eum sequebatur, et quae erant fraterna sentiebat, et in zelo pro pietate cum eo conspirabat, primum quidem se intrepide sistit in conspectum ejus, qui in Ecclesiam more praedonis invaserat (ubinam enim ille se gessit more sacerdotali?) et libere arguit, quod eos pervertat, quos pascit: et haeresim ei acerbe exprobrat. Deinde ipsi quoque Imperatori ex adverso occurrit tamquam acutus quidam gladius: et non solum eum criminatur, quod suam perdat animam: sed etiam, quod Dei populum impie per fraudem evertat. Deinde etiam adhortatur, ut, relictâ hac profanâ et impiâ opinione, ejus loco ediscat pietatem. « Fortasse enim, inquit, tibi Deus placabitur, et non omnem iram Domini tamquam faecem aliquam ipse ebibes. » Quamobrem Imperator cum et viri esset libertatem admiratus, et praeterea verborum opportunitatem, et morum moderationem, et quae ex animo ad vultum emanabat, illius, ut poterat, animadvertisset alacritatem, eum est reveritus, et moderate tulit

* Fuit is quidam Theodotus Mellissenus, ex eorum numero, qui *Spatharii* dicebantur, homo omnino rudis ac levis, adolescentium et theatrorum ludibrium.
** Is Thomas vocabatur.

ejus reprehensiones. Deinde etiam eum accersiit, et familiariter eum est allocutus, rogans quisnam esset, et unde veniret, et quid sibi vellet illa mera et incauta dicendi libertas. Ille autem et significat patriam, et suum ex Palaestina adventum renunciat, et quod statuebat non oportere vel apud Imperatorem se a dicendo reprimere, quando videret Regem, qui est in coelis, affectum injuriâ. Deinde aperit dogmata, docet honorem divinarum imaginum. Et cum alia dixisset, et adjecisset hoc esse indicium nostri in Christum desiderii, et confessionem ab eo susceptae carnis, deinde destruit propositas ab illo quaestiones, fide Christi, et virtute sermonis et spiritus. Postquam autem post multa, quae inter eos dicta sunt, Theodori oratio victoriam est adepta, primum miratur Imperator. Deinde etiam ei incipit blandiri, toto animo contendens talem virum in suam redigere potestatem, per quem multos esset superaturus. Postquam vero vidit eum a se capi non posse: nam tale quid etiam apud eum adjecerat, dicens: « Oblitus es eorum quae Deo promisisti, o Imperator, quorum intercessor fuit magnus Pontifex, quando tuo capiti imperatoriam imposuit coronam *. Parce tuae animae, et prius ornamentum restitue Ecclesiae, et noli pugnare cum Deo justo judice et forti, etiamsi non quotidie iram inferat propter summam benignitatem. » Haec ille quidem sic apud eum libere est locutus.

§ 8. Imperator autem soluto praetextu lenitatis, in iram et furorem erupit, et rogavit an esset aliquis ejusdem animi et sententiae in pietate, cujus erat Theodorus. Postquam vero intellexit de fratre ejus Theophane, et quod non minus quam naturam, conservat in dogmatibus cognationem et fraternitatem, ambos diu flagris caesos, condemnat ut relegentur ad ostium Ponti **, jubens neminem eis impertire nec cibum, nec potum, nec vestimentum: « Ut mali, inquit, sic male atterantur. » Sed Tyrannum quidem improbitas sic docebat facere. Nihil est enim mali, quod non sit injustus arrepturus. Cum autem non diu distulisset iram Deus, qui juste judicat, non multum temporis intercessit, et iste, qui et nomen et rem habebat cum feris communem, una cum tyrannide finit vitam ***. De medio enim tollitur a Michaële, cui cognomen erat Τραυλός id est, Balbus ****, male, ut ajunt, malo remedium adferens. Erat autem dies natalis Christi, ejusque sanguis effunditur, non ut alicujus ex infantibus, qui pro nobis Deo nato offerebatur: sed potius ut Herodis, ut lueret poenas multarum sanctarum animarum, in quas ille exercuerat tyrannidem. Suscipit vero sanctus locus piaculum, et o divina Dei judicia, ipsa, inquam, ara quam ipse fefellerat, promittens se nihil sacrorum

* Cum tunc, scilicet, Leo Armenius se catholicam fidem servaturum promisisset.

** Nempe in Bosphori quadam insula, ad ostium Ponti Euxini.

*** De ejusdem caede vide superius. Leo Armenius optimus fuisset imperator, si virtutes, quas a natura habuerat, crudelitate in suos, et impietate in Deum, non foedasset.

**** Is e sordido loco natus est. Balbus et avarissimus fuit. Obiit anno 829.

logmatum mutaturum, et cujus ille pulcrum sustulerat ornanentum imaginum.

§ 9. Quod cum factum esset, paululum ab exsilio et ab aliis nalis relaxati viri generosissimi, veniunt in regiam novi Imperatoris, qui prae se ferebat, se ex humanitate permisisse reditum. Nam revera cum impietate praecedenti nihil cederet, ei cedebat n persecutione. Atque illi quidem cum venissent in civitatem, et pietatem libere praedicassent, multos ex reliqua multitudine, et ex ipsis etiam magistratibus, in suam adducunt sententiam: partim quidem per expositionem canonum, quos germanus frater Theophanes cecinit versibus: partim autem per orationum quoque oppositionem, quas magnus hic conscripsit Theodorus. Verumenimvero, cum tantam virorum virtutem non ferret Jannes Magus Aegyptius et Jambre sodalis, tam aperte resplendere, eos inclulit in carcere; et postremo cum eis in sermone congressus, cum non posset adversus illos decertare, sed, ut dicitur, caprea pugnam iniret cum leonibus, eos vi rursus expellit e civitate, ut qui multum posset apud Imperatorem, tum quod esset ejusdem sententiae, tum quod esset indutus habitu monastico, et quamdam prae se ferret pietatis speciem, per quam et Imperatorem et multos ex iis qui gerebant magistratus, decepit sceleratus; et indigne paulopost ascendit sedem patriarchalem. Et illi quidem sic expulsi ex civitate, externam regionem tamquam patriam videbant, propter Christum versantes in loco qui vocatur Sosthenium.

§ 10. Postquam autem decessit impius Imperator Michaël, magis impio filio Theophilo * relinquit imperium; qui malum dogma ita est amplexus, et iis qui pietatem accurate tenebant, extitit tam gravis, ut omnes qui fuerunt antea malae opinionis, frigidos et molles redderet in impietate. Hinc rursus in pios persecutiones et sacrarum rursus imaginum eversiones; et rursus tormenta, et judicia, et carceres, et omne genus injustitiae commotum in pietatem. Hinc Theodorus cum fratre delatus, et quod pius esset, accusatus. Qui pro pietate quidem, quod non sustinuit genus supplicii, vel potius quam non suscepit coronam martyrii? Non tolerantiae? Non dicendi libertatis? Non zeli, quo pro Domino concitatus, quotidie decertabat, martyr inter martyres, et confessor effectus per ipsa pro Christo certamina? Res autem illius magis ostendit multorum dierum carcer, quem sustinuit, et multiplicia supplicia: quae filius a patre in hodiernum usque diem accipientes, effecerunt, ut et ea superarint oblivionem, et scriptis mandata sint.

§ 11. Ab his suppliciis, multi quidem ex iis qui fuerant comprehensi, victi sunt, etiamsi poenitentia adversus victoriam

* Theophilus caeteris Iconoclastis Imperatoribus deterior fuit. Sub eo, omnia templa sacris imaginibus exspoliata fuere. Quum annos duodecim imperium gessisset, anno 842, dysenteriae morbo periit.

rebellavit; complures autem propter spem et Christi desiderium, generoso et forti animo contempserunt. Cum quibus hic quoque vir divinus, cum hoc, quod nihil cessit iis quae promittebantur, beneficiis, loris praeterea caesus, dici non potest quantam ostendit fortitudinem, sociis certaminis effectus exemplar non facile ad imitandum. Ipse certe cum jam fuisset ei corpus laceratum flagellis, et solum sanguine adspersisset, ut qui rerum gravium et asperarum nullum sensum sustinuisset, nudus stetit in medio tribunali, de plagis tamquam de aliquo ornamento glorians, et sic, ut ait divinus Paulus, *effectus theatrum Angelis et hominibus.* Cum autem praefectus aegre tulisset hanc diuturnam nuditatem: « Ego, inquit athleta, ideo sto nudus, ut, si aliquem viderim athletam defessum doloribus, illius defectum meo corpore alacri animo suppleam. » O viri fortitudinem! O dicendi libertatem! O ardorem in Dominum! Rursus ergo relegantur in insulam, quam solent appellare Aphusiam. Sed quid mihi opus est enumerare ea quae deinceps sunt consecuta, carceres, naufragia, famem, solis ardorem, frigus nocturnum, insidias, insurrectiones, quotidianas mortes, plagas rursus, verbera et colaphos? Satis sit dicere, quod cum in iis ferendis voluptate affecti essent simul cum diuturno exsilio, duobus post annis, soli ex aliis jussu imperatoris veniunt Constantinopolim. Majori enim, etsi plane inani, desiderio tenebatur Imperator habendi Theodorum et Theophanem eadem quae ille, sentientes, quam imperandi omnibus, qui nulla in re ab eo dissentiebant.

§ 12. Verumenimvero operae pretium est ea quae deinceps sequuntur, declarare per illa ipsa verba epistolae, quae hic D. Theodorus, communem simul cum fratre componens epistolam, mittit* ad Joannem, qui tunc erat Antistes Cyzicenae Ecclesiae, et ad reliquam Orthodoxorum multitudinem, enumerans quaecumque eos pati accidit ab illo Dei inimico Theophilo, dum decertarent pro divinis imaginibus, et quemadmodum post multa tormenta eis crudeliter compuncti fuerunt oculi. Si autem in epistola sunt quaedam simplicia et rudia, non ideo apud eos, qui recte judicant et sunt eruditi, dabunt ea testimonium, quod qui scripsit, esset ineruditus: sed primum quidem, quod ipse uteretur indifferenter dictione et nominibus, et non hoc magnum putaret, neque dignum in quo elaboraret. Deinde autem, quod etiam vellet ipsa plane verba, sicut dicta sunt, in interrogationibus et responsionibus, simpliciter et inornate adduci. Sic autem habet ad verbum epistola: « Maximam facerem injuriam, si silentio traderem ea quae in nos facta sunt, cum multi desiderent audire et discere, et maxime possunt esse ad Dei gloriam, et multorum utilitatem, si dicantur et audiantur: neque parum conferunt ad confutandos impios, et ad refellendam eorum dogmatum imbecillitatem, et telae

* Anno probab. 835.

aranearum similem. » Deinde haec quoque dicit paulo post: « Cum ergo tunc venisset, qui jussis serviebat imperatoriis, et ascendisset in insulam Aphusiam, nos magna celeritate abreptos duxit in civitatem, causam, cur traheremur, affirmans se ignorare, nisi quod cum magna festinatione et celeritate dicebat se esse missum. Venimus itaque in civitatem, cum esset octavus dies Julii. Cum autem Imperatori apparuisset solus is qui nos duxerat, jussus est nos statim includere in Praetorio. Post sex vero dies, nempe quartodecimo ejusdem mensis, accersimur ad Imperatorem, nostro adventu jam in omnium animis praecognito et exspectato, quod scilicet ad Imperatorem deducendi essemus, ut poenas lueremus; neque licebat aliud videre aut audire, nisi terrores et minas, aliis quidem crudeliter dicentibus: « Cedite vos quamprimum et absque omni contradictione jussis Imperatoriis; aliis vero nos acerbissima passuros, si non pareremus, protestantibus; aliis vero dicentibus, Tenetur daemonum *, et alia hujusmodi et his deteriora, quae nostris auribus accipiebamus. Et haec quidem audiebamus, priusquam ad aureum, quod dicitur, adduceremur triclinium. Adductis autem et ostium ingressis, nos Praefecto praecedente, visus est a nobis Imperator valde terribilis et iram spirans, multis hinc et illinc nos circumsistentibus. Erat hora circiter decima, et Praefectus, qui eousque venerat, discessit, solos nos relinquens in conspectu Imperatoris. Is autem nos cum adorassemus, asperiore et acerbiore voce jussit accedere propius. Cum ad eum ergo usque venissemus, interrogavit, dicens: « In quanam regione nati estis? » Cum nos autem respondissemus, « In Moabitide; » ille rursus iisdem verbis: « Et cur huc venistis? » inquit, et priusquam responderemus, jussit nobis verberari oculos. Multas vero plagas et graves inflixerunt qui percutiebant, adeo ut nos impleremur vertigine, et humi caderemus; etenim nisi ejus qui percutiebat, tunicam in pectore apprehendissem, ad scabellum Imperatoris statim essem dejectus. Tenens autem vestem, plagas accepi immotus, donec Imperator jussit eum cessare percutere. Cum cessassent autem qui percutiebant, rursus rogavit Imperator: « Quanam de causa huc venistis? » Hoc vero sibi volebat id, quod dicebat, Quanam de causa, nolentes eamdem, quam nos, amplecti fidem, vestra sponte ingressi estis eamdem, quam nos, habitationem? Cum nos autem tacuissemus, et oculos humi dejecissemus, ad Praefectum qui prope stabat, impudenti oratione et torvo adspectu conversus, cum magna ira et voce aspera haec locutus est: « Tolle eos, et in eorum facie inscribe et insculpe hos jambos, et trade eos duobus Saracenis, et abducant eos in terram suam. » Prope vero adfuit, qui eos habebat jambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodulus, cui etiam jussit eos legere, hoc etiam adjiciens: « Etsi non sint pulcri, ne sit tibi curae. »

* Baronius in Annalibus legit: *Tenentur daemonum spiritu.*

rebellavit; complures autem propter spem et Christi desiderium, generoso et forti animo contempserunt. Cum quibus hic quoque vir divinus, cum hoc, quod nihil cessit iis quae promittebantur, beneficiis, loris praeterea caesus, dici non potest quantam ostendit fortitudinem, sociis certaminis effectus exemplar non facile ad imitandum. Ipse certe cum jam fuisset ei corpus laceratum flagellis, et solum sanguine adspersisset, ut qui rerum gravium et asperarum nullum sensum sustinuisset, nudus stetit in medio tribunali, de plagis tamquam de aliquo ornamento glorians, et sic, ut ait divinus Paulus, *effectus theatrum Angelis et hominibus*. Cum autem praefectus aegre tulisset hanc diuturnam nuditatem: « Ego, inquit athleta, ideo sto nudus, ut, si aliquem viderim athletam defessum doloribus, illius defectum meo corpore alacri animo suppleam. » O viri fortitudinem! O dicendi libertatem! O ardorem in Dominum! Rursus ergo relegantur in insulam, quam solent appellare Aphusiam. Sed quid mihi opus est enumerare ea quae deinceps sunt consecuta, carceres, naufragia, famem, solis ardorem, frigus nocturnum, insidias, insurrectiones, quotidianas mortes, plagas rursus, verbera et colaphos? Satis sit dicere, quod cum in iis ferendis voluptate affecti essent simul cum diuturno exsilio, duobus post annis, soli ex aliis jussu imperatoris veniunt Constantinopolim. Majori enim, etsi plane inani, desiderio tenebatur Imperator habendi Theodorum et Theophanem eadem quae ille, sentientes, quam imperandi omnibus, qui nulla in re ab eo dissentiebant.

§ 12. Verumenimvero operae pretium est ea quae deinceps sequuntur, declarare per illa ipsa verba epistolae, quae hic D. Theodorus, communem simul cum fratre componens epistolam, mittit* ad Joannem, qui tunc erat Antistes Cyzicenae Ecclesiae, et ad reliquam Orthodoxorum multitudinem, enumerans quaecumque eos pati accidit ab illo Dei inimico Theophilo, dum decertarent pro divinis imaginibus, et quemadmodum post multa tormenta eis crudeliter compuncti fuerunt oculi. Si autem in epistola sunt quaedam simplicia et rudia, non ideo apud eos, qui recte judicant et sunt eruditi, dabunt ea testimonium, quod qui scripsit, esset ineruditus: sed primum quidem, quod ipse uteretur indifferenter dictione et nominibus, et non hoc magnum putaret, neque dignum in quo elaboraret. Deinde autem, quod etiam vellet ipsa plane verba, sicut dicta sunt, in interrogationibus et responsionibus simpliciter et inornate adduci. Sic autem habet ad verbum epistola: « Maximam facerem injuriam, si silentio traderem ea quae in nos facta sunt, cum multi desiderent audire et discere, et maxime possunt esse ad Dei gloriam, et multorum utilitatem, si dicantur et audiantur: neque parum conferunt ad confutandos impios, et ad refellendam eorum dogmatum imbecillitatem, et tela

* Anno probab. 835.

aranearum similem. » Deinde haec quoque dicit paulo post: « Cum ergo tunc venisset, qui jussis serviebat imperatoriis, et ascendisset in insulam Aphusiam, nos magna celeritate abreptos duxit in civitatem, causam, cur traheremur, affirmans se ignorare, nisi quod cum magna festinatione et celeritate dicebat se esse missum. Venimus itaque in civitatem, cum esset octavus dies Julii. Cum autem Imperatori apparuisset solus is qui nos duxerat, jussus est nos statim includere in Praetorio. Post sex vero dies, nempe quartodecimo ejusdem mensis, accersimur ad Imperatorem, nostro adventu jam in omnium animis praecognito et exspectato, quod scilicet ad Imperatorem deducendi essemus, ut poenas lueremus; neque licebat aliud videre aut audire, nisi terrores et minas, aliis quidem crudeliter dicentibus: « Cedite vos quamprimum et absque omni contradictione jussis Imperatoriis; aliis vero nos acerbissima passuros, si non pareremus, protestantibus; aliis vero dicentibus, Tenetur daemonum *, et alia hujusmodi et his deteriora, quae nostris auribus accipiebamus. Et haec quidem audiebamus, priusquam ad aureum, quod dicitur, adduceremur triclinium. Adductis autem et ostium ingressis, nos Praefecto praecedente, visus est a nobis Imperator valde terribilis et iram spirans, multis hinc et illinc nos circumsistentibus. Erat hora circiter decima, et Praefectus, qui eousque venerat, discessit, solos nos relinquens in conspectu Imperatoris. Is autem nos cum adorassemus, asperiore et acerbiore voce jussit accedere propius. Cum ad eum ergo usque venissemus, interrogavit, dicens: « In quanam regione nati estis? » Cum nos autem respondissemus, « In Moabitide; » ille rursus iisdem verbis: « Et cur huc venistis? » inquit, et priusquam responderemus, jussit nobis verberari oculos. Multas vero plagas et graves inflixerunt qui percutiebant, adeo ut nos impleremur vertigine, et humi caderemus; etenim nisi ejus qui percutiebat, tunicam in pectore apprehendissem, ad scabellum Imperatoris statim essem dejectus. Tenens autem vestem, plagas accepi immotus, donec Imperator jussit eum cessare percutere. Cum cessassent autem qui percutiebant, rursus rogavit Imperator: « Quanam de causa huc venistis? » Hoc vero sibi volebat id, quod dicebat, Quanam de causa, nolentes eamdem, quam nos, amplecti fidem, vestra sponte ingressi estis eamdem, quam nos, habitationem? Cum nos autem tacuissemus, et oculos humi dejecissemus, ad Praefectum qui prope stabat, impudenti oratione et torvo adspectu conversus, cum magna ira et voce aspera haec locutus est: « Tolle eos, et in eorum facie inscribe et insculpe hos jambos, et trade eos duobus Saracenis, et abducant eos in terram suam. » Prope vero adfuit, qui eos habebat jambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodulus, cui etiam jussit eos legere, hoc etiam adjiciens: « Etsi non sint pulcri, ne sit tibi curae. »

* Baronius in Annalibus legit: *Tenentur daemonum spiritu.*

rebellavit; complures autem propter spem et Christi desiderium, generoso et forti animo contempserunt. Cum quibus hic quoque vir divinus, cum hoc, quod nihil cessit iis quae promittebantur, beneficiis, loris praeterea caesus, dici non potest quantam ostendit fortitudinem, sociis certaminis effectus exemplar non facile ad imitandum. Ipse certe cum jam fuisset ei corpus laceratum flagellis, et solum sanguine adspersisset, ut qui rerum gravium et asperarum nullum sensum sustinuisset, nudus stetit in medio tribunali, de plagis tamquam de aliquo ornamento glorians, et sic, ut ait divinus Paulus, *effectus theatrum Angelis et hominibus*. Cum autem praefectus aegre tulisset hanc diuturnam nuditatem: « Ego, inquit athleta, ideo sto nudus, ut, si aliquem viderim athletam defessum doloribus, illius defectum meo corpore alacri animo suppleam. » O viri fortitudinem! O dicendi libertatem! O ardorem in Dominum! Rursus ergo relegantur in insulam, quam solent appellare Aphusiam. Sed quid mihi opus est enumerare ea quae deinceps sunt consecuta, carceres, naufragia, famem, solis ardorem, frigus nocturnum, insidias, insurrectiones, quotidianas mortes, plagas rursus, verbera et colaphos? Satis sit dicere, quod cum in iis ferendis voluptate affecti essent simul cum diuturno exsilio, duobus post annis, soli ex aliis jussu imperatoris veniunt Constantinopolim. Majori enim, etsi plane inani, desiderio tenebatur Imperator habendi Theodorum et Theophanem eadem quae ille, sentientes, quam imperandi omnibus, qui nulla in re ab eo dissentiebant.

§ 12. Verumenimvero operae pretium est ea quae deinceps sequuntur, declarare per illa ipsa verba epistolae, quae hic D. Theodorus, communem simul cum fratre componens epistolam, mittit* ad Joannem, qui tunc erat Antistes Cyzicenae Ecclesiae, et ad reliquam Orthodoxorum multitudinem, enumerans quaecumque eos pati accidit ab illo Dei inimico Theophilo, dum decertarent pro divinis imaginibus, et quemadmodum post multa tormenta eis crudeliter compuncti fuerunt oculi. Si autem in epistola sunt quaedam simplicia et rudia, non ideo apud eos, qui recte judicant et sunt eruditi, dabunt ea testimonium, quod qui scripsit, esset ineruditus: sed primum quidem, quod ipse uteretur indifferenter dictione et nominibus, et non hoc magnum putaret, neque dignum in quo elaboraret. Deinde autem, quod etiam vellet ipsa plane verba, sicut dicta sunt, in interrogationibus et responsionibus, simpliciter et inornate adduci. Sic autem habet ad verbum epistola: « Maximam facerem injuriam, si silentio traderem ea quae in nos facta sunt, cum multi desiderent audire et discere, et maxime possunt esse ad Dei gloriam, et multorum utilitatem, si dicantur et audiantur: neque parum conferunt ad confutandos impios, et ad refellendam eorum dogmatum imbecillitatem, et tela-

* Anno probab. 835.

aranearum similem. » Deinde haec quoque dicit paulo post : « Cum ergo tunc venisset, qui jussis serviebat imperatoriis, et ascendisset in insulam Aphusiam, nos magna celeritate abreptos duxit in civitatem, causam, cur traheremur, affirmans se ignorare, nisi quod cum magna festinatione et celeritate dicebat se esse missum. Venimus itaque in civitatem, cum esset octavus dies Julii. Cum autem Imperatori apparuisset solus is qui nos duxerat, jussus est nos statim includere in Praetorio. Post sex vero dies, nempe quartodecimo ejusdem mensis, accersimur ad Imperatorem, nostro adventu jam in omnium animis praecognito et exspectato, quod scilicet ad Imperatorem deducendi essemus, ut poenas lueremus; neque licebat aliud videre aut audire, nisi terrores et minas, aliis quidem crudeliter dicentibus : « Cedite vos quamprimum et absque omni contradictione jussis Imperatoriis; aliis vero nos acerbissima passuros, si non pareremus, protestantibus; aliis vero dicentibus, Tenetur daemonum *, et alia hujusmodi et his deteriora, quae nostris auribus accipiebamus. Et haec quidem audiebamus, priusquam ad aureum, quod dicitur, adduceremur triclinium. Adductis autem et ostium ingressis, nos Praefecto praecedente, visus est a nobis Imperator valde terribilis et iram spirans, multis hinc et illinc nos circumsistentibus. Erat hora circiter decima, et Praefectus, qui eousque venerat, discessit, solos nos relinquens in conspectu Imperatoris. Is autem nos cum adorassemus, asperiore et acerbiore voce jussit accedere propius. Cum ad eum ergo usque venissemus, interrogavit, dicens : « In quanam regione nati estis? » Cum nos autem respondissemus, « In Moabitide; » ille rursus iisdem verbis : « Et cur huc venistis? » inquit, et priusquam responderemus, jussit nobis verberari oculos. Multas vero plagas et graves inflixerunt qui percutiebant, adeo ut nos impleremur vertigine, et humi caderemus; etenim nisi ejus qui percutiebat, tunicam in pectore apprehendissem, ad scabellum Imperatoris statim essem dejectus. Tenens autem vestem, plagas accepi immotus, donec Imperator jussit eum cessare percutere. Cum cessassent autem qui percutiebant, rursus rogavit Imperator : « Quanam de causa huc venistis? » Hoc vero sibi volebat id, quod dicebat, Quanam de causa, nolentes eamdem, quam nos, amplecti fidem, vestra sponte ingressi estis eamdem, quam nos, habitationem? Cum nos autem tacuissemus, et oculos humi dejecissemus, ad Praefectum qui prope stabat, impudenti oratione et torvo adspectu conversus, cum magna ira et voce aspera haec locutus est : « Tolle eos, et in eorum facie inscribe et insculpe hos jambos, et trade eos duobus Saracenis, et abducant eos in terram suam. » Prope vero adfuit, qui eos habebat jambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodulus, cui etiam jussit eos legere, hoc etiam adjiciens : « Etsi non sint pulcri, ne sit tibi curae. »

* Baronius in Annalibus legit : *Tenentur daemonum spiritu.*

Is autem dixit: « In componendis versibus tam accurate sumus exercitati, ut satis sit ad eos irridendos. » Et ideo quidam qui aderat, ad gratiam loquens, ei dixit: « Ne digni quidem sunt isti, o Domine, ut sint Jambi pulcriores. » Satius est autem, illos ipsos ita, ut se habebant, inserere narrationi.

Cunctis ad urbem adire eam volentibus,
Stetere ubi verbi Dei casti pedes,
Terrarum ut orbis per id queat consistere,
Apparuerunt isti honorando in loco,
Erroris impii mala vasa et reproba.
Cum multa fecissent ibi perturpia,
Graviaque, quod deesset eis recta fides,
Illinc abacti sunt sicut apostatae:
Confugientes autem ad urbem imperii,
Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
Quare notati et inscripti ut malefici,
Damnantur exiguntur que improbi iterum.

§ 13. « His lectis, jussit nos abduci in praetorium; et postquam egressi essemus, et ad eam, quae dicitur Thermastram * jam venissemus, accedens quidam, jussit nos reverti, et cum magna celeritate sistit nos ante Imperatorem. Qui cum nos vidisset, sic inquit: « Verisimile est, vos, cum recesseritis, esse dicturos, Imperatorem illusimus. Sed ego cum vos prius illusero, dimittam. » Cum sic dixisset jussit nos exui. Cum ambo autem exuti essemus, verberabar ego, sic assidue clamante Imperatore, et eos qui flagellabant adjuvante: « Sic te in me geris? da pulcre. » Verberabatur itaque et tergum, et pectus absque ulla clementia et misericordia. Ego vero cum diu flagris caederer, vociferabar: « Nihil peccavimus in tuum imperium. » Et rursus: « Domine, miserere: et sancta Deipara, veni ad nostrum auxilium. » Deinde etiam verberarunt fratrem similiter clamantem et dicentem: « Sancta Deipara, ipsa quoque fugisti in Aegyptum, portans tuum filium. Respice ad me, qui propter similem tibi fugam punior. Domine, Domine, qui liberas pauperem a manu ejus qui sunt eo fortiores, ne diu differas tuum nobis dare auxilium. » Et cum sic ambos concidisset quantum volebat, jussit nos exire. Alius autem rursus egressus, ad nos accurrit, jubens reverti.

§ 14. « Quidam vero missus ab Imperatore, rogavit quanam de causa morte Leonis laetati estis, et cur, cum ad eum accessissetis, non amplexi estis eamdem, quam ille, fidem? Ad haec nos: « Neque morte Leonis laetati sumus, sed neque ad ipsum accessimus, neque fidem propter vos, qui cum tempore mutamini, omnino abolere, aut etiam innovare sustinemus. » Cum is autem subjunxisset: « Non venistis imperante Leone? » — « Nequaquam, diximus: sed eo imperante qui te praecessit. » Ille vero: « Recte, recte, »

* Forte hypocaustum aut termae.

nquit: erat vero is exactor vectigalium. Rursus tunc venimus in raetorium cum jam essent tenebrae. Cum autem quatuor dies raeteriissent, coram Praefecto praesidente sistimur. Is vero cum os multis minis tormentorum terruisset, et dixisset se prius nos sse castigaturum: et deinde etiam oculos inscripturum et Saraenis traditurum, jussit ut id faceremus quod esset gratum Imeratori. Erat autem cum eo etiam Christodulus et ejus pater. lobis vero fortiter recusantibus et dicentibus nos esse paratos ubire vel mille mortes: et nunquam nos esse polluendos vel olo assensu, communione eorum qui contempserunt et despiatui habuerunt Christianorum fidem et confessionem: etiamsi culos effoderint, etiamsi corpus igni tradiderint. Cum haec dieremus, pater Christoduli loquens adversariis, quasi nobis graficans: « Nunquam, dixit Praefecto, isti adorarunt imaginem, eque scio quid fecerint, quod huc venerunt. » Cui ego aspere: Recede hinc, inquam: nescis quid dicas, neque de quibus afirmes. »

§ 15. « Praefectus autem rursus utens blanditiis: « Semel, inuit, semel solum communicate, nec aliud exigimus, et ego ibo obiscum in ecclesiam, et deinde ite quo vobis placuerit. » Ego ero ei dixi subridens: « Simile quid dicis, o domine Praefecte, ıt si quis alium rogans, dicat: Nihil aliud peto, nisi semel tuum apul amputare: et tunc postea vade quo velis. Scias ergo hoc uoque nobis esse pudori, quod audeat nos aliquis adhortari ad ommunionem: ad quam nescio quomodo suades ut accedamus, t non potius ut qui procul est remotus, persuadeatur. Est enim i facilius facere, ut terra et coelum sint sursum et deorsum, uam nos traducere a pietate.» Tunc jussit inscribi nostros vultus: t cum adhuc in nobis inflammatae essent plagae, quas ex flaellis acceperamus, et graves afferrent dolores, extendentes super camna, vultus nostros insculpebant. Cum autem longo tempore ultus pungerent, occidente sole, tenebrae factae sunt. Quod quiem effecit, ut vel inviti cessarent inscribere. Egressuri vero, iximus Praefecto et iis qui aderant: « Sciatis Cherubim, quae has iderunt litteras, esse cessura, et flammeam rhompheam, versis ergis, concessuram nobis ingressum in paradisum, ut quae sit everitura nostros vultus, pro communi Domino tam ignominiose nsculptos. Hoc enim a vobis solis factum est a seculo: et est hoc ovum inventum, et reddidistis omnes benignos et clementes, qui dversus divinum nostrum dogma insanierunt. In facie autem hristi omnino agnoscemini, et vobis exhibebuntur legendae hae itterae. Ipse enim dixit: *Quaecumque fecistis uni horum minimorum, mihi fecistis* (*Matth.* xxv). »

§ 16. « Haec verba postquam audiit Imperator per Praefectum, visus est dicere, attonitus, ut arbitror, a verborum operatione: « Si scirem hoc esse verum, eas toti meo populo inscriberem. »

Atque nos quidem haec, cum multa sint alia, brevius declaravimus, eorum quae gesta sunt, habentes multos testes, quos scio plura his et apertius narraturos ea quae tunc facta et dicta sunt, ut qui ea melius quam nos observaverint. Neque enim in angulo, neque in occulto haec facta sunt: sed in theatro, et in medio orbis terrarum. » Et sic quidem epistola.

§ **17**. Post tam inhumanum autem et tam novum supplicium, quod propter divinarum imaginum adorationem beati isti subierant, eorum vultu adhuc stillante sanguine, traduntur in custodiam. Deinde Jannae improbis suggestionibus, qui cum tunc esset ejusdem sententiae, cujus iniquus Imperator, tenebat Ecclesiam, damnantur exsilio. Eos autem suscipit Apamea * Bithyniae, cum jussum esset ab Imperatore, ut ne sepulturam quidem eorum corpora consequerentur, partim quidem eos afficiente contumelia, partim vero communiter invidente orthodoxis possessionem tam bonam, et tam desiderabilem. Illic ergo degit haec generosa biga fraternitatis, et fidem docens orthodoxam, et adhortans ad operationem virtutis. Valde autem persuadebant, ut qui non ex verbis, sed ex factis potius, facerent adhortationem. Fidei enim orthodoxae erant eis argumenta immobilia, quod pro ea compuncti essent, et flagris graviter caesi essent. Virtutis vero, vita et continentia, quae propemodum contendebat cum natura immaterialium.

§ **18**. Postquam autem vocabat tempus resolutionis, et ad eum quem optabant, discessus, Theodorus quidem et senio, et morbo, et praeterea afflictione, quam in custodia passus erat, oppressus, in ipsa custodia in manus Dei Creatoris, suam deponit animam **, cum nulli quidem reprehensioni affinem in actione vitam, et in pietate rationem conservasset integram et inoffensam, reliquisset vero sui martyrii memoriam, quae non potest dari oblivioni, ut qui ipso die vitae finem acceperit, quo Stephanus primus martyrum pari zelo suscepit consummationem. Theophanes autem cum venerandum illud et fraternum tabernaculum cum aliis viris piis, quos verisimile erat illo tempore concurrisse, ut ab ea, quae illinc procedebat, sanctificatione et gratia non exciderent, multis honorasset encomiis et canticis, deponit in arca lignea, et apud se conservat: partim quidem procurans, ne corrumperetur; partim autem glorians memoria certaminum, jussum irridens impii, qui nec volebat quidem ea assequi sepulturam, quae coelestibus digna sunt tabernaculis. Deinde etiam in canones ejus refert certamina, partim quidem pro lamentatione, ut quae non erat licita, adducens hymnodiam; partim vero eorum, qui convenerant, consolans desiderium. Dicitur enim, quemdam senem, cum illo tempore ferretur multo zelo pietatis, Imperatoris quidem minas contempsisse, et nec ipsi quidem vitae suae parsisse, ut fide

* Nunc *Moudania* vocatur. ** Circa annum 836.

procidens ad hujus beati reliquias, ex eo fieret gratiae particeps. Cum ergo ad locum venisset in tempore excessus, seu ad Deum resolutionis, et fuisset unus ex canentibus; affirmabat postea, se audivisse quamdam jucundissimam et admirabilem vocem superne psallentium. An quis autem eam recte cogitaverit Angelicam, an aliquam aliam, quae fiat nutu Dei, Deo fuerit manifestum, et iis, quos par est haec perspicere. Atque sic quidem Theodori reliquias arca conservabat, quae assidue copiosis ornabantur miraculis.

§ **19**. Cum Deus autem rursus respexisset in benignitate et miserationibus, et veluti caligo dissoluta esset impietas, et vires rursum assumeret rectum dogma, cum jam e vivis excessisset, Deo invisus Theophilus, revertuntur quidem ab exsilio, qui propter Christum e patria et ex Ecclesiis ejecti fuerant. Reversus est vero magnus quoque Theophanes, cum esset martyr, et gloriaretur susceptis pro Christo stigmatibus, mercedem confessionis aliam quidem a Deo magnam, et quae auferri minime potest, exspectans; in praesentia autem Niceae Bithyniae sedem a piis accipiens *. Longum postea fuit tempus, et thesaurus erat ignotus, corpus, inquam, beati Theodori, quod multa certamina subierat. Ubi enim relictum fuerat a fratre, illic adhuc jacebat: sed vir quidam pius et religiosus, qui ipse quoque volebat esse particeps confessionis cum athletis, transfert hoc beatum corpus Chalcedonem ex Apamea: quod quidem perpetuis hymnis prosequebantur, et manibus, ut par est, portabant sacerdotes et monachi. Quo in loco cum sacrum aedificasset monasterium, illic deponit thesaurum: et nunc omnibus accedentibus praebet firmitatem animae et corporis, et a morbis liberationem, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, cum principii experte ejus Patre, et sanctissimo, et bono, et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

* Anno 824, defuncto Imperatore Theophilo, S. Theophanes, a Theodora, Theophili vidua, hujus civitatis Antistes creatus fuit.

---

## BASILII SELEUCIAE

# DE SANCTIS INFANTIBUS

## QUI FUERUNT INTERFECTI AB HERODE

## ORATIO

QUAM EX SIM. METAPHRASTE, V SUO TOMO INSERUIT AL. LIPOMANUS.

§ 1. Rursus senex ego deducor ad stadium orationum. Rursus perinde ac mater, quae laboravit in multis nutriendis filiis, imbecillum et egenum uber meae humilitatis cogor exprimere ad tantum populum. Et quis est, qui me cogit? Hic magnus fluvius Euphrates; et ideo pareo. Potest enim ex sua inundatione, dicendi in me aliquam derivare copiam; et tantam, quantam potest capere animae meae capacitas. Sunt enim, o fratres, pleni quidem melle favi Scripturarum, et dulci rore abunde scatent alvei, adeo ut liceat studiosis, eos absque ullo labore exprimentibus, virtutum ebrietatem in suis locare animis, quae est mater temperantiae, ebrietatem, quae vigilantem servat obtutum animae; ebrietatem, quae lucem veritatis reponit in animis, qui semper complentur; ebrietatem, quae non facit amentes, nec eos, qui bibunt, imbecillos reddit ex satietatem, sed membra potius corroborat, et armis justitiae armat adversus peccatum; ebrietatem, qua fuit repletus chorus Apostolorum, quando rore spiritus, qui e coelis fluxerat, in sua lingua accepto, congregatarum gentium auribus distribuit oris operationem, uniuscujusque vocem ad omnium gentium sensus accommodante et adaptante gratia, adeo, ut fluentum sermonis, quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus, a spiritu suo transformato in id, quod erat cognatum vocis uniuscujusque eorum qui audiebant.

§ 2. Me autem infantium adhuc voces circumsonant, et me eos adhuc videre arbitror, voce quidem clamantes nihil significante cum stupore, et ad ensium splendorem conniventes, et cum timore se ad matris ulnas, tamquam tutas, inclinantes, deinde in ipsos sinus subeuntes. Videor vero ipsas quoque videre matres, aliam alio, per urbem currentes cum illis miserabilibus et dulcibus oneribus, et locum fugae quaerentes, et illam quidem, quae nec honestum sumpserat tegumentum in vigore malorum, hanc autem, quae quod habebat in cursu alieno projecerat; aliam vero temere et confuse comas filio injicientem, et tali tegumento sperantem se posse infantem suffurari; aliam, quae comprehendebatur ab iis qui vehementer persequebantur, et deinde a cursu

desistebat, et timore diriguerat, et flentibus oculis ad gladii fulgorem adspiciebat, et adspectum dividebat, nunc ad stricti ensis impetum, nunc ad filium qui erat feriendus, et se festinanter opponebat ferri violento motui; et rursus aliam, quae ne moveri quidem poterat, et nec parum quidem respirare, cum stupor vinxisset ejus pedes, sed ante suum filium timore perierat, et cum exili ejulatu exspectabat percussurum, et jam remissis trementibus manibus, infantem vehementer portabat: quae quidem ignorabat ex ulnis lapsum infantem, casu morte ei allata, praevenisse mortem gladii.

§ 3. O Herodis insaniam! Quibusnam ex consilii egestate actibus replevit orbem terrae! Quis erat ille longe infelicissimus, quando tam acerbam tulit sententiam in eos qui eum nulla affecerant injuria? Omnino certe speciem induerat regiam, et fastus ac pompae scenam sibi fixerat, et sedebat in aureo throno, gemmarum collucente splendoribus, et pectora irâ dilatans, invidiâ cogebatur in arctum, et capulo ensis innitebatur dextera; et viros sapientia insignes adhibebat in consilium, quorum linguas movebat diabolus, illius urgens interitum: et alia quidem furiose accipiens; alia autem statuens audire et judicare, et improbis graviter annuens consiliis, meditatus est messem immaturarum segetum. Postquam autem saevo decreto illud inhumanum confirmavit consilium, et totum jam in armis jussit esse exercitum, eumque ferro muniit, eique centuriones et tribunos divisit, et duces elegit, qui praeclare poterant intelligere, quid oporteret facere in tempore, et optime sciebant uti armis, hujusmodi verbis eos est allocutus, nullo pudore affectus eorum, quae dicebat:

§ 4. « In multos quidem, o milites, belligerantes, vos fortissime gessistis, et moenia trophaeorum meis circumdedistis finibus. Nunc autem, si unquam, maxime oportet vos magno studio incumbere ad victoriam. Ne sitis pigri et ignavi. Magnum est enim certamen et ingens periculum. Domi mihi nascitur malum. Latenter aguntur cuniculi ad subruendam mei regni potentiam. Nullus me apertus invadit inimicus. Puer qui adhuc ignoratur, mihi sceptra eripit. Scitis Bethleem. In ea intellexi natum esse filium, qui a Deo regni accepit suffragium. Nondum circumagitur tempus duorum annorum, ex quo natus est: et nullus quidem, qui appareat, me terret apparatus: sed timeo Prophetarum voces, quae de eo extiterunt. Etenim Magi (meministis autem, quando nuper ad nos venerunt) ex quadam stella, quae eis apparuerat, renunciarunt se intellexisse ortum pueri, et requisiisse Bethleem, ut viderent puerum, et Regem natum, eo, quo par erat, honore afficerent. Ego vero volebam ex eis scire, quisnam is esset, ut mihi esset facile et expeditum dissolvere tyrannidem. Sed cum illi, nescio quanam de causa, fefellerunt quae mihi promiserant, et in suam redierunt regionem, timeo, conturbor, existimo adesse

periculum. Decaetero vos intueor: liberate me ab hoc metu. Properate cum armis, omnes hos fines retibus caedis circumsidete: a senibus abstineat ensis: iis qui jam pubescunt, nullum afferte periculum: adversus parvos tantum infantes armemini. Omnem primam aetatem demetite miserabiliter. Nullius lacrymae matris misereamini: meum inimicum scrutemini in sinu uniuscujusque. In eos, qui ad matrum ubera confugerunt, ferrum trudite. et caedis sanguis misceatur cum lacte. Etiam matres ipsas cum infantibus adactas transfigite, vi ictus ferri, a mollibus corporibus ad illas delapsi. Nullus hujus caedis erit vobis accusator. Solum festinate, instar leonum in civitatem irruite. Nulla vos caedis capiat satietas, donec a vobis existimatur aliquis puer restare. Si nulli vitam concesseritis, ille quoque inter omnes videbitur cecidisse. Et ille quidem non bene, nec tuto fruetur honore Magorum: mihi autem laetam dabitis vitam, et a cura liberam. »

§ 5. Haec cum illi audiissent, et a suis animis omnem amputassent misericordiam, et scelere statuissent alter alterum vincere, cursu ferebantur in civitatem, manus armatas extendentes; et in greges urbis Bethleem irruentes, teneros agnos dilacerabant: et sanguinis fontes omni ex parte emanantes, abunde inquinabant terrae superficiem, et nihil videbatur pereuntibus sufficere ad salutem: non domus, quae celare posset eam, quae subierat; non templum, afferens parricidis aliquam Dei reverentiam, non speluncae clandestinus ingressus, sed infantes tamquam hostes omni ex parte investigabantur, neque latuit ullus eorum gladium, cum unusquisque, tamquam qui esset ipse Christus, in uniuscujusque quaereretur sanguine. Quae autem erant audaces matres, opponentes manus aciei gladiorum, a seipsis quidem feriebantur pro pueris: sed nihil eis proderat: neque aliud efficiebant, quam ut esset eis temporis longius periculum. Aliae vero violenter apprehendentes pueros, qui contra trahebantur, quae membra manibus constrinxerant, ea solum habentes postea conspectae sunt, ferro matri dividente infantem, et iis qui trahebant; et ille quidem, verbi causâ, manum, haec vero crus, illa autem aliquam aliam partem, tamquam totum tenens filium, excurrebat. Multae autem dum cursu fugerent, in ea quae jam jacebant, corpora incidentes, et solo teneros suos foetus allidentes, ense nihil opus habebant ad eorum interitum. Jam vero aliqua stans ante eum, qui erat percussurus, et pro suo filio multum obsecrans, flens sic vociferabatur:

§ 6. « Concede mihi, o miles, eorum quae a te fiunt, ignorationem, et me occide ante filium, et ne matris offendas oculos tam acerbo spectaculo. Est tibi omnino utique mater, est etiam uxor, quae habet filium. Scis quemadmodum propter mala filiorum, parentum dilacerantur viscera. » Illi autem flectebatur quidem animus, et per genas fluebant lacrymae : Herodis vero serviens rabiei, verbis

adhuc fluentibus, in ulnis matris infantem occidebat, et supplicationem interrumpebat caedis lamentatio. Hisque haec agentibus, magis fuit iritata insania. In ipsas domos irruebant, et omnia scrutabantur furentibus et caedem spirantibus oculis, et in excelsos thalamos excurrebant. Deinde cum sub lecto, aut sub aliquo alio ejusmodi infantem invenissent latentem, quem solus fletus indicaverat, ex aedibus tamquam lapidem in vicos devolvebant, irae Regis mortem largientes tam impiam. Confusa vero existebat vociferatio, et invalescebat varius sonus luctus, majoribus quidem pueris fratres suos deflentibus, parentibus deplorantibus eos quos genuerant, matribus autem propter calamitates sonoros ejulatus edentibus, senibus vero se nihil unquam tale vidisse clamantibus, ne in hostium quidem incursionibus, conquerentibus omnibus de acerba luce illius diei.

§ 7. Cum finem accepisset praeclara haec expeditio, et dimissus esset exercitus tamquam parta insigni victoria, sursus excitata est matrum lamentatio: et cum flendi deinceps eis facta esset potestas, unaquaeque sui filii membra, alia alibi colligebat cum lacrymis, et violenter discissa in unum conjungens, et quod restabat inquirens, et quod inventum erat saepe amplectens, et totum corpus in sinu imponens, valde clamabat: « Hei mihi, fili mi, hei mihi, qui non ad talem spem nobis satus et productus fueras: quomodo cum tamquam ramus germinasses, et magna ornatus esses pulcritudine, et bonae spei nobis pulcra praebuisses semina, repente a meis abscessisti manibus? Exsurge parumper, excute somnum, quem tibi Regis attulit invidia; me voce imperti jucundissima; apprehende miseras mammillas ejus quae te peperit; trahe ubera, quae olim diligebas; fac ut tu pendeas a collo matris. Taces? Quiescis? Heu me miseram, quomodo rursus contexam membra, quae ensis dissecuit immaniter? Quibusnam vero manibus necessariam tibi terram congeram? Quomodo autem a tua me forma separabo? » Talibus fletibus completa fuerat civitas, singulis singulas ad fletum incitantibus, et suam propter mortuos filios lamentationem, adspectus viventium in dies incitabat. Coronatus autem erat Rex tamquam propter erecta trophaea, et se existimabat adeptum esse victoriam, qualem nunquam antea: et cum se tanto caedis contaminasset crimine, et sui imperii tot plantas excidisset, magnos spiritus conceperat, et de securitate maximam acceperat fiduciam: nesciens homo plane stolidus, quo recidebat illa callida ejus machinatio. Quem enim quaesiit, non potuit laqueis includere; quos vero, si fuisset adhuc sanae mentis, noluisset sic afficere, male perdidit, ipse sibi afferens exitium.

§ 8. Christus autem Dominus universorum, tam saevo nefariorum scelerum artifici, morbum immisit acutissimum, cum innocentium infantium animas reposuisset in sinum patris Abrahae, ipse libere proficiscitur in Aegyptum, expurgare volens arcem

impietatis, et qui erat abditus in adytis idolorum errorem suis radiis aperire, et reddere manifestum iis qui jam olim decipiebantur, et diabolo luctum afferre gravissimum. Nam cum paucos Judaeorum infantes se existimasset perdidisse propter Christum, se illos quidem non advertit collocasse in pratis, ut pulcherrimis, ita longe tutissimis, et nihil eos laesisse, se autem jam vidit sua nudatum tyrannide, et privatum antiquissima potestatis suae haereditate, Isaiae impleta praedictione, quam ipse Christus in labris ejus posuerat, longo ante tempore talem suum adventum aperte significans, et per illius linguam clamans: *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et veniet in Aegyptum, et solventur manufacta Aegypti a facie ejus* (*Isa.* XIX): Eum decet gloria in secula seculorum. Amen.

# SERMO

## D. CAECILII CYPRIANI CARTHAG. EPISC.

# DE STELLA, MAGIS, AC INNOCENTUM MORTE

HABETUR III TOMO OPERUM EJUS,

NUNC RECENS OPERA D. JACOBI PAMELII RECOGNITORUM.

§ 1. Nato in Bethleem Salvatore, audita est in Ephrata ejus in terris praesentia, et usque ad sylvas, camposque gentium novae hujus nativitatis est fama porrecta: in Judaea a pastoribus et Angelis primo sunt haec gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines hujus rei notitia penetravit, et incolis Sabba praeclari stella luminis coeleste numen novis splendoribus indicavit. Erant in illis regionibus viri syderum inspectionibus assueti, qui arte mathematica vim discursumque noverant planetarum: qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis propriis didicerant effectibus assignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant stellam oriri in Jacob, et hominem in Israël, cujus fortitudo quasi rhinocerontis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui superarent Assyrios, et vastarent Hebraeos, quo temporum nec in Jacob idolum, nec in Israël simulacrum esset. Diu homines illi hujus prophetiae proventum exspectaverant, et ubi venit plenitudo temporis, orto repente novo sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti quam signo, dromadis invecti in Judaeam, stella duce, perveniunt. Nec potuere Palaestinae incolas latere tanti nominis personae: sed ubi auditum est quod stellam indicem nati in Bethleem parvuli

sequerentur, Herodi novi Regis inquisitio nunciatur. Evocatis itaque Magis, rei hujus ordinem cum omni diligentia sciscitatur. Audit natum in Bethleem esse parvulum, quem profitentes Regem et Deum qui de Sabba venerant, adorare et venerari festinant; intimatum est ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis, praedixerat; et contulit cum litteris gentium, sanctorum vaticinia prophetarum, quorum scripta per omne sabbatum legebantur: de quibus nulla in populo Judaeorum ambiguitas erat quin rata essent, quae illi vel asseruissent praeterita, vel praedixissent futura: a fortitudine ejus qui quasi unicornis obvios penetraret, in cujus obsequium ultrices de Italia trieres in Judaeae terminos adventarent, et usque ad finem mundi dilatarent imperium. anxius expavit et timuit. Conturbabat quoque aliud quod in Michaea scriptum est testimonium: *Quoniam de Bethleem quae est Ephrata, egrederetur parvulus, qui dominator esset in Israël, cujus egressus esset ab initio a diebus aeternitatis* (*Mich.* v). Cumque ea quae domestici codices continebant, cum his quae ab alienigenis dicebantur intelligeret convenire, divinis tentans reluctari consiliis, simulat perfidus religionis assensum, promittens Magis sese ad adorandum parvulum cum omni devotione illico affuturum, cum per revertentes certitudinem de puero accepisset. Turbatur cum Rege maligno Jerosolyma, non laetetur, expavescit et tabescit et negare erubescit quod Scriptura testatur. Nec minus horrendum scribarum sacrilegium quam Herodis impietas, quia proprio Judaei abutentes privilegio, cum visitationi divinae invenirentur ingrati, causam sibi cum Herode fecere communem: cum hinc et inde impietas et infidelitas adversus Dominum et Christum ejus fremerent, et pariter in ejus odio consentirent. Ecce alienigenae a fluminibus Aethiopiae ad parvulum Christum supplices veniunt, et filii dispersorum deferunt munera, accedunt qui longe erant, et qui prope recedunt: in loco humili et supellectile vili Rex regum et Dominus dominantium invenitur, cognoscitur, et ab aliis adoratur. Quia vero neminem in conspectu Dei apparère vacuum antiqua lex edocet, praevaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiae gentium sacramentalia munera proferunt de thesauris, et Domino aurum et odoramenta praesentant, profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid sentirent. In auro Regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamvis passibilem profitentur. Oblatio ista incarnati Verbi et exponit mysteria, et brevi subtilique indicio utriusque naturae humanae divinaeque exprimit unitatem, quod et proprium est unicuique, singulatim distinguens. Nam Deo Patri cujus regnum et imperium suis mundum replet splendoribus, in odorem suavitatis summus sacerdos et pontifex Christus se obtulit: cujus caro passionis cremata carbonibus, incensionis suae fragrantiam transmisit ad

coelos, et usque hodie odor ille suavissimus in terrestri coelestique Ecclesia indeficiens perseverat. Quod autem passibilitas quam obediens Deo voluntarie suscepit, incorruptione firmata sit: virtus myrrhae obvians corruptelae suo probat effectu, et visibilium ratione munerum immortalitatis solidae constat evidens argumentum.

§ 2. Adorato Domino, Magi hilares alio tramite in suam patriam revertuntur: quia necesse est ut qui credunt ad justitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem, deinde vias eligant arctiores, et se districtioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas, descensusque praecipites itur ad inferos, per arctas vero et difficiles reditur ad superos. Propter verba labiorum Dei religiosus quisque vias duras ingreditur, et jugulator voluptatum stantem ex diverso hostem securus aggreditur. Arcta via est castitas, trames strictus humilitas; jejunio affligi, et carnem in servitutem redigere, scopulosae sunt semitae, sed ad patriam superiorem non nisi per meatus difficiles armati milites revertunt. Non est tutus ad Herodem regressus nec expedit cum his qui oderunt Deum foedera jungere; nec de religione cum malignantibus inire consilia, quorum familiaritas infantiam Christi studiose persequitur: et antequam formetur Christus in nobis, in ipso piae conversationis initio, ut extinguatur spiritus, et suffocetur vita justitiae, penitus elaborat.

§ 3. Delusum se Herodes conqueritur, cum Magos alias comperit divertisse: quia molestissimum est principi tenebrarum cum excogitatis laqueis tentatos quoslibet noverit evasisse: et acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic sanctorum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitae statum eis procurat; et quod ille in perditionem molitur, hi utuntur pro beneficio, quibus lucra vitae perpetuae per haec momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce parvuli isti, quos hostis naturae, pietatis inimicus, bestialis saevitiae, inauditae crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito fiunt martyres, et dum vice Christi, et pro Christo avulsi a matrum uberibus detruncantur, testimonium quod necdum poterant sermone, perhibent passione: et sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguatur. Illico spiritus infantilis vasculi receptaculum deserens, jam non tenelli corporis aetatisque novitiae tempore tenetur; sed ab illis infantibus coagulis anima expedita, adepta rationis et intellectus plenitudinem in occursum Christi festinat, a quo militiae suae quaerens stipendium, ad lucis et pacis aeternae praemittitur gaudia, et Epiphaniae solemnia in coelestibus celebrat, nec in stellae alicujus lumine, sed in ipsa claritate divinae praesentiae gloriatur. Acta est nativitatis solemnitas sursum jubilantibus Angelis, deorsum ex ore infantium et lactentium laus est perfecta,

resonantibus usque ad coelos victoriae tubis; et versus est parvulorum vagitus in gaudium, et luctus in jubilum, sequente non stellam, sed Agnum exercitu innocentium, et bajulante gloriosissimi triumphi solemne vexillum. Nec potuit mundus inficere nuper agonem ingressum infantilem exercitum, et pedes qui nondum lutum calcaverant, urgens citatusque transitus non est passus ullis sordibus inquinari: sed in ipso vitae initio tota illa innocua phalanx, sine ullo integritatis detrimento, ad solidioris vitae translata est gloriam. Et quae exspectari poterat annorum elapsu rationis discretio, repente nullis jam aetate illa temporibus subjecta, omnis consummationis reperit finem, et casuum accidentium mutabilitates evasit. Evigilaverunt sensus quos sopor infantiae opprimebat, displosisque palpebris intuiti lucem, in momento assecuti sunt, quae pacificis et mundo corde debetur, beatitudinem: et ascendentes per omnium virtutum gradus sine doctrinae humanae exercitio cumulatam invenère mensuram: ita ut in ordine sanctorum protomartyres primum habeant locum, et secretorum conscii divinorum, propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, quos usque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine et morte diabolus delectatur. Hi itaque a cunabulis in coelum translati facti sunt superni Capitolii senatores et judices, nonnullis veniam obtinentes immeritis: assistuntque miserationibus et ultionibus divinis, sed saepius Agni, quem quocumque ierit prosequuntur, mansuetudine, quam ira vel furore utuntur. Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lavacrum animae sanguinem efficacem, quam sanctificatas verbis solemnibus aquas, maxime cum nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alveum fluat. Spiritus vero Sanctus et aquis et sanguini superfertur, qui subjectos sibi fovet et abluit: quo baptizante idem occisio quod mersio operatur, qua extinctam peccati vitam virtutemque emortuam utriusque rei continet sacramentum. Ipse enim est qui vel hoc, vel alio modo, quicumque est ille modus, baptizat, et ad idem refertur quod pura fide agitur per Christum Dominum nostrum.

---

# MARTYRIUM * SS. MM. INDAE ET DOMNAE

## ET MULTITUDINIS VIGINTI MILLIUM MARTYRUM, QUI PASSI SUNT MARTYRIUM NICOMEDIAE

PER SIMEONEM METAPHRASTEN, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII.

**Passi sunt anno 301.**

§ 1. Maximiano jam secundum annum agente in imperio Romanorum, et minitante gravem tempestatem impietatis, et mox in pios erupturo, sic quoque florebant quidem res Christianorum, et laetae erant tamquam in jucundissimo vere pietatis. Hoc autem vero faciebant alii quoque ex Orthodoxis, qui et temporibus erant superiores, et pietatis dogma aperte canebant sicut cicadae: prae caeteris vero omnibus, Ecclesiae nostrae musica hirundo, qui propter rectam in fide sententiam, et in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans, quam sede Episcopali, et vitam orationi habens consentientem, monasteria constituebat, et eorum curam gerebat, et ea quae jam facta fuerant continens, et nova praeter vetera aedificans. Accensus ergo, accensus fuerat ignis ille pietatis, de quo etiam dicit vox regia: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII). Qui etiam tantum est nutritus, et tantum invaluit, ut etiam ad ipsam veniret regiam, et multis ex iis qui erant in ipsa, persuaderet, ut, relicto auro et divitiis, quae hunc ignem extinguunt, eas in manus pauperum immitterent, Christumque et ejus partes omnino sequerentur.

§ 2. Cum haec autem audivisset Maximianus, non erant ea omnino tolerabilia: sed cum etiam duplex ei bellum erupisset, quorum ipse quidem unum movebat contra pietatem; alterum vero contra ipsum quaedam gentes, ab eo bello devictae, ejus diu distrahebatur animus. Cum vero considerasset oportere prius bellum conficere Barbarorum **, ut quod esset terribilius, « religionis, inquit, bellum reversus tuto movebo, et pulcre docebo cum majorum meorum diis, eos qui ipsos afficiunt contumeliis, nunquam eis tam vehementer et tam temere insultare. » Cum is sic quidem et labra in corde dolosa, et linguam movisset magna et superba loquentem, egressus est contra Barbaros. Piorum autem fax adhuc

* Acta haec SS. Martyrum Nicomediensium, omni ex parte examinata, invenimus, ait Baronius in *Annalibus*, paucis quibusdam emendatis, fidelissima.

** Persos intellige, quos Diocletianus unâ cum collega Maximiano, hoc anno, subegit.

magis accendebatur, et Christi milites parabantur ad aciem. Inter eos floruit laeta quaedam et pulcra planta pietatis, virgo admodum pulcra, Domna nomine, gloria insignis, in thalamo educata imperatorio, ab impio Imperatore iis, qui falso nominantur, ejus diis consecrata, qui collocati erant intra regiam; et constituta prima sacerdotum, et praefecta sacrificiis et mysteriis omnibus deorum inanium. Verumenimvero bona arbor quaerebat bonam terram, et ferax olea stare in domo Dei, et fructum reddere utilem. Ipsa ergo cum fidei sermo dilataretur, et ad divinarum Scripturarum venisset auditionem, et mentis aptitudine rapuisset scintillam pietatis, brevi impletur amore spiritali; et cum illum librum accepisset, Pauli, inquam, qui sermone complexus est orbem terrae, et actiones reliqui chori Apostolorum, diligenter et continenter ea percurrit; et cum cognovisset ea quae dicebantur esse et vera, et delectabilia, et quod est omnium maximum, animae utilia, varie afficiebatur: laetabatur, admirabatur, dolore animi implebatur. Laetabatur quidem, quod in talem thesaurum incidisset; admirabatur autem, considerans fidem Christianorum, ejusque veri studium et conjunctionem cum virtute suscipiens; angebatur vero, damnum quod eousque acceperat, reputans, et noctem profundam ea, quae praecesserant, existimans.

§ 3. Hanc certe piam fidem desiderans, nihil omnino cunctata, accersit quamdam filiam unius ex Senatoribus (quae opinione quidem erat Christiana, erat autem ipsa quoque virgo perfecta), verum cultum scire desiderans, et uti ea duce ad religionem. A qua in mysteriis pulcherrime instituta, properat ad baptismum: et media nocte, inscientibus omnibus, venit ad Cyrillum Pontificem. Ille autem cum modulate divinas ei cecinisset Scripturas, et veneranda Christi cruce eam obsignasset, tunc quidem eam facit catechumenam: et jubet ea, quae de more prius fiunt, fieri a pio quodam Diacono: erat autem ei nomen Agapius. Illa vero cum et his, et jejunio et orationi simul vacaret, non minus haec agens studuit latere, quam haec facere. Non erat itaque aliquis, qui horum esset conscius, nisi solus quidam Eunuchus, qui erat ei virtute similis, Indes quidem nomine, genere autem barbarus, etiamsi ejus mores non essent barbaris similes, sed mites et mansueti, et qui significabant magnam internam quietem et tranquillitatem. Is non solum aeque, atque ipsa, ad fidem accessit: sed etiam, vocante occasione, se primum tradidit martyrio. Ambo ergo, quando venit tempus praestitutum, assequuntur baptismum; et sic post primam generationem, cito puella secundo quoque regeneratur, cum non nata esset plures quam quatuordecim annos.

§ 4. Postquam autem valide jactum fuit fundamentum, et in firma petra, nempe Christo, jam radices egerat, tunc alia quoque superaedificavit, alimentum quidem sensile et potum negligens:

pani autem, qui intelligentia percipitur, et divinis verbis adhaerens; et propterea quaerens non solum, quomodo, quod dictum fuerat, in animo imprimeretur, sed etiam, quomodo exiret in opus: atque adeo ad ea non opus fuit ei tempore. Simul atque enim divinam audiebat Scripturam, statim, quod audiebat, producebat ad effectum. Cum itaque aliquando legeret librum Actionum Apostolicarum, ubi pervenit ad illum locum, in quo, qui vendebant possessiones, adferebant pretia ad pedes Apostolorum, illa hoc quoque facere constituit: et cum collegisset quidquid auri habebat et argenti, et vestis pretiosae, et ea suis imposuisset famulis, noctu abit, et sanctum rogat Cyrillum ut ea accipiat, quoniam in illum Apostolicam servat reverentiam, et ut suis manibus ea distribuat pauperibus. Quae quidem cum, ut volebat, nemine sciente, effecisset, reversa est; et solitus eam rursus habebat thalamus.

§ 5. Atque Cyrillus quidem ejus pater secundum spiritum, paulo post excedit ad omnium patrem et Deum. Beata autem puella ejus monita non leviter audiit: sed etiam in animi profundo ea celavit. Toto itaque die, illa et, qui virtuti erat similis, Indes, animam jejunio expurgantes, orationique et sacris eloquiis vacantes, noctu cibum sumebant. Alimentum autem erat panis siccus, et aqua potus. Quae vero constitutum fuerat ut ab Imperatore acciperent, iis ventres pauperum fruebantur: ut benignitatem simul recte exercerent, et abstinentiam. Sic facientes, conabantur quidem multos latere: sed fieri non poterat, ut mons absconderetur, et lucerna poneretur sub modio, et thesaurus lateret in terra abditus. Sed cum eo, quem dicam, modo apparuissent. Orthodoxis quidem fiunt exemplum salutare: impiis autem et improbis, validum ad eos convincendos argumentum. Qui tantum aberant, ut ex illorum virtute fructum perciperent, ut etiam poenas ab eis expeterent, et eis crimen intenderent abstinentiam: eorum enim adhuc latebat pietas, nec ab ipsis adhuc deprehensi fuerant.

§ 6. Postquam autem manifestum evasit eorum jejunium ei, qui gerebat curam sumptus aulae Imperatoris, cum oporteret admirari benignitatem, et stupere abstinentiam, ille potius processit ad flagra, et eos diu caedens, vim afferebat ut dicerent, quonam proficiscantur ea, quae eis dantur. Cum illi autem, qui didicerant celare recte facta, ea forti et generoso animo sustinerent, mori malentes, quam dicere, ne, quod in egentes manabat, rescinderetur fluentum benignitatis, quidam Eunuchus accedens ad Praefectum, Persa genere et impietate, ac initio eorum virtutem defert et accusat tamquam vitium: quod scilicet se caste gerant, et a cibis abstineant, et quae accipiunt ad alimentum, ea pauperibus Christianis praebeant, et quod, quae ab Imperatore proficiscuntur, dantur ad alimentum iis, qui sunt contrarii Imperatori. « Quod si velis id scire apertius, licet tibi aperto penario ex iis, quae

apparebunt, intelligere ea quae sunt obscura. » Audiit Praefectus, et cum lubenter evidentem admisisset probationem, ab eis aufert claves; et cum aperuisset, invenit protinus, sed non ut ipse sperabat, sed ea, quae vere erant veneranda, nempe et divinae Crucis figuram, et librum sacrosanctum, nempe Apostolorum Deo gratas Actiones: et praeterea possessionum vacuitatem eorum qui in coelis magnum thesaurum recondebant: cujus praeclarae opes erant duae storeae, in nudo solo stratae, vere generosorum et beatorum Damnae et Indae magnifica supellex: fictile praeterea thuribulum et lucerna, et lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem, cujus fiebant participes. Hunc ergo librum et arculam cum impius accepisset Eunuchus, rogabat ubi esset eis aurum, vestisque pretiosa, et alia supellex elegans et magnifica. Cum autem illi rursus interrogationum nullam ducentes rationem, starent tacentes, eos tradidit torquendos. Sed sic quoque reipsa est expertus se frustra pulsare adamantes: ab eis enim nihil omnino audivit. Sacer vero ille liber, et praeterea arcula, ut quae nihil ei essent utilia, illic ab eo relicta sunt in penario. Eos autem jubet alibi includi, donec retulisset ad Imperatorem. Atque virgo quidem, cum jam educeretur e penario, cum inscientibus omnibus scite librum sustulisset (erat enim parvus, et qui poterat facile abscondi), in sua eum veste reposuit. Eodem modo Indes quoque admirabilis vas sustulit ligneum: et ita abducti sunt et inclusi. His sic inclusis longo tempore, solus panis vivus erat nutrimentum: et divinae gratiae potio, erat potus. Quae autem corpus necesse est sumere, iis adeo privati fuere, ut ne aquam quidem possent assequi. Erat enim hic immitis Praefecti jussus, ut propterea, quod ipsi egentium ventres satiaverant, tali fame confecti interirent, et pro benignitate poenas luerent saevitia.

§ 7. Tanta ergo fuit indigentia, et afflictio tam intolerabilis, ut virgo in morbum incideret, cum juvenile corpus non ferret tantam vexationem. Sed fieri non poterat, ut eos haberet despicatui ille, cui sunt curae volucres et bestiae; et qui aperit manum, et implet omne animal benedictione. Sed nox quidem erat: accedunt autem virtutes coelestium Angelorum, qui cum multa luce eos circumfulsissent, et mensam cibis implessent, rursus reversi sunt in coelum. Illi autem ea, quae erant proposita, statim sumpserunt, malorum quae praecesserant, non amplius recordantes: et partim quidem eorum quae apparuerant, splendore; partim vero eorum, quae ipsis oblata sunt, voluptate exhilarati, illud Davidicum admodum opportune cecinerunt: *Tamquam ex adipe et pinguedine repleta est anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum* (*Ps.* 62). Atque dies quidem jam aderat; aderat autem Praefectus quoque, ut sciret an fame victi essent: ut sic eos haberet obtemperantes. Postquam vero contra eos vidit laetos et vultu alacres, anima autem multo alacriores, mittens vim

afferre, ut quod in eis nihil prodesset, aggressus est persuadere: et simulans mansuetudinem, jussit eos deinceps degere nullis malis affectos, et abunde eis dari, quae erant ad usum necessaria, cibum, inquam, pecuniam et vestes, non minus quam antea. Sed virgo nihil egebat pecuniis et vestibus: immo vero egebat quidem, sed non sua causa, sed pauperum, quibus etiam vestimenta discindens, distribuebat: et quomodo existimabat esse necessarium corpori alimentum, ita etiam suae animae necessarium, aliis praebere nutrimentum. Quocirca multis diebus permanebat jejuna, ut possent abunde aliis praeberi nutrimenta. Et tunc quoque cum vidisset multitudinem pauperum ad se confluentium, et tamquam caram nutricem, ut famem ab eis propulsaret, rogantium, dubia animi, ut quae nihil posset impendere, quod sufficeret tantae multitudini, ad suum mundum adspexit: et cum zonam illam, quae plena erat gemmis et margaritis, et alia quae erant auro ornata et argento, omnia vinculo uno comprehendisset, demittit per fenestram, et transmittit ad pium quemdam Diaconum, cui nomen erat Alypius, rogatque ut vendat, et aurum, quod ex eo redibit, dividat pauperibus. Dici non potest, quantae pauperum multitudini haec sufficerint ad alimentum: sed neque quam multos divites sui imitatione provocaverit ad opem ferendam egentibus. Cum autem non oporteret eam, quae erat adeo casta, et quae sic alias exercebat virtutes, et quae magno ferebatur fluento ad beneficentiam, habitare in tabernaculis peccatorum, et in aula regia, huic etiam rei providetur a superis. Videte autem quam sapienter.

§ 8. Dei parentem Davidem in animo versans, et id quod ille simulavit eo tempore, quo fugerat a facie Saul, et quemadmodum vultu suo mutato, se finxit esse emotae mentis, et sic effugit manus eorum, qui erant vere insipientes, et de eis erexit trophaeum: tale quid ipsa quoque excogitat et fingit, invertens oculos, et salivam expuens, et manus percutiens, et voces emittens inordinatas; et aliquando quidem lacrymans; aliquando autem ridens intempestive et indecore. Haec cum viderent ii qui erant in regia, alii quidem miserabantur, alii vero etiam mirabantur; nonnulli autem simul et misericordia movebantur, et stupebant. Quod quidem cum audiisset crudelissimus Praefectus ab aliquo ex iis qui ei assidebant, et vidisset etiam id quod fiebat, visus est dolere et animo aegre ferre. Nam tunc virgo maxime morbum simulabat, quando Praefectus in eam conjecisset oculos. Unde etiam timore afficitur, et ei plures adhibet custodes, ne absente Imperatore, aliquid ei grave accideret, et se deorsum praecipitans, veniret in periculum. Postquam autem multum temporis contritum est a custodibus: illa vero, quam susceperat, personam non dimittebat, sed prudenti admodum cogitatione simulabat se esse insipientem: et molesta erat iis, qui eam custodiebant, eorum quidem vexans

aures inconditis vocibus, stultis autem figuris eorum oculis adferens molestiam: et nonnunquam eis somnum adimens clamoribus, et eis omnino molestiam adferens, non solum vel inviti eam mittunt ad Christianos, quod quidem ea jamdiu cupiebat, sed etiam fatentur, licet nolentes, Christianorum potentiam. Accedentes enim ad Eunuchum, vehementer rogabant, ut ea mitteretur ad Christianos. Fore enim dicebant, ut et ipsi liberarentur a malo non tolerabili, et illa ab ipsis quamprimum curaretur. Sunt enim, dicebant, apud nos alii quoque ei insania similes, quos, nescimus quomodo, dicuntur sanare, et facere ut sint sanae mentis. Hoc illi quidem pro se petierunt, cupientes liberari ab omni molestia: Deus autem id quod virgo impense cupiebat, facit ut ei succedat ex sui animi sententia. Nesciebant enim se, ut dicitur, equum in campum immittere, et delphinum in aquam. Audit haec Praefectus, et cupiens ipse quoque liberari hac ejus cura, statim sanctum Anthimum (erat autem hic tunc Nicomediae Episcopus post Cyrillum) accersit. Qui cum statim accessisset, et, ut qui a Deo accepisset notitiam eorum, quae erant in profundo cordis, spiritu cognoscit de virgine: et cum, quam profunda sapientia sub simulatione stultitiae lateret, intellexisset, ipse quidem tacens constitit: virgo vero cum similiter vidisset Pontificem, nullum amplius prae se ferebat furorem aut amentiam: sed perinde ac ipsum illius adspectum reverita, se moderate gerebat et placide, adeo ut ipsi qui aderant stuperent, considerantes quantam vim habeat vel solum conspectus pius oculus. Praefectus ergo rogavit Episcopum ut assumeret virginem, cum ea autem etiam Indem: et ut eos in sacra aliqua aede traderet in custodiam honestam. Simul etiam dedit pecunias, quae ad alimentum sufficerent et usus corporis necessarios. Ille autem hos quidem valde lubenter suscepit, sed non etiam pecunias. Eos vero misit ad quoddam monasterium *, dici non potest, quantum laetantes, quod successisset eis coeptum ex sententia.

§ 9. Jam autem Maximiano tunc erecta erant trophaea adversus inimicos, Deo ei sapienter viam aperiente ad salutem, ut cum quaesiisset, cujusnam manu haec recte gererentur, agnosceret veritatem. Sed ille in his plane caecutiens, deorum qui falso dicuntur, auxilio adscribebat victoriam: et tantum aberat, ut vero Deo ageret gratias, ut etiam properaret adversus Deum bellum gerere: et aliis postpositis, acri animo armabatur adversus Christianos, daemonibus festa peragens et sacrificia, etiamsi primo vulpinam pellem induens, donis et honoribus clam se insinuabat in populi benevolentiam, et suam esse tectam volebat improbitatem. Theatrum itaque frequentissimum ab eo fuit congregatum.

* Quod audis de monasterio virginum, haud id tibi videatur (scribit Baronius in *Annalibus*, ad annum 301, de hac Nicomediensi persecutione verba faciens) esse novum, quandoquidem jam diu ante, et S. Ignatius, Apostolorum discipulus, meminit de collegiis virginum suo tempore existentibus.

Non aperte autem ostendebatur hoc certamen comparari adversus Christianos: sed obscure, dolose et malitiose instruebatur. Simulacra enim, quae auro quidem honorabantur ab impiis, fossam vero interitus eis vicissim largiebantur: haec, inquam, aurea, et quae rursus facta fuerant ex argento, producens impius, posuit in sede regali, et coronis redimiit: et tandem eis tauros sacrificans, jussit execrandis sacerdotibus adspergere populum, temporis quoque ea in re utens auxilio. Tunc enim ore hianti attendebant jucunda theatri acroamata. Quicumque ergo in pietate quidem erant firmi et stabiles, et quorum animos religio christiana non solum usque ad nomina, sed etiam ad cor usque penetraverat: ii, cum id, quod fiebat, deprehendissent, et nec ejus quidem conspectum ferre potuissent, a theatro recesserunt, suum potius sanguinem profundere, quam tali sanguine pollui, praeclare eligentes. Quibus autem pluris fiebat voluptas et recreatio, iis polluebantur animae et corpora, ex modica, proh dolor, delectatione sibi gravissima recondentes supplicia.

§ **10**. Sed enim Maximianus, qui toto animi impetu ferebatur ad impietatem, non amplius latenter, sed aperte volens se impie gerere, hos habuit sermones apud eos, qui erant congregati, qui quidem gravissimam redolebant impietatem: « Quo abitis, dicens, o homines, luci tenebras praeferentes, et non deos esse putantes, a quibus dependet hoc universum? Non videtis victorias et trophaea? Non videtis bona plurima, quae bonis adjiciuntur: et quemadmodum quae sunt, recte quidem se habent, et sunt in tuto: alia vero accedunt quotidie: et quorum non eramus prius domini, in ea nunc dominatum obtinemus? Non gloriam, quae augetur? non imperium, quod dilatatur? Non civitates, quae partim quidem sunt tributariae, partim autem sunt futurae: et partim quidem jam captae sunt, partim vero sunt jamjam capiendae? Non gentium Reges, qui sunt reputati pro mancipiis? Non omnia, quae eveniunt nobis ex sententia? Cujusnam ergo haec contingunt providentia? Vobis persuadeant temporum temperationes, moderatae pluviae, fructuum fertilitates: immo vero universum tempus fructus producens, et spectantia omnia ad abundantiam.»

§ **11**. Cum ille copiosâ linguâ sic loqueretur, et iis, qui non sunt, ea quae sunt, falso adscriberet, et alia adhuc vellet contexere, non permisit ex alto is, cujus sunt judicia vera justificata, mendacium amplius gloriari adversus veritatem: ne aliis quoque, qui erant ad pervertendum faciles, causa esset interitus: sed interim dum loqueretur, cum esset dies serenus, et sol regionem ureret meridianam, repente erupit sonus multorum tonitruum, et elisus fuit ignis ex nubibus, et profundae simul tenebrae, et densa grando cum ventis vehementibus: et malum hoc horrendum, vocem propemodum emittebat, esse gravem Dei commoti iram. Nam alii quidem solo tonitru auribus et animo perculsi,

ibi in terram cadebant semimortui: alii vero in fugam quidem se conjecerunt, se autem multo gravius affecerunt, ut qui fuerint a se invicem conculcati, et sic vitae violentum invenerint exitum. Ipse quoque impius Imperator propemodum periit, periturus fortasse, nisi Deus judicasset id minus esse supplicium, quam quod ille dignus erat pati. Non usque autem ad ea, quae dicta sunt, stitit Deus terrores: sed fluvii quoque aquarum impetu inundantes, et segetes funditus evellentes, agricolarum labores in mare deportarunt: idque cum esset aestas, et speraretur fore, ut longo tempore non plueret. Fuit tamen, quod factum est, admodum leve et parvum ad penetrandum Maximiani animum, et persuadendum ut resipisceret ab impietate. Nam cum postea quaesiisset schedulam, in qua erant nomina eorum, qui primis duodecim, qui falso dicuntur dii, ministrabant, quoniam Domna et Indes non inveniebantur cum aliis, dolore simul et ira implebatur: et diligenter percontabatur, quomodo res eorum se haberent.

§ 12. Postquam autem audivit ab Archieunucho, Domnae quidem emotam esse mentem: eam vero nunc esse apud eos, qui ea sciunt curare: cum ea autem esse Indem, ut eam custodiat, et ei inserviat: ille jam ira aestuans, et valde vociferans: « O pessime hominum, inquit, Domnam quidem, quae vexabatur a daemone, fortasse non immerito amovisti a deorum ministerio: quidnam autem te movit, ut Indem quoque, magnorum deorum cultorem, cum ea amandares, et quantum in te fuit, eos a ministerio desertos dimitteres? Sed ipsos juro deos, te justas sceleris poenas non esse evasurum. » Dixit, neque quod dixerat neglexit: sed ministerium camelorum, qui erant in regione Claudiopolitana, ei tradi imperavit, ei auctoritatem detrahens Praefecturae, et eum ad extremam deducens ignominiam. Deinde Indem quoque jussit adduci, et ea rursus facere, quae diis consueverat. Ille vero cum accessisset, faciebat re vera, quae consueverat: deosque et deas et eorum sacerdotes valere, vel potius flere jubens, ipse soli Deo vacabat, in orationibus versans et jejuniis et non solum ad eorum impietatem minime se demittens, sed multos etiam ex iis, qui decepti fuerant, ad veritatis agnitionem revocans. Res est enim, quae ad veritatem inducit oratio, quando habet etiam vitam ei consentientem. Hac itaque ratione Indes multos ad Deum adduxit: et erat revera sal divinus, qui et seipsum continebat, et alios poterat continere. Sed tales quidem erant res illius: Maximiano autem erat intolerabile, videri quidem omnes superasse barbaros, et solo adspectu terrere populi multa millia: vinci vero a suis, idque cum essent adeo juvenes, et aetate imperfecta.

§ 13. Cum itaque paulatim solvisset, quamcumque habebat speciem humanitatis, aperte quidem pugnabat cum Christo, sacra templa diruens, et aedes daemonibus aedificans; Praefectos autem, et in dicendo formidabiles, et in puniendo crudeles,

mittentes per universum orbem terrae; quibus non sufficiebat sua adversus Christianos crudelitas, sed accedebat etiam immanitas Imperatoris. Jubebat enim, ut Christianis non obedientibus nihil cederent, sed sic punirent, tamquam oculi illius una examinarent et spectarent tribunalis austeritatem, et in examinando curiositatem, et in puniendo novam inventionem atque vehementiam: dicens eum illi plurimum gratificaturum, qui pluribus suppliciis afficeret Christianos. Sic incitatos emittebat Praefectos: verum enim vero seipsum quoque eis ostendebat exemplar archetypum ad inhumanitatem. Nam ipse quoque erat primus occidens, puniens, de medio tollens, expellens, quid non violentum agens et tyrannicum? Immo vero saepe quoque non vim meram afferens, sed eam etiam miscens persuasione, et ipsam porrigens tamquam escam: ut sic quoque fieret saevior, et haberet probabiliores puniendi occasiones, quod nollent pii parère verbis solis. Is cum sanctissimum Anthimum diu quaesitum non invenisset, ipse ingressus ecclesiam, tamquam fera aliqua varia et dolosa, cum exercituum et satellitum multitudine eam circumdedisset, et deinde etiam lenitatis personam subiisset, ut alii quidem formidarent vim et multitudinem, alii autem ad sibi utilem intuentes benignitatem, abducerentur a persuasione: et cum sic tamquam duobus fortibus vinculis, timore et persuasione pios colligasset, captivos ducebat ad impietatem. Cum haec apud se cogitasset, ad populum talem habuit orationem:

§ 11. « Ego etiam adversus gentes barbaras, quae meum jugum ferre recusant, et non parent Romanorum legibus, non statim moveo hastam, neque utor jaculis, neque gladio eis caedem affero: sed bonos imitor medicos, mollibus primum verbis et benignis, perinde ac oleo, tumorem emolliens. Deinde postquam videro eos esse valde immedicabiles, ulcusque eorum valde malignum et profundum, tunc utor cauterio, et tam aspera et acerba sectione, ut neque ab initio me videatur aliquis humanior, neque post misericordiam et mansuetudinem violentior. Absit autem, ut vos me unquam sentiatis conturbatum et iratum: sed accedentes, libate magnis diis, et rogate, ut vos benignis intueantur oculis: ut sic a nobis quoque consequamini honores, magistratus et pecunias: et sitis inter meos primos amicos et familiares. Quemadmodum enim non est absurdum, Barbaros quidem, qui sunt alterius linguae, nostra tam aequo animo ferre: vos vero in Romanorum legibus educatos, et in rebus Graecorum eruditos, et mihi subjectos, non in omnibus servare obedientiam: sed in rebus praecipuis videri inobedientes, et bellum aperte suscipere contra vestrum Imperatorem, ut ideo excidatis ab Imperatoris benevolentia, et larga munificentia? Recedite ergo, recedite ab hac falsa religione. Sin minus, poena non procul aberit. Videte hanc aedem, in qua confidistis. Eam igni mandans, vos quoque simul perdam:

et scietis omnino, quantum sit malum, a ratione aliena audacia, et mentis pervicacia. »

§ 15. Cum dirus Maximianus sic immanitati conjunxisset humanitatem, et malorum minis, et bonorum promissis variasset orationem, qui instar mellis dulcem habebat linguam sapiens Glycerius *, qui erat revera divinus sacrificus et sacerdos, et sua verba studebat sacrificare Christo, cui sacrificabat, brevem et opportunam dans responsionem, et linguam vinxit Maximiano, et cor ejus conturbavit et labefecit, et simul cum ira ejus animum replevit admiratione. Dixit enim: « Neque tua promissa et dona desideramus, o Imperator, neque tuas minas omnino curamus. Illa enim quomodo appeteremus, aut quomodo ea nostrum delinirent animum, qui, quaecumque sunt mundi, habemus pro somniis? Malum autem quid iis miniteris, qui poenam potius existimant, non vel gravissima sustinere propter Christum? Quae vero dicis, et de quibus gloriaris, de trophaeis, inquam, adversus gentes erectis, ea magis stabunt a nobis, et meis verbis suffragabuntur. Quando enim tu, qui vicisti plurimos, mox conspectus es victus a foeminis et pueris, ab iis, inquam, qui colunt religionem Christianam, quemadmodum non erit mei Christi virtus multo manifestior? Et praeterea quis est adeo attonitus et stultus, ut sit oblitus tonitruum et fulminum, quae paulo ante fuerunt, et illius horrendae Dei significationis, mortisque violentae, et ejus, quae prope fuit, submersionis et fructuum interitus: et quod haec tuis diis, non autem vero potius Deo adscripseris, qui opportune, o Imperator, infert iram adversus eos, qui illos honorant et colunt? Ne sic ergo bellum contra nos susceperis. Sunt nobis arma quoque desuper, quibus sicut hodie tui a te satellites, ita nos a Rege munimur universorum, per quae et contra te in aciem prodibimus, et adipiscemur victoriam valde admirabilem. Percussi enim, interimemus; et cadentes, contra te trophaeum erigemus. »

§ 16. Haec audiit Imperator, et secantibus verbis in medio corde quodammodo sauciatus, animi motum in praesentia celare habens in animo, et nihil amplius dicens aut faciens, e templo egreditur. Pius autem ille populus, Deo quidem gloriam, sapienti vero Glycerio, pro se quisque tales voces edidit: *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, supra mel ori meo!* (*Ps.* 118). Non futurum autem erat, ut Maximianus iram diu cohiberet: sed apud se furore percitus, jubet Glycerium euntem ad ecclesiam, comprehendi manu militari, et correptum, ad se adduci. Qui cum ad illius tribunal esset adductus, nihil interrogatum jussit verberari boum nervis tam vehementer, donec verberantes quidem, vires: illum autem, qui caedebatur, vox deficeret. Praeconi quoque ei, dum verberabatur, jussit dicere: « Lingua parcius utere, o Glyceri.

* S. Glycerii memoria die 21 hujus recolitur.

Ne sis arrogans, nec seditiosus, nec insolens. In honore habe mores Romanorum: reverere Imperatores. » Sic quidem imperavit Maximianus; sed neque torquens persuasit, neque haec cantans. eum affecit pudore: sed cum esset martyr superior et manibus lictorum, et vocibus quae ei incantabantur, quaerebat suum Regem, et tota voce et viribus illius invocabat auxilium: « Domine Jesu Christe, dicens, quomodo me, ut pro te dicerem, corroborasti, ita etiam, o bone, da mihi vires, ut pro te patiar, ut accessione eorum quae sunt tristia, sit mihi praemiorum major remuneratio. » Hoc tamquam ignis igni additum, Maximiano majorem iram accendit: ipse autem eos, qui percutiebant, eousque ut verberarent incitavit, donec corpus martyris humi jaceret, nihil differens ab inanimis: sanguine quidem jam exinanito. pelle vero vento tumefacta, et ipsa carne prius consumpta, et nudis solis ossibus apparentibus. Quod quidem movit misericordia non solum pios et humanos animos, sed etiam animos infidelium. At non Maximianum, cujus animus erat lapide durior.

§ 17. Sed postquam sic affectum Glycerium, et a mortuo quidem nihil prope differentem, solam autem linguam moventem vehementi spiritu, et dicentem: « Sum Christianus, servus Christi. qui solum est verus Deus. Unus est mihi Dominus, unus Rex; » non ferens ille loquendi libertatem, jubet eum quidem solvi a vinculis, abductum vero extra civitatem, igne crematum mortem subire. Ductus ergo generosus ille ad locum constitutum, et stans ad orientem, partim quidem Christo egit gratias, qui eum a multis liberarat periculis: partim autem pro se vehementer oravit, et pro piis qui erant ubique. Deinde cum Christi signum suo adhibuisset corpori, fuit affixus ligno, sacra victima, aries carens omni vitio, ei qui ligno propter nos fuit affixus. Igne autem subtus accenso, Jesu fuit oblatum holocaustum et sacrificium acceptabile, et divina hostia arae supernae conveniens. Quid vero, hincne intellexit Maximianus pios esse immutabiles? Multum abest: sed cum execrandae ejus hostiae ducerentur ad templum duodecim deorum, quod erat intra regiam, aderant quidem impii, candidis et magnificis vestibus celebrantes festum sui interitus. Solus autem Indes atris indutus vestibus, et cum haec celebrarentur, maximo dolore affectus, cum se in valde tenebrosa inclusisset domuncula, impiorum deflebat interitum.

18. Renunciantur haec quoque Imperatori, et is statim ab ipso arripitur, et sistitur ab illo Judice judicandus. Cum autem etiam antequam loqueretur, ei renunciaret vestis, quod quae fiebant, ab eo censebantur digna luctu et tristitia, jussit ejus manibus et pedibus injectis catenis, et collo collari, eum servari inclusum in carcere. Atque Indem quidem habebat custodia: Maximianus vero Domnam quoque quaerebat; et furore perinde ac ebrietate laesa ratione, et oblitus eorum, quae de ipsa audiverat.

dicebat assidue: « Ubi est Domna? Ubi est sacerdos Dianae et Minervae? » Rursus ergo ei dicunt de integro, quae videbantur accidisse virgini, et quae fecerat Eunuchus, ita ut res se habebat, significant. Ille autem cum multa dixisset de Archieunucho, et valde aegre tulisset, quod ei vita fuisset conservata, jubet ei quidem caput amputari: virginem vero quaeri in monasteriis, et diis illius servari. Haec cum rescivisset ea, quae monasterio praeerat, in quo erat sancta, imprimis virili suscepta cogitatione, virili tonsu et veste ornata virgine, et preces cum lacrymis ei praebens viae custodes et duces, eam clam emittit ex sacro thalamo.

§ **19**. Sed sceleratus non cessabat quaerere: et cum eam non inveniret, furebat communiter in omnia monasteria. Atque sacra quidem omnia monasteria crudeliter diruebantur: virgines vero turpiter probris afficiebantur: virgines, proh dolor!, quas ne masculorum quidem oculis videri erat unquam tolerandum: atque ita per omnia pervadebat calamitas, quasi capta esset civitas ab hostibus. Quibuscumque ergo earum erant corpora valentia, et neque senectus, neque morbus aliquis tardabat earum pedes, ipsae statim fugam spectabant, et ad montes et speluncas et ignotas solitudines celeriter abibant, malentes vitam degere cum feris, quam habitare cum hominibus, feris longe immanioribus, et qui corpora virginitatem exercentia probro afficere inhonestum non esse existimant. Sed eo, quod cogitaras, frustratus es, o inimice omnium: et per quae sperasti tyrannidem exercere, per ea ipsa fracta fuit tibi tyrannis. Non enim neglexit Deus, qui natus est ex Virgine, ipsas virgines vel in medio lictorum conservare, et quomodo fidem, ita etiam continentiam ipsas prodere non permittere. Inter eas autem tamquam inter claras et lucidas stellas, una mirandum in modum resplendebat instar lunae, et pulcritudine et genere et virtute aliis praestans. Ea vero vocabatur Theophila. Hoc autem longe melius res ipsa ostendit.

§ **20**. Cum enim illa esset vultu adeo formosa, traheretur autem a lictoribus, et jam ad probri ac contumeliae officinam violenter introduceretur, manus simul et oculos in coelum tollens, et miserabiliter adspiciens: « Mi Jesu, dixit, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis et vitae, vide eam quae est tibi desponsa. Vide, o sponse, in quem nulla cadit reprehensio, et festina: quoniam nec est quidem tempus precandi: ne pactum conventum fallam, ne prodas me bestiis, ne lupi tuam pecudem dilanient. Serva sponse sponsam: meam conserva castitatem fons castitatis: ut tuum quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis. » Haec illa quidem oravit cum lacrymis: effecta autem Deus reddidit. Sed est adhibendus animus narrationi. Introducitur virgo in prostibulum. Illa vero etiam in tali loco et tempore non est oblita eorum, quae

oportuit, sed protinus ejiciens id, quod habebat in sinu (id autem erat sacrosanctum Evangelium), aperuit, et dabat operam lectioni. Unus vero ex intemperantibus, oestro insano percitus, ad eam ingreditur: qui aliquantisper quidem eam audiit legentem. Cum autem jam prope esset, a maximo metu invaditur, et tremore valde agitatur, et humi procumbit mortuus, et sic jacebat ad pedes Theophilae, non spirans. Multae horae praeterierant, et cum aliis visum esset, quoniam non exibat, eum non posse satiari virgine, ubi alius quoque ingreditur, ipse quoque jam prope stans, lucis quidem, quae verbis exprimi non potest, fulgore illustratur: deinde eum a luce tenebrae excipiunt, et obtutu orbatus, quaerebat obiens, non amplius virginem: sed quemadmodum citra offensionem exiret extra fores.

§ 21. Cum multi quidem talia passi essent, et nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit amplius cordi ingredi: sed et si quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore: sed solum volens scire ea quae facta fuerant. Postquam autem ingressi sunt complures, vident ea, quae et ad videndum erant terribilia, et ad dicendum aliis maxime admirabilia: puellam quidem honeste sedentem, et libro incumbentem; adolescentem autem quemdam prope eam stantem, luce quidem ineffabili, pulcritudine vero incredibili, veluti quaedam tela fulguris emittentem ex oculis. Haec postquam viderunt, et metu diriguerunt, et vix tandem: « Quis est sicut Christianorum Deus? » exclamaverunt; et simul non ferentes spectaculum, recte secum agi putabant, si fugerent, et celeritate maxima domo exibant, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem etiam ipsa impietate abjurata. Sed neque haec ignoravit Maximianus: sed cum rescivisset virginem quidem non posse capi ab iis qui ipsam servabant, militibus, quin etiam multos ex suis esse victos, et didicisse Deum pie colere, Dei gratiam adscribebat incantationi: dicens Christianos uti artificiis ad vulgus decipiendum. Sed ille quidem haec dicens, seipsum potius decipiebat, et quicumque his nugis animum adhibebant.

§ 22. Ille autem plenus lumine, qui videbatur virgini assistere, cum eam domo eduxisset, suo lumine praecedens deducebat. Deinde cum etiam adduxisset usque ad sacram ecclesiam, eam statuit in vestibulo: et cum, Pax tibi, dixisset, recessit. Eam autem invasit et metus, et gaudium. Metus quidem, quod ille eam reliquisset. Gaudium vero, quod libidinosorum manus sic effugisset, nihil passa indecorum. Accedens ergo, pulsat ostium populi jam congregati, et nocturna de more Deo canentis. Cum autem januae strepitum sensisset quidam Diaconus, et quaenam esset rescivisset, renunciavit iis qui erant intra ecclesiam. Omnes itaque ad eam confluunt. Nam alioqui erat etiam illustri genere, sicut audivimus: virtute autem multo illustrior. Cum eam ergo vidissent, et quos et quidnam volentes effugisset, intellexissent,

et quaenam illa in eos fecisset miracula, quosnam quidem fontes lacrymarum non moverunt? Quasnam autem voces ad Deum non emiserunt? In principio quidem raptum virginis miserantes; in fine vero impios quidem miseros ducentes; illam vero quibusnam non persequuntur beatitudinibus? Illa autem seipsam quidem jacit humi, et arae sacros tangit cancellos: flet vero tam vehementer, ut eos etiam qui videbant, ad similem moveret affectionem, et fluenta lacrymarum: fitque communis ad Deum gratiarum actio toto pectore. Sed ita quidem se habebant res virginis.

§ 23. Improbo autem Maximiano oportebat improbos etiam esse ministros, et ex eadem, ut ajunt, fidelia. Quicumque ergo pie Deum colentes latebant Maximianum, ii illos non secus ac venatici canes investigantes, significabant. Qui quidem etiam adversus Dorotheum *, qui gloria quidem et civili dignitate erat insignis, ut qui Praepositus vocaretur ab Italis, pietate autem erat insignior: adversus eum ergo, et Mardonium, et Mygdonium, et, qui prius dictus est, Indem, et quosdam alios, fide quidem in Christum acerrimos, Imperatoris autem honore claros, immittunt tela calumniae. Hi scilicet, quorum dentes arma et sagittae, et lingua, ut dicam cum sacra Scriptura, gladius acutus, dicentes: « Si servos, o Imperator, et eos qui in tua regia habitant, et sunt tibi subjecti, non potes subjugare, cur aliis conaris persuadere, inutiliter laborans, et frustra te crucians? Ii enim aegre potuerint abduci a dogmate, illos videntes nos suaviter irridentes, et tui tribunalis austeritatem nihili facientes. Vide enim, quousque procedit eorum contemptus. Non solum ipsi contemnunt contraria sentientes: sed aliis quoque, qui latent, qui eadem quae ipsi sentiunt, et alimenta suppeditant, et ad certamina parant et instruunt. Quin etiam mittunt litteras ad eos, qui procul distant, simul et eos confirmantes in sententia, et exhortantes ad constantiam. Et alioqui quicquid adversus ipsos, et quam habent religionem, tua excogitaverit potentia, id statim per illos ab ipsis deprehenditur. »

§ 24. His fuit ad iram accensus Maximianus, et dicto citius jussit sanctos ad se adduci. Et aderant quidem illi nihil timentes, neque ullum formidinis vestigium vultu prae se ferentes. Ille autem torvis ipsos oculis intuens: « O pessime perdendi, inquit, o omnium hominum ingratissimi. Cur tantam a nobis adepti claritatem, et soli propemodum sceptris praefecti imperatoriis, tam mali deprehensi estis in benefactorem: qui pro multis nostris in vos beneficiis qualem refertis gratiam, Jesum quemdam vobis et aliis Regem adscribere dictitantes, et novae hujus religionis duces sedulo celantes, et eis omni studio providentes, eosque foventes, quos funditus interire, et ne nomen quidem

* S. Dorotheus unà cum S. Gorgonio die 9 septembris memoratur.

eorum remanere, reputavi esse pulcherrimum et primum meorum trophaeorum? An non haec sunt vera, et quae factis magis arguuntur, quam verbis? » Illi autem tamquam latrantem canem ne tantillum quidem curantes, neque existimantes esse tempus responsionis, steterunt silentes. Maximianus vero, cum silentio magis esset ejus irritatus animus: « Non per deos immortales, inquit, non vobis parcam: sed cum omne genus supplicii vobis intulero, et carnes consumpsero, et ossa contrivero, et igne combussero, relinquam insepultos, a canibus et avibus comedendos: et vos ipsos puniens pro meritis, et aliis metum incutiens, ne talia aggrediantur. »

§ **25**. Nec haec quidem sanctis timorem attulerunt: sed statim et solutis zonis, et chlamydibus exutis, stabant parati ad cursum martyrii, uno ore et animo se esse Christianos et Christi servos audacter nominantes. Deinde etiam Maximiano: « Nobis, o Tyranne, dixerunt, honores tui, et vanae hae dignitates ne tantillum quidem unquam curae fuerunt. Quid enim opus fuerit tali honore, qui a Deo disjungens, est redacturus in servitutem daemonum? Sunt enim talia vestra impiorum dona, quae fugientes, tantum abest ut persequentes, non solum iis tibi cedimus, sed etiam ipso corpore et vita. » Cum ii ita essent parati, et tales essent eorum spiritus, jussit Maximianus, ut extensis simul manibus et pedibus, crudelibus boum nervis fortiter verberarentur. Et statim sex unumquemque circumsistentes lictores, magna parte diei eos perpetuo verberabant, nulla scelerati moti communis naturae misericordia, idque cum viderent terram eorum sanguine effectam purpuream. Martyres autem haec quidem ferebant fortiter, ne vocem quidem emittentes: internis vero animi motibus glorificabant eum, propter quem haec sustinebant. Flagella excipiebat carcer, cum essent eorum colla vincta collaribus, manus autem catenis, et pedes compedibus. Maximianus vero tamquam torrens, qui fertur per segetes, per omnes deinceps pios pervadebat. Et ad haec quidem jubebantur inservire Praesides ac Praefecti, qui erant impietate eximii. Quicumque autem ejus parebant imperio, qui Christum esse Deum confitebantur, tortoribus simul tradebantur et variis tormentis laniabantur miserabiliter. Et sic quidem quotidie ei, qui seipsum pro nobis sacrificavit, rationalia offerebantur sacrificia, pie martyrio effecta holocaustum.

§ **26**. Oportebat autem festorum maximum Christi natalem, ei qui nascebatur, copiosiora offerre sacrificia. Nam ortus quidem Christi dies festus agebatur: quicquid autem est pium, congregabatur ad glorificationem. Profani vero Maximiani profani ministri accedentes: « Quoniam, inquiunt, o Imperator, hodie festorum quae norunt, maximum celebrant Christiani, ut qui hodie Deum suum natum esse fabulentur, et celeberrimo totius populi concursu ad festum conveniunt, age ne ex media sagena nos

praeda effugiat. Sed militibus quidem praeoccupentur templi aditus: stet autem ara ante portas: accedentes vero praecones, jubeant quidem omnes e templo egredi, et nihil cunctantes arae sacrificare. Sin autem non pareant, quid sit deinceps agendum, statuere, tui est imperii et judicii. Quod si hoc quoque nobis permittis dicere, igne templum circumcirca comprehendentes milites, protinus perdant eos qui non obtemperant. Et sic illos quidem de medio tolles, qui in rebus praecipuis perniciem afferunt tuis populis: te autem liberabis a cura, quae tuum animum premit non mediocriter, sicut nos non ignoramus. » Nondum finem acceperat oratio: excipiens autem Maximianus: « Juro, inquit, maximos deos, me haec jamdiu versasse in animo. Nescio vero, qui factum sit, ut ea quae cogitaram, nondum sim executus. Sed vobis magnas, o dii, ago gratias, quod effeceritis, ut his quoque opportune veniret in mentem, quod esset conducibile. » Et simul jubet, ut primi ex Protectoribus, cum magna manu militum ecclesiam circumdedissent, sarmentis et quacumque alia materia, quae facile accenditur, in orbem congesta et apposita, ad templi portam aram statuerunt. Deinde, ut praecones clara voce proclamarent, ut omnes exirent, et ad aram accederent sacrificaturi. Quod si non parerent, portis statim optime clausis, et omni alio eis obstructo exitu, ignem accenderent: ut sic omnes una cum ipso templo perirent, et ut digni sunt, ab igne consumerentur. Et haec quidem Imperator.

§ 27. Nuncius autem statim mittitur ad ecclesiam, ut diceret, quae jussus fuerat ab Imperatore. In medium itaque accedens, et magna voce clamans: « O homines, Maximianus, inquit, orbis terrae dominus, me ad vos misso, alterius ex duobus dat vobis optionem: ut aut diis sacrificetis: adest enim ara parata; aut, si non pareatis, omnes simul pereatis: praesto est enim ignis. Quod ergo vultis, quamprimum eligite. » Cessavit ille, cum haec dixisset. Ecclesiae autem Archidiaconus, cum ei esset cor accensum igne divinae gratiae, stans ad cornu altaris: « O vos, inquit, mei fratres, et inter vos invicem unanimes, nescitis quemadmodum quae a tribus pueris facta sunt, paulo ante persequentes, dici non potest, quantum eorum admirabamur virtutem, et eorum in pietate stupebamus fortitudinem. Et quemadmodum non tamquam stantes in medio ignis, sed in molli aliqua herba choros ducentes, ipsi et hymnum canebant, et omnem creatam naturam ad universorum Deum laudandum vocabant? Hos nos non solum judicabamus beatos, sed eorum quoque coronarum cupiebamus esse socii. Quoniam ergo et nunc nos vocat tempus, et sunt mores Imperatorum similes (nam etsi nominibus differunt, at crudelitate et impietate maxime conveniunt), efficiamur nos quoque pietate similes iis qui tunc decertarunt. Quomodo enim non esset absurdum, illos quidem, cum essent pueri, et nec plures tribus, et

alioqui cum nullum adhuc accepissent exemplum animi magnitudinis in tuenda pietate, tam praeclare decertasse: nos vero, qui et multitudine sumus prope innumerabiles, et multi, quibus nihil deest ad perfectam aetatem, et quibus est etiam tanta exemplorum copia, videri vitae cupidos, et ignavo abjectoque esse animo, et non oblatam occasionem tamquam lucrum arripere, et hanc, quae est ad tempus, vitam despicere pro Deo, qui nos fecit, et suam animam dedit pro nobis ad mortem, testimonium autem firmae et infractae nostrae fidei, nostram praebere mortem? Haec autem dico, etiamsi nulla esset pro his remuneratio. Cum vero sint valde parvae hujus temporis passiones, si conferantur cum iis, quae sunt illic, remunerationibus: et vita quidem expers molestiae et aeterna, pro hac brevi et laboriosa: gloria autem nunquam cessans pro infida, et quae facile excidit: et divitiae, quae surripi nequeunt, et voluptas, quae nunquam transit ad molestiam, nos adhuc in praesentibus manere concupiscemus, et non potius, cum ad eam quae est illic, gloriam, pro Christo subeundo mortem, invenerimus perveniendi occasionem, quamprimum transibimus? Et quidnam aliud facientes, ab iis qui sapiunt, judicabimur, nisi digni, qui lugeamur? Mementote, immo vero adspicite ad aram. Verus enim noster Dominus fuit pro nobis sacrificatus. Non nos quoque pro eo in loco sancto animas profundemus, et veluti quoddam sacrificium eas illi igni offeremus in holocaustum? »

§ 28. Cum sic dixisset, omnes incitavit, et effecit ut moriendi vehementi tenerentur desiderio. Simul itaque cum illo beatam illam vocem exclamaverunt, Christiani sumus, Christiani, et deos tuos, o Imperator, non colemus. Haec Maximiano quidem annunciabantur: ille autem cum ne finem quidem exspectasset orationis, jussit in eos ignem accendi, et eos una cum templo exuri: ut nullus eorum nec misericordiam consecutus, neque latens posset effugere. Pii vero cum omnes congregassent simul catechumenos, viros et mulieres, et pueros, eosque in quatuor divisissent, utpote quod tempus postularet celeritatem, eos divino baptismo perficiunt, et Chrismate ungunt, et eos intemeratis impertiunt sacramentis. Protinus autem aderant ministri quoque Imperatoris, et ignem accendebant: illeque omni ex parte tollebatur in altum: et cum totam comprehendisset ecclesiam, in unum ascendebat verticem, omnia tam quae erant extra eam, quam quae intra, depascens. Fremens itaque malum ingruebat gravissimum: illi autem intus magna voce ad Deum clamabant, et canebant canticum puerorum, omnem creatam naturam vocantes ad choream: neque prius cessarunt glorificare, quam oblata essent accepta sacrificia, castae hostiae agno, qui fuit pro mundo mactatus *.

* Horum martyrium celebratur die 25 hujus.

§ 29. Quinque dies transierant, et ignis depascebat materiam. Cum vero flamma jam cessasset, nullus quidem teter odor sentiebatur, nec ex corporibus, nec ex fumo: spirabat autem potius quidam suavis et mire fragrans odor. Apparebat vero quidam radius, auri rutilantis speciem prae se ferens, varium quemdam edens et valde gratum splendorem: quomodo Sol lucet, qui modo apparet in Oriente. Maximianus autem existimans se jam omnes vicisse, et relaxatum esse a curis certaminis, theatris pascebat oculos, et equorum scilicet et hominum curriculis. Illud vero non erat vincere, sed potius victum esse: idque magis induxit pios, ut libere loquerentur. Ostendent autem, quae consequuntur. Ante theatrum quidem erat aedificatum maximum fanum Cereris, quae erat apud eos dea maxima. Accedens autem ille cum universo populo et exercitu, execranda peragebat sacrificia. Quidam vero ex numero militari, Zeno * nomine, zelo plenus adversus impios, non ferens sic pietatem affici contumelia, stans in alto: « Erras, inquit, o Imperator, insensibilibus sacrificans lapidibus, et mutis lignis; hoc enim est, quod apparet: id autem, quod est revera et intelligitur, est fraus daemonum, quae suos cultores abducit ad interitum. Intellige, o Maximiane, et hos oculos et internos in coelum tollens, quaere ex iis, quae videntur, creatorem: qualis sit opifex, disce ex operibus, et disce Deum pie colere, qui non sanguine et nidore rationis expertium animantium, sed mundis hominum delectatur animis, et mundo corde. »

§ 30. Haec cum audiisset Maximianus, jubet pondere lapidum ejus maxillas confringi; et simul clamabat, lictoribus quidem, ut fortiter percuterent; sancto autem, ne deos maledictis appeteret. Sic ergo patienti sancto omnes quidem dentes sunt immaniter excussi, maxillae vero sunt contritae: et jam parum spirantem, et mox moriturum jubet abduci extra civitatem, et amputari caput, quod libere erat locutum. Et sic Zeno generosissimus, cum magna celeritate peregisset beatum stadium martyrii, truncatur capite, et sursum fertur ad Christum caput omnium. Sacer quoque chorus, qui erat circa Dorotheum, qui a tam bono instituebatur magistro, divino, inquam, Anthimo, non sic erat habiturus capita incoronata: sed haec quoque superne dispensabantur ac providebantur a divina gratia. Et a sacrosancto quidem Anthimo ad eos mittebantur litterae, ipso quidem in quodam vico delitescente, illos autem aperte decertantes, ad suscipienda strenue certamina precibus adjuvante. Hoc postquam evasit manifestum scelerati Imperatoris satellitibus, et ipsas litteras, et eum, cui erant datae, adducunt ad Imperatorem. Ille autem cum eum vidisset, et legisset quae scripta erant: scripta vero erant, ut est verisimile, quae ille quidem nolebat, pulcra autem erant

* Festum S. Zenonis die 22 hujus celebratur.

et salutaria, ira aestuans, jussit eos quamprimum abduci. Illi ergo statim sunt abducti.

§ 21. Imperator autem: « Vanane, inquit, fuit mea conjectura, cum praedicerem, vos a me defecisse? Immo vero execrandi, jam etiam adversus me insurrexistis: ad alium autem, cum quo nos acre bellum gerimus, transfugistis. » Et simul dat eis legendam Epistolam. Jussit vero eum quoque, qui adductus erat, introduci. Quem cum vidissent martyres, valde laetati sunt animo, eumque, et si procul starent, vultu et nutu salutarunt. Maximianus autem fastum quemdam et spiritum suscipiens principis, et immaniter eum intuens: « Dic mihi, inquit, infelix, quis est, qui haec tibi tradidit, et ubinam latet terrarum? » Diaconus vero, cum magna voce tacite ad Deum prius clamasset, et petiisset, ut convenienter verissimae promissioni, daretur sibi oris apertio: « Qui litteras, inquit, dedit, cum sit Pastor, et procul absit, gregem cohortatur et incitat ad pietatem: et maxime cum senserit incursionem luporum et ferarum. » Tunc enim alta et clara voce suo gregi imperat, et quae sint facienda, significat. Quae autem dicit, non sunt sua, sed ea accepit a primo pastore, qui dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x). Atque dixi quidem, quisnam dederit litteras: « Ubinam autem sit, non dicam. Aperta enim fuerit insania, Pastoris esse proditorem, eum qui ex illo maximam accepit utilitatem: qui etiam absque nobis mox fiet manifestus. Non posse enim abscondi civitatem supra montem positam, vox divina dixit, et veri amatrix. »

§ 22. Haec cum fortissime dixisset lingua sancta, non ferens Maximianus dicendi libertatem, ut ipsa amputetur, eum condemnat. Deinde sic jubet eum obrui lapidibus. Et ille quidem post sacrae linguae oblationem sic obrutus lapidibus, tela quidem nihil curabat: sed corpore quidem jam partim attrito jaculationibus, partim autem obruto lapidibus, adhuc magis erigebatur, et in coelos extollebatur anima, Christo angulari lapidi conjungenda. Adhuc vehementer irascebatur Maximianus. Quocirca Dorotheum cum suis multiplicia excepere supplicia. Illis vero minime perpetua defuit constantia, Christum invocantibus, et tormenta et levia et imbecilla minime curantibus, vel potius reputantibus illa pro deliciis, et Tyranno impietatem acerbius exprobrantibus. Quamobrem ille jam defessus, communiter quidem omnes morte condemnat: diversas autem pronunciat sententias. Dorotheo quidem ense caput amputari, Mardonium autem vivum cremari, et Mygdonium in fossam projectum obrui: Gorgonium vero et Indem et Petrum, molaribus lapidibus eorum collis alligatis, in mare jaci. Et ita sunt, consummatis victoriis insignes Christi martyres vario genere mortis, una via ingressi ad Dominum. Haec cum casta rescivisset Domna, partim quidem laetabatur animo,

et maxime propter Indem, qui erat unius cum ipsa animi et spiritus. Partim autem ad imitationem quoque incitabatur, et eadem, quae ipsi evenerant, cupiebat certamina et praemia. Unde nec despexit Dominus suam sponsam: quae vestem quidem habebat mundam a nuptiis, sic autem eam etiam lacrymis quotidie dealbabat, quod non eam sanguine martyrii redderet purpuream, et totam sponsam efficeret dignam ejus pulcritudine, etsi praesens ejus vita nihil abesset a dignitate martyrii, ut quae tam et diuturnitate exercitationis et aspera vivendi ratione eam premeret, cum ipsa et in antro lateret subterraneo, eoque ejusmodi, ut terrestre dici posset sepulcrum: et potus ejus esset fons, qui in eo erat: et cibus similiter herbae, quae erant in margine speluncae.

§ 33. Cum ea sic se gereret in exercitatione, tunc descendit de monte: et veniens in civitatem adhuc in veste virili (ea enim ipsam indutam Agape ejus mater secundum spiritum, suffurata est ab illis impudicis et intemperantibus manibus), beatam hanc quaerebat Agapem. Postquam autem intellexit eam quoque cursum confecisse martyrii, effectam holocaustum Domino cum multis aliis virginibus in templo, quod fuerat exustum, magnum animo dolorem accipit, non aegre ferens quod mortua esset Agape, sed potius quod non cum ipsa Agape esset mortua, et paris fuisset mortis socia: stansque ad templum exustum, fletu miscebat cinerem. Diu vero jam divina gratia eam vocante ad viam martyrii, illuminata et ad id omni ex parte ducta, descendit ad mare. Ecce autem piscatores in littore stantes, jam parantes retia, et habentes remos paratos. Quam cum illi tunc vidissent veste virili sic indutam, non ex eo quod erat, sed ex eo potius, quod videbatur, eam vocarunt: « Veni, dicentes, adolescens, nobis opem laturus, ut te etiam praedae faciamus participem.» Illa autem alacri animo eis obtemperavit. Ingressa vero, piscatorum statim conturbavit oculos et animos, cum viderent eam videri quidem virum: mores autem, et virginalem pulcritudinem et pudorem in ejus oculis insidere. Verumenimvero cum ad piscandum retia demisissent, cum magno labore ea a terra avellerunt, perinde acsi magnum aliquod pondus in eis sentirent. Jam vero cum prope littus venissent, noctu vident, luna depellente caliginem, et comprehensam piscium multitudinem, et corpora mortua in ventre retis.

§ 34. Atque illi quidem visione conturbati, cum prae dolore et metu corpora excussissent, et in terra deposuissent, retibus collectis, contendebant transmittere in regionem, quae erat ex adverso, volentes in navi secum vehere virginem. Cum autem non persuaderent, dato ei pro mercede pane et piscibus, abierunt. Illa vero cum Indae et illius sociorum et mortem et genus mortis, ut prius diximus, jam accepisset, accessit quidem ad corpora: diligenter autem ea consideravit et versavit: et deinde etiam singula

accurate didicit. Postquam vero figurae et totius corporis signa illos esse sanctos aperte significabant, ea manibus accipiens, et eis labra magno admovens desiderio, ardenter amplectebatur, tota ejus anima simul quoque amplectente. Cum haec faceret, videt navem jam ferri ad ipsum littus, velo jam demisso, et solis remis sensim ad terram appellere. Accedens itaque virgo, cum nautas, ut decebat, appellasset, ostendit etiam pisces. Nauclerus autem eam illos vendere existimans, statim rogavit quanti venderet. Illa vero dixit se eos dare gratis. Cum autem ille quidem non credens, rursus meminisset pretii, illa vero staret tacens, et manum porrigeret quae videbatur velle gratificari: « Per ipsum Christum, inquit nauclerus, quanti vendis? » Tunc ex jurejurando intelligens generosa virgo eum esse pium, nihil voluit eum celare: sed cum eum foras evocasset ad littus, ostendit ei corpora sanctorum, et adhibuit eum in societatem pulcherrimi ministerii, aperiens quorumnam essent, et narrans quemadmodum pro Christo mortui essent martyres.

§ 85. Nauclerus autem cum haec audiisset, novas sindonas et vestes candidas, unguentaque et suffitus e navi statim attulit et in eis deponendis laboravit. Domna vero cum iis, quas habebat, aquis mundis, et lacrymis prius lavasset corpora, et cum nauclero honorifice et cum omni reverentia ea composuisset, et ea deinde communiter portassent ad murum civitatis, qui est proximus torrenti, ad portam civitatis, ubi etiam Dorotheus cum suis finem vitae acceperat, illic ea in fossa posuerunt. Atque nauclerus quidem virginem, ut qui judicasset eam esse fratrem ejusdem, cujus ipse in Christo sententiae (eam enim adhuc virum esse putabat), rogavit ut secum esset, et toto vitae tempore nunquam ab eo discederet. Illa vero non admisit: sed eum quidem rogavit, ut coeptum iter persequeretur: se autem dixit mansuram: quoniam, inquit, prope est vitae finis. Quare nec meum corpus ab his corporibus, nec animam omnino decet ab his animis sejungi. Cum illic ergo remansisset, indivulsa adhaerebat reliquiis, aromatibus et suffitibus eis honorem exhibens, nauclero satis pecuniae suppeditante ad ea comparanda.

§ 86. Fieri autem non poterat, ut eos, qui erant in tenebris, lateret opus lucis: neque martyrii, quo Domna tenebatur, desiderium videretur imperfectum. Quamobrem deferuntur haec ad Maximianum; qui cum intellexisset, quod illa sanctorum tanto amore capta esset, magnum edens cachinnum, qui multo risu, vel plurimis potius lacrymis erat dignus: « Par est, inquit, ut ea quoque parem illis mortem subeat, et sic reipsa discat, quod hominibus nihil post mortem amplius habentibus, illa frustra tantos honores exhibet. » Dixit, et statim misit, qui eam interficerent. Quam cum etiam comprehendissent in illo loco orantem, caput ense amputant, idque igni tradunt. Ei paulopost adjungitur

sapiens quoque Euthymius*, qui doctrinis et monitis multos prius Christo martyres obtulerat. Nam propter illius magnum zelum ad pietatem, valde vexatus Maximianus, iraque et furore animo plenus, multis quidem tormentis eum prius conatur omnino abducere a confessione. Cum autem ille puniens esset defessus, ense mortem affert athletae. Licet vero in manus sumendo ejus historiam, omnia ad verbum percurrere.

§ 37. His veluti quibusdam astris Nicomedia magnum jucundumque et gratum emittit splendorem, et majus ex eis ornamentum accipit, quam ex auro, et gemmis, et ex margaritarum nitoribus ac splendoribus: qui sunt quidem numero viginti millia: sunt autem in choro martyrum multitudine et pulcritudine insignes. Quorum peragitur memoria uno die post Christi natalem, ante festum Infantium, ut qui, quomodo illi ense, ita etiam ipsi igne Deo, qui carnem induit, sunt oblati. Quibus etiam accessit admirabilis Glycerius, et sacrosanctus Zeno, et Theophilus: praeterea autem cum Mardonio Dorotheus, et beati Indes et Petrus simul cum Mygdonio **, et tres virgines, Agape, inquam, et Theophila, et Domna, quae erat longe pulcherrima, et maxime veneranda: Ad gloriam Christi veri Dei nostri: Quem decet omnis gloria, honor et adoratio, nunc et in secula seculorum, Amen.

# VITA

## SANCTI PATRIS NOSTRI ET ARCHIMANDRITAE

# MARCELLI

## MONASTERII ACOEMETORUM, ID EST, NON DORMIENTIUM

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE,

UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII LIPOMANI.

**Floruit sec. V — Asianus.**

§ 1. Mihi saepe venit in mentem cogitare, quanam de causa Poëtae innumerabiles, alii quidem bella et inimicitias, et quae ex eis oriuntur calamitates, composuerunt; alii autem omnino fabulosa et aliena, quae neque ipsis prodesse possunt, quod attinet ad animae salutem, neque iis, qui ea legunt, quibus ipsi composuerunt, ullam praebent utilitatem. Quid enim juvat scire quam

* S. Euthymii festum die 24 hujus agitur.
** SS. Mardonii et Mygdonii natale, die 23 hujus, celebratur.

multae quidem naves e Graecia navigarunt in Aegyptum; quot autem duces et milites duxerit unaquaeque earum; et quod aliis quidem major erat Ajax, Achilles vero erat eo fortior; et quod Nireus erat omnium forma pulcherrimus? Ad equos autem usque, hoc supervacaneum et inane deducere, et Eumeli quidem equos dicere caeteris esse meliores, Achillis autem equos ipsis praestantiores, et eos immortales dicere et vocales, quam supervacaneam efficit narrationem, et quam parum fide dignum simul et ridiculum efficit scriptorem? Sed illi quidem haec scribere, et his etiam deteriora, nempe deorum amores, et quas inter se agitarunt seditiones, pugnasque et lites, minime dubitarunt. Haec autem quidnam conferunt ad morum honestatem ac moderationem, et animae utilitatem, et non potius detrimentum afferunt, et vitiorum malas impressiones insculpunt in animis eorum, qui versantur in iis legendis? Mihi enim nihil persuadet inanis labor eorum, qui haec volunt absurda mitigare, et ea reducunt ad alimenta et partes animae. Aut enim cum non fuerint, frustra et falso dicuntur, aut, etiamsi fuerint, par est ea potius ridere, et odio habere quam laudare. Existimo autem boni viri vitam, qui legi Dei vixit convenienter, dignam esse quae elaboretur, et litteris mandetur, ex qua ipse qui componit, tam sibi quam aliis potest magnam conciliare utilitatem: qualis est vita Marcelli admirabilis, qui ortus quidem est ex civitate Apamea *: ea est autem civitas Orientalis, quae bonis abundat plurimis. Nobili vero loco natus, per se reddidit nobiliorem seriem sui generis. Nam cum jam in ipso flore juventutis amisisset parentes, et aetatem ageret jucundissimam, non sicut juvenis declinavit ad voluptates, neque delectabatur juvenum consuetudine, aequalis aequali volens placere, ut dicitur, sed in juvenili corpore, imitabatur canitiei prudentiam et vitae institutionem. Quamquam ei aderant divitiae, quae sunt materia ad explendas voluptates igni adolescentiae. Sed nihil horum illum coëgit negligere temperantiam, quae erat ei cara a pueritia. Sed et orbitas, et aetas, et divitiae, haec omnia simul, a profunda vincebantur prudentia. Propter externam vero eruditionem, in magnam venit Antiochiam. Ventitat autem ad quemdam, in dicendi facultate pulcre exercitatum. Ingenii vero celeritas, a vehementi ejus studio adjuta, ei brevi largitur magna dona sapientiae.

§ 2. Postquam autem externae sapientiae visus est sibi habere quod sufficeret: neque enim ea erat ejus principale studium, nisi ad hoc, ut externis illis imbutus, deinde initiaretur in iis, quae sola sunt sacra mysteria, nempe vera, et quae ad Deum deducit, sapientia, vitae, inquam, institutione, quae versatur in exercitatione et vera philosophia. Opus autem ei quoque erat

* Cum multae fuissent antiquitus urbes hoc nomine distinctae, haec, ubi S. Marcellus in vitam est ingressus, mihi videtur esse illa quae ad Orontem flumen a rege Seleuco fuit condita, et nunc *Famieh* vocatur.

aliquo ad eam duce. Cum vero eum non praeberet, ut ei placebat, Antiochia, cogitavit ire Ephesum, cum audiisset in ea esse magnam virorum copiam, qui ad summam virtutem pervenerant. Statim ergo contemptui quidem est habita pulcra Antiochia; despectum autem fuit jucundum solum patriae, neglectae vero verborum contentiones, et inane otium, et tota externa illa scena. Divisae autem sunt pauperibus opes illae ingentes et magnificae, et eum excepit Ephesus nudum aliis omnibus. Cum sic adventasset, invenit sibi conveniens hospitium. Nam vir quidam cum uxore eum accepit hospitio, qui non magis communis mensae et salis ei erant socii, quam morum et virtutis, et in omni re moderationis.

§ 3. Huic autem pulcrae bigae erat etiam servus, qui virtutis ratione erat dominis multo venerabilior: cui tanta inerat animi ingenuitas et nobilitas, ut hujus dominorum virtutis ille, ut ajunt, esse auctor, et visus sit servus tam multa dominis bona conciliasse. Cujus et alia quidem multa laudantur, et hoc inter caetera, quod in monasteriis, quae erant in civitate, portis clavibus recte clausis, is intempesta nocte, nemine ei aperiente, adstabat in medio monachorum canentium. Idque cum non semel, sed saepe fieret, evasit manifestum, et de hac re sermo totam implevit civitatem. Huic autem ingenuo, vel vero potius Dei servo, nomen erat Promotus. Hic ergo Promotus, Marcello quoque non pauca ad virtutem dedit incitamenta. In hoc enim ab eo ponebatur opera, ut, quae honesta sunt undique colligeret, et tamquam ex multis floribus sibi virtutis coronam contexeret. Cum aliis autem bonis, quae habebat Marcellus, hoc quoque ei inerat, quod scribebat pulcherrime. Scribebat ergo et laborabat manibus; et mercedis, quae illinc ei suppeditabatur, partem aliquam consumebat ad usus corporis: reliquam vero praebebat egentibus. Una autem cum misericordia se recte quoque gerebat in justitia. Nam si major ei soluta esset merces, quam pro scripturae opera, ille non sustinebat, sed si quid erat amplius, reddebat ei qui dederat. Et sic interdiu quidem perseverabat laborare in scribendo, et sicut ajunt divina eloquia, opus manuum suarum dirigens: totam autem fere noctem consumebat in oratione, et per eam cum Deo jucunde loquebatur, et ei uniebatur. Si vero parum quid somno quoque tribueret propter necessitatem corporis, ne hoc quidem erat remissum, sed laboriosum et castigatum. Sic ei universum tempus erat laboribus plenum et certaminibus.

§ 4. Cum autem audiisset Alexandrum, virum quemdam virtute incomparabilem, plenum quidem sapientia, plenum et pastorali sollicitudine et diligentia curaque animarum, ad multorum tunc salutem degere Byzantii, non duxit esse sibi manendum in praesentibus; sed desiderans meliorem vitae institutionem, ad eum venit quam celerrime *. Et tunc quidem divinus Alexander

* Anno 425.

in templo magni martyris Menae exercebatur: postea autem in ipso quoque ostio Ponti venerandum statuit monasterium. In quo novam quidem, sed longe omnium pulcherrimam, legem imposuit, ut hymnorum ad Deum nunquam interrumperetur perpetuitas, sed per vices, mutatis ministris, haec nunquam silens et nunquam conquiescens tribueretur Deo glorificatio *. Divino ergo Alexandro Marcellum, cum illuc accessisset, bonus commendat Jacobus, qui prius quidem Marcello fuerat familiaris: cum ventitasset autem ad Alexandrum, erat ei primus inter discipulos. Is vero gaudebat quidem se esse Alexandri discipulum: male autem eum habebat, quod non ad ipsum quoque ventitaret Marcellus.

§ 5. Postquam ergo eum vidit venientem, eum lubenter adducit ad magistrum, et: « Hic est, inquit, o pater, qui nos non persequentes fugiebat, sed potius latebat persequens. » Sic divinus Marcellus fuit Alexandro commendatus, et illius manibus sacrum induitur habitum, tempore quidem Jacobo secundus, moribus autem longe prior. Quamobrem tale quid fertur etiam dixisse praeceptor, nempe quod etiamsi Andreas prior secutus sit Magistrum, Joannes tamen eum quoque est assecutus: per haec alterum quidem vocans Jacobum, per alterum autem Marcellum admirabilem, cum ambos quidem sciret esse fratres propter virtutem, et eodem tenore simul currere: Marcellum autem assimilaret Joanni, ut qui esset ipse quoque virgo, et cum doctrina magnam haberet conjunctionem. Atque inter alios quidem, primas partes obtinuit Jacobus, ipsum vero rursus superavit Marcellus. Erant autem ambo par aeque bonum, et quodammodo in uno et eodem corpore fraternitatis locum tenentes oculorum. Quoniam vero eos sic mente purgatos, non oportebat non etiam futurum intueri sicut praesens, non latuit Marcellum mors praeceptoris: sed cum hoc quidem cognovisset, non minus autem illud quoque praescivisset, quod futurum erat, ut in eum caderet suffragium, et cum ipse pasceretur, accerseretur ad pascendos alios: hoc utique veritus, ne seni juvenis imperaret: et simul cum esset amicus modestiae, et laetaretur subjectione, nullo conscio recedit e monasterio, apis, ut ajunt, ad flores. In orbem itaque obibat sanctos, et in colligendis ex unoquoque bonis, augebat sibi ceram virtutum.

§ 6. Interim vero dum is viros obibat virtutis studiosos, e vita migrat sacrosanctus Alexander **. Cum is autem excessisset, Marcellus protinus erat in ore omnium, et quoniam non aderat, duplicem afferebat molestiam: et quod illo tempore abesset, et quod moriente Alexandro non erat Marcellus, cui post illum credebatur Praefectura. Electus ergo fuit Joannes ut praeesset, vir et canis

* Nota hic *Adorationis perpetuae* originem.
** Circa annum 440.

capillis, et prudentia: cui etiam celebratus ille Jacobus propter aetatem lubens cessit. Cum haec autem sic processissent, Marcellum nequaquam latère potuere. Sed postquam finem acceperunt, et ipse est reversus, et Joanni fuit conjunctus, effectus ei manus dextera, et optime simul ferens onus administrationis: cum ille quidem propter Praefecturam nihil esset factus insolentior: hic vero esset purus ab omni invidia, et ei vero amore colligatus. Sic ergo ambos habebat Alexandri monasterium.

§ 7. Post aliquod autem tempus a Philotheo persuasus Joannes, recedit quidem ab hoc loco. Venit autem ad quemdam locum, ex aequo liberum a turba civium, et a difficultate solitudinis. Locus vero est Bythinorum quidem regionis: situs est autem in faucibus maris, cui ex adverso situm cernitur, quod vocatur Sosthenium. Hoc sive propterea, quod sit remotum a strepitu, sive propter aliquid aliud, tunc quidem nominabatur *Irenaeum* *. Cum Joannes autem rem ipsam nomen loco dedisset, propter perpetua quae ad Deum fiunt cantica, in hodiernum usque diem nominatur monasterium ἀκοιμήτων, hoc est, *Non dormientium*. Nam cum eamdem formam, quam Alexander, imitatus esset Joannes, eorum qui per vices canebant, nullo somno interruptam faciebat glorificationem. Cum huc autem ille sacrum transtulisset monasterium (locum enim jam dono acceperat ab illo, qui prius dictus est Philotheus), dici non potest, quantis officiis et honoribus sibi promerebatur et in suam redigebat potestatem Marcellum, sciens se quidem esse aetate provectum: illum vero et exercitatione, et doctrina, et ingenii acumine, et aliis omnibus bonis longe excellere. Quamobrem communium omnium cura Marcelli fidei erat credita. Nam hunc quoque Joannis futurum successorem divina noverat providentia, et volebat eum pulcre erudire in iis quae pertinent ad regendum. Hoc vero et aliis quidem indiciis significabatur: hac re autem vel maxime evasit manifestum, quod ambo eodem die, Joannes quidem ascendit ad gradum presbyterii, Marcellus autem ad gradum Diaconatus.

§ 8. Non haec vero solum futurum significabant: sed etiam vir quidam, qui ipse quoque praeerat gregi participi rationis, qui non longe aberat a monasterio Joannis, cui nomen erat Macedonius, vita autem purissima, et divina quaedam et prophetica anima. Is quoniam non latebat Marcellum, sed et ille videbat videntem, et cum esset propheta, non ignorabat eum qui erat similis, et assidue ad eum veniebat. Is praedixit futurum, ut non solum gregi praeesset, sed simul omnia: quod scilicet futurus esset clarus propter virtutem, et quod universam fere terram et mare impletura esset ejus gloria: quod multi Graeci et barbari ab illius lingua pendentes, patriam quidem abjuraturi essent

* Videlicet, *pacis locus vel domicilium*, a graeco vocabulo εἰρήνη (pax).

impietatem, Deo autem essent consecrandi: quod Deus valde in ipso et per ipsum esset glorificandus, et multi filii Dei per illum essent futuri, et digni essent censendi paterna haereditate. Haec ille quidem dicebat: an autem effectum sint consecuta, ostendet id, quod est postea consecutum.

§ 9. Marcellus vero haec audiens, quinetiam ea quae audiit faciens, nihil unquam de se magnum aut mente concepit, aut est locutus: sed hoc potius, quod cum alios excelleret, et esset primus, seipsum existimaret et nominaret omnium ultimum. Id autem ex illo quoque significatur. Is cum aliquando delectaretur sermone senis hujus admirabilis, diu quasi quibusdam fruebatur deliciis, et ab illius lingua pendens, non aderat monasterio. Apud monachos, cum abesset, inciderat jucundissima de eo narratio, et de eo habebantur sermones quidam apud Joannem. Atque ex monachis quidem, ii, qui erant probiores, et alia hujus viri admirabantur: quinetiam hoc quoque addebant, quod a Praefectura se removisset, et sedem tam facile reliquisset, rem, quae solet fieri a valde paucis. Improbi autem, et qui ignorabant Marcelli animi magnitudinem, hoc ipsum, quod fugisset gloriam, dicebant in se habere quamdam materiam et occasionem gloriae cupiditatis. Neque enim cum liceret Marcello imperare, maluit ipse parère aliis: sed quod non ignoraret futurum, ut Joannes ei in honore praeferretur, et eum esse, qui erat in hac Praefectura successurus. maluit se fuga subducere, quam videri illi secundum; nec facile sustinere potuit eum esse praelatum.

§ 10. Haec etsi essent confutatu facilia, accuratius tamen docebit experientia. Joannes enim volens declarare, ad quam profundam venisset Marcellus humilitatem, et persuadere monachis. ne facile condemnarent: « Rebus, inquit, ipsis, o filii, committendum est judicium, » cumque nihil aliud dixisset, in animo versabat redeunti Marcello vilissimum ordinem ministerii, nempe asinorum curam, ei credere. Postquam ergo ille rediit, et hoc quod videbatur maxime ignominiosum, in conspectu omnium jussit Praefectus, Marcellus hic manifestum dedit argumentum suae modestiae et demissi spiritus. Non solum enim jussum lubens accepit, sed fecit etiam aliquid elegantius. Adeo enim lubenter dixit se subire hoc onus ministerii, ut id etiam poneret in loco beneficii et rogaret ut datis scriptis sibi caveretur, ut nec, si vellet quidem, posset ab eo recedere. Et non sic dixit quidem, non autem fecit. Neque fecit quidem, sed parvo tempore: sed in factis ipsis visus est longe acrior. Tamdiu autem persèverat in hoc ministerio, donec omnes multis precibus supplices ab eo contenderunt, ut eis quidem ignosceret: ab hoc vero servitio discederet. Absurdum enim esse, talem virum tam vilia subire ministeria, qui gregi rationis compoti dignus erat praeesse.

§ 11. Non multum temporis intercessit, et Joannes ipse, qui

nonasterio praeerat, migravit ad Dominum *: statimque D. Marellus fratrum suscipit Praefecturam, et charismatum radii quales t quanti in eo essent, omnibus evasere manifesti. Sed quidnam jus quispiam primum fuerit admiratus, insignemne ejus in paueres misericordiam, an, quae propter eam facta sunt, miracula? )ui sic quidem communia (nihil enim habebat proprium) conumebat, ut videretur paulo post et ipse, et monachi, redigendi ad gestatem. Tam abunde autem assidue suppeditabat, ut non minus uam quod fecit Dominus, conspiceretur etiam in servo fieri. )uomodo enim tunc non plures quam quinque panes et duo pices, aluerunt multitudinem hominum ad satietatem; ita nunc juoque paucis quotidie alebatur multitudo egentium: et ea rursus is minime deficiebant. Sed haec quidem ita se habebant. Quemidmodum autem ex rebus difficillimis, et quarum nullus sperabatur exitus, a superis ei data sit solutio, et quae ei dicta sunt, inem acceperint, par est paucis dicere.

§ 12. Auctus quidem erat ei grex quotidianis accessionibus: et multitudine quotidie dilatatus, efficiebat pecoribus arctam habitationem. Opus ergo erat Pastori, majori quidem atrio; majori autem domo orationis, majori et alimento, et reliquo sumptu iis, qui collecti fuerant. Ille autem tunc quidem vel maxime omnia exhauserat in egentes. Erat vero ei opus pluribus sumptibus, et maxime ad tantam virorum multitudinem. Fuerunt autem haec Deo curae: et rem, ut solet, traducit ad abundantiam. Erat enim quidam Pharetrius, optimus ex optimis, et longe ditissimus. Is cum acrem quemdam concepisset amorem ejus, quae est ex Deo, philosophiae, secum acceptis illis suis ingentibus divitiis, et filiis adhuc teneris, venit ad Marcellum: et omnia simul, nempe et pecunias, et filios, et seipsum, Deo consecrat: seipsum quidem et filios sacra veste induens monastica, opes autem convertens ad usum monasterii. Et primum quidem sacram domum orationis eis et latiorem, et excelsiorem, et ita, ut nunc se habet, construxit: ut et multitudo colligeretur, et in nullas redacta angustias, opus Dei perageret. Deinde reliqua omnia, fratrum domos, alias quidem quae laborabant et ruinam minabantur, renovavit; alias autem magnifice excitavit; et aliorum omnium, quae hujusmodi vitae communi opus erant, praebuit abundantiam.

§ 13. Haec quidem ita se habebant: magno autem Marcello grex in dies crescebat, et augmentum accipiebat. Omnes enim attrahebat illius Siren, nempe suavis oratio, conjuncta cum vita purissima. Porro autem cum etiam credidisset salem divinum esse factum eum, qui ei parebat gregem, eos mittebat, ut alios quoque divino sale implerent et voluptate. Et quomodo ex magna Eden quatuor dicunt manare fluvios: ita etiam ex Marcelli tabernaculo coepit per universum fere orbem terrae profundi purum et

* Circa annum 447.

jucundissimum et salutare fluentum, illa, inquam, accuratissima vitae, quae ab eo agebatur, imitatio. Praeterea autem supernarum potestatum ministerii, quod nullo somno interrumpitur, zelus, cum hinc coepisset initium, venit ad primam et urbium reginam. Deinde ad alia quoque loca transiit imitatio. Et sive quis templa extruebat, aut monasteria, sive aliquid aliud sacrum faciebat, a Marcello etiam accipiebat curatores et duces. Sic monasteriorum et templorum, quae erant ubique, per suos discipulos communis extructor fuit, et communis curator. Persuasum enim habebant, qui haec ab illo quaerebant, non solum se fore illius doctrinae participes, sed etiam quamdam gratiam et sanctificationem ab illo etiam ad eos esse venturam, quomodo qui sunt sacrarum aquarum participes. Ei vero, cum haec ageret, dolore et voluptate distrahebatur animus. Nam ut pater amans filiorum, cum ei auferrentur filii, dolore afficiebatur. Ut qui autem servator multorum, et per illos multis esset utilis, laetus eos emittebat; tum etiam, quod illius quidem secundum Deum filii, aliorum patres; eorum autem oves, fuerunt pastores aliorum.

§ 14. Neque tamen temere ac leviter emittebat discipulos: sed cum eos prius multis confirmasset sermonibus, et Deum testem in eos invocasset, quod neque mores dissolverent, neque habitum mutarent, nec de accurata ac perfecta vivendi ratione aliquid remitterent: sed et illi mores, qui erant ab initio, tamquam legem perpetuo conservarent, et maxime concinnae et per omnia compositae vivendi formae, aliis causae essent. Illi autem, quae ab illo acceperant munera et mandata, tam pulcre conservarunt, ut, quod ipse illis, hoc ipsi essent aliis, et per omnem fere terram et mare haec bona sementis ab eis distribueretur. Sed de illius quidem vivendi ratione, et praeterea de ejus insigni gloria propter virtutem, et quod omnium maxime eam fugiens, longe magis suae famae celebritate implevit omnem terram, et praeterea de ejus solertia, de humanitate, de eorum, qui ubique erant, cura et sollicitudine. De his, inquam, omnibus, veluti quaedam solum indicia et vestigia significavit oratio. Vult autem pauca quoque ex ejus miraculis in medium adducere, et non injucundam cum utilitate narrationem largiri piis auribus.

§ 15. Quidam tres Episcopi, qui fuerant apud hostes captivi, et modo liberati erant calamitate, accedunt ad Marcellum, et rogant, ut daret, quod eis reficiendum erat necessarium. Ille autem cum et eorum curam gessisset, et eam, quam sperabant, dedisset eis consolationem, ipsique, quoniam multum temporis praeterierat, unusquisque domus suae et Ecclesiae meminerant, eis abunde suppeditat viaticum. Viaticum vero erat aurum; et jubet eum, qui impensis praeerat (erat autem ei nomen Julianus), auro donatos Episcopos emittere. Is vero ex decem, quos tunc habebat, stateribus, solum tot affert, quot erant viri numero. Magnus autem ille

nihil enim eum ex iis quae erant, latebat), jubet, ut citra ullam parcitatem det omnia. Sed ille ne sic quidem se pure gessit. Sed cum dedisset novem, unum detinebat, volens utique fungi officio boni oeconomi, ut iis, qui, ut solebant, veniebant, pauperibus aliquid haberet quod daret. Quid ergo accidit, et quomodo utrumque docetur Julianus, neque de futuro esse sollicitum, nec existimare, magnum Marcellum aliquid latère eorum, quae fiunt? Venit ad Marcellum homo quidam motus a superis, et donat eum nonaginta talentis. Ille autem eum qui susceperat dispensationem, arguens, ut par erat, ut qui non recte esset usus dispensatione: « Ecce, inquit, o parce, quis sit exitus tuae parsimoniae; effecisti enim, ut totis decem talentis nobis minor esset, quam erat futura donatio. Cum enim essemus accepturi decuplum eorum quae dedimus, propterea quod unum dare noluisti, iis quae praeterea accepturi eramus, decem privati sumus. » Sed hoc quidem fortasse fuerit evidens argumentum, non solum quod praevideret, sed etiam quod non oporteat esse sollicitum de futuro, et quod magna esset ejus in egenos benignitas.

§ **16**. Quoniam autem de prophetico ejus dono parum quid significavimus, tempus est ut bibamus etiam de fonte curationum. Quidam ex monachis, nomine quidem Elpidius: morbo autem erat implicatus, qui omnem spem superabat; nam totum quidem os ejus grave ulcus depascebat: tota vero ea pars, quae linguae subest, habebat ingentem, qui excreverat, carnis tumorem: quod quidem ei reddebat mutum et inane instrumentum; et hoc accedebat intolerabilibus illius doloribus, quod nec ipsos quidem dolores posset enunciare. Ambo autem haec, ulcus, inquam, et tumor, cum probrum etiam et dedecus accepissent, efficiebant ut mors esset ei optanda. Hic ergo cum accedente aliquando Sancto, toto pectore ingemuisset, et vix esset locutus, tantum dixit: « Hei mihi, me nunc despicit magister. » Ille autem tantum aberat, ut despiceret, ut statim commotus sit ad preces, et clementiae lacrymas ex oculis emiserit. Deinde cum tumorem et ulcus tetigisset, hoc quidem sanat, illum vero facit evanescere; et os ei purum reddit et mundum, et aptum ut alioqui loqueretur absque ullo impedimento, et esset ei utile instrumentum ad agendas gratias.

§ **17**. Quidam alius monachus, nomine Stephanus, qui secundum naturam quidem admittebat alimentum: ut id autem per naturalem exitum procederet, hoc minime habebat: extremis cruciabatur doloribus. Cum ars autem medendi ea in re diu esset versata, dolores quidem augebat vulnerum acerbitate; quae vero sunt apud eos elateria et purgationes, probabat esse inania, studiumque et operam frustra in eis consumi. Cum ergo videretur malum inexpugnabile, et non multum abesset, quin is disrumperetur, id renuntiat Marcello. Ille autem precatus quidem est, sicut consueverat: cum vero venisset ad laborantem, partim quidem

ventrem manu tangens, partim autem dorsum, tamquam propellens, et ad inferiores partes agens materiam, illi quidem concessit progressum, qui est secundum naturam: viro autem, ut ea liberaretur, et vitam ageret sine molestia.

§ 18. Porro autem is quoque, qui paulo ante dictus est Julianus, qui convictus fuit non recte dispensare, sicut prius donum perspicacitatis, ita etiam Marcelli curationum donum fuit expertus. Nam is quoque morbo laborabat, qui et medicina, et omni precatione erat, ut ille putabat, superior, et citra ullam dubitationem mortem minitabatur. Accersitum autem rogat adesse Marcellum, non ut acciperet curationem (nam hoc ne sperabat quidem), sed ut ei decedenti preces concederet viatici. Ille vero cum accessisset, primum quidem ejus medetur animae: « Ne, inquit, o fili, tam humiliter et abjecte, et tam humano more de Deo sentias, neque rebus nostris metiaris res illius. Nam nostrum quidem aliquis, hoc quidem fortasse potest, illud vero minime: Deus autem omnibus et magnis et parvis ex aequo est potentior. Quomodo ergo nos quidem paulo ante pusillum et sordidum animum, Deus vero suam ostendit munificentiam: ita etiam in morbo existima illum praeclare, ut Deum decet, omnia et magna virtute facere: qui etiam nobis data venia incredulitatis, largietur salutem. » Cum sic dixisset, animae curationem corporis quoque sanitas est consecuta; adeo ut postea cum non tam temere vixisset, sed ut eum decet, qui est Dei amicus, fuerit sacerdos, dignus Marcelli doctrina et sacerdotio. Sed quale est hoc quod sequitur? quam est incredulis quidem valde terribile, apud fideles autem in magna habetur admiratione?

§ 19. Vir quidam, qui laborabat morbo sectae Samaritanorum, laborabat corporis morbo immedicabili. In ejus enim corpore erat enatum vulnus. Unguenta autem, et medicamenta, et quaecumque ab arte adhibebantur, convincebantur nihil posse. Ad extremam itaque spem adspexit Marcellum: et cum ad eum venisset, statim cum eo egit precibus. Ille autem, et quisnam esset, rogavit, et unde, et quaenam ei esset religio. Omnino vero haec non fecisset, nisi ad ejus adspexisset animam. Cum ille autem dixisset, se quidem esse Samaritanum: polliceretur vero, quod si morbo liberaretur, et protinus suam mutaret opinionem, et ad Christianorum lubens accederet sententiam: precatur senex, et preces consequitur sanitas. Cum ergo statim edidisset confessionem, et viam rectam esset ingressus, nondum quatuor diebus praeteritis, statim ad priorem revertitur falsam religionem, canis, ajunt, ad vomitum. Quomodo autem fidei rectitudine curatio corporis, ita vitiosa fide morbus est accensus. Haec vero nequaquam latebant Marcellum, sed cum rursus ad ipsum rediisset Samaritanus, ei quidem exprobrat mutationem; rursus autem ignoscens, morbo medetur. Cum vero jam bis et ter et saepius, corporis quidem morbus

cessasset, reversus autem esset morbus animae, et illum rursus revocasset: « Christus est, inquit, qui te curat, non ego. Tua vero de opinione pacta conventa, non mecum, sed cum illo fieri existima, quem nemo latère potest, neque decipere. Omni ergo deposita fraude et impostura, puram illi confitere religionem, et certo scias fore, ut pure carnis sequatur curatio. » Cum autem ille infelix et amens dixisset, se quicquid accidisset, nunquam posse patriam relinquere religionem, ipse quidem abiit nihil locutus. Ille vero infelix cum parum processisset a monasterio, et violentius morbus eum esset aggressus, duplici, proh dolor, morte moritur, nempe carnis et animae. Haec cum magnus ille audivisset, et lacrymas emisit, rem esse luctu dignam arbitratus: et hoc solum dixit: *Non tentabis Dominum Deum* (*Deut.* VI); tamquam propter illum dans praeceptum omnibus.

§ **20**. Nobis autem convertenda est haec oratio ad aliam fidelis hominis curationem, quae ut fuit celerrima, ita etiam jucundissima. Quidam nomine Cyrus, prius quidem corpore robustus, et ad pugilatum valde bonus, postea autem inter monachos quoque admirabilis: hic ergo cum paulo ante subiisset monachatum, tamquam alius Job, malo ulcere percutitur a maligno. Totum enim ejus dorsum gravi ferit vulnere. Id autem desuper a collo incipiens, et carnem totam depascens deperdidit, et quae sub ea erant, ossa pure nudavit. Acres vero, et qui verbis exprimi nequeunt, dolores hominem penetrantes, neque rectum stare, nec accumbere, sed neque sedere sinebant sine cruciatu. Hic ergo, omnibus et medicis et artibus praeteritis, ad Marcellum solum, et per illum ad Deum confugit, et ab eo petit curationem. Ille autem cum manus et mentem statim in altum sustulisset, et ut solitus erat, orasset, deinde manu ulcus tractans: « O vir optime, inquit, te quidem ab his non oportet superari. Neque enim eum, qui pugnat cum iis, qui non sunt adspectabiles, oportet gerere curam carnis. Sed confide. Nam si tibi altissimum posueris refugium, fugiet haec plaga a tuo tabernaculo. » Dictum fuerat, et omnia simul protinus videbantur, ossa, carnes, pellis, illa quidem tecta, hae vero repletae: pellis autem extensa: doloresque cessaverant: adeo ut in eo propemodum impletum fuerit sacrum praedictum, Ezechielis: *Adspexi, et ecce super ea nervi et carnes nascebantur: et pellis super ea ascendebat.*

§ **21**. Quod autem non solum praesens hic vir divinus, sed etiam absens similiter faciebat miracula, declarabit id quod sequitur. Cuidam viro, Eugenio quidem nomine, Diacono autem sacra auctoritate, uxor parturiebat. Cum vero adesset tempus partus, vehemens eam invasit febris. Atque erant quidem acres dolores, febris autem violenta; otiosis itaque esse obstetricibus licebat et medicis, et una spes deinceps erat Marcellus. Et Sanctus quidem orabat: Eugenius autem ejus pedes prensabat, qui

ei omnia simul dicit, partum, inflammationem, super novaculae, ut ajunt, aciem stare mulierem. Quid deinde? Cum panem benedixisset magnus ille Marcellus, ei donat, et jubet eum poni supra pectus mulieris. Ille vero fecit quod ei imperatum fuerat: et protinus infans egreditur ex utero, et febris e corpore. Illa autem tamquam ex fossa aliqua aut ex inferis esset reversa, « Ubi est, inquit, qui mihi adfuit monachus, et me curavit? Ubi est, inquit, qui meam animam extraxit ab inferis? » Cum autem interrogaretur, quisnam, et quali forma is esset, statim omnia retulit, figuram, capillos, vestem, formam, et omnia descripsit oratione: adeo, ut vel ii, qui non erant admodum sapientes, intelligerent illum ipsum esse Marcellum admirabilem. Atque illa quidem ex Marcello vel absente tantum fructum est consecuta, ut per ipsum et vixerit et pepererit.

§ 22. Quid vero Eudoxius, qui ipse quoque non parvus, et non parva est consecutus, nec ejusmodi, ut sint leviter consideranda? Sed fuit ille quidem vir, qui se exercebat: sed erat ei totum corpus relaxatum, et solutae erant omnes ejus compages: precibus autem et lacrymis magni Marcelli, et adstricta fuit membrorum solutio: et quod est longe majus, qui paulo ante jacebat in lecto, missus est ut serviret aliis. Quod vero Angeli quoque simul erant cum Marcello, et maxime cum ad preces accederet, declarabunt quae mox sequuntur. Quidam Sergius, qui ipse quoque praeerat gregi capaci rationis, et ad flumen habitabat Euphratem, illuc quoque fama veniente de Marcello, efficitur ardens amator illius virtutis. Cum autem fama illius magis cresceret, ad ejus quoque conspectum venire desiderat. Itaque postquam venit, et rem ipsam experientia invenit esse fama majorem, precatus est ipse quoque cum Marcello, stante ad orationem. Cum ergo ille inclinaret caput, et genuflecteret, ille quidem jacebat: hic vero videt illud admirabile, duos quosdam veste candidos, forma vero coruscantes, Angelos scilicet utrinque stantes, et eum humo tollere et sublevare. Atque statim quidem vultus ejus luce tamquam fulgure est illustratus: admiratione autem perculsus fuit ejus animus, voxque est ei ablata, et manabat sudore, et propemodum deductus est ad mortem: adeo ut qui aderant, nihil ex iis quae ille videbat, videntes, mirarentur et dubitarent, et virum interrogarent cum stupore. Cum autem audivissent, non minus quidem admirati sunt Marcellum propter suam in Deum fiduciam: Deum vero, propter ineffabilem charitatem in homines.

§ 23. Ex his et similibus, tantus fuit omnium amor in Marcellum cum admiratione, ut instar rei alicujus divinae, per ejus nomen jusjurandum conciperent, non solum alii, sed etiam primi ex iis, qui se exercebant: et vel illum solum videre, magnum esse ducerent, et de quo esset acriter contendendum. Cum ab Eliseo aliquando, qui monasterio, quod erat in Dessa, praeerat. et

virtutis magnam ducebat rationem, ex Marcelli discipulis fuisset quidam hospitio acceptus (erat autem ei nomen Petrus), hic ergo postquam deductus fuit ad sermonem, et multum versatus est in laudando magistro suo apud Eliseum: « Supervacaneum est, inquit Eliseus, o frater, de Marcello apud nos producere orationem. Nam ego horum tibi ero testis idoneus etiam apud alios: qui de eo multum Deum precatus, et ejus virtutis novi altitudinem, et animi motiones: quinetiam ipsam formam ejus corporis.» Cum haec audiisset Petrus et miratus fuisset, reversus est, et sancto omnia narravit, rem quidem faciens importunam et molestam ei, qui a gloria captanda adeo erat alienus: narravit tamen. Narrationi autem intererat etiam quidam Pontifex, sed inops et egenus rerum necessariarum. Atque magnus quidem Marcellus, qui laudes non minus aegre ferebat, quam probra, sistit quidem cursum ejus orationis: petit autem,.cum sciret eum habere, ut det ei mutuo duos aureos, ut pauca elargiatur pauperi. Ille vero cum esset valde parcus, eos dare recusavit. At non longo ab hinc tempore, inquit magnus, nec ipsum tibi corpus remanebit: sed id quidem sepulcrum, aurum autem accipiet commune monasterii. Nondum duo dies praeterierant, et ille quidem vitam finiit, pecunias vero accepit commune. Atque multa quidem fortasse conjecerint homines, in multis autem etiam aberraverint, si hoc tentent quaerere, cuinam quidem aequalis, quonam autem inferior, et quonam superior fuerit sanctus. Deus vero ne hoc quidem reliquit obscurum. Quomodo autem, iis qui volunt, jam significabit oratio.

§ 24. Est quaedam civitas, quae nomen accepit a Pompejo: incolitur autem ad Pontum Euxinum. In ea vir quidam praefuit monasterio, nomine quidem Gaudiolus, plenus autem divino spiritu et repletus gratiis. Cum eo propter aliquod negotium congressus Thalassius (erat vero hic quoque unus ex magni Marcelli discipulis), hic ergo cum aliquando vidisset Gaudiolum, juste quidem, irascentem tamen in aliquos sui gregis, et cum prius resiliissent, revertentes ipsos non admittentem, petiit ut admitterentur: et exemplum dedit, quod erat propinquum, Marcelli mansuetudinem. Is autem ei statim dixit: « O vir praeclare, non est idem Gaudiolus, quod Marcellus: sed quantum intersit, hinc scies. Nam cum Mosem posueris, ei etiam oppone Marcellum. Deus enim mihi ostendit evidentissime, quod quaecumque legislatori, ea etiam inspiravit Marcello. »

§ 25. Nos vero alia quoque adjiciamus: non ut virum ex his recte videamus, sed ne pulcherrimis privemur narrationibus. Quidam discipuli ab eo aliquando missi ad Euxinum, retro navigare statuerunt. Cum autem, ubi a terra solvissent, nocte tota fretum secassent, defessi priusquam mare transmisissent, appellunt in quendam locum valde asperum, et in quo navibus nullus

erat portus, nec fida statio: cumque ventus spirasset vehementius, fieri non poterat, ut salvi essent. Atque illos quidem somnus opprimit: ille autem apparet uni eorum dormienti. Paret is visioni, parent etiam reliqui: solvunt navem, a loco illo recedunt, in ostium ponti navigant: et cum in tuto essent, caligo occupat aërem, et procella pontum furore agitat, et ita insurgunt fluctus, et mare conturbatur, et naves obruuntur, ut aër quidem fletibus, mare autem esset impletum naufragiis. Alii alias mittebantur ad Orientem, et Marcelli adjuti precibus, tunc quidem navigarunt: cum vero visum eis esset reverti, in terram appulerunt: et alios quidem sanos accepit civitas Ancyra: Paulum autem unum ex his, gravis morbus invasit. Comitibus autem illum quidem aegrotantem relinquere erat impium: ut eum vero secum ducerent, fieri non poterat: ut illi autem rursus cum eo manerent, erat valde difficile. Ille valde suspirans et ejulans: « Ubi sunt, inquit, o pater Marcelle, tuae preces? Nam tu quidem me Deo commendasti, ego autem jam pereo. Neque hoc quidem mihi grave, etsi sit grave, sed quod extra tuum gregem, et procul a meis fratribus. » Haec ille quidem dixit Ancyrae cum lacrymis: ille vero cum esset in monasterio, audivit; et statim Paulus quidem convaluit. Magnus autem Marcellus, accersito Caesario, jussit horam signari: « Unus, dicens, ex fratribus, qui est procul a nobis, et est gravi morbo oppressus, asserit se nihil accepisse utilitatis ex mea ad Dominum commendatione. Sed prope est Dominus omnibus qui eum invocant in veritate, et eorum, qui ipsum timent, faciet voluntatem, et eorum preces exaudiet, et eis dabit salutem. » Haec is quidem descripsit; ille vero convaluit, et reversus est. Ostensa est autem scriptura, et eadem hora inventum est, Paulum convaluisse Ancyrae, et Caesarium scripsisse in monasterio.

§ 26. Deus aliquando terram vexabat fame, eaque fame, qua nescio an ulla unquam fuerit deterior. Monasterii autem horrei Praefectus Malchus, qui frumentum suppeditabat pistoribus, postquam universum fere consumptum fuerat (sufficiebat enim ne ad totos quidem decem dies, et necesse erat fame perire monachos), accedit ad praeclarum Marcellum, et ei renunciat frumentum esse consumptum. A quo audivit, ut faceret quae consueverat, et hoc ei nulli esset curae. Ille arbitratus eum sperare alicunde solvendam esse inopiam, absque ulla sollicitudine suppeditavit sicut consueverat. Quinque deinceps dies praeterierunt: et cum nihil evenisset eorum quae sperabat, rursus dicit, et ei causam revocat in memoriam. Audit vero eadem. Postquam autem ad alios quoque duos consumpsit, et non multum abesse videretur, quin esset universum consumptum, ille quidem rursus accedit conturbatus: Marcellus vero statim accedens ad horreum, parturiens id statim implet, et incipit pàrere: et quod est admirabile

et omnem superat rationem, quamdiu dictus quidem Malchus metiebatur, frumentum videbatur diminui, et minari futuram mox egestatem. Cum autem postridie ingrederetur, eadem magnitudo erat et idem cumulus: et apparebat perinde, ac si ne earum quid ablatum esset pridie. Quod vero haec non essent deceptio oculorum, fidem facit tempus. Tamdiu enim frumenti fuit hoc admirabile augmentum et acceptio, quamdiu mansit gravis illa et infinita fames. Sed his quidem ostenditur, sanctum et nutriisse vivos, et conservasse eos qui erant in periculo. Quemadmodum autem se gesserit sanctus in excitandis mortuis, et fugandis daemonibus, statim dicetur.

§ **27**. Aegrotabat quidam, et in lecto decumbebat, nomine Paulus, habitu monachus. Is cum extremum jam duceret spiritum, mittit ad sanctum, et rogat ut veniat. Postquam autem, via confecta, qui missus fuerat, venit ad monasterium, et fuit coram magno Marcello, quoniam ille tunc de rebus disserebat gravibus, et de sacris tractabat dogmatibus, contendens cum Antistite Chalcedonis, et qui missus fuerat, est reversus, et qui aegrotabat, erat mortuus. Cum ergo jam peracta essent quae fiunt mortuo, et paratus esset ad efferendum (hoc autem non alia de causa provisum fuerat a superis, quam ut majorem casum, et majus miraculum, et Marcelli virtutem majorem ostenderet), ubi factus fuit disserendi finis, venit ad aegrotum, et cum illum vidisset mortuum, et jam paratum ad efferendum, motus quidem est animo, et ex ejus genis fluebant lacrymae: neque remisit tamen suam ad Deum fiduciam, sed cum manus simul et oculos et animam ad eum sustulisset, est aliquandiu precatus. Deinde non septies quidem inspirat, sicut olim zelator Elias, sed solum manum imponit mortuo. Qui autem aderant, alias eum velle putantes, et non ut mortuum tentare, dicunt: « Est mortuus. » Simul atque vero illi hoc dixerunt., surrexit mortuus; visensque ostensus est et loquens, et eorum, quae illic erant, meminit spectaculorum. Sic ille, qui, si audendum sit dicere, vel Sole clarior apparuerat, nolebat, quod ad se attinebat, multis apertum fieri miraculum, sed et ei qui surrexerat, et iis qui adspexerant, sicut meus Jesus, praecipit silentium: tantum adferens studium fugiendae gloriae quae est ab hominibus, quantam ipse erat a Deo consecuturus. Quocirca nec permisit ut lateret id, quod factum fuerat, is qui gloria semper circumdat eos, qui ipsum glorificare voluerunt. Nam qui ea suis oculis adspexerant, ejus jussa parum curantes, cum nec vellent celare, nec aliis tantum bonum invidere, ea quae viderant, ad multorum aures transmittunt: nec hoc ipsum quidem celantes, quod cum rem tam magnam fecisset, eos jusserat silere.

§ **28**. Oportet autem ejus quoque virtutem ostendere adversus daemones. Attulerunt ad eum aliquando quatuor simul

daemoniacos, quos saevissimi et pessimi invaserant daemones. Et ille quidem precari: illi autem statim coeperunt insanire. Atque primum quidem in eum loquebantur blasphema, et homines vehementer conturbabant. Deinde cum preces magis vigerent et invalescerent, illi etsi non viderentur plagas accipientes, dolores in publicum proferunt, et clamare incipiunt: Jube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem: insidiose quidem illi hoc et maligne; etenim ostendent haec, quae deinceps sequuntur. Cum itaque intellexisset insidias magnus Marcellus, neque conversus est ad id, quod dictum fuerat, neque eos increpavit: sed ad coelum solum intuens, perseverabat in oratione: et nihil aliud quam: Serva tuum figmentum, o Christe, diu rogans dicebat. Et illi quidem rursus rogabant, ut juberet: ille autem non obtemperabat, sed in eos divinam virtutem invocabat: sicque expulsi sunt, et viri simul liberati sunt a plaga. Cum autem causam rogarent, qui tunc aderant, cur daemonibus se cessuros confitentibus ab initio nihil praecepit, ille respondit: Quoniam dicentes me in eos accepisse potestatem, non aliud agebant, quam quod vanae gloriae laqueis me conabantur implicare. Et illorum quidem quatuor virorum res ita se habuerunt. Paulo post autem Lazarus quoque quidam, qui corripiebatur furore daemoniaco, et linguam diu ore exertam et pendentem habebat, sicut canes, et spumam deinde expuebat, eamdem quoque consecutus fuit curationem. Nam cum primum eum sanctus benignis vidit oculis, et precatus est e suae plagae curationem, statim conspectus est sanus, et liberatus est a daemone, qui eum occupabat. Et quid opus est illius cuncta dicere? Facilius enim est stellas numerare, aut maris fluctus metiri, aut aliquid aliud aggredi, quod fieri non potest, quam illius res omnes invenire. Verumenimvero pauca quaedam de illius etiam moribus adducenda sunt in medium, ut sciamus quod a quo haec gerebantur, illa quoque ei omnino debebantur et simul quae in longum producitur oratio, varietate vitabit satietatem.

§ 29. Hic magnus Marcellus cum aliis bonis quae habebat, sanctorum quoque reliquiarum tenebatur magno et vehementi amore, eas existimans esse dona coelestia, et revera plurimi facienda: et qui aliquid tale ad eum deferebat, appellabatur servator et benefactor, et videbatur esse missus ex ipsis coelis. Deus itaque, qui in hoc prompto et alacri animi studio ei opem ferebat, multos ex multis locis adducebat, qui hunc ejus amorem consolarentur, et dona quae erant maxime optanda, offerebant ei tamquam amico: partim quidem ex Persis, partim autem ex Illyrico, partim ex iis, quae erant ubique, regionibus. Ille vero quemadmodum, et cum quanta sua delectatione, et cum quanto honore et reverentia ea excipiebat: simul quidem hinc ostendens suum amorem in communem Dominum, eorumque mortem

audans et beatam praedicans, et similem, si fieri potuisset, cupiens onsummationem. Quale autem esset ejus desiderium sciens Deus, t volens ei gratificari, ei saepe prius ostendit, et prius significavit, hoc aut illo die venturum aliquem, qui ei sit allaturus ea uae desiderat. Ille vero et ipse se praeparabat, et curabat, ut sset totus ejus grex paratus, et ita vehementi ardentique motu ordis, et supinis, ut ajunt, manibus pretiosas suscipiebat reliuias. Verumenimvero ne hoc quidem aequum est praetermittere. d eum venit aliquando quispiam, et quasdam ei sacras tradidit eliquias, dicens eas esse martyris Ursicini. Ille autem magnifice uidem eas excepit, et consuetum eis festum celebravit. Cum ero staret ad preces nocturnas, talis eum subiit cogitatio, ne ui hoc donum ei attulerat, de eo esset mentitus, et non essent eliquiae martyris Ursicini. Simul atque haec cogitavit, quidam x iis, qui una cum eo fungebantur officio, tamquam a Deo afflatus accurrens: Ne temere, inquit, o pater, dubites. Magni enim rsicini hae sunt verae reliquiae. Ita divina providit gratia, ut uraretur quod is animo dubitabat, ne dubitatione ejus ardor frigesceret. Atque haec erat quidem ejus diligentia in parandis reiquiis.

§ **30**. Divitias autem et pecunias ita despiciebat, ut et quae praecessit, et quae nunc sequitur, apertius declaratura est oratio. Nam cum Marcellus ab initio omnes reliquisset facultates, atque adeo ab ipsa etiam domo discessisset, et qui erat ei frater secundum carnem, accepisset illius haereditatem, et paternorum omnium bonorum effectus esset dominus, et tota sua vita eis esset usus, is cum esset moriturus, relinquit Marcellum haeredem omnium suarum divitiarum. Ille autem ea, quae sibi relicta fuerant, non solum sua non esse duxit: sed nec iis utendum sibi censuit ad commune monasterii. Hinc cum monachi peterent, ut agrum emeret, ille eis dixit se nullum nosse agrum uberiorem et fertiliorem, quam spem in Christum. De bonis ergo paternis quid statuit, et de iis, quae ad illum pertinebant, quonam modo providet? Ea consumit, offerens aliis monasteriis, quae laborabant inopia, tam virorum quam mulierum. Et haec quidem illis adimunt egestatem.

§ **31**. Quae vero fecit in magna Dei ira, in qua totam civitatem, Constantinopolim, inquam, conservavit, quis sustinuerit quidem silentio praetermittere? Quis est autem adeo tardus et hebes, qui non cupiat audire? Magno illo Leone imperii sceptra administrante, in hac civitate oritur incendium *, et incendium eorum, de quibus ulla fit mentio, maximum et saevissimum. Cum autem jam incepisset calamitas, de ea auditione accipit magnus Marcellus: et cum statim coelum suspexisset, et multum

* Dirum hoc incendium, quo Byzantium magna ex parte conflagravit, anno 465, obortum est. Imperium tunc gerebat Leo I, Magnus vel Senior dictus, de quo superius jam egimus.

lacrymasset, dividit supplicium: immo vero maximam ejus partem allevat. Nam partem quidem ignis ejus extinguunt lacrymae; altera vero pars relicta est Byzantinis ad disciplinam: existimatum enim fuerat fore, ut totam depasceret civitatem. Ille vero cum partem quidem repressisset, partem autem praescivisset, Hei mihi. dicit tristi voce. Dolebat enim, quod non totum cessare fecisset, sicut magnam nostrorum peccatorum multitudinem: et quod visum esset Deo, serpere ignem a mari usque ad mare: et tamquam telum, medium quidem dissecare: ab iis autem, quae sunt ex transverso, abstinere: quod etiam factum est; et ignis cum accepisset initium ab eo, quod dicitur Neocorium, instar cinguli totam cinxit civitatem: cessavit vero ad mare, quod est ex adverso, veluti ostendens, quod is quidem totam pervasisset civitatem, ad hoc autem redactus esset per Marcellum.

§ **32**. Cum duorum adhuc aut trium meminerimus, reliqua linguis aliorum, prout potuerint, dicenda relinquemus. Et primum, quam ingentes essent ei spiritus, qui in potentes quidem deprimi non poterant; in eos vero, qui erant modesti ac moderati facile inclinabantur. Iis autem, quibus fiebat injuria, erat adjutor invictus. De Ardaburii et Asparis *, quae erat illo tempore, potentia nihil est dicendum: neque de crudelitate aequali potentiae, atque adeo majori. Hic ergo, qui erat adeo potens et crudelis Ardaburius irascebatur cuidam ex iis, qui erant in ejus potestate, nomine Joanni. Ille vero omnibus aliis, atque adeo ipso Imperatore praetermissis, ut qui non essent satis potentes, unum novit refugium Marcelli tabernaculum: et id subit, et sub eo latet, tamquam sub aliquo tuto propugnaculo. Ille autem cum rescivisset, petebat, ad ipsum mittens, hominem sibi tradi. Cum vero non obtemperaret, coepit minari. Cum Marcellus autem minas non curaret, ei vim attulit: missisque militibus, qui et viribus valebant, et erant multi numero, jussit quaerere eum, qui confugerat: et, si non parèret, uti armis. Atque ille quidem cum sic jussisset, eos dimisit. Illi autem profecti, et verbis, ut jussi fuerant, usi, quoniam non parebat, monasterium circumsidebant. Haec facta sunt vespere. Magnus vero Marcellus rogavit eos, an vellent manere, et se eis dixit alimenta daturum. Cum autem mansissent, suppeditavit alimenta. Et res quidem ita transiit usque ad vesperam. Cum nox autem adventasset, qui foris quidem erant, enses jam quatiebant terribiliter. Monachi autem haec videntes et audientes, sanctum circumsistentes, pro ensibus eum verbis feriebant: « Quid ergo, dicentes, tibi omnes propter unum peribimus? Idque morte violenta et acerba? et tuis filiis erit tibi praeferendus externus? et tibi a fundamentis cum templo peribit monasterium? Non dimittes, non cito praebebis eum, qui

* Aspar enim, ut jam a nobis dictus est, effecerat ut Leo imperator et augustus salutaretur: Ardaburius vero filius erat Asparis.

quaeritur, qui malis huc pervènit pedibus? » Cum sic per totam noctem eum et hostes et amici etiam acriter invaderent, tempusque frustra contereretur, et supplex non traderetur, mane autem statuissent milites uti gladiis, et jam essent aggressuri, tunc Christi athleta suam contra objecit potentiam. Eis vero praeter opinionem apparet adversaria, non phalanx quidem, sed divina quaedam et coelestis potentia, in orbem ab igne circumscripta, et arma inexpugnabilia, nempe Crucis Christi imaginem in medio referens, longe magis refulgentem, quam ignis, qui erat circumcirca. Haec ergo terribilis potentia, quae apparuerat ex ipso fastigio monasterii, emittebat gravia tela adversus milites: quae quidem erant ignis fulgura intolerabilia. Quibus cum non solum resistere, sed ne ea quidem contra intueri possent, gladios in terram projecerunt, et ipsi ceciderunt, et voces ad Deum placandum accommodatas, prout unusquisque poterat, emittebat. Quas cum ii, qui erant intus, sensissent, canere coeperunt, et fuerunt ipsi quoque testes miraculi, quod evenerat praeter opinionem. Hoc effecit, ut crudelissimus Ardaburius suorum morum oblivisceretur: et causa fuit, ut praeter sententiam benignus videretur, ira sua in Joannem remissa.

§ **33**. Cum in Ardaburii inciderim mentionem, illius quoque meminero, quemadmodum vir ille divinus futurum quoque ejus vitae exitum praedixerit. Cum se post orationem somno aliquando dedisset, ei apparet visio. Illa autem erat hujusmodi: Pugnabant inter se leo et draco. Sed draco quidem cum esset ingenti magnitudine, cauda leonem verberabat et torquebat: leo vero dolebat quidem, et ad se cauda defendendum excitabatur, et draconem obiens, inaniter depugnabat, et eum nihil laedebat, quousque ipse quidem defessus plagis, humi totus jacebat afflictus et imbecillus. Deinde cum se rursus paululum recreasset, et veluti a quodam somno surrexisset, magno et vehementi impetu in draconem insiliit, eumque pronum in ventrem prostravit. Hoc cum divinus vidisset Marcellus, et accuratissime conjecisset, praedixit haud ita diu post Asparem et Ardaburium esse cum toto genere interituros ab Imperatore. Sed haec quidem postea. Quae autem interim facta sunt, sunt hujusmodi.

§ **34**. Cum multa accidissent inter eum et Imperatorem quae inter se invicem inimicitias alebant et suspiciones, ex utrisque quidem natum est odium: cum autem utrinque magnum a se invicem immineret periculum, neutri vero eorum facilis esset victoria, convertuntur ad communia ineunda foedera, nempe, ut Asparis quidem filius, frater autem Ardaburii, cum duxisset uxorem filiam Imperatoris, Caesar crearetur. Hoc autem qui accepit, est alius, ut dixerit quispiam, Subimperator: est enim ei et aurata purpura, et alia insignia imperii, nisi solum, quod aurea corona non habet omnia signa imperii. Is itaque, accepta hac

dignitate, cum vivente quidem Imperatore erat omnia facturus communiter; eo autem mortuo, ipse primus et solus accepturus imperium, et tamquam debita sibi sceptra sumpturus. Ea res vero non parum conturbabat Ecclesiam, si rursus sit imperium Arianus invasurus. Aspar enim, et ejus filii, et tota domus, Arii insaniam mirandum in modum amplectebatur. Cum itaque essent pleni tumultu, communiter convenerunt, et ducibus Geladio et Marcello venerunt in Hippodromum, ut ab inhonesto et indigno hoc coepto arcerent Imperatorem: qui ipse quidem ad hoc quoque erat prompto et alacri animo, sed cedebat tempori Asparis et Ardaburii. Cum ergo sic paratus esset Christi exercitus, eis quoque Deus ostendit Ducem: et tantum interesse inter Marcellum et alios sacerdotes et Pontifices, quantum inter exercitus Ducem et Imperatorem: atque adeo, si velis, inter militem et Ducem, hoc fuit evidens signum. Nam inter ambulandum, videbant ii qui digni erant ea videre, juvenem quidem staturâ maximum, formâ vero pulcherrimum, et zonâ cinctum aureâ, adspectu quidem tam candidum, ut nivem videretur superare: tam lucidum autem, ut luce coruscaret. Laena vero ei erat et tunica, eaque nive candidiora. Eum ergo videbant a sinistris simul cum magno Marcello ambulantem, veluti quendam satellitem, simul terribilem, et manum veluti supponentem, sustinuisse senem, et cum maxima reverentia non destitisse ei inservire. Cum autem ingressi essent in eum locum, in quo solebat sedere Imperator, erat quidem sic quoque Marcellus omnia iis qui erant Ecclesiae: quinetiam ipse quoque libere loquebatur ad Imperatorem, et illis addebat animum, et quodammodo eos adhortabatur ad certamen pro Christo suscipiendum. Atque illi quidem cum omnia effecissent propter quae venerant, quae quidem erant, ut Asparis filius aut rectam disceret opinionem, aut nec dignitatem Caesaris acciperet (haec enim eis pollicitus est Imperator), laetantes exierunt. Ille autem rursus adolescens, et altissimus, et splendidissimus, visus quidem est adhuc adesse et versari cum Marcello. Cum vero eum deduxisset usque ad portas, de caetero evanuit ex oculis. De quo nullus dubitavit ex iis qui aderant, sed evidens fuit omnibus, eum fuisse Dei ministrum, virili habitu indutum, qui missus fuerat, ut esset custos et satelles Marcelli. Sed ab eo quidem fuit habitus in tanto honore. Haud ita multo post acceperunt finem ea, quae is praedixit. Ardaburius enim simul cum patre et fratre, et aliis non paucis ex iis qui erant ejusdem sententiae, cum ebibisset ultimam faecem irae Domini, raptus est ab hominibus, leoni draco, Imperatori juste traditus impius *.

§ 35. Unum adhuc restat convenienter meae promissioni: quod ubi adjecero, finem imponam orationi. Lucianus quidam

* Aspar et Ardaburius anno 470 interempti sunt, a Leone, qui postea, ob hanc caedem, nomen *Interfectoris* consecutus est.

Constantis filius, viri qui multum poterat consilio, despectis humanis omnibus, monasterium ingressus, brevi tempore per Marcellum multos eorum, qui consenuerant in exercitatione, longe a tergo reliquit: quem dicunt a nullo unquam esse visum nec irascentem, neque multa loquentem, sed neque ulli praebentem irae occasionem. Is, quando bonus pater Marcellus excedebat, adstans, et plusquam alii lacrymans, rogabat hanc sibi dari gratiam: ea autem erat, ne eum despiceret hic solum, neque sineret eum esse ipsi longo tempore superstitem: neque enim se posse amplius recte vivere: sicut neque navem tuto navigare, quae amisit gubernatorem. Et ille quidem haec: Marcellus vero cum vidit eum magna affectum tristitia: « Esto, inquit, bono animo. Nam cum ego excessero, tu quoque consequeris, et insistes vestigiis ejus, quem desideras. » Cum sic dixisset, paulo post finem accepit, quod dictum fuerat. Nam cum ille decessum aegre ferret, et totos deinceps quinque dies et noctes ad fossam magni Marcelli mansisset, post illum mori, vitam, sine eo autem esse superstitem, mortem acerbam existimans, ad eum in somnis venit magnus Marcellus, conversum ad sepulcrum: et, « Cur, inquit, te afflictas et quereris de tarditate, et non credis? Ego Deum pro te precatus, effeci id quod tibi expedit, et statim ad me venies. » Fuit ita; et tertio post die e vita excedit Lucianus, cum solos octo dies fuisset magno Marcello superstes.

§ **36**. Quam multa Marcelli, quae sunt hujusmodi, alia quidem majora, alia autem non omnino inferiora, quot linguae suffecerint ad narrandum, et quot libri ad ea quae scriberentur, suscipienda? Qui cum exercitationem ultra sexaginta annos produxerit, miracula assidue faciebat. Quo non fuit quidem ille in certaminibus fortior? Quo non autem ad certamina utilior? et quo non fuit in eos qui labebantur, mitior, et in praestando officio diligentior? Quis sic defendit eos qui afficiebantur injuria? iis autem, qui injuriam faciebant, omnino non permittens, sed resistens, et eorum voluntati minime assentiens? Sic in tota vita, totam quidem noctem, diei vero plurimum, dabat canticis et precibus, et aliis Dei ministeriis; reliquum autem his tribus dispertiebat. Et primi quidem ad eum accedebant, qui vexabantur cogitationibus: quibus dabat unicuique medicamentum conveniens, ei partim quidem divina Scriptura ea suppeditante: partim autem prudentia ex experientia. Post illos accedebant, qui erant affecti injuria. Cum vero pro eis litteras scripsisset ad praesides, judices, ad illos ipsos qui faciebant injuriam, et si opus erat, etiam ad ipsum Imperatorem (nam illi quoque erat reverendus, et obtemperabat ad id, quod magnus volebat Marcellus), convertebat deinde ad aegrotantes, et omnes obiens, eis exhibebat quae eis erant necessaria ad alimentum, et ad curandum corpus. Sic nihil omnino aberat Marcello, quod aderat iis qui olim laudabantur. Sed erat ei

Prophetarum quidem gratia omnia praevidendi: Patriarcharum autem fides, quae efficiebat, ut fidenti esset animo in omnibus: Mosis quidem mansuetudo, Josue autem zelus, et justa ira adversus eos qui faciunt injuriam: discipulorum vero, Petri quidem ardor: Joannis autem lingua theologica, et quod cum virginitate est verborum tonitru, et Pauli vehemens in dogmate studium, et per terram et mare praedicationis disseminatio. Omnium vero simul, fons miraculorum, et quod ea semper fluerent, non secus ac perennes fluvii.

§ **37**. Hujus vel solum dicere decessum, quam fuerit optandum? Quam multorum reconciliavit inimicitias? Quam multorum composuit controversias? Quam multa bona uno die fecit in extremo spiritu? Quando certe ei carnis dissolvebantur vincula, et ei quem desiderabat, erat appropinquaturus, et primae pulcritudinis primas suscepturus illuminationes: aderant autem multi ex iis qui se in pietate exercebant, et multi monachi, et multi ex iis qui erant consecrati: non pauci vero ex iis qui mundanis opibus et gloria erant insignes. Cum quibus postquam multum est philosophatus et locutus de anima et corpore, et de ea quae est illic vita, et unumquemque est adhortatus, prout conveniebat uniuscujusque aetati et dignitati, et deinde est etiam precatus, et postremo dixit se velle parum dormitare, et eos jussit secedere, sacram illam sic emisit animam *: cujus mundum corpus et venerandum, sanctis manibus compositum, sacrum illud templum suscipit, quod ipse excitavit a fundamentis, et vere sacrum constituit monasterium: ad gloriam Patris, Filii et Spiritus Sancti, nunc et in secula seculorum, Amen.

* Obiit S. Marcellus circa annum 485.

# VITA S. THOMAE

## ARCHIEPISC. CANTUARIENSIS, ET CLARISSIMI MARTYRIS

EDITA A M. EDUARDO EJUS CONTEMPORANEO: QUAM TOTAM, UT AB ILLO CONSCRIPTA EST, HOC LOCO ADSCRIBERE, NIMIA TEMPORIS ANGUSTIA NON PATIEBATUR (VALDE ENIM PROLIXA EST). ITAQUE COACTUS SUM MEO STYLO EAM REDIGERE IN COMPENDIUM: QUOD TAMEN SPERO ABSQUE LECTORIS MAGNO DETRIMENTO ME FECISSE.

**Anno 1170 interfectus — In Anglia natus.**

### PROLOGUS AUCTORIS

SED PER ME CONTRACTUS.

Qui mundi hujus artes et disciplinas profitentur, habent singuli conatus suos, quibus ad altiora contendant, laboresque suos duros et molestos contemplatione fructus et utilitatis inde nasciturae solantur. Et quid non illi molestiarum devorant, quos non labores suscipiunt, quas recusant injurias, modo possint consequi quod venantur? Quid vero est isthuc? *Corona corruptibilis*, sic enim Apostolus vocat. Perit igitur omnis talis et labor, et praemium, quia temporaria sunt. Nobis vero, quibus Christus via est, et merces laborum, vita sempiterna, inter varios mundi casus ut multa opus est vigilantiâ, ita magna sunt ad viriliter perseverandum incitamenta, quae nos accendant ad contemnenda mollioris vitae lenocinia, negligendam malorum hominum aemulationem, dura omnia perferenda, ut felici commercio pro caducis aeterna, pro terrenis coelestia nobis comparemus. Inflammat nos ad haec vita et conversatio Sanctorum. E quibus tamen si forte minus movent prisci illi heroës ob vetustatem temporis, pudeat sane vel hunc nolle imitari, quem licuit intueri. En procedit in medium novus Christi miles, et martyr egregius beatus Thomas, sanctitatis speculum, justitiae norma, incentivum patientiae, virtutis exemplar, invictissimus assertor veritatis. In quo tamen, ne hoc infirmos animos absterreat, non martyrium, non miracula imitanda proponimus, sed vitam martyrio plenam. Is enim inter ea omnia, quae mundus hic admiratur et in pretio habet, tanta fuit animi constantia, ut nec prosperis mollesceret, nec ullis rebus adversis a Christo abstraheretur. Passus exsilium, dignitate et bonis suis omnibus privatus, carorum injuriis, lacrymis et desolatione valde afflictus, excelso animo ea omnia

negligens, in dies Deo devotior et addictior efficiebatur, haudquaquam similis stulto illi, de quo Propheta dicit: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Ps.* 48). Cujus nos vitam, ut partim ab iis accepimus, qui viventi familiarius adhaeserunt, partim ipsi nostris oculis vidimus, piorum adducti precibus, scribendam suscipimus, Lectorem admonentes, ut si qua ab aliis scripta sunt, aut fortassis scribentur, quae cum nostris pugnent, ea noverit esse a vero aliena.

## HISTORIA

§ 1. Ortus est beatus Thomas Londini in Britannia, quam nunc Angliam vocant, eamque urbem, quae Britanniae caput est, suo ortu illustravit. Patrem habuit Gillebertum *, matrem Mathildem, utrumque genere et opibus nulli civium suorum cedentem, morum vero integritate et innocentiâ illis superiorem. Cum mater eum gestaret utero, non semel ei oblatae sunt visiones quaedam de ejus futura sanctitate et dignitate. Quo die in lucem ** editus est, ut ejus propinqui ajunt, e domo ejus paterna ignis egressus, magnam Londini partem inflammavit. Ubi primum per aetatem licuit, prima litterarum elementa discere jussus est. Inde liberalibus admotus disciplinis, multum in illis brevi profecisse fertur. Nec tamen rerum mutatio passa est diu eum haerere in scholis. Parentes enim crebris incendiis et multis casibus adversis afflicti, illi instituendo minorem adhibuere curam. Accessit eo utriusque obitus, qui magnam filio attulit cum orbitate calamitatem. Solebat autem patris hospitio saepe uti Richerius, vir nobilis et opulentus. Illi ergo Thomas se commisit jam adolescens. Erat sane optimis moribus, praeclaro ingenio, jucundo vultu, sed mixta gravitate, sermone gratus, forma eleganti. Delectabatur quidem canibus et avibus, ut solet illa aetas, atque id genus aliis vitae hujus oblectamentis, sed mansit corpus integer, et veri intantum amans, ut aut vix, aut nunquam quiquam joco vel serio dixerit, quod esset cum mendacio conjunctum. Ita ergo per id tempus venatione et aucupiis sese oblectans, pro suo arbitratu modo domi erat cum patre, modo rure apud Richerium, quem diximus: jamque constituerat litterarum studiis nuncium remittere. Accidit interim, ut cum Richerio equitans, videret accipitrem, dum vult anatem rapere, pene mergi in undis. Ejus misertus, ab equo desiliens, in flumen insilit avem extracturus: sed raptus ipse aquarum vi, parum a summo abfuit periculo. Tandem appulso illo ad molendinum, rota stetit immobilis, donec extraheretur ex aquis, Domino illum jam desperatum conservante, ne extingueretur lucerna in Israël, cujus pretiosa morte tanta

* Cui cognomen erat *Becket*.
** In lucem prodiit S. Thomas die 21 decembris, anno 1117.

cernimus beneficia provenisse. Habuit postea illud apud se fere triennio Osbernus quidam, vir insignis et valde dives, ei sanguine junctus, cui ille operam navabat in ejus acceptis et expensis referendis.

§ 2. Jam vero etiam videbatur adspirare ad honores et mundi hujus dignitates: ad quae obtinenda plurimum illi suffragabatur et animi prudentia, et vitae honestas. Singularis enim in eo cernebatur sapientia, et consiliorum maturitas, morumque jucunda gravitas, ut non immerito omnibus et admirationi esset, et carus. Sed didicit tum, quod ipse postea fatebatur, non esse in homine viam ejus. Aliud enim ipse proponebat, aliud divinitus disponebatur. Venit interim ad Cantuariensem * Archiepiscopum Theobaldum, et honorifice ab eo acceptus, ludis et levitate rejecta, inter homines maturos et sapientes versabatur, eorumque sermonibus ad meliora informabatur. Animadversa autem brevi ejus prudentia et perspicacitate, Archiepiscopi consiliis, itemque negotiis tum publicis, tum privatis interesse cogitur. Sensu enim pervigil, consilio providus, in responsis prudens, sermone cautus et moderatus, Archiepiscopo carus et omnibus gratus fuit, ut malevolum se probaret, si quis tot gratiae dona in illo non diligeret. Certe de illo Archiepiscopus testabatur palam, se nullum unquam antea tam fidum rebus suis et integrum comperisse. Sed id vidit hostis, serpens antiquus, et plane invidit, excitavitque ei aemulum, Rogerium scilicet Archidiaconum Cantuariensem, qui quoad Thomas supervixit, tunc quidem conceptum virus in eum quibus potuit modis effudit. Interim autem ut ab aula Archiepiscopi eum excluderet, tum per se, tum per alios illum insectari, modo conviciis, modo scommatibus appetere tentavit, crebro illum per contumeliam vocitans clericum cum ascia, quod erat cognomen illius, qui eum ad Archiepiscopi aedes invitarat. Sed vir prudens ejusmodi injuriis non retardabatur a sedulis Archiepiscopo praestandis officiis et obsequiis. Excessit tum e rebus humanis Wilhelmus venerandae memoriae Eboracensis ** Episcopus, eique opera Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi substitutus est Rogerius iste. Thomas vero factus est *** Cantuariae Archidiaconus, quod illo se neminem fideliorem habiturum sentiret Archiepiscopus Theobaldus, qui etiam obtinuit ei Beverlacensem Praeposituram. Sed vir ingenio liberali, sciens esse melius nomen bonum, quam thesauros plurimos, divitiis suis sic uti studuit, ut illis sibi bonam pararet existimationem. Sed quid moras nectimus, cum ille nullas passus sit ad superiora proficiscens? Neque enim humili loco haerere potuit flamma tam excelsi animi, et quod magis mirandum est, in tanta sublimitate tanta integritas vitae.

§ 3. Itaque Archiepiscopus Theobaldus, volens eum ad altiora

* Anglice, *Canterbury*. ** Anglice, *York*.
*** Anno 1154.

evehere, commendat eum Regi *, commemorat ejus prudentiam, fidem et veritatem. Confestim Rex facit eum suum cancellarium, qui in illo regno est secundus a Rege. Augentur interim honores, praedia, possessiones: pro more sequuntur eum innumeri mancipiorum greges, stipant electi milites, nec minor cancellario quam Regi adest comitatus, ita ut interdum Rex ei objecerit, suum hospitium illum evacuasse. At tamen Regi fidus permansit animo et actione, ad ejus gloriam omnia illa referens. Rex autem tantum ei honoris, amoris et libertatis impendit, quantum nulli alteri unquam impenderit. Quicquid statuisset, sanxisset, mutasset, quod ad Regis dominium pertineret, pro lege habebatur. Sed in his omnibus, licet quidam diversum senserint, sed falso, corpore castus fuit, animo humilis, sed inter humiles: nam inter potentes potentior ipse et sublimior apparebat. Nullus eo disertior, nullus munificentior, nemo prudentior habebatur. Pauperibus incredibili benignitate praebebat res necessarias: sed dona gratiae exteriori pompa ita tegebantur, ut etiam tum, cum esset Archiepiscopus, nemo id eum, nisi pro mundi fastu et ostentatione facere existimaret. Tantam sibi et Regis et totius regni conciliarat gratiam, ut ii soli beati putarentur, qui illi placere potuissent: ut tanto magis praedicanda sit misericordia redemptoris qua mundo illum eripuit, qui tot mundi nexibus videbatur implicatus.

§ 4. Desiit interim esse in humanis ** Theobaldus Archiepiscopus, Rexque sibi persuadens, ad omnia sibi in Episcopatu obsecuturum Thomam, illum curavit Theobaldo subrogandum. Coactum est Londini concilium, electus est in Archiepiscopum Thomas cancellarius, confirmata electio est, nec erat qui non haberet gratam et ratam, praeter Londinensem Episcopum, qui tamen cito repressus est. Inde Thomas introducitur Cantuariam, solemni devotione a Clero populoque excipitur, moreque ecclesiastico consecratur, et in sede collocatur. Postquam autem consecratus est, et omnes ad sua redirent, mox in seipsum reversus, et ad Deum toto corde conversus est: et, quod dictu mirabile est, non citius sacra illa delibutus est unctione, quam animus ejus multiplici Spiritus Sancti gratia est perfusus et inebriatus. Etsi autem non statim habitum, at animum ex toto mutavit: immo non illius haec, sed mutatio dexterae excelsi fuit. Porro ne ex honore inflaretur, postea carnem suam fertur diversis poenitentiae laboribus afflixisse. Amplexus quoque est et habitum et institutum eorum, quos vocant Canonicos regulares, et tum muneri Archiepiscopi, tum illi instituto perfecte satisfecit, cum aegre quisquam possit alterutrum ita, ut par est, exequi. Alia quoque his difficiliora adjunxit. Ut autem sanctitatem suam occultaret,

* Henricus hujus nominis II, qui regnavit ab anno 1154 usque ad annum 1189.
** Obiit anno 1161; Thomas vero Archiepiscopus Cantuariensis anno sequenti electus est.

noluit statim mutare habitum, donec esset in virtute confirmatior. Cum autem mussitarent monachi, quod contra morem in seculari habitu visitaret chorum, quidam ex domesticis ejus ait illi, adstetisse ipsi quendam vultu terribili, et minacibus verbis ita dixisse: « Vade, dic cancellario (Archiepiscopum enim prae indignatione dicere noluit), ut sine cunctatione mutet habitum; alioqui me perpetuo adversarium habiturus. » Id audiens vir venerabilis, amarissime lacrymatus est; coepitque tum quotidie proponere sibi ob oculos onus suscepti honoris et muneris, acriter urgere et exstimulare seipsum ad satisfaciendum officio suo, ad praelucendum subditis suis virtutum et bonorum operis exemplis. Dicebat sibi: « Fuerit ignorantiae et juvenilis animi, quod hactenus viximus remisse; deinceps nullum manet nobis excusationis velamen. » Praevenerat eum Dominus in benedictionibus suis, ita ut terrena omnia contemnens, ad coelestia contenderet, et saevus in seipsum exactor, hostiam vivam, sanctam, Deo placentem sese mactaret et immolaret. Gulam domabat victu tenui, illicitos animi motus, sacrae lectionis et orationis assiduitate comprimebat, naturalis incendii flammas somno breviori et cilicio asperiori coërcebat. Et ut multa praeteream, carnem suam crucifigens cum vitiis et concupiscentiis, totum se intra necessitatis metas continuit, totus mutatus in virum alterum. Quicquid sanctum, quicquid honestum et justum esset, et fecit et docuit: iis contraria prorsus rejecit et propudiavit. Ab ipsa mox ordinatione sua tantus in eo extitit amor et devotio erga Deum, tantus justitiae zelus, ut nulli, quantacumque dignitate is esset, parceret, si quid contra justitiam attentasset. Sed neque Regi ipsi contra summi Regis voluntatem ulla in re obsequi voluit, neque ut id vellet, ullis vel minis, vel blanditiis adduci potuit. Ecquis vero pro dignitate praedicare, immo vel admirari possit divinae misericordiae viscera, in tam subita, tam perfecta mutatione humanae mentis? Quicquid antea mundanum et fluxum senserat venerabilis Christi martyr Thomas, largo lacrymarum imbre diluit, et pii amoris incendio in ara cordis concremavit, graveque sibi bellum indicens, exegit a seipso per poenitentiam, quicquid in se culpae meminerat admisisse: quaeque prius desiderio complexus videbatur, jam opportune importune praedicavit contemnenda. Regis quoque terreni posthabita voluntate et obsequiis, summum sibi Regem conciliare studebat sacris vigiliis, jejuniis, precibus, lectionibus, meditationibus, largissimis eleemosynis. Tot enim pauperibus quotidie victum vestitumque suppeditabat, ut licet innumeri ad eum mendici confluerent, citius tamen deesse viderentur quibus praeberet, quam quibus praebere ipse vellet. Ut autem suppeteret, unde largiri posset, possessiones Ecclesiae conservabat, abalienatas recuperabat, pristinumque Ecclesiae suae jus reformare connitebatur.

§ 5. Inde factum est, ut sacrilegi quidam usurpatores rerum

ecclesiasticarum, adjunctis sibi quibusdam Episcopis, Regem et omnem ejus familiam in eum concitarent, dicentes eum regias consuetudines et donationes velle abolere, et ad praescriptum Canonum clerum populumque moderari. Interim Rex suspicatus ab illo se contemni *, quem tanti ipse fecisset, animi sensim crescente acerbitate, eum a secretis consiliis suis amovit. Satan quoque Episcopos et proceres regni incitabat in eum, virile pectus ejus frangere modis omnibus pertentans. Sed ille sciens beatos eos, qui propter justitiam persecutionem paterentur, exiguum putabat, quicquid mundus et diabolus ob justitiae et veritatis assertionem posset inferre. Itaque Regi quaedam in procerum conventu contra jus fasque exigenti palam restitit. Etsi autem ejus dicendi libertate compressus Rex, tum sileret, at tamen animi indignatione concepta, in quemdam e Clero, quod id putaret in Archiepiscopi contumeliam cedere, quaedam praeter fas moliri coepit: sed eum tuendum Archiepiscopus suscepit Rex iratus, convocat ** Episcopos omnes, iisque, praesente Archiepiscopo et proceribus regni, imperat, ut consuetudines regni, quas sanxisset avus ejus, quasque ipse propositurus esset, confirment. Respondent una voce Episcopi: « Legibus tuis obtemperabimus, sed salva professione ordinis nostri. » Urgebat Rex iratus, ut leges regni servarent et confirmarent, quippe quae essent, ut ipse ajebat, pacis tuendae causa promulgatae. Tum venerabilis Archiepiscopus suspectum habens pacis nomen, constanter respondit Regi, nullius se velle parère legibus, quae cum divinis pugnarent. Idem caeteris dicentibus, conventus ille inimica quadam contentione solutus est. Erat tum Episcopus quidam, cui aliquandiu infensus fuerat Rex. Is, ut Regem sibi conciliaret, loquebatur placentia; docebat, qua via posset Archiepiscopus in ejus pertrahi sententiam: nempe, ut quidam Episcopi ab eo abstraherentur, qui Regis partes foverent. Fecit ita Rex, et tres persuasi Episcopi, Regi adhaeserunt, unde Regis error putatur non parum auctus et confirmatus. Illis postea summus Pontifex *** objecit, quod quasi arietes non habentes cornua, abiissent absque fortitudine ante faciem subsequentis. Illi ergo promiserunt se regias consuetudines servaturos. Promisit quoque Rex, se nihil contra illorum ordinem moliturum. Horum ergo opera adjutus Rex, acrius in Archiepiscopum invectus est. Nam et illi acuerunt linguas suas adversus Christum Domini, et nunc minis, nunc blanditiis pulsabant illud robustum pectus. Respondebat uni ex illis vir sanctus: « Certus esto frustra te conari, ut me in vestram trahas sententiam. Vos videritis, num expediat praestare, quod polliciti estis: ego nulla ratione consentio. »

* Tunc primum Rex in S. Thomam irâ commotus est, cum hic regium sigillum ei remisit: quod, ut Matthaeus Paris testatur, *in cor regis altius ascendit*.

** In Westminster.

*** Alexander scilicet, hujus nominis III (1159-1181).

§ 6. Interea Abbas quidam magnae existimationis e regionibus transmarinis superveniens, attulit litteras, ut ipse dicebat, Pontificis et Cardinalium, hortantium Archiepiscopum, ut Regi consentiret, quandoquidem certos ipsos Rex fecisset, nihil eum contra ordinem ab illo exacturum. Addebat Abbas, ut erat potens in persuadendo, se culpam omnem in se recipere, si quid hac in parte erratum sit ab Archiepiscopo; multaque alia commemorans, non cessavit, donec persuasibilibus humanae sapientiae verbis eo adduxit Archiepiscopum, ut verbo promitteret Regi, se avitas consuetudines * servaturum: nullum suspicans dolum, quod ei fides data esset, nihil amplius ea de re se auditurum. Sed Rex voluit, ut palam idem coram omnibus polliceretur. Tum Archiepiscopus animadvertens isthuc cedere in Ecclesiasticae libertatis injuriam, graviter ingemuit, multumque doluit se Regi assensisse, quippe cujus studium et conatum eo spectare videret, ut Ecclesiae libertas in jus regium redigeretur. Id quod testatum efficient vel sola sex ejus tum oblatae constitutionis capita, quae jam subjungimus, quae sanctus Episcopus in suis litteris damnavit. Sunt autem haec ad verbum descripta, ut in auctore ipso habentur: « Quod non appelletur ad sedem Apostolicam sine licentia Regis. Quod non liceat Archiepiscopo et Episcopo exire de regno, et venire ad vocationem domini Papae sine licentia Regis. Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis: vel terram illius, vel officialium suorum sub interdicto ponere. Quod non liceat Episcopo coërcere aliquem de perjurio, vel laesa fide. Quod clerici trahantur ad secularia judicia. Quod laici, seu Rex, seu alii tractent causas de decimis vel ecclesiis. »

§ 7. Videant jam, qui hodieque calumniantur, sanctum Archiepiscopum nimis pertinaciter restitisse Regi, an justum fuerit ad haec et pleraque id genus alia connivere. Rex vero cernens, illum poenitentia ductum, resilire ab eo, quod dixerat, non ferens seipsum prae ira, minas Clero intentabat, quibus tamen nihil potuit efficere apud Archiepiscopum. At tamen duo Episcopi, qui eum adhuc utcumque sequi videbantur, itemque duo Regis consiliarii praesentissimum illum adire discrimen dictitabant, nisi prospiceret illo die sibi ipsi: misereretur Ecclesiae, et suorum curam gereret. Verum ille nec precibus, nec minis flectebatur, inter medios hostium cuneos festinans ad palmam martyrii. Ecce autem duo Templarii milites magni nominis hortantur eum valde, ut assentiat Regi; ajunt se pro comperto habere, interponuntque fidenter fidem suam, nihil petere Regem, quod Archiepiscopum dedeceat, aut sit contra ordinem. Ajunt se libenter pati, ut plane

* Hae consuetudines, ecclesiasticam libertatem summopere laedentes, quas Henricus II *avitas* appellabat, antea incertae atque indefinitae, in conventu, quem ipse Henricus, anno 1164, apud Clarendon habuit, determinatae fuere atque in sexdecim articulis redactae. Eae porro dictae sunt *Constitutio Clarendonti.*

dispereant ipsi, si ullus malus dolus sit in animo Regis adversus eum: multaque his alia adjiciunt cum lacrymis, quibus ille non parum motus fuit, quod sciret illos esse fidei et veritatis amantes. Credens ergo tantis viris, publice spopondit, se bona fide servaturum leges et consuetudines regni. Rex confestim: « Audistis, inquit, quid promiserit Archiepiscopus. Volo ergo, ut idem praecipiat etiam aliis Episcopis. » Ait ille: « Permitto, » inquit; moxque assensere omnes. Porro autem Rex etiam adjecit, ut avi ipsius Henrici Regis leges recitarentur, et sigillo Archiepiscopi munirentur. Tum demum sentiens Archiepiscopus dolum, quem suspicatus erat, interposita fide, quam debebat Deo: « Isthuc, inquit, haudquaquam fiet, quandiu in hoc vasculo spirabit haec anima. » Advertit plane, quam vanum et commentitium esset, quod dixerant domestici Regis, qui eum ad consentiendum hortati erant, nunquam illas leges in scripta redactum iri, nunquam illarum deinceps mentionem fore, sed Regem, si verbo tantum coram proceribus honoratus esset ab eo, omnino cessurum Archiepiscopi voluntati. Itaque, deprehensa fraude, medullitus contristabatur: nec id quod deceptus fecerat, impune abire volens, ab officio Missae se suspendit, supra modum iratus sibi ipsi. Ajebat vero ad suos: « Scio damnationi obnoxium, quod fecimus, si sana intentio id non excusaret. » Noluit autem Missae facere sacrificium, nisi prius esset a domino Papa absolutus.

§ 8. Quantas autem habuerit lites, quantas a Rege et ministris ejus pertulerit injurias ob Ecclesiasticae libertatis defensionem, silentio praeterimus. Multa tum in Clerum fiebant contra Canonum praescripta. Erant sane per id tempus mores quorumdam e Clerum, valde dissoluti: sed ut illi ad secularia judicia raperentur, et a laicis condemnarentur, id Archiepiscopus ferre non sustinuit. Volebat Rex, ut sacris initiati prius degradarentur, atque ita poenas luerent pro meritis. Contra Archiepiscopus: « Ego, inquit, Dei ministros laicae potestati non exponam; sed si peccent, ego eos sic puniam, ut leges divinae et patrum decreta sanxerunt. » Objiciebat ei Rex coram aliis, quod homicidas, fures et sacrilegos ipse tueretur, cum tamen sub avo ipsius sancti Archiepiscopi et Episcopi permisissent tales puniri secundum regni communes leges. At Archiepiscopus: « Poterat istud, inquit, castigatius a te dici, domine mi Rex. Ego enim homicidas et fures tueri non soleo, sed persequi: verum id nefas dixi, divino cultui mancipatos, laicis legibus, in sanctae matris Ecclesiae contemptum, condemnari. Quod autem dicis avum tuum, vel alium quemlibet in clericorum saeviisse necem, nos quidem subita quadam temeritate semel id factum cognovimus. Sed valde absurdum est, ab illis petere exempla justitiae, qui quicquid suapte voluntate elegissent, pro legibus ducebant. Ego vero, qui divina dispensatione ad id assumptus sum, ut Dei Ecclesiam et Clerum tuear, in ea

voluntate, dum spiritus hos reget artus, permanebo. » Tum Rex valde excandescens: « Comprimam, inquit, Archiepiscopi superbiam, et ob pertinaciam eo illum redigam, unde ad tantum culmen evexi. » Jam pene solus relictus videbatur sanctus vir, Episcopis fere omnibus Regem sequentibus: sed non erat solus, a quo justitia stabat. Alii gladium verbi Dei distringere formidantes, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Improperatum illis fuit a Romano Pontifice, quod majorem homini, quam Deo, reverentiam praestitissent.

§ **9**. Sentiens autem vir sanctus Regis indignationem nulla posse ratione leniri, nec ullum pacis apparere vestigium, statuit ad tempus subducere sese, tum ut Rex vel desolatae Ecclesiae misereretur, tum ut ope et auctoritate summi Pontificis oppresso gregi subveniret. Itaque paucis assumptis intrat navem, itur secundis ventis, sed nautae Regis iram veriti, si illum abducerent, ajunt illi, se non posse hoc vento eo pertingere, quo ipse velit. At ille comiter: « Si etiam venti, inquit, nobis adversantur, Domini voluntas fiat. » Ita mox in Angliam reducitur. Rex ut audivit eum profectum, indoluit, donec didicit reversum. Timuit enim non mediocriter, ne illo ad Pontificem eunte, regnum sub interdicto maneret. Conventus tum ab eo publicus indictus est Norhantumae *: sed ante eum conventum quidam miles e Regis domesticis, et qui multum valeret apud Regem, accusavit Archiepiscopum per calumniam. Mandat Rex, ut Norhantumam veniat Archiepiscopus, et se purget. Excusat se vir sanctus, quod id gravis morbus non sinat. Rex nullam admittit excusationem, putat eum subterfugere judicium. Citatur ergo Archiepiscopus ad tribunal Regis. Advenit vir sanctus, adit Regem, orat submisse, ut pro utriusque salute patiatur ipsum ire ad Pontificem. Iratus Rex, jubet ocyus decerni, qua sit poena mulctandus, quod contempserit venire citatus a Rege. Condemnatur quingentarum librarum. Ingemiscit vir sanctus, videns in loco judicii iniquitatem. Agitur inde de eo, quod miles ei intentarat. At Archiepiscopus magna libertate respondet, eam rem pertinere ad Ecclesiae judicium, nec probare potuisse militem, quod objiciebat. Is miles eodem anno mortuus est cum duobus filiis, quod non esset veritus mittere manum in christum Domini.

§ **10**. Cum hac re nihil proficerent ejus adversarii, aliud tentatum est, ut redderet rationem eorum, quae tum, cum esset cancellarius, custodienda accepisset, et ut ea expendisset: licet jam ante publice pronunciatum esset, ab ejusmodi liberum eum fore. Decubuit vir sanctus ex gravi dolore splenis, et tamen urgebatur quamprimum reddere rationem. Ferebatur tum pro certo, quosdam ex regiis in ejus conspirasse necem, latamque fuisse sententiam, si in curiam venisset, ut aut capite plecteretur, aut in

* Vulgo *Northampton*.

carcerem duceretur. Altero die iturus ad curiam, prius obtulit Missae sacrificium cum multa animi pietate et lacrymis. Deinde stolam accepit in humeros, manu dextra tenebat crucem : quam quidem Episcopi duo, ut deponeret a manibus, hortabantur, sed non assensit. Objiciebant illi, quod gladium ferret adversus Regem. At ille : « Crux, inquit, pacem adfert, non gladium, pacificans quae in coelis et quae in terra sunt, et ego pacem volo, nec crucem depono. » Interim audit a quibusdam, qui Regis consilio interfuerant, ni consulat sibi, eodem die aut caput ipsum amissurum, aut iturum in carcerem. Ille vero pro se intrepidus, anxius pro Ecclesia, ad summum Pontificem provocat. Ea res multos perturbavit et commovit. Episcopus autem Wintoniensis, timens ne in praesens ille vitae discrimen conjiceretur, hortabatur eum, ut Episcopatu se abdicans, Regi illum permitteret. Ille vero : « Non ea, inquit, conditione Episcopatum suscepi, ut eum Regi tradam, sed ut pro illo etiam meipsum impendam. » Tum vero quidam ex Episcopis veriti, ne occideretur, et ea res ad ipsorum omnium et totius regni dedecus et non mediocrem perturbationem pertineret, a Rege impetrarunt, ut liceret ipsis contra Archiepiscopum appellare Rom. Pontificem: ajebat hac via se illum compressurum. Id autem fiebat, ut e praesenti periculo eum extraherent. Permisit Rex, laetabatur Archiepiscopus, quippe qui nihil magis cuperet, quam audiri. Sed rursus excogitatum est, unde ille vexaretur. Denique maligni quidam id tandem effecerunt, ut lata in eum sententia sit, ut constrictus vinculis, truderetur in carcerem, tamquam proditor communis pacis. Ubi id illi denunciatum est, non stans, ne derogaret dignitati sacerdotii, sed sedens, respondit mirifice, majorem a minoribus non debere judicari ; se illorum non teneri sententia. « Ordo, inquit, confunditur, si pastorem ovis, magistrum discipulus, patrem filius verberet. Non tantum aurum ferro antecellit, quantum sacerdotium regiam potestatem. » Addidit etiam, post interpositam appellationem nolle se audire judicium. Quibusdam dicentibus : « Amplas haereditates a Rege obtines, et in Regis curia non vis judicari? » Ille respondit : « Non est, ait, haereditas, quam teneo: nec a Rege, sed a Deo sunt, cui in eleemosynam data sunt, quae obtineo. » Gravissime deinde praecipiens, ne ea die in ipsum ferrent sententiam, sedemque Apostolicam appellans, nihilominus condemnatus est. Abeuntem illum e concilio, undique conviciis insectantur, clamitant : « Ecce proditor Regis abit ; ecce proditor Regis abit ; » jactantque in illum contorta stramina, et id genus alia. Cumque immanis existeret tumultus, suggestum est Regi, sempiternae illi ignominiae fore, si intra aulam suam sineret Archiepiscopum discerpi. Itaque Rex jussit eum illaesum dimitti.

§ **11**. Tum vir Domini ad monasterium abiens, ex tam numerosa familia sua non nisi sex ministros reperit, caeteris metu

Regis dispersis. Jussit autem multos introduci pauperes, et cum illis cibum sumpsit. Postea jubet sibi lectum parari in oratorio retro altare, tamquam illic tuto quieturus. Profundis autem imminentibus tenebris cum duobus fratribus et famulo fideli ex urbe egressus est, nemine quicquam suspicante de habitu illius propter largissimos imbres, et hyemales tempestates. Pro certo enim didicerat, si in crastinum diem maneret, in carcerem se conjectum iri. Tota vero nocte iter agens, aurora prodeunte Lincolniam venit, ubi mutato et habitu et nomine (nam frater Dearmannus dictus est), alio se contulit, aliquandiu latitans in quodam loco, quem Dominus postea multis miraculis illustravit. Deinde noctibus ambulans, diebus delitescens cum suis, tandem ad portum Sanwicum * pervenit: ubi, in navicula mari transmisso, portum publicum devitans, in arenam se exponi voluit. Festinus autem per arenam ingrediens, humi collapsus est, insolita vestium et calceorum crassitudine praepeditus: et qui paulo ante abundarat multis equis, jam vix habuit jumentum vilissimum, idque conductitium, et absque freno et ephippio, ut in Christi paupertate, et ipse jam pauper factus pro Christo, inciperet gloriari. Ubi ad S. Audomarum ** ventum est, nobilem quemdam Anglum offendit, qui eum agnoscens, hortabatur ut in Angliam rediret; sed recusavit. Illo minas intentante, sanctus Episcopus a comite Flandriae petiit fidem publicam. Sed illo quoque minante, Tarvanensis *** Episcopi auxilio evasit.

§ 12. Postquam autem Rex Angliae comperit eum e regno excessisse, a Rege Franciae **** petiit, ne eum sineret in ditione sua recipi. Rex Franciae primum simulavit se nescire quid legati vellent. Illis vero dicentibus, Archiepiscopum Thomam furtim ex Anglia se subduxisse male sibi conscium, Rex ait: « Novi Thomam Archiepiscopum, scio qua fide, cum esset Cancellarius, Regi Angliae servierit: et ecce haec ei merces refunditur, ut nec cum ipso pacem, nec hic perfugium eum obtinere sinat. Digna plane merces, ut regno suo pulsum, etiam in alieno persequatur. » Legatis autem eum in Archiepiscopum commovere nitentibus, ille ait etiam cum jurejurando: « Si ille mihi ita inserviisset, haudquaquam ingratus essem; et nunc, si scirem ubinam sit, festinus occurrerem venienti. » Orant igitur legati, ut Romano Pontifici, scribat, ne etiam illum circumveniat. Sed illis abeuntibus, Rex scripsit Pontifici, ut eum paterna dilectione complectatur, nec quemquam audiat contra justitiae sectatorem. Rex Angliae ubi cognovit, quid Franciae Rex nunciis suis respondisset, illico misit Episcopos aliquot et viros nobiles ac celebres ad summum Pontificem, ut ii S. Thomam anteverterent. Veniunt illi, et argute satis

* Anglice, *Sandwich*, non longe a Canterbury, celeberrimus olim portus.
** Urbem scilicet, quae nunc *Saint-Omer* nuncupatur.
*** Gallice, *Térouanne*.
**** Ludovicus hujus nominis VII. Is sceptrum tenuit ab anno 1137 usque ad annum 1180.

agunt negotium Regis, persuasum habentes, se pectus illud sapientia plenum sermone composito posse circumvenire. At Pontifex sanctissimus unum ex Episcopis, durius calumniantem S. Thomam, sic compellat: « Frater, ne maledixeris proximo tuo: neque enim ego maledicentem Archiepiscopo auscultare sustineo.» Orant tum legati illi, ut mittat duos in Angliam Cardinales, qui pacem inter Regem et Archiepiscopum componant. At Pontifex in verbis illorum fraudem subodoratus, negat se id facturum. Majorem enim illis Cardinalibus volebant potestatem adjungi, quam aequum videretur. Hoc illi responso accepto, in Angliam redeunt, non exspectato Archiepiscopo Thoma, qui quarto inde die venit Senones *, Pontifici obtulit Regis Angliae chirographum, aitque eam esse causam expulsionis et exsilii sui. In illo enim chirographo habebantur leges, quibus ipse subscribere noluit. Ut autem mihi pro certo relatum est, Archiepiscopatum Pontifici resignans, oravit ut fortiorem atque eruditiorem Anglis daret Archiepiscopum. Eum vero Pontifex complexatur, osculatur, lacrymas jungit lacrymis, gratias agit Deo, quod tam bonum pastorem haberet Anglia, invitumque cogit suam retinere dignitatem et sedem. Satis tum luculenter a sancto viro ostensum est coram Pontifice et Cardinalibus, quam non essent tolerandae leges illae Regis Angliae. Nec tamen deerant quidam ex Cardinalibus, qui causam Regis tuerentur. Ad medium fere diem certatum est, sed tandem ita confutati sunt a sancto viro, ut non haberent, quod porro objici posset. Tum Pontifex jussit Archiepiscopum sibi assistere, cunctis mirantibus prudentiam et constantiam responsionum illius. Addidit Pontifex, ut sit bono animo: se curaturum, ut tanti labores pro dignitate compensentur. Scriptum autem illud et omnes ei assentientes percussit anathemate. Exacto inde mense, misit sanctum virum ad Pontiniacense monasterium, Abbati eum commendans, ut res necessarias ei suppeditaret.

§ **13**. Ut autem percepit Angliae Rex, illum jam in tuto esse, omnes cognatos ejus, nulla neque ordinis, neque aetatis, neque sexus habita ratione **, nudatos facultatibus suis, e toto regno proscripsit, ut illi majorem afferret animi dolorem; ministros autem ejus in vinculis haberi jussit. Archiepiscopatum in suas manus revocatum, commisit alteri, quem sciret jam olim hostili in eum esse animo. Fuit ea cognatorum suorum calamitas sancto martyri perquam acerba, cum videret ex opulentis repente factos plane inopes, nec haberet, unde illorum inopiam sublevaret. Sed tamen non deseruit Deus afflictum propter se et propter justitiam martyrem suum: permovit enim Franciae Regem regnique proceres, ut liberaliter ei suppeditarent, quod et ipsi et omnibus

* Gallice, *Sens*.

** " Omnes homines et foeminas, pueros etiam in cunis vagientes et ad ubera pendentes ", (*Rog. de Hoved.*, pag. 500).

cognatis ejus sufficeret. Verum ille sciens beatos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, totum se ad coelestes capiendas consolationes convertebat; contemplansque Sanctorum exempla, damna rerum labentium magno animo ferebat. Multa interim insolenter in Angliae regno fiebant, et inter alia, licet id Alexander Pontifex vetuisset, Regis filius coronatus est ab Episcopo quodam, cum tamen ea regum unctio jure antiquo Archiepiscopo Cantuariensi servanda esset. Suspensi sunt autem ab officio Episcopi omnes qui illi coronationi irregulariter interfuissent. Erant in Episcopis nonnulli *, qui Ecclesiae libertatem evertere conantes, Regem concitarent in sanctum martyrem, nihil magis, quam pacem formidantes. Scripserunt quoque mordaces litteras sancto viro, quibus ille egregie respondit, inter alia scribens, terrenis potestatibus non esse commissas claves regni coelorum, sed sacerdotio; et post pauca: « Non obliviscamur districtum judicem, ante cujus tribunal constitutos sola nos veritas judicabit. »

§ 14. Et ille quidem dum esset Pontiniaci **, corpus suum multis afflixit modis, sed celabat, quantum potuit alios. Contentus enim oleribus et vilioribus magisque parabilibus cibis, delicatiores sibi subtrahebat, et indigentibus ministrandos curabat. In amnem quoque, qui per monasterii officinas decurrebat, descendens, incredibili se dolore afficiebat, diu in frigidis aquis immoratus. Declaravit id morbus inde secutus. Nam non multo post altera ex genis intumuit, et usque ad interiores fauces computruit, unde fistulae morbus enatus, diu eum cruciavit. Tandem duobus ossibus non sine multo dolore evulsis, sanatus est. Oblata quoque ei fuit visio quaedam terribilis, cum fatigatus multis precibus et genuum curvationibus obdormiisset, quae futuram ejus caedem significaret. Quamobrem magis magisque ille se divinis mancipavit obsequiis, et ad tolerandas injurias omnes animum confirmavit. Porro Angliae Rex moleste ferens Pontiniaci eum degere, scribit ad Abbatem Cisterciensem, cui Pontiniacenses aeque, ut alii ejusdem instituti monachi, parebant, si illum patiatur manere vel Pontiniaci, vel alibi in suo Ordine, se monachos omnes ejus Ordinis vel instituti, qui sint in Angliae regno, ad ipsum transmissurum. Id ubi ex Abbate Cisterciensi rescivit vir sanctus: « Absit, inquit, haec a me transgressio, ut mea causa patiar tot viros virtutis in hanc calamitatem incidere, et tot monasteria in sempiternas redigi solitudines. Reddat vobis pater misericordiarum pro officiis charitatis quae mihi praestitistis. » Deinde scripsit ad Ludovicum Franciae regem, qua arte Angliae Rex e Pontiniaco ipsum ejecisset, indicavitque se jam paratum uti ipsius Regis benevolentia. Ille enim Rex jam ante summopere rogaverat eum, ut apud ipsum

* Sed " qui in inferioribus sunt gradibus constituti, personam vestram summae charitatis tractibus amplexantur, altis, sed in silentio, implorantes suspiriis, ut vota vestra secundentur. " Ita Arnulphus Luxoviensis Ep. ad ipsum S. Thomam scribebat.

** Gall. *Pontigny* apud Auxerre.

maneret, ubicumque sibi visum esset. Sed id tum recusavit, ne Regi Angliae molestiam exhiberet, aut illum injuria affecisse videretur. Ut autem ad Ludovicum regem haec perlata sunt, ocyus properavit Pontiniacum, convocatis fratribus gratias egit, quod tanto colligendo hospite, Franciam honorassent. Cum autem Rex illum secum abduceret, lacrymis eum prosecuti sunt monachi, memores qua mansuetudine et humilitate inter ipsos, et quasi unus ex ipsis, vixisset annis duobus *.

§ **15**. Perductus est autem ad aliud monasterium S. Columbae, propinquum Senonibus, atque illic officiosissime exceptus a ministris Regis, qui eo praemissi fuerant, quatuor illic annis regiis impensis sustentatus est. Licuisset illi hoc spatio apud Episcopos et Archiepiscopos demorari, uti etiam oblatum ei fuit, sed ignem divini amoris, quo totus jam ardebat, in silentio fovere cupiens, vitabat publicum, omne tempus, noctis praesertim, sacris impendens meditationibus, orationibus, compunctioni et lacrymis, quibus multum abundavit. Sed hanc ejus pacem et vidit et invidit virulentus Satan, rursusque commovit Regem adversus eum consiliis impiorum, quibus hanc discordiam potius adscribendam esse, quam Regi, et ipse vir sanctus scripsit, et nos credimus. Conatus est Rex Ludovicum Franciae regem abalienare ab eo. Videbat enim nihil se ei nocere posse, nisi ille consentiret. Instituitur duorum Regum colloquium, tractatur de pace et concordia deinceps servanda: juratur utrinque, neutrum alterius hostem in suo regno toleraturum. Postea aliud voluit rex Angliae cum Ludovico rege habere colloquium: sed cum non sinerent Ludovici regis consiliarii eum illi colloquio adesse, videns Angliae Rex frustra se niti, scribit Ludovico regi, ipsum contra pacta conventa suum et regni sui hostem publicum fovere. Ludovicus rex respondet, nullam Archiepiscopi in iis pactis conventis habitam mentionem.

§ **16**. Sed jam viri sancti conversatio describenda est, qualis ea fuerit in hoc exsilio, ut videat lector, dignam eam fuisse, quae martyrio consummaretur. Nullus eum dies dormientem reperit: raro in lecto cubavit, nisi gravis immineret morbus. Primum ei studium, divinis interesse laudibus, cum summa devotione et reverentia divina mysteria celebrare. Post absolutas preces communes, intra cubiculum suum corde contrito et humiliato vacabat gemitibus, orationi et lacrymis, seipsum quotidie hostiam vivam immolans Deo. Sub prandii horam egressus, cum pauperibus et familia sumebat cibum. A nullo quidem abstinuit cibo, qui esset propositus, ut vitaret hominum laudes: sed ex omnibus sumpsit parcissime. Surgens a mensa, non otio aut fabulis, sed sacra lectione pascebat animam, vel loquebatur de rebus necessariis, et familiares suos instituebat. Nocte cum lectus, ut decebat Archiepiscopum, mundis et pretiosis instratus esset pannis et operimentis,

* S. Thomas e monasterio Pontiniacensi profectus est anno 1166.

putarentque alii eum cubare in illo, in oratorio suo pernoctabat in precibus. Deinde, excitato capellano, quem solum habebat secum in cubiculo, ubi ipse quiescebat, amovebat cilicium a dorso, cogebatque invitum illum flagello caedere usque ad sanguinem, ita ut capellanus corpore nonnunquam delassaretur. Ad lectum autem reverso capellano, unguibus laceravit corpus suum : deinde tertiam noctis partem, ut sensit ille qui his interfuit, flectendis genibus et precibus transegit: cumque jam nimia corporis fatigatio cogeret captare quietem, humi cubans, capiti lapidem supposuit, tantumque molestiae ex veste aspera et copia vermium persensit, ut somnus tenuissimus affligeret potius, quam recrearet. Testis horum et relator fuit venerabilis Robertus Meritonensis, ejus capellanus, qui omnia vel ab eo didicit, vel suis oculis vidit, quae neminem praeter illum scire voluit. Is enim promiserat ei, se nihil horum dicturum ulli homini, donec ipse superesset. Idem testatus est, sanctum virum ab eo die, quo Episcopus ordinatus est, nullum praetermisisse diem, quo non quinquies, vel quater, aut certe ter, die quolibet graviter flagellaretur.

§ 17. Inter haec autem cum aliquando post sacrificium Missae, prostratus coram altari, prae nimio fervore spiritus supra se raptus, solito vigilantius in preces incumberet, Salvator ei apparens visione manifestus: « Thoma, Thoma, inquit, tuo sanguine illustrabis Ecclesiam meam. » At ille: « Quisnam es, Domine? » Et Christus: « Ego, ait, sum frater et Salvator tuus, qui Ecclesiam meam illustrabo sanguine tuo. » Et ille: « Utinam, inquit, ita fiat ut locutus est Dominus meus. » Multum vero conabatur Franciae Rex inter illum et Angliae Regem pacem conciliare, et hac causa crebra inter Reges habita sunt colloquia. Recitabantur etiam illic mandata summi Pontificis: sed Rex Angliae aliquandiu dissimulanter egit. Itaque sanctus Archiepiscopus scripsit ei hunc in modum *: « Desiderio desideravi videre faciem vestram, et loqui vobiscum : multum quidem propter me, sed maxime propter vos. Propter me, ut, visa facie vestra, reduceretis ad memoriam servitia, quae, dum essem in obsequio vestro, exhibui vobis devote, juxta animi mei conscientiam: sic me Deus adjuvet in examine supremo, quando omnes stabunt ante tribunal ipsius, recepturi prout gesserint in corpore, sive bonum, sive malum ; et commoveremini pietate super me, quem oportet mendicando vivere inter alienos: licet tamen Dei gratiam cum abundantia victualia ad sufficientiam habeamus: estque nobis solatio, quod dicit Apostolus: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (2. *Tim.* III); et Propheta: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem* (*Ps.* 36). Propter vos, tribus ex causis, quia dominus meus estis, tum quia Rex, tum quia filius meus spiritualis. Eo quod dominus, debeo et offero vobis consilium

* Surius hoc loco lectores monet se in hac S. Thomae Epistola nihil immutâsse.

meum, quodcumque debet Episcopus, ad honorem Dei et sanctae Ecclesiae, domino. Eo quod Rex, teneor vobis ad reverentiam et commonitionem. Eo quod filius, officii ratione ad castigationem et coërcitionem. Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc asperis, ut vel sic, vel sic provocet eum ad benefaciendum. Nosse debetis, vos Dei gratia esse Regem, primo, quia vosipsum regere debetis, vitamque vestram optimis informare moribus, ut vestro exemplo caeteri provocentur ad melius, juxta illud sapientis: *Componitur orbis Regis ad exemplum*. Secundo, alios demulcendo, alios puniendo potestatis auctoritate, quam ab Ecclesia accepistis, tum sacramento unctionis, tum gladii officio, quem gestatis ad malefactores Ecclesiae conterendos. Inunguntur enim Reges tribus in locis: in capite, in pectore, in brachiis: quod significat gloriam, scientiam et fortitudinem. Qui antiquis temporibus justificationes Dei non observabant, sed praevaricati sunt mandata ejus, iis sublata est gloria, scientia et fortitudo, et eorum generationi, exemplo reprobationis Saulis, Nabuchodonosor, et aliorum quamplurium. Qui post delictum suum humiliaverunt se Domino suo, iis gratia Dei accessit abundantius et perfectius cum omnibus supradictis, sicut David, Ezechiae et aliis quampluribus. Christus fundavit Ecclesiam, eique comparavit libertatem proprio sanguine suo, sustinendo flagella, sputa, clavos, mortis angustias: nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus: unde dicit Apostolus: *Si compatimur, et conregnabimus: si commorimur, et consurgemus* (2. *Tim*. II).

§ **18**. « Ecclesia Dei in duobus consistit ordinibus, in Clero et populo. In Clero sunt Apostoli et Apostolici viri, Episcopi et caeteri rectores Ecclesiae, quibus commissa est cura et regimen ipsius Ecclesiae, qui tractare habent negotia ecclesiastica, ut totum reducant ad salutem animarum. Unde et Petro dictum est, et in Petro aliis Ecclesiae rectoribus, non Regibus et principibus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum (Matth*. XVI). In populo sunt Reges, duces et comites, et aliae potestates, quae secularia habent tractare negotia, ut totum reducant ad pacem et unitatem Ecclesiae. Et quia certum est, Reges potestatem suam ab Ecclesia accipere, non ipsam ab illis, sed a Christo: ut salva pace vestra loquar, non habetis Episcopis praecipere, absolvere aliquem, vel excommunicare, trahere clericos ad secularia judicia, judicare de decimis, de ecclesiis, interdicere Episcopis, ne tractent de transgressione fidei, vel juramenti, et multa quae in hunc modum scripta sunt inter consuetudines vestras, quas dicitis avitas. Dominus enim dicit: *Leges meas custodite* (*Levit*. XIX); et iterum per Prophetam: *Vae qui condunt leges iniquas, et scribentes scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperem in judicio, et vim facerent causae humilium populi mei* (*Isa*. X).

§ **19.** « Audiat itaque dominus meus consilium fidelis sui, si placet, commonitionem Episcopi sui, castigationem patris sui, ut non cum schismaticis aliquam decaetero habeat familiaritatem vel communionem. Notum est fere toti mundo, quam devote, quam honorifice dominum Papam receperitis, quantum Romanam Ecclesiam foveritis et honoraveritis: quantum etiam dominus Papa et Ecclesia Romana personam vestram dilexerint, et honoraverint, et in quibuscumque potuerint secundum Deum, vos exaudierint. Nolite ergo, domine, si salutem animae vestrae desideratis, eidem Ecclesiae, quod suum est, aliqua ratione subtrahere, seu in aliquo justitiae contraire: immo eamdem ei in regno vestro permittatis libertatem, quam in aliis habere dignoscitur. Memorque sitis professionis, quam fecistis, et posuistis scriptam super altare apud Westmonasterium, de servanda Ecclesiae Dei libertate sua, quando consecratus fuistis et inunctus in Regem a praedecessore nostro. Ecclesiam quoque Cantuariae, a qua promotionem et consecrationem accepistis, in eum statum restituatis et dignitatem, in quibus fuit temporibus praedecessorum vestrorum. Possessiones etiam ad ipsam pertinentes, ecclesias, villas, et praedia, quae pro voluntate vestra distribuistis, res omnes ablatas, tam nostras, quam clericorum nostrorum et laicorum, in integrum restituatis. Permittatis etiam nos libere et in pace redire ad sedem nostram, et nos vobis tamquam carissimo domino et Regi fideliter et devote servire parati sumus in quibuscumque poterimus, salvo honore Dei et Ecclesiae Romanae, et ordine nostro. Alioquin pro certo sciatis, quia divinam severitatem et ultionem sentietis. »

§ **20.** Hac perlecta Epistola Archiepiscopi, Rex tum quidem nec abnuere, nec annuere voluit, sed in diem tertium distulit responsum. Tandem in unum convenientibus Rege et Archiepiscopo *, per summum Pontificem et Franciae Regem pax, ut quidem videbatur conciliata est; promisitque Rex se restituturum ablata omnia, et quae Archiepiscopatus esse probarentur: ipsi quoque Archiepiscopo et suis omnibus potestatem fecit in regnum revertendi. Cur autem non statim redierit vir sanctus in Angliam, ipse Pontifici maximo scripsit post reditum suum: quae quidem litterae extant, sed propter temporis angustiam eas quoque coacti sumus omittere. Queritur in iis inter alia, Regem Angliae a pactis conventis resiliisse, quod tamen non tam illi imputandum sentit, quam quibusdam Episcopis, quos totius discordiae incentores vocat: quorum machinis effectum dicit, ut Rex omnes ipsius et suorum redditus post pacem in feriis S. Mariae Magdalenae factam, usque ad S. Martini festum detinuerit, et tum demum domos vacuas et horrea demolita ipsi reddiderit: plures etiam Ecclesiae Cantuariensis possessiones, ut promiserat, minime restituerit. Multa quoque alia commemorat insolenter

* In quodam loco inter *Freteval* et *Ferté-Bernard*, die vigesimasecunda julii, anno 1170.

admissa, cum esset Angliam ingressurus, a quibusdam Episcopis: et nisi decanus Sarisbiriensis impedivisset, quosdam vim ipsi et sociis adferre voluisse. Populum autem dicit ipsius reditu laetatum fuisse, seque in sua Ecclesia a clero et populo cum magna devotione exceptum.

§ 21. Et haec quidem multaque alia iis litteris continentur, e quibus satis constat, non sine periculo eum in Anglia revertisse septimo anno exsilii sui *. Et ille sane tanto ferventius ad futuram properabat vitam, quanto certius cognovit, nihil in hac praesenti praeter tentationes et pericula sibi superesse. Atque etiamsi fortassis pax arrisisset, adeo tamen grave jampridem sibi ipsi bellum indixerat, ut inter mundi delicias posito, asperioris eremi molestia, vel potius martyrium non deesset. Valde autem ei in quadam ad Regis filium suscepta legatione molestus fuit suus Archidiaconus, cui prae caeteris fidere debuisset. Quidam etiam inimici justitiae calumniabantur eum leonina feritate reversum in regnum, ut Regis propositum et instituta dissolveret, cum ex fine satis patuerit, agnina lenitate praeditum, cervicem objecisse percussori. At vir magnanimus ad futurum certamen se praeparans, instabat orationi, sacrae lectioni et praedicationi, largissimisque praestandis eleemosynis. Porro ob quaedam Ecclesiae negotia Regis filium paulo ante Christi natalem adire volens, Londinum profectus est. Necdum autem urbem ingresso denuntiatur Regis nomine, ne ultra procedat, nec ullas Regis vel urbes vel villas ingredi ausus sit. Obstupescenti viro Dei ad tam insperatum Regis mandatum, dictum est, illum rupisse pacis foedera, quae cum Rege pepigisset: jubere Regem, ut ad sedem suam redeat, et injuncto officio diligenter incumbat. Animadvertit vir sanctus, quorsum haec spectarent, tantoque ad omnem Dei exequendam voluntatem factus est alacrior, quanto se sensit propius ad palmam accedere. Quanto autem tum fidei fervore, tum coelestium amore inflammatus redierit, testem tenemus gratiam curationum, quae per illud iter coelitus exhibitae sunt, postquam Martyr ad superos migravit **.

§ 22. Reversus domum, cum summa animi devotione ac puritate celebravit Christi natalem, atque eo ipso die post concionem terribili sententia perculit unum ex regiis ministris propter facinus quoddam, et caesos ministros suos; itemque Randulphum hominem scelestum, totius malitiae incentorem. Tandem adjecit: « A Jesu Christo maledicti sint, et a coetu sanctorum deleatur eorum memoria, quicumque inter me et dominum meum Regem, odium et discordiam seminabunt. » Abierunt tum quidem magni

* S. Thomas in Angliam est reversus hoc ipso anno 1170, et omnis Anglorum multitudo festanter ei occurrit: sed " rarus de numero divitum et honoratorum visitator accedit " (Gerv. Dorob., pag. 615).

** Juxta Regis decretum, " quisquis ei (videlicet *S. Thomae*) vel alicui suorum faciem hilarem praetendebat, publicus hostis censebatur " (*Rog. de Hoved.*, pag. 521).

'iri ad Regem, et sanctum martyrem apud eum detulerunt, ita ıt Rex gravissime commotus *, iteratis vocibus ita dixisse feraur: « Inertes ac miseros homines enutrivi et erexi in regno meo, ꞁui nec fidem servant domino suo, quae a plebejo quodam cle'ico tam probrose patiuntur illudi. » Aderant ibi nobiles quatuor, ;enere conspicui, et e familia Regis. Ii haec verba ex ore Regis 'apientes, secus ea, quam Rex vellet, interpretati sunt; moxque n necem sancti viri conspirarunt; nescienteque Rege, mare celerrime trajecerunt, Rege, ubi id comperit, suspicante mali quippiam illos moliri, mittenteque nuncios, qui eos revocarent: sed illi jam longius antecesserant, quam ut possent revocari. Invito quidem Rege, caesum ab illis fuisse Archiepiscopum, vel inde satis liquet, quod ubi comperit crudelissimum facinus, incredibili dolore et horrore correptus fuit. Voluerat ille vel in carcerem eum conjicere, aut alio modo coërcere, ut a sententia illum deduceret. Sed illi homines nefarii postquam in Angliam venerunt, adjunctis sibi quibusdam ministris Regis, quos Archiepiscopus excommunicarat, et militum satellitumque coacta manu, mentiebantur se jussos a Rege, tollere e medio Archiepiscopum. Itaque die illo, qui sanctorum Innocentum festum sequitur, absoluto jam prandio, sese colligunt adversus virum pium et innocentem, qui jam in interiorem domum secesserat cum domesticis, de negotiis tractaturus. Soli autem quatuor cum uno satellite ingressi sunt, itumque illis obviam est honorifice, tamquam domesticis Regis. Illi jubent dici Archiepiscopo, velle se cum ipso Regis nomine colloqui. Annuit vir sanctus ut introducatur. Introducti diu sedent taciti, et neque salutant, neque appellant Archiepiscopum. Tacet etiam ipse aliquandiu; postea salutat pacifice. Illi pro salutatione reddunt maledicta, adeoque in necem ejus ferebantur praecipites, ut nisi ostiarius clericos, quos vir sanctus exire jusserat, revocasset, hasta quadam, quae illic stabat, illum confodere voluerint, uti postea ipsi confessi sunt.

§ **22**. Intro autem reversis clericis, qui primarius erat in his quatuor viris, ita ait: « Rex, controversiis omnibus consopitis, te ad tuam sedem remisit; tu maleficiis beneficia compensans, eos, quorum operâ filius Regis coronatus est, a suo ministerio suspendisti, ministros Regis anathemate percussisti, ut satis appareat, te filio Regis, modo possis, coronam auferre constituisse. De his utrum coram Rege purgare te velis, edicito. Ea enim causa nos huc missi sumus. » Respondit vir sanctus: « Testis est Deus, nunquam me filio Regis coronam eripere voluisse, cui ego mallem tres alias adjungere cum regnis amplissimis, modo id recte atque ordine fieri possit. Neque vero ego suspendi a ministerio Episcopos,

* „ Rex pileum de capite projecit, balteum discinxit, vestes longius abjecit, strateum sericum, quod erat supra lectum, manu propria removit, et coepit stramineas masticare festucas „ (*Script. Rerum francic.*, tom. XI).

sed dominus Papa id fecit: nec me decet absolvere, ut vos vultis, quos ille ligavit. » Tum illi: « Jubet, inquiunt, Rex, ut cum omnibus tuis e regno excedas. » Contra Archiepiscopus: « Sed me deinceps, ait, Deo propitio, nemo inter Ecclesiam meam et mare conspiciet. Non veni ut fugerem; hic me reperiet, si quis quaesierit. » Illis objicientibus, quod animi furore percitus, ministros Regis ex Ecclesia turpiter ejecisset, vir sanctus cum multo spiritus fervore, illis respondit: « Quisquis ausus fuerit sanctae Romanae sedis instituta, vel Ecclesiae Christi jura violare, nec ultro satisfecerit, non parcam, nec differam ecclesiastica censura coërcere peccantem. » Hac illi viri Dei constantia perculsi, propius accedunt, dicuntque ei: « In capitis tui periculum haec prolocutus es. » At vir sanctus: « Non me, inquit, terrent minae vestrae: nec gladii vestri promptiores sunt ad feriendum, quam ego ad martyrium obeundum. Alium quaerite, qui vos fugiat: me collato pede pro Domino meo proeliaturum comperietis. » Illis cum clamore et contumeliis exeuntibus, vir Dei suos consolabatur, et ut nobis visum est, qui praesentes adfuimus, ita sedebat imperterritus, acsi ad nuptias invitatus esset ab illis.

§ 24. Mox revertuntur illi loricati, accinctique gladiis, et securibus armati. Fores autem clausae erant, nec pulsantibus aperiebatur. Tum illi occultiore via per pomarium ad sepem ligneam divertunt, ferroque et magna vi sibi aditum parant. Eo horribili strepitu ministri et clerici pene omnes territi fugerunt. Hortantibus illis, qui remanserant, ut vir sanctus in ecclesiam se conferret, plane recusavit. Non enim tali casu fugiendum erat, sed dandum potius subditis exemplum, ut mallet quisque feriri gladio, quam videre legis divinae contemptum, et sacrorum canonum eversionem. Instabant vero monachi, ajebant indecorum esse, a vespertinis laudibus, quae tum celebrabantur, ipsum abesse. Ille vero non cessit, veritus se privatum iri optata martyrii corona, si in templum esset ingressus, cujus reverentia arceri possent a tanto scelere parricidae illi. Sane postquam ab exsilio reversus fuit, sic dixisse fertur, tamquam certus jam se per martyrium hinc emigraturum: « Habetis hic dilectum Deo ac vere martyrem Elphegum; alium quoque vobis sine mora divina miseratio providebit. » Monachi autem cum eum permovere non possent, valde invitum absportarunt in ecclesiam: quam cum ingressi essent, quatuor illi nobiles cursu rapidissimo secuti sunt cum Hugone subdiacono deploratae nequitiae, quem malum clericum appellabant. Volentes autem monachi obserare fores ecclesiae, prohibiti sunt a sancto viro, qui tum praeclare dicebat: « Nos patiendo potius, quam pugnando, ex hoste triumphabimus: neque eo huc venimus, ut repugnemus, sed ut patiamur. » Adsunt mox sacrilegi carnifices, exclamantque furibundi: « Ubi est Thomas Beketh, Regis et regni proditor? » Nemine respondente, majori contentione vociferantur:

« Ubi est Archiepiscopus? » Tum ille plane intrepidus et imperterritus : « Ecce adsum, inquit, non proditor regni, sed sacerdos. Paratus sum pro illo mori, qui me redemit sanguine suo. Absit, ut propter enses vestros aut fugiam, aut a justitia recedam. » At illi : « Absolve, inquiunt, quos excommunicasti et suspendisti a suo officio. » — « Nulla, ait vir sanctus, ab illis exhibita est satisfactio, itaque non absolvam. » Rursus illi : « Nunc igitur morièris, et recipies pro meritis. » — « Ego vero, ait sanctus martyr, pro Domino meo mori paratus sum, ut Ecclesia meo sanguine pacem et libertatem assequatur. Praecipio autem ex parte omnipotentis Dei, ne quemquam ex meis laedatis. » Mox illi, facto impetu, in eum irruunt, conanturque extra fores extrahere, illic eum aut jugulaturi, aut vinctum absportaturi, uti postea confessi sunt. Sed cum difficile posset loco moveri, et unum ex eis acrius insistentem a se removisset, is terribili incensus furore, ensem contra ejus verticem vibravit. Tum vero pius et sanctus vir cernens adesse horam, qua promissam perciperet martyrii coronam, cervicem instar orantis inclinavit, junctisque et sursum erectis manibus, Deo et S. Mariae, beatoque martyri Dionysio suam et Ecclesiae causam commendavit. Vix ea prolocutum, nefandus vir, metuens ne populus eum eriperet ex manibus ipsorum, coronam capitis ejus, vulnere capiti inflicto, tanta vi amputavit, ut pariter secaret et praecideret brachium isthaec referentis, qui solus, cunctis et monachis et clericis prae metu fugientibus, sancto martyri constanter adhaesit, et inter ulnas eum continuit[1], donec altera earum amputata est. Additus inde est alter ictus in sacrum corpus ejus, et ille mansit immotus, nihil se commovens. Tertio percussus, genua flexit, dicens submissa voce : « Pro nomine Jesu et Ecclesiae defensione mori paratus sum. » Tum vero tertius ex illis sacrilegis percussoribus, ita procumbenti grave inflixit vulnus, ut cum sanguine pariter e capite cerebrum in ejus faciem deflueret. Quartus interim abigebat supervenientes, ut caeteri possent in ea horrenda caede liberius versari. Quinto loco accessit is, quem ante diximus, Hugo subdiaconus execrabilis, et posito pede in collum sanctissimi martyris, quod sine horrore dici non potest, cerebrum cum sanguine per pavimentum sparsit, aitque ad illos quatuor : « Abeamus hinc : iste posthac non resurget. »

§ **25**. In his omnibus incredibilem licebat sancti martyris videre constantiam, ut qui neque manum, neque vestem opponeret percussoribus illis, nec ullum vel verbum, vel clamorem ederet, immo ne gemitum quidem, aut aliquam doloris significationem exprimeret, sed caput gladiis ablatum teneret immotum, donec cerebro cum sanguine erumpente, tamquam oraturus, corpus in terram, spiritum in sinum Abrahae deposuit. Caesus est vir pius a cruentissimis illis carnificibus tempore sacro et loco sacro, in ipsa domo Dei, quarto Calendas Januarii anno Christi

sed dominus Papa id fecit: nec me decet absolvere, ut vos vultis, quos ille ligavit. » Tum illi: « Jubet, inquiunt, Rex, ut cum omnibus tuis e regno excedas. » Contra Archiepiscopus: « Sed me deinceps, ait, Deo propitio, nemo inter Ecclesiam meam et mare conspiciet. Non veni ut fugerem; hic me reperiet, si quis quaesierit. » Illis objicientibus, quod animi furore percitus, ministros Regis ex Ecclesia turpiter ejecisset, vir sanctus cum multo spiritus fervore, illis respondit: « Quisquis ausus fuerit sanctae Romanae sedis instituta, vel Ecclesiae Christi jura violare, nec nisi satisfecerit, non parcam, nec differam ecclesiastica censura coercere peccantem. » Hac illi viri Dei constantia perculsi, propius accedunt, dicuntque ei: « In capitis tui periculum haec prolocutus es. » At vir sanctus: « Non me, inquit, terrent minae vestrae: nec gladii vestri promptiores sunt ad feriendum, quam ego ad martyrium obeundum. Alium quaerite, qui vos fugiat: me collato pede pro Domino meo proeliaturum comperietis. » Illis cum clamore et contumeliis exeuntibus, vir Dei suos consolabatur, et ut nobis visum est, qui praesentes adfuimus, ita sedebat imperterritus, acsi ad nuptias invitatus esset ab illis.

§ 24. Mox revertuntur illi loricati, accinctique gladiis, et securibus armati. Fores autem clausae erant, nec pulsantibus aperiebatur. Tum illi occultiore via per pomarium ad sepem ligneam divertunt, ferroque et magna vi sibi aditum parant. Eo horribili strepitu ministri et clerici pene omnes territi fugerunt. Hortantibus illis, qui remanserant, ut vir sanctus in ecclesiam se conferret, plane recusavit. Non enim tali casu fugiendum erat, sed dandum potius subditis exemplum, ut mallet quisque feriri gladio, quam videre legis divinae contemptum, et sacrorum canonum eversionem. Instabant vero monachi, ajebant indecorum esse, a vespertinis laudibus, quae tum celebrabantur, ipsum abesse. Ille vero non cessit, veritus se privatum iri optata martyrii corona, si in templum esset ingressus, cujus reverentia arceri possent a tanto scelere parricidae illi. Sane postquam ab exsilio reversus fuit, sic dixisse fertur, tamquam certus jam se per martyrium hinc emigraturum: « Habetis hic dilectum Deo ac vere martyrem Elphegum; alium quoque vobis sine mora divina miseratio providebit. » Monachi autem cum eum permovere non possent, valde invitum absportarunt in ecclesiam: quam cum ingressi essent, quatuor illi nobiles cursu rapidissimo secuti sunt cum Hugone subdiacono deploratae nequitiae, quem malum clericum appellabant. Volentes autem monachi obserare fores ecclesiae, prohibiti sunt a sancto viro, qui tum praeclare dicebat: « Nos patiendo potius, quam pugnando, ex hoste triumphabimus: neque eo huc venimus, ut repugnemus, sed ut patiamur. » Adsunt mox sacrilegi carnifices, exclamantque furibundi: « Ubi est Thomas Beketh, Regis et regni proditor? » Nemine respondente, majori contentione vociferantur:

Ubi est Archiepiscopus? » Tum ille plane intrepidus et imper-rritus : « Ecce adsum, inquit, non proditor regni, sed sacerdos. aratus sum pro illo mori, qui me redemit sanguine suo. Absit, t propter enses vestros aut fugiam, aut a justitia recedam. » At li: « Absolve, inquiunt, quos excommunicasti et suspendisti a io officio.» — « Nulla, ait vir sanctus, ab illis exhibita est satisfa-io, itaque non absolvam. » Rursus illi : « Nunc igitur morièris, recipies pro meritis.» — « Ego vero, ait sanctus martyr, pro Do-iino meo mori paratus sum, ut Ecclesia meo sanguine pacem t libertatem assequatur. Praecipio autem ex parte omnipotentis 'ei, ne quemquam ex meis laedatis. » Mox illi, facto impetu, in um irruunt, conanturque extra fores extrahere, illic eum aut ju-ulaturi, aut vinctum absportaturi, uti postea confessi sunt. Sed um difficile posset loco moveri, et unum ex eis acrius insisten-m a se removisset, is terribili incensus furore, ensem contra ejus erticem vibravit. Tum vero pius et sanctus vir cernens adesse oram, qua promissam perciperet martyrii coronam, cervicem istar orantis inclinavit, junctisque et sursum erectis manibus, 'eo et S. Mariae, beatoque martyri Dionysio suam et Ecclesiae cau-am commendavit. Vix ea prolocutum, nefandus vir, metuens ne opulus eum eriperet ex manibus ipsorum, coronam capitis ejus, ulnere capiti inflicto, tanta vi amputavit, ut pariter secaret et raecideret brachium isthaec referentis, qui solus, cunctis et mo-iachis et clericis prae metu fugientibus, sancto martyri constan-er adhaesit, et inter ulnas eum continuit[1], donec altera earum mputata est. Additus inde est alter ictus in sacrum corpus ejus, t ille mansit immotus, nihil se commovens. Tertio percussus, ge-ua flexit, dicens submissa voce: « Pro nomine Jesu et Ecclesiae efensione mori paratus sum. » Tum vero tertius ex illis sacrilegis ercussoribus, ita procumbenti grave inflixit vulnus, ut cum san-uine pariter e capite cerebrum in ejus faciem deflueret. Quartus iterim abigebat supervenientes, ut caeteri possent in ea horrenda aede liberius versari. Quinto loco accessit is, quem ante diximus, Iugo subdiaconus execrabilis, et posito pede in collum sanctis-imi martyris, quod sine horrore dici non potest, cerebrum cum anguine per pavimentum sparsit, aitque ad illos quatuor : « Ab-amus hinc: iste posthac non resurget. »

§ **25**. In his omnibus incredibilem licebat sancti martyris 'idere constantiam, ut qui neque manum, neque vestem oppone-'et percussoribus illis, nec ullum vel verbum, vel clamorem e-leret, immo ne gemitum quidem, aut aliquam doloris significa-ionem exprimeret, sed caput gladiis ablatum teneret immotum, lonec cerebro cum sanguine erumpente, tamquam oraturus, cor-pus in terram, spiritum in sinum Abrahae deposuit. Caesus est vir pius a cruentissimis illis carnificibus tempore sacro et loco sacro, in ipsa domo Dei, quarto Calendas Januarii anno Christi

millesimo centesimo septuagesimo *. Caede perpetrata, infelices illi, et caeteris homicidis immaniores, gloriabundi per aedes et officinas Archiepiscopi discurrunt, aurum, argentum, vestes, vasa pretiosa, libros et Ecclesiae chartas atque privilegia, permultaque alia diripiunt. Inde in ejus clericos, clientes et parentes suam exercet tyrannidem publica potestas, diversisque affectos contumeliis, privat facultatibus, ita ut miseri et mendici per ignotas provincias dispersi sint. Nemo vero satis explicare queat, quantus moeror civitatem occuparit, postquam audita est beati viri caedes. Magno sane omnibus horrori fuit tam crudele facinus in ecclesia designatum. Celaverat vir sanctus magno studio, quoad vixit, sanctitatem suam: sed eam non passus est diutius latere omnipotens Deus: sed post fusum sanguinem multis eam miraculis declaravit: verum ea initio occultabantur, tamquam non habitura fidem: donec iis multiplicatis cessit adversariorum impietas, et obstructum est os loquentium iniqua.

§ 26. Postero die martyris corpus mundissimum quidam loturi, ad nudam carnem inveniunt cilicium, quod porrigebatur usque ad genua, eoque admodum stricte femur cinctum erat. Ea res conspecta, largos ex praesentium oculis lacrymarum imbres expressit. Apparebat enim tunc rigor poenitentiae, et vitae asperitas atque sanctitas, quae antea vix paucissimis familiaribus cognita fuerat. Conditum inde est venerandum corpus in crypta admodum honorifice et reverenter. Tanta vero secuta sunt miracula, ut si singulatim scriberentur, infirmi vix sint credituri. Toto vero anno, demptis diebus decem, in ejus ecclesia conticuere laudes divinae et Missarum solemnia. Subito autem et praeter omnium exspectationem, Deo ulciscente fusum sanguinem martyris sui, pax regni perturbata est, excitatae sunt seditiones, et bellum extitit intestinum. Filius incurrit in patrem, et pater in filium, regnumque in seipsum divisum, celerem desolationem minabatur. Nortmannia hostili gladio ferienda tradita est. Anglia contremuit et commota est a facie cladis imminentis. Obsidebant eam hostes undique, et intus vastabant exitiales seditiones, aliis patrem, aliis filium causam justiorem fovere asserentibus. Sed tandem sancti martyris meritis pax reddita est, et ejus adversarii propensiore studio illum venerati sunt defunctum, quam viventem fuerant persecuti.

* " Singula persequi pietas non permittit, quae carnifices immanissimi, Dei timore contempto et tam fidei quam totius humanitatis immemores, commiserant. Non enim suffecit eis sanguine sacerdotis et nece profanare ecclesiam et diem sanctissimum incestare, nisi, coronâ capitis, quam sacri chrismatis unctio Deo dicaverat, amputatâ, quod etiam dictu horribile est, funestis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum, et per pavimentum cum cruore et ossibus crudelissime spargerent, immaniores Christi crucifixoribus, qui ejus crura quem obiisse viderant, sicut adhuc viventium, non censuerant esse frangenda. Sed in his omnibus cruciatibus invicti animi et admirandae constantiae martyr nec verbum protulit, nec clamorem emisit, nec edidit gemitum, nec brachium aut vestem opposuit ferienti; sed caput inclinatum, quod gladiis exposuerat, virtute admiranda donec consummaretur, tenebat immobile, et tandem in terram pròcidens recto corpore, nec pedem movit aut manum " (Ex *Epistola* Joannis Sarisbur., anno 1171).

§ 27. Denique Rex ipse, cum per visionem significatum esset, ıulla alia via sperandam esse pacem, nisi conciliato martyre, orde contrito et humiliato ad monumentum beati martyris, veiam petiturus, properavit: cumque Cantuariam venisset, ab aede ł. Dunstanni usque ad summum templum, in quo S. Thomas onditus est, nudis pedibus et communi veste lacrymabundus ngrediebatur, non viarum asperitate, non pedum teneritudine etardatus. Ubi ad ecclesiae fores venit, procidit et adoravit; porro ngressus, locum illum, in quo vir beatus occisus est, lacrymis nfudit; deinde, dicta confessione coram Episcopis, cum multo remore ac reverentia accessit ad loculum martyris, atque illic oto prostratus corpore, quos gemitus, quae suspiria ediderit, quos acrymarum profuderit imbres, dici satis non potest. Postea cum ɔalam reum se proclamasset, veniamque precatus esset, quod sanctum virum tam pertinaciter esset persecutus, non tamen ocidi voluisset; restituit in integrum Ecclesiae Cantuariensis jura et lignitates, quae antea habuisset, addiditque e suo triginta librarum redditus, ut sanctum martyrem posset habere propitium. Deinde exteriori veste se nudans, scapulas et caput in tumuli fenestram magna humilitate submisit, ita ut omnes eo spectaculo ad lacrymas permoverentur: primoque ab Episcopis quinquies caesus est; deinde a monachis amplius octoginta, ternos accepit ictus, atque ita solemniter absolutus est. Post haec nuda humo residens, nudis pedibus, ut venerat, atque jejunus totam noctem in precibus exegit. Denique ita se tunc gessit, ut non facile in historiis reperire liceat, quemquam e Christianis principibus humilius atque devotius hoc Rege egisse poenitentiam. Ut vero satis constet, sancti Thomae martyris meritis ab illo regno divinae severitatis animadversionem amotam, eodem die, quo Rex venit Cantuariam, pro suis in martyrem peccatis satisfacturus, Comes Flandriae, qui cum immenso exercitu in Angliam trajicere statuerat, mutata illico sententia, recessit. Altero die Rex Scotiae Angliam vastaturus, in acie comprehensus est: et brevi omnes conticuere hostes, et pacem regni perturbantes, humiliati sunt, rediitque tranquillitas: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula. Amen.

*Epistola Ludovici regis Francorum ad Alexandrum Pontificem.*

§ 28. Domino suo et patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Ludovicus Francorum Rex salutem et debitam reverentiam. Ab humanae pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat: neque creatoris beneficii reminiscitur, qui de sanctae Sedi Apostolicae illata turpitudine non contristatur. Verum specialius est condolendum, et novitatem doloris excitat inauditae novitas

crudelitatis: quoniam in sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillum Christi gladium infixit, et lucernam Cantuariensis Ecclesiae non tam crudeliter, quam turpiter jugulavit. Excitetur ergo exquisitae genus justitiae: denudetur gladius Petri in ultionem Cantuariensis martyris: quia sanguis ejus clamat pro universali Ecclesia, non tam sibi, quam universae Ecclesiae conquerens de vindicta. Ecce ad tumulum agonistae, ut relatum est nobis, revelatur divina in miraculis gloria: et divinitas demonstratur, ubi humatus requiescit, pro cujus nomine certavit. Latores vero praesentium patre orbati, pietati vestrae seriem indicabunt: et testimonio veritatis aurem mitissimam adhibere, et tam de isto negotio, quam de aliis, tamquam nobis credite. Valete.

# VITA S. EBRULPHI CONFESS.

A QUODAM EJUS DISCIPULO, AUT AMICO FAMILIARI CONSCRIPTA,

SED PER LAUR. SURIUM MUTATO STYLO,

ABSQUE HISTORIAE DETRIMENTO, REDACTA IN COMPENDIUM.

**Floruit sec. VI — Gallus.**

§ 1. Ebrulphus * vir nobilis, parentes habuit illustres **. Nutritus est autem in aula Regis Franciae, tantamque prae se tulit modestiam et humilitatem, ut in palatio magnum obtineret locum, quemadmodum ipse nobis exhortationis causa dicere consuevit. Cum autem esset opulentus, et litteris bene eruditus, atque sapientiae studiosus, divino in ipso crescente fervore, libros scripturae divinae coepit evolvere, ut sciret sanctorum patrum res gestas, atque inde disceret, qua ratione posset ipse quoque placere Deo. Ubi autem in sancto Evangelio legit ea verba Salvatoris: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX); itemque illa: *Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (*Matth.* XIX); ille animo compunctus, relictis omnibus, pauperibus ea elargitus est. Uxorem autem suam Christi ancillis commendavit, ut eam coelestibus imbuerent disciplinis. Nec vero contentus reliquisse patriam carosque parentes, et facultates omnes, etiam barba et capite raso, cum tribus religiosis viris celerrime ad erèmum properavit, et inter opaca nemorum, loco, quem Oximensem *** vocant, latitavit. Et quidem Angelo duce,

* Gallice, *Evroul*. ** Natus est anno 517.
*** Vulgo *Ouche*, in Superiore Normannia.

repererunt fontes egregios, quae eis causa fuit Deo uberes gratias agenti, qui nunquam spernit sperantes in se.

§ 2. Coeperunt autem ex virgultis construere sepem, et intra illam tuguriolum, in quo commorarentur. Erat vero locus procul ab hominum habitatione separatus: cumque ad eos venisset vir quidam, miratus est conatum eorum, quod sciret Suevos crebras illic facere irruptiones, et praedas agere: tum quoque locum esse incultum, sed nec opportunum culturae. Quod cum eis objiceret, illi responderunt: « Nos huc, mi frater, accessimus, ut ploremus peccata nostra, fretique auxilio Domini nostri Jesu Christi, non timemus incursus hominum. Tu vero, si sapis, resipisce jam, et ad meliorem frugem te recipe. » Tum ille compunctus corde, domum abiit, et mane revertens, tres eis panes subcinericeos attulit, et favum mellis, junctusque illis, monachus effectus est. Sed cum latère non posset gratia Dei, per illos operans, quidam ad eos crebro veniebant, resque necessarias apportabant, atque illorum sermonibus pie instituti, domum redibant. Permulti autem facti sunt perfectissimi monachi.

§ 3. Accidit interim, ut, pane deficiente, pauper quidam eleemosynam peteret. Jubenti beato Ebrulpho, ut ei daretur eleemosyna, minister respondit: « Non habeo, pater, nisi dimidium panem. » At ille: « Nihil haesites, fili: sed memineris propheticae illius sententiae: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* » (*Psalm.* 40). Datus est igitur panis pauperi, nec diu post adest quidam prae foribus cum jumento, pane, vino et caseo onusto. Atque ab illo die nihil defuit eis, quod esset necessarium. Porro duo saevi latrones alterius provinciae eo adventantes, porcos furari nitebantur; sed interim dum per erèmum cursitant, eos inquirentes, jam defessi, audiunt, signo dato, evocari monachos ad laudes Domino promendas. Itaque tremefacti, relictis porcis, ocyus se conferunt ad virum Dei, confitenturque crimen suum: factique sunt egregii monachi. Postquam autem longe lateque pervagari coepit fama sanctitatis Ebrulphi et monachorum ejus, et quanto studio colerent Deum, homines locupletes et religiosi aliarum regionum, illorum exemplis compuncti petierunt a venerabili patre Ebrulpho, ut ipsorum impensis monasteria exaedificaret. Ille non impiger, sed cupiens augere talenta a Domino ipsi tradita, quindecim monasteria virorum et foeminarum condidit. Deinde ad monasterium suum reversus, cum permultis monachis in Dei servitio permansit immobilis. Domicilium autem ejus nihil a pastorum tugurio differre videbatur. Per ejus circuitum degebant monachi a dextris et sinistris, ita ut utrinque essent cellulae mille quingentae: quas ille crebro invisere solebat, mulo vel asino subvectus.

§ 4. Cumque annos viginti et unum illic habitassent, saeva

pestis locum invasit. Tum vero sanctus vir nequaquam, ut solent mercenarii, fugit, sed fratrum animos confirmabat, hortabaturque eos, ut pararent se venienti judici, qui redditurus est unicuique juxta opera sua. « Videte, inquit, ne sponsus revertens a nuptiis, inveniat vos dormientes, sed vigilantes in operibus bonis. » Cumque grassaretur pestis, unus ex fratribus sublatus est sine communione : dicebatur autem Ausbertus. Ubi autem eum obiisse didicit B. Ebrulphus, sciscitabatur num Eucharistiam percepisset. Ministro ejus id negante, infremuit spiritu, oransque et lacrymans venit ad lectum ejus, aitque ad defunctum : « Eheu frater, cur abiisti sine communione? » Ille tamquam a somno expergefactus, paululum apertis oculis: « Tu es, inquit, domine? » Vir Dei respondit: « Ego sum: sed dic mihi, ubi interim fueris, et quid videris. » Et ille : « Revocasti me, inquit, a labore itineris, quo me cruciabat adversarius. » Et vir sanctus: « Vis, ait, Eucharistiam accipere? » Respondit: « Volo. » Cumque corpus et sanguinem Domini accepisset, rursus pacis somno obdormivit. Alius quidam ex famulis, sacro nativitatis Domini nostri Jesu Christi die, vitâ functus, a sanctissimo patre jussus est ad coemeterium sepeliendus deferri: qui cum, expletis Missarum solemniis, feretro exportaretur, redivivus apparuit; apertisque oculis petivit reduci ad suum monasterium. « Credo, inquiens, virtute nativitatis Jesu Christi ac intervenientibus patris nostri Ebrulphi meritis, vitae spatium mihi prolongatum esse. » Qui a patre perhumaniter exceptus, et pristinae vocationi restitutus, permultos ibidem supervixit annos. Migrarunt tunc ad Dominum septuaginta et octo fratres; ex familia vero innumeri: sed Domino miserante, pestis sopita est. Non cessavit autem beatus Ebrulphus pro animabus illis Dominum nocte ac die deprecari.

§ 5. Solebat vir sanctus, post collectas fratrum in lecto quieturus, clam accire ministrum suum, qui ei legeret quippiam. Summo enim studio tenebatur intelligendi scripturas utriusque Testamenti, ut in eum quoque quadraret illud propheticum: *In lege Domini meditabitur die ac nocte* (*Ps.* 1). Prolixas quotidie Domino preces offerebat, spem suam in illo defigens. Cum sacerdotibus quoque oblationes suas quotidie Domino offerre studebat porro Dominicis diebus sacerdotes coram illo tria faciebant sacrificia. Erat ei vultus praeclarus, canitie fuit venerabilis, charitate plenus, fortis in vigiliis, in abstinentia jucundus et hilaris, in rebus duris patiens, erga peccantes humanus et misericors, corpore castus, sobrius et humilis. Annis singulis ter caput tondebat; nunquam reddidit malum pro malo; prospera et adversa aequo ferebat animo. Si quod ei illatum esset damnum, semper illud erat in ore: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum in secula* (*Job* I). Cum accederent eum, qui inter se discordes essent, optimis sermonibus ita eos demulcebat, ut

concordes recederent. Omnes ad ipsum venientes, nobiles, ignobiles, pauperes et peregrinos jucundo vultu et cum gratiarum actione excipiebat, nec facile sine aliquo quamvis exiguo munusculo a se dimittebat. Multi homines seculares febre correpti, petebant a ministro ejus funiculos, quibus vir beatus se cingeret, aut quippiam ex vestimentis ejus: et quotquot cum fide accipiebant, sanabantur. Quaedam religiosa foemina morbo affecta, per nuncios petiit fimbrias vestimenti ejus. Iis acceptis, cum multis venit ad eum incolumis.

§ 6. Bis in anno pendebat ex voto tributum Domino Deo, puta in Christi Nativitate, et tertio die ante Pascha: quibus diebus centum argenti solidos dabat pauperibus; quod tamen etiam alias pro viribus faciebat. Pauperculus quidam ex alia regione, morbo valde confectus, venit ad eum eleemosynam petiturus. Illum vir Dei conspicatus: « Et quomodo, inquit, frater, tantum potuisti explicare iter exhausto corpore? » Illo dicente, se inopia compulsum id fecisse, ait vir Dei: « Praestat te hic manere, quam alicubi canibus lacerandum offerri. » Mansit igitur, et brevi proficiens, coepit hortum colere: deinde verus factus est monachus. Alius quidam rebus pauper, sed corpore incolumis, contractum se simulavit, ut plus caeteris acciperet a viro Dei. Ubi autem accepit aliquid ab eo, mox febre percussus, intra paucos dies exspiravit.

§ 7. Cum jam vir sanctus octogesimum aetatis annum excessisset, sicut ab ipso didicimus, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo: dicebat enim infidelem esse servum, qui nolit venire in conspectum Domini sui. Incidit autem in morbum gravem, sed corroborante eum Spiritu Sancto, non sensit dolorem, sed jacebat afflictus. Nec vero quicquam esculentum aut poculentum sumere potuit, praeter aquam solam. Paulo post venerunt ad eum quidam viri spectabiles, vinum secum afferentes, unde parum hausit, atque ita sine cibo vixit dies quadraginta septem, nisi quod Christi corpus et sanguinem percipiebat. Et nihilominus tamquam bene satur non cessabat praedicare fratribus verbum Dei. Rogantibus eum fratribus, ut parum cibi caperet, ille respondit: « Quaeso, fratres, ne hujus rei mentio sit: mihi enim fastidium parit. » Ut autem liceat mihi paululum quiescere, foras egredimini. » Deinde vertens se ad parietem, Dominum deprecabatur, mente ad coelestia sublevata. Quas autem preces solebat sanus fundere, eas volebat ab aliis coram se persolvi. Dicentibus vero fratribus: « Cur nos, pater, in alienas tradis manus? Aut quid nos, te decedente, facturi sumus? » Ille respondit sententia memorabili: « Maneat inter vos animorum conjunctio et charitas, nec quisquam vos diripere poterit. Sit in vobis spiritalis dilectio, et quod promisistis Deo, id implere studeatis. Precum vestrarum pensum lubentes persolvite, castitatem sectemini; iracundiam fugite,

invicem vos ad bonum cohortemini, hospites et peregrinos benigno animo excipite propter eum, qui dicturus est: *Hospes fui, et collegistis me* (*Matth.* XXV). »

§ 8. Cumque appropinquaret migrationis ejus tempus, die quintodecimo ante Christi natalem, hora diei tertia, anima ejus excessit e corpore *. Orantibus autem fratribus pro anima ejus cum lacrymis, paulo post revixit, quod quidem illo die ter ita accidit. Deinde diebus octodecim supervivens, in pauperes multa contulit, itemque in monasteria, pro cujusque ratione et conditione. Porro quarto Calendas Januarii, anno duodecimo Childeberti Regis, fratribus valedicens, alacri et angelico vultu, Abrahae sinu receptus, migravit ad Dominum, conditusque honorifice est in ecclesia beati Petri Apostolorum principis, quam ipse extruxerat. Contigit tum miraculum minime reticendum. Diaconus quidam, qui viro sancto carus fuerat ob vitae sanctimoniam et virtutes, cum multis lacrymis dixit: « Cur me, pater, deseruisti? Cur mihi non licuit prius sepeliri, quam tu exires a corpore? » Eadem vero nocte, cum esset postridie sepeliendus beatus Ebrulphus, meritis illius Domino spiritum ille tradidit, et sunt ambo pariter ad sepulcrum deportati. Magna deinde per servum suum Ebrulphum Dominus miracula effecit in laudem et gloriam nominis sui: qui vivit et regnat per infinita secula. Amen.

# MARTYRIUM SANCTAE ANYSIAE

## QUAE EST THESSALONICAE

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE: UT HABETUR V TOMO ALOYSII.

**Passa est anno 303.**

§ 1. Tempore Tyranni Maximiani, puella quaedam nomine Anysia, nobili loco nata Thessalonicae **, alebatur apud divites et fideles parentes, erudita in timore Domini, magis virtutibus quam aetate proficiens. Et primum quidem parentes eam magis dogmatibus pietatis nutrivere, quam lacte. Postquam autem aetatem transiit puellarem, videreturque puellae gravitas et decus majus quam sperassent, eam solidioribus disciplinis erudiebant. Illi vero cum.

* Anno 596.

** Nunc *Saloniki*, urbs Ciceronis exsilio insignis, sed S. Pauli praedicatione, qui ibi non paucos viros et foeminas ad Christum convertit, longe illustrior. Eam Turcae possident, iisdemque emporium est in Europa, post Constantinopolim, maximum. Aliquot scriptores praestantes edidit Thessalonica, inter quos Eustathius, qui in Homerum commentarios conscripsit, hic memorandus est.

ut quae bono esset ingenio praedita, facile apprehenderet, fructus dignos disciplinis actione proferebat: cumque vere coelestes et Angelicos plane haberet spiritus, insignis pulcritudo micabat ex oculis. Magna autem ex parte domi latebat. De juventute vero saepissime conquerebatur, dicens: « O insidiosam aetatem, quae aut laedit, aut laeditur. Pulcra res est senectus. Hei mihi! Longitudo temporis me moestitia afficit, quae tamdiu separat a coelestibus. » Et ut semel dicam, nunquam intermittebat Christum vocare ad suum auxilium, et genua flectens, solum adspergebat lacrymis.

§ 2. Interea autem cum parentes decessissent, accepta haereditate, cogitabat, quomodo uteretur iis, quas habebat, divitiis. Erant vero congesti maximi auri et argenti thesauri, amplae possessiones, multi pecorum greges, servorum et ancillarum multitudo innumerabilis, vestis sumptuosa et magnifica, et ex auro contexta, et serica, mundus aureus, exornatus omni genere gemmarum, magnitudine resplendens et pulcritudine. Haec videns sanctissima Anysia, dicebat: « Quomodo salvae esse poterimus in tantis terrenis copiis? Quomodo caput draconis exuemus? Age, adversus ipsum utar ejus inventione. Ille quotannis se exuens, renovatur; exuamus ergo nos quoque varias divitias. Eae enim divitiae magis puniunt eos, qui illis male utuntur; eos, qui ipsas accumulaverunt, mulctant rabie immedicabili: parcos autem et illiberales suis laqueis et retibus implicant. Agrorum possessio suggerit indignationem, et infidam vectigalium exactionem, proferens trutinas falsas et falsa pondera. Vestes docent se perperam et nequiter gerere, resolvique et diffundi deliciis. Torques et monilia efficiunt, ut cervix superbe erigatur, et ut quae laudibus trahitur, videri desideret. Age, ergo, iis pie utamur, beato Matthaeo parentes. Dominatum in eas obtineamus secundum naturam, priusquam eae dominentur nobis praeter naturam: efficiar vere domina, eas sancte administrans: simul et declinans ea, quae ex eis oriuntur, vitia, et custodiam excogitans tutissimam, in viduarum, orphanorum et mendicorum ventrem tamquam thesaurum eas recondens. Idoneus fidejussor, Dominus universorum, non ad duplum usque solummodo augebit sortem, sed ad centuplum usque cum vita aeterna mihi foenus adjiciet. Pie consummamus; tuto enim recipiemus. Venundatis omnibus, crucem acquiramus; Christum expediti sequamur; ipsam terram statim cum terra relinquamus, coelos cum Angelis habitemus. Fugiamus periculosam vitam, et probris plenam: et desideremus certamen, quod superat rationem. Cum iis, quae non patiuntur interitum, permutemus ea, in quae cadit interitus. Maxime venerandae sunt nuptiae, quae corruptionem nequaquam conciliant; permaneamus integrae; ei qui formavit, purum figmentum conservemus; a reprehensione alienum Christi custodiamus signaculum. Agnoscat Dominus

sigilla virginitatis; clausum inveniat hortum, cum accesserit. Praebeamus fontis fluenta minime perturbata. Nunc cum sunt nundinae, negotiemur. Persecutio et afflictio mihi gloriam concilient. Praesides et supplicia, in paradisi delicias; custodia et flagella in Christi nuptialem thalamum introducant. Non solum sunt virorum coronae, sed etiam mulierum. »

§ 3. Et haec dicens, orabat cum lacrymis: « Domine Jesu Christe, lux vera, fons immortalitatis, radix incorruptionis; qui mysterium virginitatis in utero concepisti; qui matris nomen nulla labe inquinatum custodiisti, bone Domine, praesta ne virginum chorum deseram, ne excludar thalamo, sed me refer in numérum virginum prudentum, et dignare me Domine, ut lampadem ferens, victis, quae inquinari nequeunt, certaminibus glorificer. » Haec cum dixisset sanctissima Anysia, statim omnia venundedit, non tanti quanti erat unumquodque, nec ut solet fieri in contractibus, exquisite examinans: sed hoc solum dicebat emptori: « Est mendicorum et egenorum; da justum pretium, ut simul quoque aliquam tibi afferas mercedem emens, et effectus justus dominus. » Haec autem dicebat, non quod vellet multiplicatum accipere pretium: sed in hoc quoque habens zelum pietatis, et ei qui emebat, mercedem concilians. Non enim tantam curam gerebat venditionis, quantum curabat, ut recte et ex virtute nil possideret. Cumque omnia in aurum redegisset, illa ea per se dabat, non solum praebens, sed alia etiam officia adhibens, in omnem custodiam ingrediens, et quemlibet qui in vinculis erat damnatus, consolans; ejus qui tortus fuerat, vibices infusionibus curans et unctionibus; quemlibet aegrotantem et in lecto decumbentem invisens, et ejus curam gerens; compita et vicos obiens, et iis qui in eis jacebant, manum praebens, dicebat: « Ne deliciae sint mihi divitiae, quae ne aquae quidem gutta dignae habentur in tempore judicii. Non sationis laborem, sed messis divitias, visione apprehendebat. » Et cum ad obolum usque omnia distribuisset, et nihil sibi reliquisset, se in quadam continebat domuncula, quae superius habebat tabulatum, operans manibus, et quo opus habebat, sibi alimentum suppeditans, convenienter sententiae B. Pauli Apostoli, qui dicebat: *Otiosus autem non manducet* (2. *Thess*. III). Christiano vero germanum, et quod impediri non potest, nutrimentum, sit labor suarum manuum. »

§ 4. Haec cum dixisset, precibus deinceps vacabat et orationi, jejunium quasi carnis quodammodo expers producens. Deinde validissimae se assuefaciens exercitationi, dies quidem consumebat in lectionibus, noctem autem in psalmis et precibus; pro lecto, solo; pro veste stragula, storea et sacco utens; brevissimo somno contenta, a phantasia libero et insomniis. Dicebat enim: « Malum est mihi, dormire, cum meus inimicus vigilat. » Plures vero fundebat lacrymas, quam erat potus quem bibebat; et gemitus

ac suspiria erant plura, quam verba. Vincta autem erat tanto Domini desiderio, ut existimaret ipsa dum genu flecteret, et in nudam terram figeret oculos, se pedes tenere Servatoris: et genibus labra admovens, illius genua osculari: et capillos pandens, se pulverem qui inerat, excutere. Horum vero cogitatio ei fontes movebat lacrymarum. Tanto autem studio contendebat ad Christum, ut vellet resolvi, et esse cum Domino. Quoniam autem nolebat se ipsam occidere, et rursus properabat ad coelestia, quid facit? Jejunio corpus paulatim consumebat, multum de vita suffurans abstinentia.

§ 5. Manu autem pectus pulsans, orabat, dicens: « Domine Deus omnipotens, pater unigeniti tui Filii Jesu Christi, Domini et Dei et Servatoris nostri, qui sedes in throno gloriae, cui assistunt mille millia Archangelorum ministrantium, et decies mille millia servientium tuo nutui, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates: quem laudant Cherubim, et glorificant Seraphim, ter sanctum hymnum sine fine dicentes: qui spiritus, qui non obedierunt, in tartari profundum condemnasti; qui draconem qui defecit, alligasti catenis, qui proprio suo reti eum implicasti, qui ejus sedem in terram dejecisti, qui a coelestibus mysteriis eum exterminasti, qui a beata vita eum alienasti, qui insolentem ejus exultationem depressisti et abjecisti, qui de ejus pompa per ignominiam Crucis triumphasti, qui ex impolluto tuo sinu Deum verbum, qui est ante secula, et servator animarum nostrarum, ex Spiritu Sancto et Maria virgine natum, ad nos misisti; qui id quod errabat, per ipsum convertisti; et quod erat imbecillum, confirmasti; et quod contritum, curasti; te invoco ego humilis et peccatrix ancilla tua ex toto corde meo, qui novisti quae erant in corde uniuscujusque; qui ignem, qui jactus erat in mundum ab unigenito tuo filio, et in corde meo accendisti; qui fidei, quae in me est, scintillam in lampadem ejus, quae est erga te, dilectionis mutasti, adsis mihi indignae, et serva me, quoniam te desidero, et te quaero, et te sequor totis meis viribus. Domine, suscipe precationem meam, quam offero tibi corde contrito et spiritu humili, propter quam, o Domine Jesu Christe, fuisti in crucem actus, propter quam colaphis caesus, propter quam acetum et fel bibisti, et tertio die surrexisti, et in coelos ascendisti, et sedisti a dextris Patris: ne me dedecore affeceris, ne me a tuarum ancillarum numero rejeceris, sed dignare me fieri perfectam Christianam, et consummari in signaculo sanctae Crucis tuae, imperti me tua passione, voluntatem tuam in me operans, ut digna reddar, quae appaream ante tuum tribunal. Tu me tuam conserva; confige a timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, sed potius eos aperi, rogo te, et considerabo mirabilia de lege tua. In te projecta sum ab utero matris meae. Tu es Deus meus: pater meus et mater mea dereliquerunt me. Tu suscepisti

me, Domine. Dirige gressus meos, ne dedecore afficiar ancilla tua: sed fac mecum signum in bonum, et imple desiderium meum. Quoniam ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Adjuva me, et non inveniatur macula in ancilla tua. Tibi enim meipsam offero per aram confessionis et humilitatis meae, tamquam in holocaustis arietum et taurorum, nempe eorum, qui prius decertarunt propter nomen tuum: et in denis millibus agnorum pinguium, qui secuti sunt agnum tuum immaculatum: Per quem tibi, et cum quo tibi, cum Spiritu Sancto, gloria et honor et potentia in secula seculorum. Amen. »

§ 6. Postquam autem precata esset, surrexit, et totum corpus suum cruce signavit. Haec videns maculosus draco, non tulit puellae angelicam et coelestem vitam, videns eam jam spiritu in coelis habitantem, et ad passionem martyrii toto animo accensam: sed in eam stridebat dentibus, et ejus cellam movere assidue cogitabat, et ut eam everteret, furebat: sed videns eam signo crucis undique munitam, plagis quae sub obtutum non cadebant, pulsatus, refugiebat, eique torporis et desidiae morbum immittebat. Illa autem intensa et perpetua oratione, perinde ac septa palaestrae, ejus statim infringebat insidias. Rursus vero dicebat veritatis inimicus; « Heu quid mihi accidit infelici? Qui Angelos superis detraxi, et gigantes subjeci, nunc illudor a pueris et puellis. Morte enim tamquam vita laetantes, et per ipsam coronati currentes ad coelos, decaetero mihi fecerunt mundum inhabitabilem. Me consolabatur sanguis martyrum, qui interimebantur: sed fides eorum decertationis, et eorum quae geruntur praedicatio, transmutavit integras civitates et gentes. Templa diruuntur, conticescunt oracula, abolita sunt mysteria, torpescunt mystae, qui prius exultabant: ad meum, ut videtur, exitium Crucem fixerunt. Jam mihi praesagit animus futurum, ut regia mea plane dissolvatur. Nam qui sunt in tormentis hilares, et in sepulcris terribiles, urunt, flagellant, et me undique persequuntur: et quod a me fuerat excogitatum, evasit accessio majoris supplicii. Invèni tamen quid agam. » Protinus ergo tale quid in eam excogitat, existimans se sua invidia ac malignitate, ejus, quae extollebatur, gloriam obscuraturum, ut cum essent viles et abjectae personae, quae eam interimerent, vilem quoque et abjectam videretur efficere ejus decertationem, et quod nec scriptis mandata essent, et carerent forma judiciorum, obliterarentur etiam trophaea encomiorum. Non intelligens malignus, apud Deum magis opus esse bono proposito, quam verbis; atque adeo in eam incitat eos, qui tunc rerum potiebantur.

§ 7. Maximianus itaque, cum magnam occidisset multitudinem, per se quidem interficiendo satiatus, et non secus atque immanes ferae, quae homines devorant, prae carnium multitudine

auseans et caligans, speciem parcentis prae se tulit, dicens idignos esse Christianos, qui occidantur ante oculos Imperaris: « Cur enim praebeam occasionem, ut scriptis mandenir eorum supplicia, et eorum instruam scriptores, qui ea ad erpetuam transmittunt memoriam, et eos qui eodem morbo larant, ad eamdem fidem deducam? Cur non instar pecudum eos ado iis, qui debent occidere, simul et sceleratos diisque inimis exterminans, et efficiens, ut mortis eorum memoria mantur silentio? » Haec cum dixisset, proponit edicta, quae jubeant, ut liceret volenti sine periculo occidere quemlibet Christianum. Occidebantur itaque innumerabiles, et propheticum impleatur elogium, quod dicit: *Propter te morte afficimur toto die: putati sumus tamquam oves occisionis* (*Psal.* 43). Tunc autem ogitatio venit in mentem Anysiae, ut iret ad Dominicum. Id utem erat Angelus, qui eam vocabat ad passionem martyrii.

§ 8. Cumque ingrederetur portam Casandrioticam, excitatus st tumultus in populo. Deinde cum eam vidisset quidam ex satellitibus Imperatoris, et esset ab ejus sauciatus pulcritudine, vel b ipso potius diabolo incitatus, ei factus obviam: « Sta, inquit, t dic, quo vadis. » Illa autem videns ejus insolentiam et immoerationem, et mente agitans tentationem, digito fecit in fronte ignum Crucis. Ille vero plane fera, et quavis fera saevior, non everitus est generosum et decorum silentium: sed se contumeliâ iffectum et despectum arbitratus, cum eam apprehendisset, cum oce aspera eam agrestius interrogabat, quaenam esset, et quo roficisceretur. Agna autem Christi, volens non solitum devitare onspectum, voluit eum brevi responso superare: « Sum Christi ncilla, et vado ad Dominicum. » Ille autem insolens impulsus b eo, qui in ipso habitabat, daemone, dixit: « Sed non sinam e illuc proficisci, sed te adducam ad diis libandum. Solem enim odie colimus; » et simul hoc dicens, velum traxit, volens ejus ultum detegere. Illa autem generose et fortiter resistens, et in jus faciem inspirans, dixit: « Increpabit te Christus Jesus, diabole. » Ille vero illa sufflatione et nomine Christi motus ad iram, quae cohiberi non poterat, stricto quem ferebat gladio, ejus latus eo transadegit. Quae statim cum tremore et palpitatione membrorum in terram cadens, eam sancto sanguine reddidit purpuream. Quotquot autem adstabant, eam circumdantes, primum quidem eam deplorabant, miserti ejus aetatis, et, tale quid posse sibi accidere, cogitantes. Deinde apud se murmurabant, Imperatorem et impium ejus decretum vituperantes. Venerandas autem et sanctas sanctae reliquias, qui harum rerum studio tenebantur, viri pii Christiani, et qui in sanctos zelo erant incitati, cum sustulissent, et justa eis, ut par erat, fecissent, deposuerunt circiter duobus stadiis a porta Casandriotica, a sinistra viae publicae domum oratoriam ei aedificantes.

§ 9. Haec autem sustinuit sancta, imperante Maximiano: ... nos vero regnante in infinita secula Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri cum Sancto Spiritu honor et potentia, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

# MARTYRIUM SS. SABINI EPISC. EXUPERANTII ET MARCELLI DIACONORUM ETC.

### UT IN MARTYROLOGIO BEDAE HABETUR, ITEMQUE ADONIS.

**Passi sunt anno 301 — Itali.**

§ 1. Apud Spoletum passio S. Sabini Episcopi, Exuperantii et Marcelli diaconorum, et Venustiani cum uxore et filiis sub Maximiano Augusto. Qui B. Sabinus cum esset in omnibus divinis instructionibus clarus, et sermone eloquentissimus, tentus est a Praeside Tusciae Venustiano *, cum duobus diaconibus Exuperantio et Marcello, et multis clericis. Cui Venustianus deum suum Jovem, quem habebat in cubiculo ex lapide mire formatum, in vestimentis aureis ad adorandum obtulit. Quem B. Sabinus in manibus acceptum, facta oratione, continuo illisit in pavimentum, et confregit. Quod factum videns Venustianus, cum furore jussit, ut praeciderentur ei manus, et in conspectu ejus Marcellum et Exuperantium eculeo suspendi, ac fustibus macerari, unguibusque radi latera eorum, et ignem supponi. Hoc facto, in confessione Domini spiritum emiserunt. Quorum corpora jussit jactari in fluvium, Sabinum vero Episcopum in carcerem retrudi.

§ 2. Audientes hoc quidam piscator et presbyter, collegerunt corpora Sanctorum, et sepelierunt juxta viam tertio Calendas Januarii. Serena vero Christianissima vidua, curam habens S. Sabini Episcopi, adduxit ad eum in carcerem nepotem suum Priscianum, qui erat caecus. Tum S. Sabinus truncas manus super oculos ejus posuit, et in fide Christi, oratione facta, illuminavit. Videntes autem, qui in custodia erant, miserunt se ad pedes ejus, numero undecim, et baptizati sunt. Quod cum nunciatum esset Venustiano praesidi (indoluerant enim ei oculi, et prae dolore neque cibum, neque potum, neque somnum capere poterat), misit uxorem suam, et duos filios, ut adducerent beatum Sabinum ad

* Baronius in *Annalibus*, ad annum 301, Maximiani Rescriptum ad Venustianum Augustalem Tusciae refert. Ibi haec verba leguntur: " Ideo monemus ut, ubicumque Christiani inventi fuerint superstitionem colentes, aut sacrificare cogantur diis, aut certe poenis, facultatibusque nudi caedem Fisco cum tributis publicis socientur. "

num ejus de carcere. Adductus itaque, prostravit se ad pedes s Venustianus cum fletu, uxorque ejus et filii agentes poeniliam, et rogantes se baptizari. Mox baptizatus ut de pelvi le-is est, nullum dolorem oculorum sensit.

3. Nunciatum est autem hoc Maximiano, qui iratus, prae-it Sabinum damnari, et ipsum Venustianum capite truncari. iiens autem Lucius tribunus, sine auditione beatum Venustia-n cum uxore et filiis necavit in civitate Assisinate; sanctum o Sabinum adduxit in civitatem Spoletum, et tamdiu praecepit di, donec deficeret. Cujus corpus collegit venerabilis Serena, ae jam manus ejus in dolio vitreo cum aromatibus condiderat, infra domum suam posuerat, et sepelivit eum a civitate Spole-ia milliario plus minus uno, septimo Idus Decembris. Festivitas nen ejus, et supra nominatorum martyrum, tertio Calendas iuarii agitur.

ITEM

# DE EODEM S. SABINO INSIGNE MIRACULUM

UT HABETUR IN PAULI DIACONI,

*De gestis Longobardorum, lib. 4, cap. 5.*

Sequenti anno quam Theodebertus Francorum Rex, cum Clo-ario patruele suo bellum gerens, ejus exercitum vehementer flixit: Ariulphus Dux, qui Faroaldo apud Spoletum successerat, oritur. Hic Ariulphus cum bellum contra Romanos in Camerino ssisset, victoriamque patrasset, requirere a suis hominibus epit, quisnam vir ille fuisset quem in proelio quod gesserat, m strenue pugnantem vidisset. Cui cum sui responderent, se lic nullum fortius bellantem, quam Ducem ipsum vidisse, ille it: « Certe multo per omnia me meliorem ibi alium vidi, qui uoties me adversae patris aliquis percutere voluit, me semper uo clypeo protexit. » Cumque Dux ipse prope Spoletum, ubi ba-ilica beati martyris Sabini Episcopi sita est, in qua ejusdem enerabile corpus quiescit, advenisset, interrogavit cujus illa tam mpla domus esset. Responsumque est ei a viris fidelibus, Sabi-ium ibi martyrem quiescere, quem Christiani quoties in bello contra hostes irent, praesidium haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent. Ariulphus vero cum adhuc esset genti-lis, ita respondit: « Et potest fieri ut homo mortuus aliquod viventibus auxilium praestet? » Qui cum hoc dixisset, equo de-siliens, eamdem basilicam conspecturus intravit. Tunc, aliis oran-tibus, ipse picturas ejusdem basilicae mirari coepit. Qui cum

figuram beati martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum juramento affirmavit, talem omnino eum virum qui se in bello protexerat, formam, habitumque habuisse. Tuncque intellectum est, beatum martyrem Sabinum eidem in proelio adjutorium contulisse.

# VITA S. SYLVESTRI * PAPAE ROMANI

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII.

**Obiit anno 335 — Romanus.**

§ 1. Venerandi quidem, et qui Deum viderunt Apostoli, omnem orbem terrae obeuntes, in hominum animis salutarem seminarunt praedicationem, et multos traduxerunt ab errore ad D cognitionem: sed nondum libere et fidenter se gerebat pietas donec insignis Imperator, et vel ipsis aequiparandus Apostolis Constantinus ille Magnus, Dei providentiâ ex agresti olea insereretur in sativam. Qui autem ab infidelitate eum traduxit ad fidem, is jure judicetur esse causa, ut se libere gerat pietas, et omnes fere se submiserint divinae praedicationi. Is est autem divinus Sylvester, cui vel hoc solum suffecerit ad ejus laudes celebrandas. Ei autem est universa vita et laudabilis et Deo grata èt quae iis, qui virum volunt laudare, praebet amplam encomii materiam. Et iis quidem, qui sunt amantes virtutis, laus illius laetitiam adferet et utilitatem. Nam juvabuntur quidem, qui ab illius vita incitati fuerint ad imitationem bonorum illius operum. Convenienter autem ei, quod dicit sapientissimus Salomon, etiam laetabuntur. *Cum laudatur justus,* inquit ille, *laetabuntur multi populi.* Sunt ergo divini hujus patris res narrandae et laudandae pro viribus.

§ 2. Atque quinam quidem fuerint magni illius viri parentes, et a quibus sit in lucem editus, veteri libro de eo tractante, in quem incidimus, non fuit declaratum, qui prisce admodum et simpliciter est compositus. Quocirca ea quoque sunt a nobis praetermissa. Cum autem esset adhuc juvenis, secutus est quemdam Curionem presbyterum, virum et fide rectum, et in rebus divinis eruditum, et vita pium: a quo etiam fuit confirmatus et stabilitus

* Habemus praeclarissimum Sanctum, primumque pacificatae a Constantino Ecclesiae Pontificem, magnis rebus gestis et sanctitate venerandum. Utinam tam vera esset ejus historia ... scriptis ultro citroque agitata, et non ita pridem post multos alios eruditos viros, a Papebr... et Janningo pro non exigua parte, falsi convicta: quae est hodie litteratorum fere omnium ... ptissima opinio. — Ita Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardi Martyrologium, hac die. — Idem Baronius in S. Sylvestri Actis a Metaphraste editis, *nonnulla desiderari*, immo a mendaciis fabulisque ipsa deturpata esse, fatetur. Censet Baronius Acta hujusmodi *additamenta extrinsecus accepisse*.

i divinissimis nostrae fidei decretis, compositique sunt ejus mo-:s, et formatus animus ad institutum virtutis. Cum jam autem iperasset adolescentiam, erat prae caeteris deditus virtuti ho-)italitatis: et quos offendebat Romam ex externa venientes re-one, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter )ponens, et aqua illorum pedes abluens, et ad quiescendum eos i stragulis collocans. Quo factum est, ut Timotheus quidam vir ivinus, qui ex Antiochia Romae peregrinabatur, et sanctum prae-icabat Evangelium, forte ab hoc divino patre hospitio accipe-etur, et eum hospes perfectius imbueret, et institueret in verbo ectae fidei. Non enim timuit, ut reliqui fideles, praeconem sa-ıtaris dogmatis excipere, sed laetus hospitio excepit eum, qui rat aequalis Apostolis: et, si cognitum fuisset eum hoc facere, ro ea re pati, lucrum existimans.

§ 3. Cum autem Timotheus anno uno et paulo amplius Romae ivinam praedicasset praedicationem, et multos ab errore con-ertisset ad pietatem, deinde propterea fuisset comprehensus, t valde punitus, et longo tempore traditus in custodiam, et in lla maceratus, et tandem truncatus capite: beatus Sylvester ne )ost decessum quidem destitit a sua in martyrem affectione: sed nultum posuit studii, ut ejus corpus tolleret. Tyrannorum itaque rudelitatem non extimescens, nec eorum, qui observabant, ne nartyrum corpora mandarentur sepulturae, ullam ducens ratio-iem, profunda nocte vadens, ubi situm erat corpus martyris, nscientibus omnibus id rapuit, et domum tulit. Et tunc quidem ota nocte cum aliis sanctis cecinit hymnos, qui canuntur in se-)ultura. Post haec autem, fideli quadam muliere impensas sup-)editante, sanctissimus Romae Episcopus Milciades *, Timotheo edificavit martyrium **, in quo deposuit illud corpus martyris.

§ 4. Urbis autem Praefectus cum sanctissimum apprehendisset Sylvestrum, ab eo exigebat Timothei facultates, ut qui eum apud se hospitio exciperet: et nisi eas, ei dicebat, dederis, et accedens iis sacrificaveris, tuum corpus consumam omni genere suppli-ciorum, et postremo te subjiciam morti miserabili. Sanctus au-tem mentis oculis Praefecti mortem praevidens, Evangelicum ei dedit responsum: *Hac nocte*, dicens, *animam a te repetunt* (*Luc.* XII): quae autem minatus es, non licebit ad effectum dedu-cere. His urbis Praefectus conturbatus, jubet sanctum ferreis vin-ciri vinculis, et tuto in interiori servari custodia. Et ille quidem fuerat inclusus; Praefectus autem urbis prandens, cum ei piscis fuisset appositus, comedebat: os autem gutturi illius infixum, cum nec arte medicinae posset evelli, nec praestigiis incantato-rum, cum magno dolore velocem ei mortem attulit. Media enim nocte, cum non posset amplius ferre dolorem, exspiravit. Hoc iis

* Melciades, vel, potius, Melchiades pontificatum gessit ab anno 311 usque ad an. 314.
** Templum scilicet, quod Martyri dicatur.

figuram beati martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum juramento affirmavit, talem omnino eum virum qui se in bello protexerat, formam, habitumque habuisse. Tuncque intellectum est, beatum martyrem Sabinum eidem in proelio adjutorium contulisse.

# VITA S. SYLVESTRI * PAPAE ROMANI

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII.

**Obiit anno 335 — Romanus.**

§ 1. Venerandi quidem, et qui Deum viderunt Apostoli, omnem orbem terrae obeuntes, in hominum animis salutarem seminarunt praedicationem, et multos traduxerunt ab errore ad Dei cognitionem : sed nondum libere et fidenter se gerebat pietas, donec insignis Imperator, et vel ipsis aequiparandus Apostolis, Constantinus ille Magnus, Dei providentiâ ex agresti olea insereretur in sativam. Qui autem ab infidelitate eum traduxit ad fidem, is jure judicetur esse causa, ut se libere gerat pietas, et omnes fere se submiserint divinae praedicationi. Is est autem divinus Sylvester, cui vel hoc solum suffecerit ad ejus laudes celebrandas. Ei autem est universa vita et laudabilis et Deo grata et quae iis, qui virum volunt laudare, praebet amplam encomii materiam. Et iis quidem, qui sunt amantes virtutis, laus illius laetitiam adferet et utilitatem. Nam juvabuntur quidem, qui ab illius vita incitati fuerint ad imitationem bonorum illius operum. Convenienter autem ei, quod dicit sapientissimus Salomon, etiam laetabuntur. *Cum laudatur justus,* inquit ille, *laetabuntur multi populi.* Sunt ergo divini hujus patris res narrandae et laudandae pro viribus.

§ 2. Atque quinam quidem fuerint magni illius viri parentes, et a quibus sit in lucem editus, veteri libro de eo tractante, in quem incidimus, non fuit declaratum, qui prisce admodum et simpliciter est compositus. Quocirca ea quoque sunt a nobis praetermissa. Cum autem esset adhuc juvenis, secutus est quemdam Curionem presbyterum, virum et fide rectum, et in rebus divinis eruditum, et vita pium: a quo etiam fuit confirmatus et stabilitus

* Habemus praeclarissimum Sanctum, primumque pacificatae a Constantino Ecclesiae Pontificem, magnis rebus gestis et sanctitate venerandum. Utinam tam vera esset ejus historia, scriptis ultro citroque agitata, et non ita pridem post multos alios eruditos viros, a Papebr[illegible] et Jauningo pro non exigua parte, falsi convicta: quae est hodie litteratorum fere omnium [illegible]ptissima opinio. — Ita Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardi Martyrologium, hac die. — Idem [illegible]ronius in S. Sylvestri Actis a Metaphraste editis, *nonnulla desiderari*, immo a mendaciis fabulis ipsa deturpata esse, fatetur. Censet Baronius Acta hujusmodi *additamenta extrinsecus accepisse*

ıı divinissimis nostrae fidei decretis, compositique sunt ejus mo-
es, et formatus animus ad institutum virtutis. Cum jam autem uperasset adolescentiam, erat prae caeteris deditus virtuti ho-pitalitatis: et quos offendebat Romam ex externa venientes re-ione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter pponens, et aqua illorum pedes abluens, et ad quiescendum eos ı stragulis collocans. Quo factum est, ut Timotheus quidam vir ivinus, qui ex Antiochia Romae peregrinabatur, et sanctum prae-icabat Evangelium, forte ab hoc divino patre hospitio accipe-etur, et eum hospes perfectius imbueret, et institueret in verbo ectae fidei. Non enim timuit, ut reliqui fideles, praeconem sa-utaris dogmatis excipere, sed laetus hospitio excepit eum, qui rat aequalis Apostolis: et, si cognitum fuisset eum hoc facere, ›ro ea re pati, lucrum existimans.

§ 3. Cum autem Timotheus anno uno et paulo amplius Romae ıivinam praedicasset praedicationem, et multos ab errore con-'ertisset ad pietatem, deinde propterea fuisset comprehensus, t valde punitus, et longo tempore traditus in custodiam, et in lla maceratus, et tandem truncatus capite: beatus Sylvester ne ›ost decessum quidem destitit a sua in martyrem affectione: sed nultum posuit studii, ut ejus corpus tolleret. Tyrannorum itaque :rudelitatem non extimescens, nec eorum, qui observabant, ne martyrum corpora mandarentur sepulturae, ullam ducens ratio-ıem, profunda nocte vadens, ubi situm erat corpus martyris, ınscientibus omnibus id rapuit, et domum tulit. Et tunc quidem :ota nocte cum aliis sanctis cecinit hymnos, qui canuntur in se-›ultura. Post haec autem, fideli quadam muliere impensas sup-›editante, sanctissimus Romae Episcopus Milciades *, Timotheo ıedificavit martyrium **, in quo deposuit illud corpus martyris.

§ 4. Urbis autem Praefectus cum sanctissimum apprehendisset Sylvestrum, ab eo exigebat Timothei facultates, ut qui eum apud se hospitio exciperet: et nisi eas, ei dicebat, dederis, et accedens diis sacrificaveris, tuum corpus consumam omni genere suppli-ciorum, et postremo te subjiciam morti miserabili. Sanctus au-tem mentis oculis Praefecti mortem praevidens, Evangelicum ei dedit responsum: *Hac nocte*, dicens, *animam a te repetunt* (*Luc.* XII): quae autem minatus es, non licebit ad effectum dedu-cere. His urbis Praefectus conturbatus, jubet sanctum ferreis vin-ciri vinculis, et tuto in interiori servari custodia. Et ille quidem fuerat inclusus; Praefectus autem urbis prandens, cum ei piscis fuisset appositus, comedebat: os autem gutturi illius infixum, cum nec arte medicinae posset evelli, nec praestigiis incantato-rum, cum magno dolore velocem ei mortem attulit. Media enim nocte, cum non posset amplius ferre dolorem, exspiravit. Hoc iis

* Melciades, vel, potius, Melchiades pontificatum gessit ab anno 311 usque ad an. 314.
** Templum scilicet, quod Martyri dicatur.

quidem, qui simulacra adorabant, timorem attulit; ut Christiani autem bono et confidenti animo essent, effecit; sanctum autem solvit a vinculis; et sic liberatus fuit a custodia. Qui autem Praefecto ministrabant, cum ex eo, quod illi acciderat, sibi timuissent, sancto procidebant supplices, et provoluti ad illius pedes, rogabant ut divina ira ab eis averteretur. Ejus autem virtute sic omnes adducente in admirationem, ille non solum erat venerandus fidelibus, sed etiam ipsis infidelibus.

§ 5. Jam autem tricesimum annum agens aetatis, a sacrosancto Milciade, quem prius diximus tunc fuisse Episcopum Romanae Ecclesiae, ordinatur Diaconus *, et refertur in cleri catalogum: et erat tamquam quaedam fax lucens in tenebris, et multos deducens ad viam pietatis. Oportet autem lumen imponi candelabro, ut sic ejus splendore plures illuminarentur: atque adeo fuit positum, sic divina providente a superis administratione. Nam cum Milciades e vita excessisset, omnium suffragiis sanctissimus Sylvester fuit ** electus Romanorum Episcopus. Is autem dicebat illud munus esse majus, quam ut id posset sustinere, et se excusabat propter juvenilem aetatem. Qui autem ferebant suffragia, quoniam ille non currebat ad magistratum, immo vero eum modis omnibus repellebat, eum magis ei suis mandabant suffragiis; et tandem vicit instans populi constantia, et in Episcopatus sede fuit collocatus, qui eo erat dignus: et vere erat civitas supra montem posita, et lucerna in alto collocata, et lucens omnibus, quibus non fuerat extincta mentis videndi facultas, nec tenebris impietatis erant animae oculi omnino occaecati.

§ 6. Cum autem sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, et praefectus esset pascendis ovibus Domini, sicut Petrus summus Apostolus, cujus etiam sedis, vel potius zeli et ardoris fuit successor, eas ad salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, et Servatoris nostri mandata, et ad aquas poculentas, nempe dogmatum rectitudinem, et quae non participant salsam eorum, qui male sentiunt, qualitatem. Deinde etiam curam gessit boni in Ecclesia ordinis, et cum invenisset clericos mundanis ac secularibus vacantes administrationibus, intentosque mercaturis, emptionibusque et venditionibus, ille primus legem tulit, ut qui sacrati erant, ab iis abstinerent, vacarent autem precibus, eis dictitans id, quod dictum fuerat a vase electionis: *Nemo militans implicatur negotiis, quae ad victum pertinent, ut Duci placeat exercitus* (2. *Tim.* II), et quod dixit David, *Vacate et cognoscite* (*Ps.* 45). Hujus etiam divini patris fuit inventum, ut primus dies hebdomadis, nominaretur Dominicus ***. Cum enim Judaei eum primum vocarent, et

* S. Sylvester, Augustino testante (*contra Petil.*, cap. 16), Marcellini papae presbyter erat.
** Anno 314.
*** Portentosum mendacium! exclamat Baronius in *Annalibus*, sub anno 315. Certum est enim ejusmodi nomen Apostolorum temporibus inventum esse; praetereaque nomina reliquorum sex dierum, ut Feriae dicerentur, jam olim in Ecclesia institutum fuisse.

secundum et tertium eos, qui sequebantur, et deinceps reliquos; sextum autem et septimum, si spectes eam, quae a primo fit, enumerationem, illum quidem nominarent parasceven, eo quod in eo ab eis parabantur, quae erant ad septimum necessaria; quoniam in illo vetitum erat Judaeis operari, septimo autem propter quietem ab operibus, sabbati nomen imposuissent, quoniam in eo cessavit Deus a creatione eorum quae videntur Romani autem vocarent, primum quidem, diem Solis, eos autem qui deinceps consequuntur, Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, ipse beatus Sylvester, dierum nomina, quae a gentilibus erant imposita, abrogavit propter illorum impietatem, quae apud Hebraeos autem erant eorum nomina, ut quae a Mose scripta erant, qui Deum vidit, admisit, solius primi mutato nomine, et eo vocato Dominico, propterea quod in eo a mortuis surrexisset Dominus. Ab eo quoque est constitutum, ne jejunaretur sabbatis *. Nam cum Occidentales jejunarent sabbatis, hoc minime placuit Orientalibus, dicentibus eos, qui sic faciunt, sequi morem Judaicum. Hic autem magnus pater, cum decrevisset ut in uno sabbato jejunarent fideles, in quo Dominus adhuc situs erat in sepulcro, jejunium abrogavit in reliquis. Hinc in eum sunt exortae apud Romanos calumniae, ut qui patrios eorum ritus tolleret.

§ 7. Cum autem congrederetur cum gentilibus, et argueret eos non recte sentire de Deo, cum fabulis crederent, et eos qui non essent, deos putarent, illi signum ab eo petierunt in nomine ejus, qui ab eo praedicabatur. Signum autem tale fuit. Draco maximus habitabat in profunda spelunca juxta montem, qui ab eis nominatus fuerat Tarpejus, in quo etiam collocatum Capitolium. Ei autem draconi quotoquoque mense alimenta ab eis large suppeditabantur: quae quidam praestigiatores cum virginibus incantatricibus assumentes, in illam speluncam per multos gradus descendebant, et in ea execranda peragentes mysteria, in quibus nulla insignis deerat abominatio, illic cibis relictis, revertebantur. Certis autem temporibus draco repente ascendens, foras quidem non egrediebatur: sed jacens in ingressu cavernae, venenato anhelitu corrumpebat aërem, ex quo mors afferebatur vicinis, magis autem imminebat interitus infantibus. Huic ergo beluae, ajebant, si Dei tui invocatione ascensum prohibueris, et si non omnino, at eo certe tempore, te esse veri Dei praedicatorem reputabimus, et ad eum accedemus, et ipsum esse Deum nos quoque confitebimur. Apostolicus autem vir ille eis respondit: « A Deo quidem, qui a me praedicatur, nihil est omnino, quod non possit fieri. Quo circa facillime hanc nostram implebit

* Falsissimum hoc quoque; omnes enim, Summi Pontifices, Majorum traditiones fideliter sectantes, Sabbati jejunium observandum semper curarunt; ipseque Sylvester cum Graecis, qui id abolere nitebantur, acriter contendit.

quidem, qui simulacra adorabant, timo... ...ic quidem abstine- autem bono et confidenti animo essen... et amplectentur im- solvit a vinculis; et sic liberatus fuit ... fecto ministrabant, cum ex eo, quo... . erant Romae fideles. ... sent, sancto procidebant supplice... ...am, et ut rogarent Dom- rogabant ut divina ira ab eis a... ...ericordiam cum servis suis. omnes adducente in admirati... ...salutis, ipse autem ante alios dus fidelibus, sed etiam ipsi ... autem peracto, quod prae-

§ 8. Jam autem tricesir... ...ammus Apostolorum huic sanct- cto Milciade, quem priu... , jubens ut ex Sacerdotibus et D... nae Ecclesiae, ordinat... ..., quos vocabat nominatim, et cum ... gum: et erat tamqua... ...peluncae, et illic Deo incruentum offer- deducens ad viam ...subiret per eos, qui sunt in ipsa, gradus, ... labro, ut sic eju... ...retur draconem, qui dicebatur, et portas hab... fuit positum, ... ut clavem ferret manibus, et nomine Domini J... Nam cum Mil... ...o, ad se portas traheret, et in adaptatos annu... simus Sylve... ...ret; et cum clausisset, diceret: « Haec dicit A... dicebat ill... ...us: Hae portae non aperientur usque ad ves... se excus... ...et horribilem diem judicii. » Atque haec quidem ... fragia, ...ndata fuerant sancto Sylvestro ab Apostolo. Is autem cum ...us fuerat, et cultum peregit, et descendit, et portis cla... suff... ...videntes autem Gentiles eum descendentem in spelunca... pa... ...ctabant fore, ut ipse et qui cum eo erant, statim vorarent... t... ...dracone, aut mortifero interirent anhelitu. Postquam autem ... ...ster et qui cum eo erant ascenderunt illaesi, eos qui spectab... ...cepit admiratio, et fatebantur vim quandam divinam sequi Epi- scopum. Cum itaque ab eo tempore satis transiisset temporis, ... cessasset qui a dracone afferebatur interitus, et illaesa mansis... civitas, multi ex infidelibus, et ipsi qui nuper serviebant dracon... accurrerunt ad sanctum, et fatebantur esse magnum Deum, quem ipse praedicabat, et rogabant ut divinum baptismum assequeren- tur. Quem quidem sunt assecuti, et ab impietate traducti ad pi- tatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis.

§ 9. Cum autem adhuc vigeret error gentilium, et qui impera- bant, errori serviebant, et hominibus quidem dominabantur, sub- jecti vero erant daemonibus, decretum ubique proponerent, ut colerentur simulacra, et eis ab omnibus offerrentur sacrificia, et magnus inter Imperatores et inclytus Constantinus, modo im- perio potitus, et errori adhuc serviens, ipse quoque aeque atque ii, qui eum praecesserant, plane in errore versaretur gentilium, et decreta proposuisset, ut punirentur Christiani, nisi persuade- rentur libamina offerre simulacris, tunc ergo hic quoque magnus pater, cum judicasset non oportere seipsum objicere persecuto- ribus, non quod non posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens persecutoribus, Roma quidem excedit, in montem autem abiens, ibi se abscondit, illic solus cum Deo versans. Qui autem

..tem procurat Dominus, volens sedare tempestatem ..s, qui in ipsum credunt, et efficere ut libere et ..et pietas, malo ulcere ferit Imperatorem a pe-.., et male ei affectum erat universum corpus. incubuit, et floruit lepra per universam neque valuit ars medicorum, nec prae-..ncantatorum. Ejus enim curationis et ..jecerant, et medici indigenae, et qui .. Cum autem ab eis deplorata esset ejus ..ovis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes . curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine ..ue adhuc bulliente et exhalante in ipso lavaretur: si factum esset, fore ut cito curaretur, et e piscina , et sanus exiret.

**10.** Haec cum execrandi illi et scelerati sacerdotes sugges-..ssent Imperatori, per universam missi sunt regionem, qui in-..ntes colligerent, et ferrent in Capitolium. His ablatis, jam dies ..uoque caedis erat praestitutus, et in Capitolium ascensus Impe-..atori. Et illo quidem die abiit Imperator ad locum definitum: . qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum ..utem matres cum Imperatori occurrissent, lugentes et ejulantes, ..omas vellebant, et facies pulsabant, et genas lacerabant ungui-..us, vestesque discerpebant, et ubera ostendebant quibus lacta-..ant infantes, molestisque et miserabilibus vocibus implebant ..rem: erantque iis, qui videbant, argumentum moeroris et tri-..itiae. Quidni enim essent, cum essent matres, quibus nihil est ..agis misericors? Imperator autem cum fletum audiisset et eju-..lum, rogavit eos qui aderant, quaenam esset eorum causa. Post-..iam autem audivit lugentes esse matres infantium qui erant ..erimendi, quorum sanguine erat lavandus, et usurus purga-..ne morborum, quibus detinebatur, tamquam ab ebrietate ad reversus, et mente quieta et tranquilla effectus: « Actionis ..idem, inquit, impietas est evidens et manifesta: incertum est ..tem, an si eventurum, ut polliciti sunt, qui hoc impium facinus ..ggesserunt. Quod si etiam esset manifestum, satius esse duco, . ipse patiar morbis vexatus, quam tot infantium, qui nihil mali ..cerunt, volens caedem faciem, et matrum eorum animis doloris ..ammam accendam, quae nunquam poterit marcescere. » Haec ..m dixisset, reversus est in regiam, et infantes reddi jussit ma-..ibus; statuit autem, ut unicuique eorum praeberentur pecuniae, .. eorum dolori ex aequo respondentem afferret laetitiam, gau-..entibus quod non solum filios recepissent, sed praeter eos etiam ..ccepissent pecuniam *.

§ **11.** Atque Imperator quidem sic evasit scelus; Deus au-..em ei duplicem procuravit salutem, et summos ad eum mittit

* Nem.. non videt hanc narrationem inter commen..ia prorsus rejiciendam esse.

precationem. Ex vobis autem plurimi ne sic quidem abstinebunt ab impietate, sed rursus retinebunt et amplectentur impietatem. »

§ 8. Cum itaque convocasset quotquot erant Romae fideles, et omnibus triduanum praecepisset jejunium, et ut rogarent Dominum, ut admirabilem faceret suam misericordiam cum servis suis, et eis daret materiam et occasionem salutis, ipse autem ante alios precationi vacabat et jejunio. Jam autem peracto, quod praestitutum fuerat, jejunio, Petrus summus Apostolorum huic sanctissimo patri apparet in somnis, jubens ut ex Sacerdotibus et Diaconis ab eo assumerentur ii, quos vocabat nominatim, et cum illis veniret ad ingressum speluncae, et illic Deo incruentum offerret cultum; deinde sic subiret per eos, qui sunt in ipsa, gradus, dicensque ut alloqueretur draconem, qui dicebatur, et portas habebat in ore, praecepit ut clavem ferret manibus, et nomine Domini Jesu Christi invocato, ad se portas traheret, et in adaptatos annulos clavem injiceret; et cum clausisset, diceret: « Haec dicit Apostolus Petrus: Hae portae non aperientur usque ad vesperascentem et horribilem diem judicii. » Atque haec quidem sic noctu mandata fuerant sancto Sylvestro ab Apostolo. Is autem, ut jussus fuerat, et cultum peregit, et descendit, et portis clavem intulit. Videntes autem Gentiles eum descendentem in speluncam, exspectabant fore, ut ipse et qui cum eo erant, statim vorarentur a dracone, aut mortifero interirent anhelitu. Postquam autem Sylvester et qui cum eo erant ascenderunt illaesi, eos qui spectabant cepit admiratio, et fatebantur vim quandam divinam sequi Episcopum. Cum itaque ab eo tempore satis transiisset temporis, et cessasset qui a dracone afferebatur interitus, et illaesa mansisset civitas, multi ex infidelibus, et ipsi qui nuper serviebant draconi, accurrerunt ad sanctum, et fatebantur esse magnum Deum, quem ipse praedicabat, et rogabant ut divinum baptismum assequerentur. Quem quidem sunt assecuti, et ab impietate traducti ad pietatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis.

§ 9. Cum autem adhuc vigeret error gentilium, et qui imperabant, errori serviebant, et hominibus quidem dominabantur, subjecti vero erant daemonibus, decretum ubique proponerent, ut colerentur simulacra, et eis ab omnibus offerrentur sacrificia, et magnus inter Imperatores et inclytus Constantinus, modo imperio potitus, et errori adhuc serviens, ipse quoque aeque atque ii, qui eum praecesserant, plane in errore versaretur gentilium, et decreta proposuisset, ut punirentur Christiani, nisi persuaderentur libamina offerre simulacris, tunc ergo hic quoque magnus pater, cum judicasset non oportere seipsum objicere persecutoribus, non quod non posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens persecutoribus, Roma quidem excedit, in montem autem abiens, ibi se abscondit, illic solus cum Deo versans. Qui autem

ınicuique salutem procurat Dominus, volens sedare tempestatem ı calamitatem iis, qui in ipsum credunt, et efficere ut libere et onfitenter se gereret pietas, malo ulcere ferit Imperatorem a peibus ad caput usque, et male ei affectum erat universum corpus. i enim sacer morbus incubuit, et floruit lepra per universam arnem. Adversus quam neque valuit ars medicorum, nec praetigiae et magicae artes incantatorum. Ejus enim curationis et anitatis spem omnem abjecerant, et medici indigenae, et qui ucti fuerant a Perside. Cum autem ab eis deplorata esset ejus uratio, sacerdotes Jovis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes ore, ut non aliter curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine nfantium, eoque adhuc bulliente et exhalante in ipso lavaretur: ıoc autem si factum esset, fore ut cito curaretur, et e piscina nundus et sanus exiret.

§ **10**. Haec cum execrandi illi et scelerati sacerdotes suggesissent Imperatori, per universam missi sunt regionem, qui inantes colligerent, et ferrent in Capitolium. His ablatis, jam dies uoque caedis erat praestitutus, et in Capitolium ascensus Imperatori. Et illo quidem die abiit Imperator ad locum definitum: t qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum utem matres cum Imperatori occurrissent, lugentes et ejulantes, omas vellebant, et facies pulsabant, et genas lacerabant unguibus, vestesque discerpebant, et ubera ostendebant quibus lactaant infantes, molestisque et miserabilibus vocibus implebant ërem: erantque iis, qui videbant, argumentum moeroris et trititiae. Quidni enim essent, cum essent matres, quibus nihil est nagis misericors? Imperator autem cum fletum audiisset et ejuatum, rogavit eos qui aderant, quaenam esset eorum causa. Postuam autem audivit lugentes esse matres infantium qui erant nterimendi, quorum sanguine erat lavandus, et usurus purgaione morborum, quibus detinebatur, tamquam ab ebrietate ad e reversus, et mente quieta et tranquilla effectus: « Actionis uidem, inquit, impietas est evidens et manifesta: incertum est utem, an si eventurum, ut polliciti sunt, qui hoc impium facinus suggesserunt. Quod si etiam esset manifestum, satius esse duco, ut ipse patiar morbis vexatus, quam tot infantium, qui nihil mali fecerunt, volens caedem faciem, et matrum eorum animis doloris flammam accendam, quae nunquam poterit marcescere. » Haec cum dixisset, reversus est in regiam, et infantes reddi jussit matribus; statuit autem, ut unicuique eorum praeberentur pecuniae, ut eorum dolori ex aequo respondentem afferret laetitiam, gaudentibus quod non solum filios recepissent, sed praeter eos etiam accepissent pecuniam *.

§ **11**. Atque Imperator quidem sic evasit scelus; Deus autem ei duplicem procuravit salutem, et summos ad eum mittit

* Nemo non videt hanc narrationem inter commentitia prorsus rejiciendam esse.

discipulos, qui ei suggererent quae sunt salutaria. Noctu enim dormienti Imperatori visi sunt ei adstare duo viri. Rogati autem, quinam essent, responderunt se esse Petrum et Paulum Apostolos Jesu Christi: missos autem esse ab illo, ut ei viam salutis ostenderent, corporisque et animae salutis consequendae rationem docerent, et vitam darent quae non potest dissolvi, propterea quod ipse vitam quae est ad tempus, dederit infantibus. Si haec ergo vis consequi, accerse Episcopum Sylvestrum, qui in monte propter tui metum delitescit: et si illius monitis parueris, ille tibi ostendet piscinam, quae et carnis purgabit vitia, et animae sordes eluet. Haec cum ei dixissent, recesserunt ab oculis Imperatoris, et simul etiam eum dimisit somnus. Eo autem de somnio cum animo cogitante, et visum admirante, accessit medicus, qui de more ei medicabatur ulcera. Ille autem eum dimisit, dicens se non amplius egere auxilio artificioso. Divinitus enim ad me venit auxilium in somnis, et me divinum somnium adivit. Haec cum dixisset, mittit quamprimum, qui beatum Sylvestrum in monte quaererent, et eum ad ipsum adducerent cum omni reverentia.

§ 12. Postquam autem inventus esset ab iis, qui missi fuerant, et jam esset adductus, eum et lubenter vidit, et ei ivit obviam, et eum est complexus. Deinde: « Adjuro te, inquit, per Crucifixum, quem tu colis, ut dicas mihi, an aliqui apud vos dii colantur, nomine Petrus et Paulus. » Ille autem contra respondit « Unus a nobis Deus cognoscitur, o Imperator, qui creavit coelum et terram, et omnia quae sunt in eis. Quos autem ipse nominasti, non dii, sed Dei sunt ministri, qui ubique Christi nomen annunciarunt, et postremo pro illo sunt mortui, ut quos ambos interemerit Nero propter salutarem praedicationem. » Propter haec laetitiâ affectus Imperator: « Rogo te, inquit, Episcope Sylvester, horum Christi discipulorum ostende mihi effigies, si habeas, ut sciam an ii revera sint illi, qui noctu mihi apparuerunt. » Ille autem statim jussit Diacono, ut summorum Apostolorum afferret imagines, et eas ostenderet Imperatori. Cum in eas autem allatas oculos injecisset Imperator, hos esse exclamavit, et non alios, qui ad eum in somnis accesserunt; et visum narravit Pontifici, rogavit ut ei ostenderet piscinam, quam, qui ei visi sunt, sunt pollitici esse purgaturam et animam et corpus. Magnus autem ille pater: « Non aliter tibi, inquit, o Imperator, licebit illa frui piscina, nisi eum, qui tibi ab iis, qui visi sunt, est praedicatus, verum esse Deum ex animo credideris. » Ille autem: « Nisi, inquit, verum Deum credidissem esse Christum, nequaquam tuam accersivissem sanctitatem. » Ei autem dicit Sanctus: « Oportet ergo te prius jejunare, o Imperator, et Deum placare lacrymis, quaecumque peccasti confitentem. Depone ergo purpuram et diadema septem diebus, et tuae regiae penetrale ingressus, clausis januis.

ı sacco et cinere humi jacens, in luctu age poenitentiam: et jube laudi templa idolorum, et cessare eorum sacrificia; qui sunt in rsilio, et ad metalla damnati, et in carceres conjecti, libera Christianos. Largire relaxationem iis qui sunt in vinculis, et omnius aliis afflictionibus. Sis benignus in eos qui te rogant, et ıstas imple petitiones: iis, quas habes, facultatibus impertire auperes. » Haec ille quidem dixit. Ipse autem affirmavit se omnia npleturum.

§ 13. Cum autem imposuisset Sanctus manum capiti Imperatoris, t preces deinde dixisset, et eum fecisset catechumenum, recessit; t cum accersiisset quicquid erat sacri ordinis, et ex populo eos, qui Christum confitebatur, praecepit omnibus jejunium et preces. um ii autem unanimes ejus jussui paruissent, fusae sunt comnunes et intensae preces ad Dominum, ut Ecclesiis cesset perecutio, et pax eis concilietur, et tandem finis imponatur daemoıum libaminibus, et iis, qui per ipsos errant, illucescat lux saluaris. Cum jam autem advenisset dies septimus, divinus Sylvester enit ad magnum Constantinum: et cum eum catechesi instituisset, et in sanctae Trinitatis mysterio eum initiasset, et divinae oeconomiae universum docuisset mysterium: « Tempus est, inquit, o Imperator, ut tibi paretur piscina. » Cum ea autem jam esset parata: « Haec est, inquit, piscina, quam dixerunt ii qui a te visi sunt; et aqua, quae est in ipsa, sanctificata invocatione Trinitatis, purgat animas, tibi autem ea erit et carnis curatio ac purgatio, et morbum tuum fugabit, ut tibi sacrosancti praedixerunt Apostoli. Ingredere ergo divinum lavacrum, primum quidem purgandus a peccatis et delictis tuis; deinde etiam a morbo, qui in tuo corpore pullulavit, teque vexat, et probro et dedecore afficit. »

§ 14. Haec cum audivisset Imperator, et laetus ultimam exuisset tunicam, et probrum carnis subjecisset oculis, et unctus fuisset sancto chrismate, ingressus est piscinam *. Cum autem Sylvester ejus caput tetigisset, et eum in aquam immersisset, et sanctam simulque venerandam invocasset Trinitatem, lux repente totam domum circumfulsit, et lucis splendor plusquam Sol enituit. Exiit itaque Imperator ex divino lavacro, habens carnem puram et sanam, neque plaga, nec ulla apparente cicatrice. Aqua autem piscinae erat plena iis, quae ex ulceribus exciderant, membranis ac pelliculis, non secus ac squammis piscium. Ille autem cum se vidisset tam repente sanatum, nesciebat quemadmodum satis ostenderet gaudii sui magnitudinem. Cum autem vestem candidam induisset luminosam, dixit iis qui aderant, se sensisse manum desuper extensam, quae eum tetigit immersum in piscina. Et statim edidit decretum, ne quis auderet blasphemare Christum,

* In probatis Scriptoribus habetur Constantinum imperatorem baptismatis aquis fuisse ablutum, quum animam ageret, anno 337.

id a vobis circumscribitur. Quocirca vestris libris utemur ad demonstrationem: quorum hoc nobis vindicamus, quod est magis admirabile, et clariorem efficit victoriam, quod sumptis armis adversariorum, iis eos, qui resistunt, percutientes, bello evademus superiores, et pure potiemur victoria. » Ad haec dixit Imperator, adversus id, quod dixit Episcopus, non posse contradici. « Si enim, o Judaei, vestras adducunt Scripturas ii qui Christum colunt, ad suam probandam opinionem, eis citra controversiam tribuetur omnino victoria. » Haec cum dixisset Imperator, et senatus ei esset suffragatus, Judaei coeperunt loqui, dicentes:

§ **18**. « Cum omnipotens Deus dixerit in Deuteronomio: *Videte quod ego sum, et non est Deus praeter me* (*Deut.* XXXII): quomodo ipsi Jesum, qui est homo, Deum existimatis et nominatis, et tres Deos inducitis, nempe et eum, quia nobis colitur, et Jesum, eum decernentes esse Dei filium, et praeter hos spiritum? Num enim sic opinantes, non aperte adversamini ei, qui docuit non esse alios deos, qui est Deus productor universorum? » Ad haec a Deo inspiratus contradixit Sylvester: « Si citra ullam animi perturbationem mentem vestris adhiberetis Scripturis, nihil nos novi diceretis opinari, si Dei Filium et Sanctum Spiritum statuamus. Haec enim non nobis a nobis ipsis dicta sunt, sed inventa sunt a divinis Prophetis. Et ante alios quidem dicit David Propheta et Rex, patrum vestrorum in Servatorem nostrum praenuncians insaniam: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus?* (*Ps.* 2). Ecce ergo Dominum et Christum ejus dicens, non unam personam inducit, sed duas. Quod autem Dei Filius sit Christus, significat idem Propheta, dicendo: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te (Ibid.)*. Alius est ergo, qui genuit, et alius, qui est genitus. »

§ **19**. His Judaei opposuerunt: « Quoniam ergo, ut dicis, genuit Deus, eum qui est impatibilis, statuis patibilem, et ei tribuis affectionem. Quomodo autem filius est Deus, qui in tempore est genitus, et ut esset, habuit in tempore? Illud enim *Hodie*, est temporis, et non sinit Deum existimari aeternum. » — « Non patibilem generationem, o Judaei, in Deo dicimus, dixit a Deo afflatus Sylvester, sed divinam et impatibilem et Deo convenientem: et quomodo dixerit quispiam verbum nasci ex mente. Neque introducimus temporalem ex Deo filii ejus generationem, sed temporis expertem et aeternam. Nam temporum quoque effectorem cum aliis novimus esse filium. Effector autem temporum, non est sub tempore. Illud autem, *Hodie genui te*, dictum a Davide, non supernam et quae est ante secula, et ei convenit, divinitatis significat generationem, sed eam, quae est inferius, quae est in tempore et in carne, quam suscepit propter nostram salutem. Nam novit quidem hic Propheta Christum et Deum ante secula. Quamobrem

dicit etiam : *Sedes tua Deus in secula* (*Ps.* 44). Praedicit autem ejus quoque in extremis temporibus generationem, propter mysterium susceptae carnis dispensationis. Quamobrem subjungit: *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Per hoc quidem, *Filius meus es tu,* temporis expertem et quae est ante secula, significans generationem. Per hoc autem, *Ego hodie genui te,* inferiorem et eam quae est sub tempore. Hoc autem, *Ego hodie genui te,* introductum est a Propheta, ostendente patrem, eam quoque quae inferius facta est generationem, tamquam propriam sibi attribuere, ut quae illius voluntate facta sit.

§ **20.** « Quod autem vestra Scriptura Spiritus quoque meminit, idem Propheta David testatur, dicens : *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* 32). Hic ergo trium facit mentionem, Patris, inquam, et Filii, quem vocat Verbum, propter supernam generationem, eam ostendens esse impatibilem, et Sancti Spiritus. Porro autem alibi quoque meminit Spiritus, *Spiritum tuum Sanctum,* dicens, *ne auferas a me* (*Ps.* 50). Et rursus : *Quo ibo a Spiritu tuo ?* (*Ps.* 138); qui est scilicet, et implet universa. Et rursus : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* (*Ps.* 103). An non haec dicta sunt a divino Davide ? Non Moses etiam qui Deum vidit, in libro Genesis Deum introducit dicentem, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ?* Cum quo ergo disserens est Deus introductus, si non dixerimus esse aliam, cum qua loquebatur, personam ? Non hoc autem omnino dixerit quispiam dictum esse ad virtutes coelestes. Illud enim, *Ad imaginem nostram,* non concedit tale quid cogitari. Non est enim eadem imago et similitudo Dei et Angelorum : quoniam non est eadem natura. Necessario ergo sequitur, alium esse eum, cum quo disserebat, ut qui sit ejusdem cum illo naturae et similitudinis, vel, ut magis proprie dicam, identitatis. Quisnam autem is existimari possit, nisi Filius, qui est ejusdem essentiae, gloriae et potentiae, et ut semel dicam, imago Patris immutabilis ? Quidnam ergo novi sumus opinati, qui decernimus esse Patrem, Filium et Spiritum ? Et si gentilibus haec esse incredibilia videantur et inania, non est novum : quoniam illi nostris libris non sunt imbuti. Vobis autem quomodo haec putentur inania, qui divinorum Prophetarum voces meditamini : quorum nullus est, qui de Servatore non pronunciaverit ? »

§ **21.** Cum autem divinus pater pergeret adhuc dicere, orationem interrumpens Imperator, dicit Judaeis: « Dicta quae nobis proposuit Scriptura et Episcopus, o Judaei, itane, ut dixit, se habent in vestra quoque scriptura ? » Illi autem : « Ita se habent, dixerunt, o Imperator. » — « Ergo, quod, inquit, attinet ad Trinitatem, mihi videmini vinci, et dare Sylvestro calculum victoriae. » — « Non, si nos quoque ad haec objecerimus, o optime Imperator, quae contradicere potuerimus, esse judicabitur Sylvester

quidem, qui simulacra adorabant, timorem attulit; ut Christiani autem bono et confidenti animo essent, effecit; sanctum autem solvit a vinculis; et sic liberatus fuit a custodia. Qui autem Praefecto ministrabant, cum ex eo, quod illi acciderat, sibi timuissent, sancto procidebant supplices, et provoluti ad illius pedes, rogabant ut divina ira ab eis averteretur. Ejus autem virtute sic omnes adducente in admirationem, ille non solum erat venerandus fidelibus, sed etiam ipsis infidelibus.

§ 5. Jam autem tricesimum annum agens aetatis, a sacrosancto Milciade, quem prius diximus tunc fuisse Episcopum Romanae Ecclesiae, ordinatur Diaconus *, et refertur in cleri catalogum: et erat tamquam quaedam fax lucens in tenebris, et multos deducens ad viam pietatis. Oportet autem lumen imponi candelabro, ut sic ejus splendore plures illuminarentur: atque adeo fuit positum, sic divina providente a superis administratione. Nam cum Milciades e vita excessisset, omnium suffragiis sanctissimus Sylvester fuit ** electus Romanorum Episcopus. Is autem dicebat illud munus esse majus, quam ut id posset sustinere, et se excusabat propter juvenilem aetatem. Qui autem ferebant suffragia, quoniam ille non currebat ad magistratum, immo vero eum modis omnibus repellebat, eum magis ei suis mandabant suffragiis; et tandem vicit instans populi constantia, et in Episcopatus sede fuit collocatus, qui eo erat dignus: et vere erat civitas supra montem posita, et lucerna in alto collocata, et lucens omnibus, quibus non fuerat extincta mentis videndi facultas, nec tenebris impietatis erant animae oculi omnino occaecati.

§ 6. Cum autem sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, et praefectus esset pascendis ovibus Domini, sicut Petrus summus Apostolus, cujus etiam sedis, vel potius zeli et ardoris fuit successor eas ad salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, et Servatoris nostri mandata, et ad aquas poculentas, nempe dogmatum rectitudinem, et quae non participant salsam eorum, qui male sentiunt, qualitatem. Deinde etiam curam gessit boni in Ecclesia ordinis: et cum invenisset clericos mundanis ac secularibus vacantes administrationibus, intentosque mercaturis, emptionibusque et venditionibus, ille primus legem tulit, ut qui sacrati erant, ab iis abstinerent, vacarent autem precibus, eis dictitans id, quod dictum fuerat a vase electionis: *Nemo militans implicatur negotiis, quae ad victum pertinent, ut Duci placeat exercitus* (2. *Tim.* II), et quod dixit David, *Vacate et cognoscite* (*Ps.* 45). Hujus etiam divini patris fuit inventum, ut primus dies hebdomadis, nominaretur Dominicus ***. Cum enim Judaei eum primum vocarent, et

* S. Sylvester, Augustino testante (*contra Petil.*, cap. 16), Marcellini papae presbyter erat.
** Anno 314.
*** Portentosum mendacium! exclamat Baronius in *Annalibus*, sub anno 315. Certum est enim ejusmodi nomen Apostolorum temporibus inventum esse; praetereaque nomina reliquorum dierum, ut Feriae dicerentur, jam olim in Ecclesia institutum fuisse.

ecundum et tertium eos, qui sequebantur, et deinceps reliquos; extum autem et septimum, si spectes eam, quae a primo fit, numerationem, illum quidem nominarent parasceven, eo quod in eo ab eis parabantur, quae erant ad septimum necessaria; quoniam in illo vetitum erat Judaeis operari, septimo autem propter quietem ab operibus, sabbati nomen imposuissent, quoniam in eo cessavit Deus a creatione eorum quae videntur Romani autem vocarent, primum quidem, diem Solis, eos autem qui deinceps consequuntur, Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, ipse beatus Sylvester, dierum nomina, quae a gentilibus erant imposita, abrogavit propter illorum impietatem, quae apud Hebraeos autem erant eorum nomina, ut quae a Mose scripta erant, qui Deum vidit, admisit, solius primi mutato nomine, et eo vocato Dominico, propterea quod in eo a mortuis surrexisset Dominus. Ab eo quoque est constitutum, ne jejunaretur sabbatis *. Nam cum Occidentales jejunarent sabbatis, hoc minime placuit Orientalibus, dicentibus eos, qui sic faciunt, sequi morem Judaicum. Hic autem magnus pater, cum decrevisset ut in uno sabbato jejunarent fideles, in quo Dominus adhuc situs erat in sepulcro, jejunium abrogavit in reliquis. Hinc in eum sunt exortae apud Romanos calumniae, ut qui patrios eorum ritus tolleret.

§ 7. Cum autem congrederetur cum gentilibus, et argueret eos non recte sentire de Deo, cum fabulis crederent, et eos qui non essent, deos putarent, illi signum ab eo petierunt in nomine ejus, qui ab eo praedicabatur. Signum autem tale fuit. Draco maximus habitabat in profunda spelunca juxta montem, qui ab eis nominatus fuerat Tarpejus, in quo etiam collocatum Capitolium. Ei autem draconi quotoquoque mense alimenta ab eis largè suppeditabantur: quae quidam praestigiatores cum virginibus incantatricibus assumentes, in illam speluncam per multos gradus descendebant, et in ea execranda peragentes mysteria, in quibus nulla insignis deerat abominatio, illic cibis relictis, revertebantur. Certis autem temporibus draco repente ascendens, foras quidem non egrediebatur: sed jacens in ingressu cavernae, venenato anhelitu corrumpebat aërem, ex quo mors afferebatur vicinis, magis autem imminebat interitus infantibus. Huic ergo beluae, ajebant, si Dei tui invocatione ascensum prohibueris, et si non omnino, at eo certe tempore, te esse veri Dei praedicatorem reputabimus, et ad eum accedemus, et ipsum esse Deum nos quoque confitebimur. Apostolicus autem vir ille eis respondit: « A Deo quidem, qui a me praedicatur, nihil est omnino, quod non possit fieri. Quo circa facillime hanc nostram implebit

* Falsissimum hoc quoque; omnes enim, Summi Pontifices, Majorum traditiones fideliter sectantes, Sabbati jejunium observandum semper curarunt; ipseque Sylvester cum Graecis, qui id abolere nitebantur, acriter contendit.

precationem. Ex vobis autem plurimi ne sic quidem abstinebunt ab impietate, sed rursus retinebunt et amplectentur impietatem. »

§ 8. Cum itaque convocasset quotquot erant Romae fideles, et omnibus triduanum praecepisset jejunium, et ut rogarent Dominum, ut admirabilem faceret suam misericordiam cum servis suis, et eis daret materiam et occasionem salutis, ipse autem ante alios precationi vacabat et jejunio. Jam autem peracto, quod praestitutum fuerat, jejunio, Petrus summus Apostolorum huic sanctissimo patri apparet in somnis, jubens ut ex Sacerdotibus et Diaconis ab eo assumerentur ii, quos vocabat nominatim, et cum illis veniret ad ingressum speluncae, et illic Deo incruentum offerret cultum; deinde sic subiret per eos, qui sunt in ipsa, gradus, dicensque ut alloqueretur draconem, qui dicebatur, et portas habebat in ore, praecepit ut clavem ferret manibus, et nomine Domini Jesu Christi invocato, ad se portas traheret, et in adaptatos annulos clavem injiceret; et cum clausisset, diceret: « Haec dicit Apostolus Petrus: Hae portae non aperientur usque ad vesperascentem et horribilem diem judicii. » Atque haec quidem sic noctu mandata fuerant sancto Sylvestro ab Apostolo. Is autem, ut jussus fuerat, et cultum peregit, et descendit, et portis clavem intulit. Videntes autem Gentiles eum descendentem in speluncam, exspectabant fore, ut ipse et qui cum eo erant, statim vorarentur a dracone, aut mortifero interirent anhelitu. Postquam autem Sylvester et qui cum eo erant ascenderunt illaesi, eos qui spectabant cepit admiratio, et fatebantur vim quandam divinam sequi Episcopum. Cum itaque ab eo tempore satis transiisset temporis, et cessasset qui a dracone afferebatur interitus, et illaesa mansisset civitas, multi ex infidelibus, et ipsi qui nuper serviebant draconi, accurrerunt ad sanctum, et fatebantur esse magnum Deum, quem ipse praedicabat, et rogabant ut divinum baptismum assequerentur. Quem quidem sunt assecuti, et ab impietate traducti ad pietatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis.

§ 9. Cum autem adhuc vigeret error gentilium, et qui imperabant, errori serviebant, et hominibus quidem dominabantur, subjecti vero erant daemonibus, decretum ubique proponerent, ut colerentur simulacra, et eis ab omnibus offerrentur sacrificia; et magnus inter Imperatores et inclytus Constantinus, modo imperio potitus, et errori adhuc serviens, ipse quoque aeque atque ii, qui eum praecesserant, plane in errore versaretur gentilium, et decreta proposuisset, ut punirentur Christiani, nisi persuaderentur libamina offerre simulacris, tunc ergo hic quoque magnus pater, cum judicasset non oportere seipsum objicere persecutoribus, non quod non posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens persecutoribus, Roma quidem excedit, in montem autem abiens, ibi se abscondit, illic solus cum Deo versans. Qui autem

unicuique salutem procurat Dominus, volens sedare tempestatem et calamitatem iis, qui in ipsum credunt, et efficere ut libere et confitenter se gereret pietas, malo ulcere ferit Imperatorem a pedibus ad caput usque, et male ei affectum erat universum corpus. Ei enim sacer morbus incubuit, et floruit lepra per universam carnem. Adversus quam neque valuit ars medicorum, nec praestigiae et magicae artes incantatorum. Ejus enim curationis et sanitatis spem omnem abjecerant, et medici indigenae, et qui ducti fuerant a Perside. Cum autem ab eis deplorata esset ejus curatio, sacerdotes Jovis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes fore, ut non aliter curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine infantium, eoque adhuc bulliente et exhalante in ipso lavaretur: hoc autem si factum esset, fore ut cito curaretur, et e piscina mundus et sanus exiret.

§ **10**. Haec cum execrandi illi et scelerati sacerdotes suggessissent Imperatori, per universam missi sunt regionem, qui infantes colligerent, et ferrent in Capitolium. His ablatis, jam dies quoque caedis erat praestitutus, et in Capitolium ascensus Imperatori. Et illo quidem die abiit Imperator ad locum definitum: et qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum autem matres cum Imperatori occurrissent, lugentes et ejulantes, comas vellebant, et facies pulsabant, et genas lacerabant unguibus, vestesque discerpebant, et ubera ostendebant quibus lactabant infantes, molestisque et miserabilibus vocibus implebant aërem: erantque iis, qui videbant, argumentum moeroris et tristitiae. Quidni enim essent, cum essent matres, quibus nihil est magis misericors? Imperator autem cum fletum audiisset et ejulatum, rogavit eos qui aderant, quaenam esset eorum causa. Postquam autem audivit lugentes esse matres infantium qui erant interimendi, quorum sanguine erat lavandus, et usurus purgatione morborum, quibus detinebatur, tamquam ab ebrietate ad se reversus, et mente quieta et tranquilla effectus: « Actionis quidem, inquit, impietas est evidens et manifesta: incertum est autem, an si eventurum, ut polliciti sunt, qui hoc impium facinus suggesserunt. Quod si etiam esset manifestum, satius esse duco, ut ipse patiar morbis vexatus, quam tot infantium, qui nihil mali fecerunt, volens caedem faciem, et matrum eorum animis doloris flammam accendam, quae nunquam poterit marcescere. » Haec cum dixisset, reversus est in regiam, et infantes reddi jussit matribus; statuit autem, ut unicuique eorum praeberentur pecuniae, ut eorum dolori ex aequo respondentem afferret laetitiam, gaudentibus quod non solum filios recepissent, sed praeter eos etiam accepissent pecuniam *.

§ **11**. Atque Imperator quidem sic evasit scelus; Deus autem ei duplicem procuravit salutem, et summos ad eum mittit

* Nemo non videt hanc narrationem inter commentitia prorsus rejiciendam esse.

discipulos, qui ei suggererent quae sunt salutaria. Noctu enim dormienti Imperatori visi sunt ei adstare duo viri. Rogati autem, quinam essent, responderunt se esse Petrum et Paulum Apostolos Jesu Christi: missos autem esse ab illo, ut ei viam salutis ostenderent, corporisque et animae salutis consequendae rationem docerent, et vitam darent quae non potest dissolvi, propterea quod ipse vitam quae est ad tempus, dederit infantibus. Si haec ergo vis consequi, accerse Episcopum Sylvestrum, qui in monte propter tui metum delitescit: et si illius monitis parueris, ille tibi ostendet piscinam, quae et carnis purgabit vitia, et animae sordes eluet. Haec cum ei dixissent, recesserunt ab oculis Imperatoris, et simul etiam eum dimisit somnus. Eo autem de somno cum animo cogitante, et visum admirante, accessit medicus, qui de more ei medicabatur ulcera. Ille autem eum dimisit, dicens se non amplius egere auxilio artificioso. Divinitus enim ad me venit auxilium in somnis, et me divinum somnium adivit. Haec cum dixisset, mittit quamprimum, qui beatum Sylvestrum in monte quaererent, et eum ad ipsum adducerent cum omni reverentia.

§ 12. Postquam autem inventus esset ab iis, qui missi fuerant, et jam esset adductus, eum et lubenter vidit, et ei ivit obviam, et eum est complexus. Deinde: « Adjuro te, inquit, per Crucifixum, quem tu colis, ut dicas mihi, an aliqui apud vos dii colantur, nomine Petrus et Paulus. » Ille autem contra respondit: « Unus a nobis Deus cognoscitur, o Imperator, qui creavit coelum et terram, et omnia quae sunt in eis. Quos autem ipse nominasti, non dii, sed Dei sunt ministri, qui ubique Christi nomen annunciarunt, et postremo pro illo sunt mortui, ut quos ambos interemerit Nero propter salutarem praedicationem. » Propter haec laetitiâ affectus Imperator: « Rogo te, inquit, Episcope Sylvester, horum Christi discipulorum ostende mihi effigies, si habeas, ut sciam an ii revera sint illi, qui noctu mihi apparuerunt. » Ille autem statim jussit Diacono, ut summorum Apostolorum afferret imagines, et eas ostenderet Imperatori. Cum in eas autem allatas oculos injecisset Imperator, hos esse exclamavit, et non alios, qui ad eum in somnis accesserunt; et visum narravit Pontifici, rogavit ut ei ostenderet piscinam, quam, qui ei visi sunt, sunt politici esse purgaturam et animam et corpus. Magnus autem ille pater: « Non aliter tibi, inquit, o Imperator, licebit illa frui piscina, nisi eum, qui tibi ab iis, qui visi sunt, est praedicatus, verum esse Deum ex animo credideris. » Ille autem: « Nisi, inquit, verum Deum credidissem esse Christum, nequaquam tuam accersivissem sanctitatem. » Ei autem dicit Sanctus: « Oportet ergo te prius jejunare, o Imperator, et Deum placare lacrymis, quaecumque peccasti confitentem. Depone ergo purpuram et diadema septem diebus, et tuae regiae penetrale ingressus, clausis januis,

n sacco et cinere humi jacens, in luctu age poenitentiam: et jube laudi templa idolorum, et cessare eorum sacrificia; qui sunt in exsilio, et ad metalla damnati, et in carceres conjecti, libera Christianos. Largire relaxationem iis qui sunt in vinculis, et omnibus aliis afflictionibus. Sis benignus in eos qui te rogant, et istas imple petitiones: iis, quas habes, facultatibus impertire pauperes. » Haec ille quidem dixit. Ipse autem affirmavit se omnia impleturum.

§ 13. Cum autem imposuisset Sanctus manum capiti Imperatoris, et preces deinde dixisset, et eum fecisset catechumenum, recessit; et cum accersiisset quicquid erat sacri ordinis, et ex populo eos, qui Christum confitebatur, praecepit omnibus jejunium et preces. Cum ii autem unanimes ejus jussui paruissent, fusae sunt communes et intensae preces ad Dominum, ut Ecclesiis cesset persecutio, et pax eis concilietur, et tandem finis imponatur daemonum libaminibus, et iis, qui per ipsos errant, illucescat lux salutaris. Cum jam autem advenisset dies septimus, divinus Sylvester venit ad magnum Constantinum: et cum eum catechesi instituisset, et in sanctae Trinitatis mysterio eum initiasset, et divinae oeconomiae universum docuisset mysterium: « Tempus est, inquit, o Imperator, ut tibi paretur piscina. » Cum ea autem jam esset parata: « Haec est, inquit, piscina, quam dixerunt ii qui a te visi sunt; et aqua, quae est in ipsa, sanctificata invocatione Trinitatis, purgat animas, tibi autem ea erit et carnis curatio ac purgatio, et morbum tuum fugabit, ut tibi sacrosancti praedixerunt Apostoli. Ingredere ergo divinum lavacrum, primum quidem purgandus a peccatis et delictis tuis; deinde etiam a morbo, qui in tuo corpore pullulavit, teque vexat, et probro et dedecore afficit. »

§ 14. Haec cum audivisset Imperator, et laetus ultimam exuisset tunicam, et probrum carnis subjecisset oculis, et unctus fuisset sancto chrismate, ingressus est piscinam *. Cum autem Sylvester ejus caput tetigisset, et eum in aquam immersisset, et sanctam simulque venerandam invocasset Trinitatem, lux repente totam domum circumfulsit, et lucis splendor plusquam Sol enituit. Exiit itaque Imperator ex divino lavacro, habens carnem puram et sanam, neque plaga, nec ulla apparente cicatrice. Aqua autem piscinae erat plena iis, quae ex ulceribus exciderant, membranis ac pelliculis, non secus ac squammis piscium. Ille autem cum se vidisset tam repente sanatum, nesciebat quemadmodum satis ostenderet gaudii sui magnitudinem. Cum autem vestem candidam induisset luminosam, dixit iis qui aderant, se sensisse manum desuper extensam, quae eum tetigit immersum in piscina. Et statim edidit decretum, ne quis auderet blasphemare Christum,

* In probatis Scriptoribus habetur Constantinum imperatorem baptismatis aquis fuisse ablutum, quum animam ageret, anno 337.

aut molestiam exhibere Christiano; ejus autem, qui convictus fuisset tale quid fecisse, publicari dimidium bonorum. Jussit autem templum quoque in regia aedificari Christo Servatori, cum ipse suis manibus ejus figuram descripsisset. Decrevit autem, ut qui vellent, secure possent religionem eligere Christianam, et ad Christi fidem accedere et baptizari, impensis quae fiebant ad illuminationem, et veste suppeditata ex thesauris Imperatoris. Exhinc magna quaedam multitudo accedit ad fidem et divinum baptismum, et non ex diametro erat quidem gregi Christi quotidie accessio, idolorum autem cultoribus diminutio, sed pietatem longe magis superabat praedicatio, ipso divino Constantino quotidianis sermonibus incitante plurimos ad persuasionem praedicationis, et quod in ipsum factum fuerat miraculum, deducente ad fidem Servatoris nostri Jesu Christi.

§ 15. Cum multi autem vere Deum esse Christum alta voce clamassent, et eos qui non sic sentirent, exclamarent oportere exterminari ex civitate, Imperator silentium populo praecipiens, dixit, Dominum velle sua voluntate ipsum confiteri eos, qui ad eum accedunt, et sua sponte sacrificare: non autem vi eis et metu intentato. Quocirca ipse quoque dixit: « Neminem volo invitum cogi ad suscipiendam praedicationem: illos autem admitto qui pura ac sincera mente credunt Domino, et admittunt praedicationem. » Hoc dictum ab Imperatore, movit omnibus laetitiam, ut quod conservaret libertatem et liberum arbitrium. Et sic quidem se habebat populus; Imperator autem proposuit decretum, ut omnes, qui erant in carceribus, in metalli fodinis, in vinculis propter cultum Christi, solverentur quidem a vinculis, reducerentur ab exsilio, educerentur ex carceribus, liberarentur a metalli operibus, et puram reciperent libertatem et relaxationem. Licebat ergo videre Christi Ecclesiam exultantem, et Domino confitentem, qui ejus tempestatem sedaverat, et Tyrannorum mare, quod in ipsum rugiebat, sopierat. Per haec malignus, et ab initio hominum inimicus, accepit certum vulnus. Non erat autem illius malitiae vulnus ferre tacite: sed rursus machinatur adversus Orthodoxum; et quomodo serpentem prius misit in expeditionem adversus primam matrem, et per illam primum parentem est suffuratus, ita nunc quoque mittit in expeditionem serpentes et foetus viperarum, Judaeos, inquam, adversus inclytam matrem Imperatoris. Nam cum in Bithynia tunc versaretur, unde orta erat *, quidam Judaei ad eam accesserunt, dicentes ab Imperatore quidem effectam esse rem bonam, quod sint abolita simulacra, sed non sinere, ut esset bonum sincerum et impermistum, sed et etiam ex errore aliquid mali et aversandi admiscere, nempe credere Jesum esse Dei Filium et verum Deum, qui fuit homo Judaeus, et tamquam maleficus ac veneficus fuit de medio sublatus.

* Probabilius, Helena e Britannorum natione orta est.

on enim oportere Imperatorem illi ascribere sanitatem, sed eterno et soli Deo omnipotenti, qui ejus pietatem remuneratur, uod primus diruisset simulacra. « Oportet ergo, o Imperatrix, ebant, te Imperatorem tuum filium ab errore avertere, ne quid mali contingat propter errorem superstitionis, coelesti Rege irato. »

§ **16**. Haec illi quidem dixerunt. Ea vero haec significavit litris Imperatori suo filio; qui cum has matris accepisset litteras, d eam scripsit, oportere eos, qui haec dicunt, Judaeos, congredi um Episcopis Christianorum, et eis resistere in disputatione ipsis udientibus; et eum qui visus fuerit dicere meliora et veriora, ictoriam esse consecuturum, et se esse secuturos illius opinioem. Haec inclyta Helena significavit Judaeis, et hortata est, ut uidam ex eis cum ipsa Romam proficiscerentur. Illi autem, cum iros elegissent, qui totius veteris legis scripturas summe didierant, et voces noverant Prophetarum, et versati erant etiam in loctrina gentilium, eos mittunt cum Helena Imperatrice, ut in lisserendo Christianis resisterent. Qui autem missi erant, ad satis nagnam redibant multitudinem: cum quibus erat etiam quidam ex Judaeis presbyteris, qui vocabatur Zambres, qui erat in arte nagica summe exercitatus, et per eam multa ostendebat prodigiosa, cui plusquam aliis fidebat Judaeorum sodalitas. Etsi enim victi essent in disputando, existimabant se Zambrae praestigiis certam habituros victoriam. Cum ii autem Romam venissent, eorum adventum sancto significat Sylvestro Imperator, et rogat, ut de fide cum eis contendat. Ille autem lubens certamen suscipit. Dies itaque praefinitus fuit disputationi, et divinus Sylvester alios quoque accersit Episcopos, ut disputationem secum aggrediantur. Cum adesset autem dies praestitutus, venit et ipse Sylvester in regiam, et quidam Episcopi, et multitudo Judaeorum: certaminis autem auditores et dijudicatores, et ipse pius praesidebat Constantinus, et praeclarus senatus. Ejus autem mater Imperatrix sedebat intra velum.

§ **17**. Divisi autem quidam ex Judaeis, dicebant oportere aliquos ex Episcopis, secretos ab aliis, cum eis decertare. Quibus Sylvester: « Non sunt, inquit, nobis vires in multitudine, sed in Deo, qui omnia corroborat, quem invocantes ad hoc certamen, dicimus: *Exsurge, Deus, et judica causam tuam* (*Ps.* 73). » Judaei autem: « Nostra, dixerunt, sunt haec verba, et nostrae scripturae. Te autem oportet tuis uti, et non nostris, o Episcope. » Sylvester autem: « Vobis quidem, inquit, ab initio locuta est Scriptura Veteris Testamenti et praeconia Prophetarum. Nihilominus autem ea quoque ad nos pertinent: quoniam horum plurima de Christo sunt praedicta, et alioqui necesse est ex his vobiscum disserere. Nam vestri quidem libri nobis evasere proprii, sed non nostri quoque vobis, et sicubi ex illis a nobis aliquid adductum fuerit,

id a vobis circumscribitur. Quocirca vestris libris utemur ad demonstrationem: quorum hoc nobis vindicamus, quod est magis admirabile, et clariorem efficit victoriam, quod sumptis armis adversariorum, iis eos, qui resistunt, percutientes, bello evademus superiores, et pure potiemur victoria. » Ad haec dixit Imperator, adversus id, quod dixit Episcopus, non posse contradici. « Si enim, o Judaei, vestras adducunt Scripturas ii qui Christum colunt, ad suam probandam opinionem, eis citra controversiam tribuetur omnino victoria. » Haec cum dixisset Imperator, et senatus ei esset suffragatus, Judaei coeperunt loqui, dicentes:

§ 18. « Cum omnipotens Deus dixerit in Deuteronomio: *Videte quod ego sum, et non est Deus praeter me* (*Deut.* XXXII): quomodo ipsi Jesum, qui est homo, Deum existimatis et nominatis, et tres Deos inducitis, nempe et eum, quia nobis colitur, et Jesum, eum decernentes esse Dei filium, et praeter hos spiritum? Num enim sic opinantes, non aperte adversamini ei, qui docuit non esse alios deos, qui est Deus productor universorum? » Ad haec a Deo inspiratus contradixit Sylvester: « Si citra ullam animi perturbationem mentem vestris adhiberetis Scripturis, nihil nos novi diceretis opinari, si Dei Filium et Sanctum Spiritum statuamus. Haec enim non nobis a nobis ipsis dicta sunt, sed inventa sunt a divinis Prophetis. Et ante alios quidem dicit David Propheta et Rex patrum vestrorum in Servatorem nostrum praenuncians insaniam: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus?* (*Ps.* 2). Ecce ergo Dominum et Christum ejus dicens, non unam personam inducit, sed duas. Quod autem Dei Filius sit Christus, significat idem Propheta, dicendo: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te (Ibid.)*. Alius est ergo, qui genuit, et alius, qui est genitus. »

§ 19. His Judaei opposuerunt: « Quoniam ergo, ut dicis, genuit Deus, eum qui est impatibilis, statuis patibilem, et ei tribuis affectionem. Quomodo autem filius est Deus, qui in tempore est genitus, et ut esset, habuit in tempore? Illud enim *Hodie*, est temporis, et non sinit Deum existimari aeternum. » — « Non patibilem generationem, o Judaei, in Deo dicimus, dixit a Deo afflatus Sylvester, sed divinam et impatibilem et Deo convenientem: et quomodo dixerit quispiam verbum nasci ex mente. Neque introducimus temporalem ex Deo filii ejus generationem, sed temporis expertem et aeternam. Nam temporum quoque effectorem cum aliis novimus esse filium. Effector autem temporum, non est sub tempore. Illud autem, *Hodie genui te*, dictum a Davide, non supernam et quae est ante secula, et ei convenit, divinitatis significat generationem, sed eam, quae est inferius, quae est in tempore et in carne, quam suscepit propter nostram salutem. Nam novit quidem hic Propheta Christum et Deum ante secula. Quamobrem

dicit etiam : *Sedes tua Deus in secula* (*Ps.* 44). Praedicit autem ejus quoque in extremis temporibus generationem, propter mysterium susceptae carnis dispensationis. Quamobrem subjungit: *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Per hoc quidem, *Filius meus es tu,* temporis expertem et quae est ante secula, significans generationem. Per hoc autem, *Ego hodie genui te,* inferiorem et eam quae est sub tempore. Hoc autem, *Ego hodie genui te,* introductum est a Propheta, ostendente patrem, eam quoque quae inferius facta est generationem, tamquam propriam sibi attribuere, ut quae illius voluntate facta sit.

§ 20. « Quod autem vestra Scriptura Spiritus quoque meminit, idem Propheta David testatur, dicens: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* 32). Hic ergo trium facit mentionem, Patris, inquam, et Filii, quem vocat Verbum, propter supernam generationem, eam ostendens esse impatibilem, et Sancti Spiritus. Porro autem alibi quoque meminit Spiritus, *Spiritum tuum Sanctum,* dicens, *ne auferas a me* (*Ps.* 50). Et rursus : *Quo ibo a Spiritu tuo?* (*Ps.* 138); qui est scilicet, et implet universa. Et rursus: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* (*Ps.* 103). An non haec dicta sunt a divino Davide? Non Moses etiam qui Deum vidit, in libro Genesis Deum introducit dicentem, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram?* Cum quo ergo disserens est Deus introductus, si non dixerimus esse aliam, cum qua loquebatur, personam? Non hoc autem omnino dixerit quispiam dictum esse ad virtutes coelestes. Illud enim, *Ad imaginem nostram,* non concedit tale quid cogitari. Non est enim eadem imago et similitudo Dei et Angelorum : quoniam non est eadem natura. Necessario ergo sequitur, alium esse eum, cum quo disserebat, ut qui sit ejusdem cum illo naturae et similitudinis, vel, ut magis proprie dicam, identitatis. Quisnam autem is existimari possit, nisi Filius, qui est ejusdem essentiae, gloriae et potentiae, et ut semel dicam, imago Patris immutabilis? Quidnam ergo novi sumus opinati, qui decernimus esse Patrem, Filium et Spiritum? Et si gentilibus haec esse incredibilia videantur et inania, non est novum : quoniam illi nostris libris non sunt imbuti. Vobis autem quomodo haec putentur inania, qui divinorum Prophetarum voces meditamini: quorum nullus est, qui de Servatore non pronunciaverit? »

§ 21. Cum autem divinus pater pergeret adhuc dicere, orationem interrumpens Imperator, dicit Judaeis: « Dicta quae nobis proposuit Scriptura et Episcopus, o Judaei, itane, ut dixit, se habent in vestra quoque scriptura? » Illi autem : « Ita se habent, dixerunt, o Imperator. » — « Ergo, quod, inquit, attinet ad Trinitatem, mihi videmini vinci, et dare Sylvestro calculum victoriae. » — « Non, si nos quoque ad haec objecerimus, o optime Imperator, quae contradicere potuerimus, esse judicabitur Sylvester

superior. Plurima autem habemus quae contradicamus, et ea statim dixissemus, nisi nobis videretur superflua oratio, et inanis conatus. Non enim nunc agitur, sit ne unus Deus, an tres, sed quod Nazarenus non sit Deus. Nam etsi concessum fuerit oportere tres opinari Deos, non tamen propterea sequitur, ut Jesus, qui natus est homo, et ortus est ex hominibus, et conversatus cum hominibus peccatoribus et publicanis, et cum illis convivia iniit, et tandem fuit condemnatus propter maleficia, et ligno Crucis affixus, et sic mortuus, Deus existimetur et nominetur. De hoc ergo nunc adversus illos decertatur, qui novum hunc Deum introducunt: et, si de eo aliqua possint dicere, aut aliqua habeant testimonia, ea dicant. » His sic dictis, praeclarus Sylvester: « Non tres, inquit, deos nos esse dicimus, o Judaei, ut vos putastis: sed unum Deum, qui in tribus personis aut hypostasibus colitur et adoratur. Caeterum de hac re differatur oratio, quoniam nominata est a vobis supervacanea, et inanis laboris. Consequens autem erat, ea quae adversus vestram ab initio propositam quaestionem ea a nobis sunt adducta et libris vestris, ostendere non fuisse recte dicta, et sic procedere nobis disputationem. Sed quoniam de his modo dicere recusastis, de Domino nostro Jesu Christo, ut vobis videtur, verba faciamus.

§ 22. « Hinc autem est incipiendum: Deus qui produxit omnia, cum ad bona opera produxisset et formasset hominem, ubi eum vidit declinare ad omne vitium, non neglexit suarum manuum figmentum, quod peribat: sed ei placuit, ut suus Filius, qui manet ab illo inseparabilis (est enim ubique Deus), ad nostros quoque veniret fines, factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui erant sub lege, redimeret. Quod autem ex muliere pariendum esse Dominum, responsum fuerat, praedixit divinus Propheta Isaias, dicens: *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium: et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc autem nomen, ut vos quoque scitis, significat Dei adventum ad homines. In Graecam enim vocem traductum ex Hebraea, significat *Nobiscum Deus.* Deum ergo ex virgine nasciturum, hic Propheta longo ante tempore praenunciavit. » Sed dicunt Judaei, librum Isaiae non habere virginem, sed adolescentulam; corruptam autem esse a nobis Scripturam, ut qui in nostris libris scripserimus virginem pro adolescentula. « Quod nomen quidem adolescentulae, inquit divinus Sylvester, vestra Scriptura soleat accipere pro virgine, multis in locis possumus ostendere, o adversarii: interim autem hoc quoque aliunde ostendetur. Stultam enim Prophetae orationem, vel potius ipsius Dei dixerit quispiam, nisi intelligamus adolescentulam dictam esse virginem. Nam cum Isaias tamquam ex persona Dei dicat Achaz, *Petis ne tibi signum in profundo, aut in alto?* (*Isa.* VII). Cum is autem dixisset, se non petiturum, nec Dominum Deum tentaturum, Propheta Deum inducit loquentem: *Ipse dabo vobis signum.*

Jam vero ipsum signum quale erit? inquit, *Ecce virgo in utero concipiet*. Si non ergo dicendum sit, adolescentulam a Propheta dictam esse virginem, quomodo signum esse reputabitur? Eam enim quae est viro conjuncta, ut a vobis acceptum est nomen adolescentulae, in utero concepisse, non est signum, sed naturalis consequentiae, et eorum quae fiunt assidue. Signum autem est eorum quae fieri non solent. Quod si etiam dederimus, in libro Prophetico scriptum esse adolescentulam, sic quoque adolescentula virgo esse intelligeretur: ut signum sit id, quod est promissum, et non ex iis, quae fiunt naturaliter, neque habent aliquid alienum et insuetum. Convenienter ergo huic promissioni, virgo concepit in utero. Nullus autem homo inventus est, qui natus non sit ex virili semine post primum parentem, et eam quae est ex illius làtere constituta: neque absque cum viro congressione auditum est unquam peperisse mulierem. Cum autem sancta Virgo conceperit ex Sancto Spiritu, et pepererit absque corruptione, fuit nobiscum Deus ex promissione. »

§ **23.** « Atqui non Emmanuel, sed Jesus est nominatus, qui natus est ex Maria, Judaei contra dixerunt. Restat ergo, ut non qui est promissus a Propheta, sit is, qui a vobis colitur Jesus, sed alius. Hinc fit, ut neque fuerit cum hominibus Deus. » A Deo autem motus Sylvester, intulit adversus hanc objectionem, dictum esse, quod populi scilicet eum vocabunt. « Videntes enim ea, quae ab ipso fiunt mirabilia, Deum vocabunt, et credent secum esse Deum. Mos est autem Scripturae, pro nominibus nonnunquam uti rerum eventibus: quomodo etiam est illud, *Vocabunt puerum, Cito spolia, Velociter praedare* (*Isa*. VIII). Atqui nusquam inventus est aliquis, qui sic fuerit vocatus. Quod autem depraedatio inimicorum, et distributio spoliorum facta sit per Christum, propterea dictum est a Propheta tamquam nomen, id quod per ipsum est eventurum. Quinetiam dicit de Jerusalem: *Vocabitur civitas justitiae*. Atque nusquam inventa est in tota nostra Scriptura civitas nominata justitiae: sed vocata est perpetuo Jerusalem. Quoniam autem mutanda erat in melius, propterea dicta est civitas justitiae a Prophetae responso. Alia quoque invenerit quispiam dicta hoc modo in Scriptura. Tale quid etiam praedixit Isaias de eo, qui erat nasciturus de Virgine. Rerum enim eventum, dixit futuram ei vocationem, non a matre, neque ab eo qui putabatur pater, sed a multis. Quinetiam ipsum quoque nomen, quo vocatus est, scilicet Dominus, rem ostendit eventuram. Jesus enim, sicut vos non ignoratis, populi salutem significat. Servator autem fuit iis, qui eum crediderunt esse Christum.

§ **24.** « Non solum autem Isaias dixit, *Deum nobiscum futurum*; sed Jeremias quoque ejus ad nos adventum praenunciavit: *Hic est Deus noster: non reputabitur alius praeter ipsum*. Et post nonnulla: *Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus*

*est* (*Baruch* III). » Atqui dixerunt Judaei : « Non quomodo dixit de futuro Isaias, ita etiam praedixit Jeremias : se de eo, quod jam factum fuerat, et in tempus praeteritum, non in futurum, refertur. Quo fit, ut non sit judicandum eum loqui de Nazareno. » — « Mihi videmini, o Judaei, ait Sylvester par Apostolis, vestra sponte connivere ad veritatem, et nolle lucem intueri. Non enim dixerim vos ignorare proprietates responsorum Propheticorum, et quod saepe mos sit Prophetis futura praedicere, perinde acsi jam facta essent, propterea quod omnino futura sit Prophetia, et non possit excidere. Quomodo enim, quae jam facta sunt, quin facta sint, fieri non potest : ita etiam divina responsa non possunt excidere; et propterea, quae futura sunt, nonnunquam tamquam facta, sunt a sacris introducta Prophetis. Et his plena est vestra Scriptura. Atque si Deum quidem in terris visum ante Jeremiam, et conversatum cum hominibus nobis possetis ostendere, aliquam rationem haberet contradictio. Sed quoniam hoc fieri non potest, oportet deinceps in futuro accipi dicta Prophetae ; quomodo sunt etiam alia ejusmodi in vestris libris, et prae caeteris in libro Psalmorum, in quo de Christo praedixit Dei parens David, et tamquam jam facta praedicavit : nunc quidem discipuli ingratum animi crimen perpetua notans ignominia, dicendo : *Qui comedit panes meos, magnificavit super me supplantationem* (*Ps.* 40). Nunc autem populorum deplorans amentiam, et gentium audaciam. Fuerint autem populi quidem, vestra synagoga : gentes autem, exercitus Romanorum. *Quare fremuerunt gentes,* dicens, *et populi meditati sunt inania?* (*Ps.* 2) ; et alia quae sequuntur. Modo autem Crucis passionem, cum dixit, *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Ps.* 21). Et quae facturi erant milites, dicendo : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* 68). Rursus autem praedicens sepulturam, dum diceret prophetice : *Posuerunt me in lacu inferiori* (*Ps.* 87), modo autem ascensum in coelos prius contemplans, et prius annuncians, et clamans : *Ascendit Deus in jubilo* (*Ps.* 46). Quinetiam antiquus vester parens Jacob, dum deficeret benedicens filiis suis, quoniam Deo afflatus praesciverat Dominum venturum ex Juda, et multa quidem alia ei dixit, Domino convenientia, et praeter caetera ejus quoque ostendens sepulturam et resurrectionem, Procidens dormiit, inquit, ut leo, et tamquam catulus. Quis excitabit eum? Porro autem Esdras quoque praedicens passionem, sic inventus est figurasse orationem, et conscripsisse ea quae erant futura, tamquam quae jam evenissent : *Alligavistis me, clamantes super tribunal judicis, me humiliavistis: ut supra lignum penderem, me tradidistis.* An non, inquit, haec omnia, o Judaei, sunt voces Prophetarum? An a vobis dicentur esse falsa dicta Prophetarum? »

§ **25**. « Haec quidem sic scripta esse in libris Hebraicis.

dixerunt Judaei, nos quoque assentimur. Tu autem nobiscum agis sophistice, et nos conaris decipere, et dubia vis probare per dubia, et per ignota ignota ostendere, et eam adducis demonstrationem, quam Dialecticus nominaverit διάλληλον, id est, mutuam, et se invicem probantem. Nam cum pollicitus esses te ostensurum illud de Jesu dictum esse a Propheta Baruch, *In terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III); etiamsi oratio relationem fecerit in futurum, dubia adduxisti testimonia, et quae certum sit non dicta esse de Jesu. Sed nos non decipies, o Episcope. Nam neque nos sumus Graecae ignari sapientiae, neque sophisticorum imperiti argumentorum. » — « Non sum ego sophista, ait a Deo inspiratus Sylvester, nec accurate Graecam teneo eruditionem, sed sermone imperitus, Dei autem confisus sapientiâ, verbo quod est Deus et homo, et vivifico spiritu, non autem sophisticorum verborum persuasione, subii vobiscum disserendi certamen, et dixi vobis vera, firmaque ac stabilia. Quoniam autem quae dicta sunt, non reprimunt vestram curiositatem, aliunde quoque ostendam in vestra Scriptura hanc esse consuetudinem, ut praeteritum tempus accipiatur pro futuro. Sufficiunt autem ad demonstrationem psalmi graduum. In his enim eam, quae ex Babylone tempore Cyri facta est, liberationem captivorum Hebraeorum, et secundum in Jerusalem ascensum, et templi reaedificationem prius significat divinus pater David. Nam ut Propheta, et homo a Deo inspiratus, multis ante seculis vidit mentis oculis ea, quae futura erant, et tamquam jam facta, prius scripsit ea, quae eventura erant plurimo post tempore. In primo autem psalmo graduum statim dicit ex persona populi captivi : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me* (*Ps.* 119). Et post aliquantum : *Hei mihi quod incolatus meus*, et deinceps psalmi graduum evocant auditorem ad tempus praeteritum. Et sic non in his solum, sed etiam in pluribus aliis inventa est oratio figurata a Davide. Videnturne haec vobis sufficere ad probandum, an adhuc mihi opus erit aliis? »

§ **26**. « Si ita haberent, dixerunt Judaei, ut tu dicis, Episcope, sufficerent. Nunc autem et de psalmis falsum dicis, et de eorum scriptore Davide. Non enim loquuntur de reditu, qui fuit ex Babylone post captivitatem, sed de liberatione ex Aegypto, quae fuit tempore Mosis; et merito in praeteritum tempus sunt compositi. » — « Facile quidem est, ait vir divinus, ex iis, qui dicti sunt, psalmis ostendere, vos vestra sponte esse malos. Non enim vos ignorare dixerim, quod de reditu ex Babylone hos psalmos David prophetice composuerit, sed in hoc non immorabor, sed ex alio evidentius ostendam id quod quaeritur. Mihi autem roganti respondere : Quando dominata est gens vestra Jerosolymis, nonne postquam egressa est Aegypto? » — « Hoc verum dixisti, » dixerunt Judaei. « Non Jebus primum nominata est, et Salem? » — « Ne hoc quidem est falsum. » — « Non, qui vestri habuit

administrationem, Propheta et rex David, cum multis proeliis fudisset eos, qui ipsam habitabant, illam propriam civitatem esse duxit et nominavit? » — « Assentimur. Non capta fuit civitas tempore Nabuchodonosor, et diruta quidem sunt moenia, illud autem ditissimum et celeberrimum templum Solomonis fuit eversum, et abductus fuit populus Babylonem captivus? »—« Haec sic acciderunt.» — « Propterea ergo factus est Davidi centesimus tricesimus sextus psalmus, qui dicit: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion* (*Ps.* 136). Et paulo post: *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea*, et quae deinceps consequuntur in psalmo. Ecce ergo hic quoque Propheta ea, quae multis post seculis eventura fuerant, non tamquam futura praedixit, sed ea tamquam quae jam facta fuerant, narravit. Nec poteritis dicere eum haec praedixisse de reditu ex Aegypto. Nondum enim vestra facta fuerat civitas Jerusalem: nec hoc nomine appellata fuerat, ut vos confessi estis. De hoc reditu loquuntur etiam psalmi graduum, etiamsi vos eos circumscripsistis: et hoc est manifestum ex hoc tertio psalmo, qui factus est ex persona bello capti populi Hebraeorum, qui erat in Babylone, qui dicit: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis. Jerusalem* (*Ps.* 121). Quinetiam in septuagesimo octavo psalmo, eam quae tempore Antiochi accidit Jerusalem depopulationem praedicens Propheta David, *Deus*, inquit, *venerunt gentes in haereditatem tuam;* et in templo cernens mactatas hostias, quas tunc sacrificabant, et introducta in ipsum simulacra, et eam, quae alioqui facta est, sanctorum inquinationem: *Polluerunt templum sanctum tuum* (*Ps.* 78), praedixit, et reliqua quae sunt in psalmo. prius enunciavit, et tamquam jam facta deflevit, quae erant ventura, et iis qui erant facturi, perinde ac iis, qui jam fecerant, male est precatus. Cum ergo sic in multis figuretur oratio in divina Scriptura, non fuerit novum, si quaedam de Christo sic dicta sunt a Prophetis, et hoc modo figurata fuit ab eis oratio. »

§ **27**. Haec cum in rebus divinis sapiens disseruisset Sylvester, Judaei: « Nihil, ajebant, est horum falsum; sed tu, quae dicta sunt de aliis, Jesu improbe tribuis; et sic mentem simpliciorum surripis. » — « Ergo, inquit Sanctus, aliquem alium a virgine conceptum et natum datis, aut ante Servatorem Christum, Deum in terra visum, et cum hominibus conversatum demonstrare potestis, aut alias gentes fremuisse, et populos esse inania meditatos adversus Dominum et adversus Christum ejus? Cuinam autem alii accommodabitis illud: *Foderunt manus meas et pedes meos:* et illud, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Ps.* 21); et in escam datum ei esse fel, et potatum eum esse aceto; et positum esse in lacu, et surrexisse in jubilo, ut Deum, qui vicit inimicum. Canticum enim esto pro

victoria, jubilatio. Dicite ergo, an haec possitis alicui alii tribuere? »

§ 28. Haec cum audiisset Imperator: « Mihi, inquit, videmini, o Judaei, esse victi. » Illi autem, « Ne sic, ajebant, feras contra nos sententiam, o optime Auguste: possumus enim adhuc multa alia opponere Episcopo. Et jam dicat, quanam de causa Jesus, cum esset Deus, ut ipse dicit, natus est ex Virgine, et carnem suscepit. An enim non poterat omnipotens aliter revocare genus hominum, et efficere ut ex casu surgeret? Quomodo autem Deo quoque a diabolo fuit adhibita tentatio, dum modo quidem exigeret, ut esuriens faceret panes ex lapidibus: modo aut juberet, ut se ex alto deorsum dejiceret, ut id quod cerneretur, probaret esse Dei filium, et rursus eum impelleret ad adorationem, et polliceretur se ei daturum regna terrae? » Ad haec dicit beatissimus Sylvester: « Nihil est quidem, o Judaei, quod non possit a Deo fieri, et ut res est, ita creditur. Oportebat autem diabolum vinci ab eo, qui ab ipso victus fuerat. Homo autem ab illo victus fuit; et homo, qui non factus est ex naturae consequentia, neque ex coitu et congressu viri, sed ex terra formatus incorrupta: incorrupta enim tunc erat terra, ut quae nondum fuisset maledicta, neque polluta sanguine fratris, aut caedibus aliorum animalium, neque mortuorum corporum, ut postea vocata esset sepulcrum, aut profanis actionibus inquinata ex sceleribus. Atque ex terra quidem talis caro formata fuerat Adamo primo parenti: ipsa autem divina insufflatio facta est in animam. Eum ergo hominem, qui sic natus fuerat, cum vicisset malignus, se insolenter jactabat, ut qui divino insultasset figmento. Oportet ergo, ut dictum est, a tali rursus homine vinci, et cadere eum, qui est princeps et auctor mali. Talis autem est Dominus Jesus, non natus naturae legibus, sed ut ille ex terra incorrupta, ita Dominus ex utero incorrupto, et ventre virgineo et sancto. Et quomodo ille fuit vivificatus divina insufflatione: ita hic etiam sanctissimo et vivifico spiritu constitit perfectus homo in omnibus sine peccato. Qui ergo quomodo Adam non naturaliter, sed supra naturam factus fuerat homo, et alius vocatus Adam, vicit eum, qui primum Adam deceperat et vicerat; et per quae malevolus et hostis hominibus primum nostrum devicit parentem, per ea novum quoque Adam inescare aggressus, non potuit. Per intemperantiam enim et gloriae cupiditatem illum decepit. Si ex ligno prohibito comederis, eris tamquam Deus, cognoscens bonum et malum; et adversus Christum quoque per eadem conatus et gloriari, cum videret eum tamquam Adamum propter id, quod apparebat, et esurienti apposuit lapides, petens ut eos mutaret in panes: et pollicitus est se illi daturum regna terrae, si procidens eum adoraret. Illud enim erat gulae: hoc autem primi loci cupiditatis, et dominandi desiderii. Undique autem depulsus fuit

malignus; et cum primum vicisset Adam, secundum aggressus, aperte victus est hostis. Propter haec Deus est inter homines, et mater Virgo, et hostis tentator. Non divina autem natura, sed humana fuit tentata, et in passione similiter passa est humanitas, impatibili remanente divinitate. »

§ 29. « Aliena dicis, o Episcope, respondère Judaei, et ab iis, qui intelligunt, omnino non admittenda. Quomodo enim unquam admiserit intelligentia, duarum rerum unitarum unam quidem pati, alteram vero effugere perpessionem? et unam quidem dolere, alteram vero non sentire dolorem? et hanc quidem mori, illam vero manere immortalem? Etenim nos quoque constamus ex duabus naturis, nempe ex anima et corpore, ex quibus anima quidem est immortalis, corpus vero subjectum mortalitati: sed corpore patiente, animam quoque simul pati cum eo cognoscimus: et eo dolente, illam quoque simul dolere: et quamdiu carni unita est anima, fieri non potest, ut si ea crucietur, non anima quoque sit particeps cruciatus. Est autem hoc evidens. Nam cum ex carne evolavit anima, illa nihil sentit omnino molestiae. »

§ 30. « Non duarum naturarum in Christo commixtionem, neque confusionem opinamur, o Judaei, divinus dixit Sylvester, sed unionem quidem, utraque autem natura suas inconfusas servante proprietates. Nam comedebat quidem et dormiebat, ut homo, et flevit propter Lazarum mortuum. Ut Deus autem, vivificavit mortuos, curavit paralyticos, per mare ingressus est pedibus, violentis ventorum flatibus assurgens mare depressit, stravit et sedavit; mari agitato fluctibus: *Sile*, dixit, *compescere* (*Marc* IV): et statim evasit placidum et tranquillum, et non transiliit increpationem. Ita etiam perpessiones et tentationes applicandae sunt carni, cui innatum erat, ut pateretur et tentaretur: non autem divinitati. Nam cum perfectum hominem suscepisset Dominus noster Jesus Christus, et anima quoque et mens in ea est assumpta: et carne patiente, una quoque dolere animam, humanae naturae legibus nos quoque dicimus: cum carne autem Domini pati id, cui non est innatum ut patiatur, dico autem divinitatem, nunquam dixerimus. » — « Sed quomodo, rursus dixerunt Judaei, potuerit hoc unquam fieri? Quomodo, quod a te affertur, potuerit concipere cogitatio? » — « Si autem in rebus materialibus et iis, quae apud nos fiunt, hoc fieri ostenderimus, dixit a Deo inspiratus Sylvester, non fuerit hoc a nobis admittendum etiam in divinitate, in quam non cadit interitus? »

§ 31. Post haec dixit Imperator et Senatus: « A ratione alienum fuerit, o sancte Sylvester, si ei quod dicis, non assentiantur Judaei; si duo quaedam unita, a te adducta fuerint, quorum uno patiente, alterum non fuerit simul particeps perpessionis. » — « Tibi quidem, o optime Imperator, et illustri Senatui, respondit

admirabilis Sylvester, haec sic videntur, et in alteram partem non propendet calculus. Dicant autem Judaei quoque, an illis placeat id, quod dicitur, et an huic quoque sententiae illi assentiantur. » — « Dicite, ait Imperator Judaeis, quid vobis videtur, si id quod dixit, confirmaverit Episcopus? » Illi autem: « Fieri quidem non potest, dicebant, o Imperator, ut tale exemplum nanciscatur Sylvester. Sin autem nactus fuerit, et impleverit id, quod est pollicitus, si contra illius dicta nos nihil dicere potuerimus, nos quoque lubenter tuam sequemur sententiam. » — « Sit mihi ergo exemplum, o Imperator, ait Sanctus, purpura tuae potentiae. Non est ea fila serica, quae natura quidem vilia, et ante purpuram non in magno pretio habita, purpurae autem sanguine colorata, et magni sunt pretii, et fiunt ornamentum Imperatoris? Quando ergo ea nebantur a textoribus, et vel extendebantur ad stamen, vel ab eis parabantur ad subtegmen, et aliquando quidem secabantur, aliquando autem inter se colligabantur, utrum erat id, quod nebatur, aut secabatur, aut ligabatur, fila serica, an id quod ea coloravit, color, inquam, purpurae? » Augustus et Senatus: « Serica fila, dixerunt, o Episcope, nebantur et secabantur. » — « Sint ergo, dixit Sanctus, imago, fila quidem serica, carnis Domini: purpura autem, divinae et impatibilis naturae; et quomodo fila, quae prius parvi erant pretii, colorans purpura flore suo, longe facit pretiosiora, ita etiam divinitas carni unita, quam suscepit Dominus, eam fecit longe pretiosiorem: sed illa patiente, non passa est divinitas, quomodo neque purpura, dum fila secabantur serica, aut quae ex eis contexta fuerant, fuit concisa. » His applauserunt Imperator et Senatus. Et optimum est, dixerunt, exemplum, et ratio quae servat promissum, et aperte ostendit solam passam esse Jesu carnem, non autem divinitatem.

§ **22**. Imperator autem orationem convertens ad Judaeos: « Quid vos ad haec dicitis? » inquit. « Magnae quidem est audaciae, dixerunt, o Imperator, tuae repugnare sententiae. Ubi autem de Deo agitur et contenditur, ne tua quidem potentia erit nobis impedimento, quo minus contradicamus. Nobis enim non solum videntur haec fila serica neri et scindi, sed etiam simul neri et scindi purpura; et ita Sylvestro non succedere quod dixerat, et non praestitisse, quod erat pollicitus. » Cum autem contradiceret Imperator et Senatus, a Deo inspiratus Sylvester: « Pervicax, o Imperator, inquit, est hoc genus, et semper durae cervicis. Ne ergo tua laboret potentia; sed his quoque adhuc alia adjiciantur exempla: adjuvante forte sancto et intelligente Spiritu, qui hominem docet scientiam, eorum obstruentur ora et persuadebuntur. » Et ad Judaeos conversus: « Solis, inquit, radius, qui arbori applicatur et eam illustrat, non est, inquit, ei unitus, quamdiu eam illustrat? » — « Omnino, » affirmarunt Judaei. « Si ergo securis aliqua arborem exciderit, dum illuminatur, num etiam

simul excisum solarem radium putabitis? Si autem splendor quoque solis cum luto congreditur, eritne ejus foetoris, aut etiam sordium ullo modo particeps, et non potius diu cum eo versans, et lutum exsiccabit, et exhauriet humiditatem, et salubre reddet id, quod est putrefactum? Quomodo ergo is, qui ligna secat, non una secat solarem radium secans arborem: ita nec passa est divinitas patiente Servatore in humanitate: neque fuit particeps carnis proprietatum ei unita: sicut nec sol appropinquans rebus sordidis et putrefactis, impletur immunditia, quae ex illis contrahitur. »

§ **33**. Cum haec sic dicta essent ab illo egregio rerum divinarum interprete, Imperator quidem, et universum applausit auditorium, et eum laudavit, illius verba admirans, et eorum parentem; Judaei autem steterunt silentes, et se invicem fixis oculis intuentes. Sanctus autem dixit Imperatori: « Haec exempla dixi, o Imperator, non ut quae rei naturam attingant: quae enim oratio rebus potuerit exaequari? Sed quae convenienter nostrae imbecillitati, exilem quamdam et obscuram praebent imaginem ejus, quae comprehendi non potest, susceptae carnis oeconomiae. » Reliquis autem Judaeis tacentibus, Zambres solis suis fretus praestigiis, et prodigiosum aliquid per eas avens ostendere, et per id venari spectatores: « Si verbis, inquit, o Imperator, et copiosus Sylvester, et aptus ad persuadendum in disputationibus, propterea ne nos, relicta patria religione, eum sequemur, et homini credemus, quem patres nostri communi consensu condemnarunt? Quod autem Deus est solus, qui a nobis colitur, et non alius, ego non verbis, ut Sylvester, sed rebus ostenderim. Jube ergo huc magnum et agrestem taurum adduci, et manifestum erit tuae potentiae, et omnibus qui adsunt, non esse Deum, praeter Deum nostrum. » Cum itaque quaereretur agrestis taurus, dixit quidam ex iis qui assistebant Imperatori, apud se esse talem ferum et immansuetum taurum, quem neque posset aliquis efficere, ut jugum subiret, neque eum manu demulcere. Jussit itaque Imperator taurum adduci.

§ **34**. Cum abirent autem, qui jussi fuerant taurum adducere, venerandus Sylvester rogavit Zambrem: « Cur a te quaesitus fuit taurus? Cum is autem advenerit, quidnam a te fiet? » Ille autem: « Nomen, inquit, Dei, qui a nobis colitur, audiri non sustinet natura; neque si quis id audiverit, potest amplius vivere. Nostri enim majores, ad sacrificia tauros maximos offerentes, in taurorum aures hoc nomen dicebant: et statim tauri magnum et flebilem edentes mugitum, cadebant, et erant parati, ut sacrificarentur. » Sylvester autem: « Si hoc, inquit, nomen, ut dicis, cum auditur, eum qui audit, interimit, quomodo tu hoc didicisti? » Zambres vero: « Non licet, inquit, tibi nosse modum, neque hujus rei arcano imbui mysterio, cum sis in nos male

affectus, et hostili animo in Judaeos.» Haec cum dixisset Zambres praestigiator, dicit ei Imperator: « Si non vis Episcopo aperire mysterium, at nobis interim oportet dissolvere dubium. Est enim re vera dubium quod dicitur, nisi quis dixerit hoc disci, dum legitur.» Zambres autem: « Non pellis, inquit, non alia charta, non lignum, non lapis, non ullum aliud corpus potest hoc nomen scriptum continere. Nam protinus et qui scribit, et corpus, in quo scribitur, interit. » Imperator vero: « Dic ergo, inquit, quomodo ipse hoc didicisti? Etenim fieri non potest, ut hoc discatur, si neque dicatur, neque scribatur.» Zambres autem: « Ego, inquit, o Imperator, septem dies vacavi jejuniis. Deinde nova pelvis argentea, qua nemo adhuc usus fuerat, impleta fuit aqua fontanae; et cum aqua fuisset benedicta, litterae fuerunt in ea insculptae quodam digito, quae vacantem mentem mystice nomen Dei docebant. » Dixit autem ingeniosus Sylvester: « Sic quidem, ut dicis, o Zambre, mystice didicisti nomen, quod non auditur? Quid autem, quando in aurem submurmuras hoc alicui, non ipse quoque hoc nomen audis, sicut is, cui hoc dicis? Quomodo ergo non tu quoque moreris? » — « Non apud te de hac re verba feci, Sylvester, respondit praestigiator. Jam enim prius tibi dixi, me tibi nolle modum et causam aperire. Sed quid verbis opus est, cum liceat rebus ipsis confirmare, quod dicitur? Ex duobus unum elige: aut enim ipse, Nazareni invocato nomine, taurum statim mortuum ostende, et eum esse Deum nos quoque admittemus; aut cum ego in aurem ejus dixero nomen Dei nostri, si cadet statim taurus mortuus, oportet ut tu quoque assentiaris non esse alium Deum, nisi eum quem colimus. » Laudarunt, quae dicta fuerant, ii qui audiebant, et anxii fuere Christiani. Sanctus autem Sylvester jubebat eos esse bono animo, et minime perturbari; et promittebat fore, ut viderentur ab omnibus Dei mirabilia. Tunc ergo Zambrae dixit Imperator: « Oportet te prius implere tuam promissionem. Pollicitus enim es, te taurum posse verbo occidere. » Ille vero dicit: « Quoniam jubes me hoc facere, o Auguste, vide vires Dei, qui a nobis colitur, quam sint inexpugnabiles. » Haec cum dixisset appropinquavit tauro, qui trahebatur a multis fortibus adolescentibus, validis funibus ejus cornibus et collo alligatis. Quorum alii quidem hinc, alii vero illinc eum trahebant, ne in utramvis partem inclinaret. Si enim ad dexteram partem irruebat taurus, eum trahebant ad sinistram; si eum autem impetus ferebat ad sinistram, eum retrahebant ii, qui stabant ad dexteram. Cum ergo accessisset, et in aurem ejus valde insusurrasset, taurus magnum et horrendum edens mugitum, et cum tremore membris in orbem circumactus, cecidit protinus, et videbatur mortuus. Propterea Judaei quidem exilierunt, et plauserunt manibus, et: « Vicimus,» exclamaverunt. Universum autem theatrum obstupuerat, et erat plenum tumultu. Sanctus autem

cum indixisset omnibus silentium, et sedasset tumultum, dicit Judaeis: « Non sunt verba vestrae Scripturae: *Ego occidam, et vivere faciam* (*Deut.* XXXII), ut in qua sit Deus omnipotens introductus hoc dicere? » Illi autem, haec ita se habere, assensi sunt. « Si ergo, dixit Sylvester, ex Deo a Zambre perfectum fuit ut moreretur, per ejusdem rursus invocationem fiet, ut ipse quoque reviviscat. Est enim beneficus Deus, non maleficus. Illud est enim ei naturâ, hoc vero praeter naturam. Et benefacere quidem est ei voluntarium; malefacere autem, violentum et involuntarium. Fit autem nonnunquam propter aliquorum utilitatem. Si ergo, quod est praeter naturam, et quod a Deo non sua sponte suscipitur, tam facile perfectum est a Zambre, facilius efficietur id, quod est ei secundum naturam, et decaetero quem nomine Dei, ut ipse dicit, occidit taurum, si rursus vivificaverit invocatione Omnipotentis, me quoque habebit ejus verbis assentientem. »

§ **35**. His sic dictis a Dei interprete, Zambres: « Strophis verborum, inquit, fretus Sylvester, o Imperator, per ea vult adumbrare id, quod modo factum est miraculum, Dei nominis invocatione. Sed non opus est nunc verbis, nec eorum ornatu ac probabilitate: factis autem opus est. Et si qua est tibi virtus, o Episcope, et Jesu, qui a te colitur, eam factis ostende. » — « Et vis, inquit ille Beatissimus, ostendam Christi virtutem, invocatione ejus bovem vivificans, quem tu interfecisti? » — « Verba sunt haec, o Sylvester, inquit Zambres, et inanis jactatio. Non potest enim fieri, ut taurus vivificetur. » Ei autem dicit magnus Constantinus: « Si ergo quod tu dicis fieri non posse, possit Episcopus ad opus deducere, ejusne verbis assentieris, et Deum esse confiteberis eum, qui ab ipso praedicatur? » — « Certe, inquit, o Imperator, juro per salutem, si videro hunc taurum resurgere, ipse quoque Christum fatebor Deum, et me submittam Sylvestri dogmati. » Hoc omnes quoque affirmarunt Judaei. Tunc ergo Sanctus, cum genu flexisset, et solo caput demisisset, et oculos irrigasset fluxione calidarum lacrymarum, Deum per se oravit. Deinde surgens, et manus in altum tollens, dixit cunctis audientibus: « Domine Jesu Christe, qui es Dei filius et Deus, cui facile est vivificare et morte afficere, percutere et sanare, tibi placeat, ut hic bos, qui daemonis invocatione morte fuit affectus, a sancto et vivifico et venerando tuo nomine vivificetur. Jam enim tempus est, ut tua ostendantur miracula ad salutem multorum, propter quam ipse in terram descendisti; exaudi me servum tuum in hac hora, ut sanctissimum tuum nomen sit in majori adhuc admiratione. »

§ **36**. Et cum haec dixisset, prope taurum accedens, voce sublata exclamavit: « Si est verus Deus, quem ego praedico, Jesus Christus, qui natus est ex Maria Virgine, surge et sta supra pedes tuos, tua abjecta feritate. » Protinus itaque motus taurus, exiliit.

et stetit a nullo detentus ; et ad eum accedens mirificus ille pater, cum ab impositis eum solvisset vinculis : « Abi, inquit, unde venisti, ostendens deinceps omnem mansuetudinem, neminem laedens, neque contra ullum insurgens : haec tibi jubet Jesus Christus, omnium Deus. » Ille autem statim sensim abiit et quieto pede, qui prius erat immitis et immansuetus. Haec eos qui videbant, obstupefecerunt, et, Vere magnus est, qui a Sylvestro praedicatur, Deus, clamabant. Judaei autem ad Sanctum accurrentes, illius pedes prehensarunt, et rogarunt ut oraret pro ipsis, et eis Deum placaret. Et inclyta Imperatrix Helena, velis ablatis, intra quae sedebat, audiens ea quae dicebantur, et spectans ea quae fiebant, egressa est et prócidit ad Sancti pedes, Credo Christo, dicens, et rogans ut divinum baptismum consequeretur. Vir autem ille Apostolicus, omnibus in Dominum nostrum Jesum Christum credentibus eum propitium futurum pollicitus, cum iis, qui divinum volebant assequi baptismum, jejunium praecepisset et sanctificationem, dissolvit conventum. Deinde cum eos catechesi imbuisset, qui erant illuminandi, et in iis, quae de more fiunt, prius eos initiasset, baptizat primum quidem Imperatricem : post eam autem Romanorum quoque multitudinem, quae non facile numerari poterat, et eos qui illic aderant Judaeos, qui omnes crediderunt.

§ 37. Haec autem cum pie administrasset, et fidem dilatasset, fiduciamque et libertatem dedisset praedicationi, et deinde una cum Imperatrice profectus esset Jerusalem, et ad quaerendam salutarem Christi Crucem ei collaborasset, et propter inventionem ejus esset collaetatus, et multos illic quoque Judaeos ad Christi fidem adduxisset, et eos divino baptismo initiasset in nomine sanctae Trinitatis, et evasisset plenus diebus spiritus, terram quidem terrae reddidit, spiritum autem deposuit in manibus Angelorum, abducendum ad Christum, qui fuerat ab eo praedicatus, et multorum laborum, quos propter illum susceperat, accepturum remunerationes, quando veniet unicuique redditurus secundum sua opera : quem decet omnis honor et adoratio, cum Patre principii experte, et increato et honore ei aequali Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

* S. Sylvester per legatos praefuit Arelatensi Concilio, quod, contra Donatistas, anno 314, celebratum est; atque Constantinum Imperatorem excitavit, ut Nicaenum convocaret, quod et confirmavit. Ipse primus Pontificum dicitur, qui pileum, diademate ornatum, ad significandum regale sacerdotium, sumpserit. Huic diademati alteram coronam, ut hisce duabus coronis exprimeretur Pontificis potestas in regnum corporale et in regnum spirituale, Bonifacius Pp. VIII imposuit. Demum Urbanus V triplici coronâ se cinxit, numeri mystici forsitan causâ. Caeterum de S. Sylvestri rebus gestis parum nobis est compertum.

# BEATI PETRI DAMIANI

# SERMO IN FESTIVITATE S. BARBATIANI

## PRESBYTERI ET CONFESSORIS

**Claruit seculo V.**

§ 1. Nuper celebravimus, fratres carissimi, ineffabilem Redemptoris nostri nativitatem, nunc geminato solemnitatis gaudio venerabilem colimus beatissimi sacerdotis ejus assumptionem. In illa festivitate Salvator noster, obumbrata majestatis suae specie, descendit in mundum; in ista gloriosissimus ejus famulus, deposito corruptibili carnis pondere, liber ascendit. In illa Unigenitus Dei Filius humanitatis nostrae formam pro nostra salute suscepit; in ista beatus confessor ejus ad Angelicae beatitudinis speciem felici morte pervenit. In illa solemnitate Redemptor noster trophaeo carnis indutus, ad debellandas aëreas potestates in mundum proeliaturus accessit; in ista vero egregius miles ejus triumphato mundi principe, coeleste palatium victor intravit. Idcirco quippe Deus descendit, ut homo ascenderet; idcirco humiliari dignatus est, ut hominem exaltaret. In nativitate Dominica vox Angelica sonuit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (*Luc.* II); hodie dilecto suo suavissima vox divinae majestatis intonuit, dicens: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). In illa festivitate Dominus exivit de utero Virginis; in ista venerabilis ejus famulus egressus est de ergastulo carnis. In illa Christus pro nobis est pannis involutus; in ista sacerdos ejus stola est ab eo immortalitatis indutus. Ille angustias intrare non dedignatus est uteri, ut istius animam latitudo susciperet coeli. Ille descendit carne velatus, ut iste ascenderet stola gloriae decoratus.

§ 2. Considerate, fratres carissimi, quantus vir iste fuerit, quam pleniter illum, ut revera sacratissimum templum, Spiritus Sanctus inhabitaverit, qui et in pace sanctae Ecclesiae tot miraculis coruscavit. In initio quippe nascentis Ecclesiae illi etiam miracula faciebant, qui facere signa digni non fuerant, et sine virtutibus morum, plerique excellebant virtute signorum. Unde et ipsa Veritas dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia non novi vos: discedite a me operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Ut enim ad fidem cresceret sancta

Ecclesia, miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videmus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit *. Hinc est enim, quod Paulus dicit: *Linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus* (1. *Cor.* XIV). Sed cum ista dicamus, quaestionem nobis oriri non sine aliqua difficultate videmus. Si enim signa propter infideles data esse dicuntur, quid est hoc, quod Redemptor noster in patria sua propter incredulitatem hominum vix paucas virtutes facere potuisse perhibetur? Sicut enim Marcus Evangelista testatur: *multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic haec omnia? Et quae est sapientia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est fabri filius et Mariae, frater Jacobi et Joseph, et Judae et Simonis? Nonne et sorores ejus nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo* (*Marc.* VI). Unde et paulo post subditur: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus, curavit: et mirabatur propter incredulitatem illorum*. Quid est hoc, fratres, quia Paulus affirmat signa pro infidelibus data, Marcus asserit propter infideles fuisse subtracta? Nunquid contrarias inter se invicem proferre sententias possunt, qui uno Spiritu pleni sunt?

§ 3. Sed notandum est, quia in ipsis infidelibus erat quidam diversitatis modus. Par quidam error fuerat omnium non credentium, sed magna diversitas causarum. Aliud est enim, si sola quis fallatur ignorantia; aliud, si adjuncta quoque erret malitia. Ignorantia Paulus peccaverat, qui dicebat: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus: sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (1. *Tim.* I). Per malitiam Judas peccavit, et ideo nequaquam venire ad indulgentiam meruit. Pro illis ergo infidelibus signa data sunt, quos divina providentia misericorditer salvare decreverat. Propter illos vero subtracta sunt, quos ab electorum sorte, exigentibus eorum peccatis, districtae severitatis justitia repellebat. Christianis autem temporibus, cum jam pene totus ubique terrarum orbis in catholica fide persisteret, et pacem sanctae Ecclesiae vix ulla persecutorum saevitia perturbaret, cur beatissimus confessor Christi Barbatianus tot miraculorum virtutibus claruit, nisi quia ante divinae majestatis oculos excellentium meritorum virtutibus fulsit? Erat, sicut de Joanne dicitur, lucerna ardens et lucens: ardens videlicet per amorem cordis, lucens splendore eximiae conversationis. Sed tunc lucerna sub modio occultari voluerat, cum, sicut in sanctissimae vitae ejus narratur historia, latens in cellula, manifestari principibus devitabat. Nolebat mundi regibus innotescere, ut Regi regum potuisset familiarius adhaerere; recusabat ab hominibus temporalem suscipere gloriam, ut cum Angelis acquirere mereretur aeternam.

* Haec Gregorius similiter sentit.

. sanitatem restituere cu-

# BEATI PETRI D... ...it emplastrum, saepe co- antidotum, conferebat: eo

. herbarum virtus, vel medi-

## SERMO IN FESTIVIT... ..r, nequaquam sanctitatis suae ..r; et dum ab eo medicina su-

sanctus, esse videatur. Sed dic

### PRESBYTER... ..erabilis medice, unde confectionem

..rtutis nostris finibus attulisti, ut non
... unius momenti spatio exspectetur, sed
.. statim omnis languor, omne vulnus pri-

§ 1. Nuper celebr... ..tur? Epithema siquidem curare non potest. ptoris nostri nativi... ..jaceat superpositum, donec vel vigorem suum nerabilem colim... ..jus in corporis interiora transfundat, vel humo- illa festivitate S... ..irtutis suae potentia ad exteriora trajiciat. Anti- descendit in ... ..quod ore percipitur, necesse est ut eatenus moras posito corr... ..que per venas et poros occulta viscerum funditus pe- nitus Dei ... ..vel corrupta solidet, vel tumefacta noxiis humoribus suscepit ... ..vero venerabilis medicina non moras innectit, non specier... ..dicis custoditur, diaetae discretionem quaerit; sed mox ster ... ..mo tenus tangitur, salus integerrima reparatur. Solve ergo, mu... ..solve, obsecro, ligaturam, et tam incomparabilis medi- tri... ..nobis trade notitiam. Videamus et nos inaestimabiles pi- c... ..torum tuorum species, odoremus jucundissimas fragrantium ... ..matum suavitates. Eja, fratres, audite, libellus sacratissimae ..jus vitae coram cunctis aperiat, quas aromatum species ejus in ..medicina contineat, saluberrima illa confectio, quibus aroma- ..tibus constet. Dicit enim inter caetera, quia cujusdam Juliani fi- ..lium guttur gravabat miserabiliter tumidum, qui cum beato viro delatus fuisset, et cum pater pro filio lacrymabiliter postularet, venerabilis vir quandam confectionem, de pane videlicet, et cera, et oleo faciens, super ejus vulnera posuit, et facto Crucis signaculo, statim in ipsius horae puncto omnem pestem de ejus gutture mirabiliter effugavit. Audistis, fratres carissimi, quae pigmentorum genera egregius noster medicus habuit, qui mortale vulnus tanta velocitate sanavit? Panem, ceram, et oleum, quae sustentandae vitae habebant usum, in medicinalis curae transtulit instrumentum. Et unde vitam alebat suam, inde mortem repulit alienam. Speciebus videlicet utens domesticis, aestimationem pretii minuit peregrinis. Aliquando aegrotandi citri peciam, aliquando caricam porrigebat:- et hujusmodi curationis genere illos ad perfectae valetudinis robur, expulsâ omni languoris molestiâ, revocabat, ea, nisi fallor, intentione, ut quia uterque hic fructus in Romanis finibus apud quosdam rarior cernitur, medicinale aliquid fuisse crederetur: sicque dum reparata salus medicinae tribuitur, in aestimatione hominum sanctitatis ejus opinio minueretur.

ergo nos miseri dicturi, quid facturi in districto
ˀdi Judicis sumus, qui et virtutes non habemus,
ˀtorum excellentia ante humanos oculos super-
ˀatem habere ante interni arbitri oculos nullo
et sanctitatis nomen apud humana judicia
ˀ gaudemus? Quot enim hodie cernimus,
ırabilis hujus viri vel ultimam particulam
ıd coelum se in superbiae cornibus exalta-
ıe aliquid virtuosum operantur, verum per hoc
ı terram petunt. Affectantes nimirum laudes ho-
ıetipsis dissipant fructus laborum. Cumque se osten-
ıs oculis appetunt, ante divinae majestatis intuitum
omne quod agunt. Saepe etiam sacrae legis eruditione
ıs instruunt, omne quod sentiunt, testimoniis attingunt: nec
ıen per hoc vitam audientium, sed proprios favores quaerunt: quia nec proferre alia cupiunt, nisi quae auditorum corda ad repetendas laudes excutiunt, non autem ad lacrymas tendunt. Mens quippe exterioribus occupata, igne divini amoris non calet: et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur. Neque enim res, quae et in semetipsa non arserit, aliud accendit. Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta et audientes non erudiant, et eosdem ipsos, qui proferunt, elatos laudibus, deteriores reddant. Attestante etenim Paulo, *scientia inflat, charitas aedificat* (1. *Cor.* VIII). Cum ergo charitas auditores aedificando non erigit, scientia proferentes inflando pervertit.

§ 5. Plerumque hypocritae, fratres mei, se abstinentiâ affligunt, omne robur corporis àtterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant: sed per hoc humanos oculos quaerunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quae ait: *Exterminant* enim *facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth.* VI). Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur: sed inter haec ab ore proximorum sermo admirationis quaeritur, nihilque pro tanto labore aliud, nisi aestimatio humana cogitatur. Perpendite, dilectissimi fratres mei, quam miserabilis vecordiae est, laboriose agere, et ab ore hominum laudibus inhiare: forti opere praeceptis coelestibus inservire, sed terrenae retributionis praemium quaerere. Sic enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute quam agit, humanum favorem desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde coeli regnum mereri potuit, inde famam transitorii favoris quaerit. Intus ergo, fratres mei, intus servanda sunt bona, quae agimus, si ab interno judice vicem recipere nostri operis exspectamus. Hinc est enim, quod in Evangelio Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua*

Ad hoc quippe pertinet, quod is, quibus sanitatem restituere cupiebat, saepe superponendum quid, velut emplastrum, saepe comedendum aliquid, quasi medicinale antidotum, conferebat: eo nimirum, ut opinor, studio, ut, dum herbarum virtus, vel medicinalium specierum potentia creditur, nequaquam sanctitatis suae viribus restituta sanitas ascribatur; et dum ab eo medicina suscipitur, magis medicus, quam sanctus, esse videatur. Sed dic mihi, o bone medice, dic, venerabilis medice, unde confectionem tam efficacis, tam subitae virtutis nostris finibus attulisti, ut non triduo, non biduo, non vel unius momenti spatio exspectetur, sed mox ut adhibita fuerit, statim omnis languor, omne vulnus pristinae saluti restituatur? Epithema siquidem curare non potest, nisi tamdiu tumori adjaceat superpositum, donec vel vigorem suum per occultos meatus in corporis interiora transfundat, vel humorem pestiferum virtutis suae potentia ad exteriora trajiciat. Antidotum vero, quod ore percipitur, necesse est ut eatenus moras faciat, quousque per venas et poros occulta viscerum funditus penetret, et vel corrupta solidet, vel tumefacta noxiis humoribus purget. Tua vero venerabilis medicina non moras innectit, non quae a medicis custoditur, diaetae discretionem quaerit; sed mox ut summo tenus tangitur, salus integerrima reparatur. Solve ergo, pater, solve, obsecro, ligaturam, et tam incomparabilis medicinae nobis trade notitiam. Videamus et nos inaestimabiles pigmentorum tuorum species, odoremus jucundissimas fragrantium aromatum suavitates. Eja, fratres, audite, libellus sacratissimae ejus vitae coram cunctis aperiat, quas aromatum species ejus in se medicina contineat, saluberrima illa confectio, quibus aromatibus constet. Dicit enim inter caetera, quia cujusdam Juliani filium guttur gravabat miserabiliter tumidum, qui cum beato viro delatus fuisset, et cum pater pro filio lacrymabiliter postularet, venerabilis vir quandam confectionem, de pane videlicet, et cera, et oleo faciens, super ejus vulnera posuit, et facto Crucis signaculo, statim in ipsius horae puncto omnem pestem de ejus gutture mirabiliter effugavit. Audistis, fratres carissimi, quae pigmentorum genera egregius noster medicus habuit, qui mortale vulnus tanta velocitate sanavit? Panem, ceram, et oleum, quae sustentandae vitae habebant usum, in medicinalis curae transtulit instrumentum. Et unde vitam alebat suam, inde mortem repulit alienam. Speciebus videlicet utens domesticis, aestimationem pretii minuit peregrinis. Aliquando aegrotandi citri peciam, aliquando caricam porrigebat:- et hujusmodi curationis genere illos ad perfectae valetudinis robur, expulsâ omni languoris molestiâ, revocabat, ea, nisi fallor, intentione, ut quia uterque hic fructus in Romanis finibus apud quosdam rarior cernitur, medicinale aliquid fuisse crederetur: sicque dum reparata salus medicinae tribuitur, in aestimatione hominum sanctitatis ejus opinio minueretur.

§ 4. Quid ergo nos miseri dicturi, quid facturi in districto examine tremendi Judicis sumus, qui et virtutes non habemus, et tamen de meritorum excellentia ante humanos oculos superbimus? Qui sanctitatem habere ante interni arbitri oculos nullo desiderio quaerimus, et sanctitatis nomen apud humana judicia nobis fallaciter usurpare gaudemus? Quot enim hodie cernimus, qui, si de virtutibus admirabilis hujus viri vel ultimam particulam attingere potuissent, ad coelum se in superbiae cornibus exaltarent: qui quandoque aliquid virtuosum operantur, verum per hoc non coelum, sed terram petunt. Affectantes nimirum laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum. Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, ante divinae majestatis intuitum damnant omne quod agunt. Saepe etiam sacrae legis eruditione et alios instruunt, omne quod sentiunt, testimoniis attingunt: nec tamen per hoc vitam audientium, sed proprios favores quaerunt: quia nec proferre alia cupiunt, nisi quae auditorum corda ad repetendas laudes excutiunt, non autem ad lacrymas tendunt. Mens quippe exterioribus occupata, igne divini amoris non calet: et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur. Neque enim res, quae et in semetipsa non arserit, aliud accendit. Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta et audientes non erudiant, et eosdem ipsos, qui proferunt, elatos laudibus, deteriores reddant. Attestante etenim Paulo, *scientia inflat, charitas aedificat* (1. *Cor.* VIII). Cum ergo charitas auditores aedificando non erigit, scientia proferentes inflando pervertit.

§ 5. Plerumque hypocritae, fratres mei, se abstinentiâ affligunt, omne robur corporis àtterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant: sed per hoc humanos oculos quaerunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quae ait: *Exterminant* enim *facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth.* VI). Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur: sed inter haec ab ore proximorum sermo admirationis quaeritur, nihilque pro tanto labore aliud, nisi aestimatio humana cogitatur. Perpendite, dilectissimi fratres mei, quam miserabilis vecordiae est, laboriose agere, et ab ore hominum laudibus inhiare: forti opere praeceptis coelestibus inservire, sed terrenae retributionis praemium quaerere. Sic enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute quam agit, humanum favorem desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde coeli regnum mereri potuit, inde famam transitorii favoris quaerit. Intus ergo, fratres mei, intus servanda sunt bona, quae agimus, si ab interno judice vicem recipere nostri operis exspectamus. Hinc est enim, quod in Evangelio Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua*

*in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI). Hinc est, quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filia Regum ab intus* (*Ps.* 44). Filia quippe Regum, est sancta Ecclesia, quae in bono est opere spiritualium principum praedicatione generata: quae dum se in virtutibus sanctae conversationis exercet, quia per hoc soli Deo placere studet, non foris gloriam, sed intus habet. Hic Paulus ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (2. *Cor.* I). Gloriam suam Apostolus testimonium conscientiae memorat, quia fanores oris alieni non appetens, vitae suae gaudia extra semetipsum ponere ignorabat. Occultanda sunt ergo, fratres carissimi, bona quae agimus, ne haec in hujus vitae itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Ecce enim hic beatissimus vir Barbatianus, cujus hodie nobis festinus natalis illuxit, non humanae laudis gloriam petiit, non favores hominum affectavit, non de ostensis tot miraculis apparere ipse mirabilis voluit, non de collatis tot in languidos beneficiis humanae retributionis praemium exspectavit: quin etiam medicinalis exercitii praetendebat speciem, ut clarissimum virtutis suae posset obfuscare nitorem. Et velut magnum coeli astrum nubem virtutibus suis curabat opponere, ut dum minus ad exteriora radios suae lucis expanderet, quasi undique in semetipso collectus, in conspectu aeterni Solis plenius eluceret.

§ 6. Libet autem, dilectissimi, pulcrum divinae dispensationis ordinem studiose perpendere, videlicet qualiter omnipotens Deus ad illuminandam noctem vitae praesentis, stellas suas in coeli faciem mittere, et per eas totius mundi decernat caliginem illustrare: ut dum fulgentia astra radiare per coeli climata cernimus, inoffenso pede operis iter nostrae noctis ambulemus. Sicut enim matutinus lucifer, solem praecedens, ab orientali prius plaga consurgit, deinde meridiani climatis superiora conscendit, ad extremum quoque pronus in occiduum axem vergit, sic nimirum, sic beatissimus Confessor Christi Barbatianus, de Antiochenis finibus, unde oriundus fuerat, exiit, et Romam pertransiens, multa eam miraculorum luce perfudit. Postremo Ravennam usque perveniens, Christum, qui est sol justitiae, plurimis hominum mentibus introduxit. Antiochiae scilicet splendore sui ortus emicuit, Romae plurimos signorum igniculos sparsit, urbem vero Ravennam velut occasu sacratissimi sui obitus illustravit. Ita meritis sacratissimi hujus viri, velut novi splendore luciferi, in tribus suis praecipuis regionibus totus rutilat mundus, dum in alia mundi plaga ejus cernitur ortus, in alia quodammodo videtur ascensus, in tertia celebratur occasus. Et, sicut de compatriota ejus beatissimo Apollinare * in alio sermone jam diximus, quam recte huic luciferi nomen congruit, qui Romam ingressus, primum virtutis

* S. Apollinaris Mart. Vita habetur in Vol. VII, pag. 465, etc.

uae miraculum de lumine fecit? Regina enim Galla Placidia *, ıt audistis, suppliciter ejus flagitabat auxilium pro quadam sua ›edisequa, quae intolerabilibus cruciabatur doloribus oculorum: ui mox pallio suo ejus oculos tangi praecepit, et sic ab ea proinus omnem pestiferae aegritudinis molestiam effugavit.

§ 7. Quapropter cum dignitatem tuam, felicissima urbs Raenna, subtili meditatione considero, largissimis te misericordiae livinae beneficiis ditatam esse perpendo. Video enim, quia ex pso originali fonte Christianae religionis, perpetuae meruisti ›oculum haurire salutis. In Antiochia namque, sicut in Actibus Apostolorum legitur, primum Christiani discipuli sunt vocati. Ex pso igitur sanctae Ecclesiae fundamento quadratos lapides suscepisti, super quos velut firmissimas bases erecta, immobili es ide et sanctitatis soliditate fundata. Inde enim habes Apollinarem Apostolicum martyrem, inde etiam Barbatianum egregium Con-essorem, qui velut duae excellentissimae cedri paradisi, sic te ramis suae protectionis obumbrant, ut si sub eis humiliter manere volueris, omnem a te turbinem adversariae tempestatis expellant. Et ut eis deesse nihil valeat, quod ad cumulum tuae felicitatis attineat, mox ut de Antiochenis finibus exeunt, Romae, quae absque dubio caput est et principalis sedes totius sanctae Ecclesiae, commorantur; nimirum ut in schola Petri primitus discant, quod te postmodum de doctrina veritatis erudiant: et de purissimo fonte abundanter bibant, quod in te salutaris doctrinae magisterio velut eructando transfundant. Tamquam enim iterum Paulus, iterum Apollo, quos ille in fide plantavit, iste largissimo miraculorum et praedicationis imbre rigavit. Sed quia neque qui plantat, ex ipso est aliquid, neque qui rigat, nos etiam Apostolica sequentes verba, dicamus: *Deus autem incrementum dedit.*

§ 8. Hos igitur tam praeclaros, coelestis curiae senatores, fratres carissimi, perfecto cordis amore diligite, horum imitari exempla tota animi devotione curate. Nam si vultis esse quod sunt, necesse est etiam vos facere, quod fecerunt. Per angustam ergo et asperam laboris viam, dilectissimi, in hoc seculo cum sanctis incedite, ut postmodum valeatis ad eorum gaudii latitudinem pervenire. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Procul dubio autem a vestigiis Christi exorbitat, qui angustam fugiens, latitudinis viam calcat. Iste namque beatissimus vir, cujus hodierna solemnia frequentare gaudemus, non terrenos honores voluit, non fallaces divitias congregavit, non mundi gloriam petiit, non transitoriae possessionis praedia dilatavit, propinquos sprevit, patriam dereliquit, semetipsum quoque pro amore Christi funditus abnegavit. Nemo ergo dicat, quod illi solummodo coelestibus digni praemiis

* Filia magni Theodosii, mater vero Imperatoris Valentiniani III. Uxor primum fuit Ataulphi Gothorum regis; nupsit deinde Constantio, duci clarissimo. Obiit anno 450.

habeantur, qui persecutorum gladiis pro Christi nomine feriuntur. Conclusit Deus omnem nostrae tergiversationis aditum, obstruxit omne excusationis humanae confugium. Ecce jam non valemus cum beato Apollinare pro Deo mortem subire, possumus saltem cum beato Barbatiano vitam Deo placentem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo, sed non est inferius vivere Christo. Utrumque enim in statera Paulus aequa lance pendebat, cum diceret: *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus* (*Rom.* XIV). Quisquis igitur amat martyrium, exhibeat se martyrio dignum, et martyrii consequetur procul dubio praemium. Non potest sanguinem fundere; potest semetipsum poenitentiae telo percutere, et in cordis contritione mactare. Praeparetur ad feriendum jugulus, non deerit remunerator, etiamsi defuerit gladius. Deest carnifex, qui cervicem exterius feriat: adest judex, qui bonae voluntatis praemium reddat.

§ 9. Studeamus igitur, dilectissimi, cum beatissimo confessore Christi Barbatiano seculi hujus blandimenta despicere, rerum temporalium affluentiam devitare, carnis incentiva reprimere, crucem post Christum etiam in pace Ecclesiastica bajulare: quatenus qui nunc ejus mirabilem sequimur vitam, cum ipso postmodum desiderabilem perducamur ad gloriam: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur, per infinita secula seculorum, Amen.

# VITA SANCTAE MELANAE ROMANAE

### AUCTORE SIM. METAPHRASTE.

**Ad coelum evolavit anno 439.**

§ 1. Fuit ergo hoc quoque earum, quae olim fuerunt, civitatum maximae et clarissimae Romae, non solum efferri pulcritudine, neque situ vincere, neque trophaeis et aliis omnibus gloriari, sed multo magis sibi placere, et se magnificare propter eos, qui pro Christo se fortiter gesserunt, tam viros quam mulieres, et has magis, quod non secus ac viri fortiter decertarunt, et se vitae exemplum ad virtutem aliis constituerunt. Ex quibus una fuit beata Melana *, quam sibi nunc argumentum proposuit

* Haec Melana, vel Melania *junior* vocatur respectu *senioris*, ejusdem nominis, cujus ipsa neptis erat. Non imparis virtutis, ait Baronius, aut minoris laudis Melania *senior* fuit aliquando, sed postea Origenis fuligine praeclarissima opera obscuravit.

oratio, et aggressa est res illius dicere ab initio. Eam enim tulit celeberrima et clarissima Roma *. Fuit autem ejus quoque genus clarissimum; erant enim ejus parentes primi senatus Romanorum. Orta est autem bona ex bonis. Nam erant illi quoque pii et virtutum amatores.

§ 2. Cum ergo jam esset nubilis, desiderium continentiae vicit ejus, quae ex aetate erat, appetitionem, et rogavit parentes, ne unquam eam jungerent matrimonio, sed sicut ei, ut esset, ita etiam ut virgo maneret, concederent. Illi autem cum propter hanc solam, hujus vitae agitarentur fluctibus, ei parentes divitias, et sperantes se successorem generis ex ea habituros, quartumdecimum annum jam agentem vel invitam collocant in matrimonio. Erat vero ejus sponsus, et genere, et aetate et aliis omnibus cum Melana conferendus: natus quidem ex Consulibus, et modo excedens ex ephebis. Sponsi autem nomen erat Apenianus, agens annum circiter decimum septimum. Eis autem sic celebratis nuptiis, admirabilis Melana etiam post nuptias, adhuc vehementius amabat continentiam, et amor castitatis non intermittebat eam acrius urere; multis vero verbis maritum suum ad hoc exhortabatur, et cum verba non sufficerent, ei quoque ad persuasionem opem ferebant lacrymae, haec dicenti: « Si quidem, o marite carissime, eadem tibi quoque videntur, et ambo habitabimus convenienter legi continentiae, beati nos erimus propter nuptias, et ambo per nos invicem salvi erimus, et erimus alter alteri viae pulcherrimae occasio. Sin autem juventus et aetas propensior ad voluptates non permittit ut hoc feras, at tu me sinas, et ne coeptum meum et institutum prohibeas, mei autem corporis et meae libertatis merces erunt omnes possessiones, omnes famuli, et vestes, et domus, et quaecumque alia sunt in meis facultatibus. His omnibus tibi cedo, dummodo meipsam redimam. » Ille vero neque universum concedens, neque ejus totam aversans voluntatem: « Nunc quidem, o uxor, inquit, non possunt haec fieri: postquam autem generis et facultatum habuerimus successorem, nec ego bono tuo instituto deero. Grave enim esset, si in divino desiderio vir foeminae cedere conspicerer. Sed tunc ambo hanc viam eligentes, non secus ac in matrimonio, ita in vita ex Deo agenda inter nos conspirabimus. »

§ 3. Acquiescunt ambo ei, quod dictum fuerat. Procedente autem tempore, nascitur eis puella. Ea cum primum lucem adspexit, castitatis Soli fuit consecrata, Melana offerente primitias Domino, qui ipsam dederat, ut sic vel consuetudinem habens matrimonii, videretur plurimum tribuere virginitati. Deinceps vero seipsam contrahens, moderate et temperanter vivebat. Non vestem gestabat splendidam, non corpus suum fovebat lavacris; et si quando a marito aut a parentibus cogeretur, ibat quidem ad

* Circa annum 388.

cum indixisset omnibus silentium, et sedasset tumultum, dicit Judaeis: « Non sunt verba vestrae Scripturae: *Ego occidam, et vivere faciam* (*Deut.* XXXII), ut in qua sit Deus omnipotens introductus hoc dicere? » Illi autem, haec ita se habere, assensi sunt. « Si ergo, dixit Sylvester, ex Deo a Zambre perfectum fuit ut moreretur, per ejusdem rursus invocationem fiet, ut ipse quoque reviviscat. Est enim beneficus Deus, non maleficus. Illud est enim ei naturâ, hoc vero praeter naturam. Et benefacere quidem est ei voluntarium; malefacere autem, violentum et involuntarium. Fit autem nonnunquam propter aliquorum utilitatem. Si ergo, quod est praeter naturam, et quod a Deo non sua sponte suscipitur, tam facile perfectum est a Zambre, facilius efficietur id, quod est ei secundum naturam, et decaetero quem nomine Dei, ut ipse dicit, occidit taurum, si rursus vivificaverit invocatione Omnipotentis, me quoque habebit ejus verbis assentientem. »

§ **35**. His sic dictis a Dei interprete, Zambres: « Strophis verborum, inquit, fretus Sylvester, o Imperator, per ea vult adumbrare id, quod modo factum est miraculum, Dei nominis invocatione. Sed non opus est nunc verbis, nec eorum ornatu ac probabilitate: factis autem opus est. Et si qua est tibi virtus, o Episcope, et Jesu, qui a te colitur, eam factis ostende. » — « Et vis, inquit ille Beatissimus, ostendam Christi virtutem, invocatione ejus bovem vivificans, quem tu interfecisti? » — « Verba sunt haec, o Sylvester, inquit Zambres, et inanis jactatio. Non potest enim fieri, ut taurus vivificetur. » Ei autem dicit magnus Constantinus: « Si ergo quod tu dicis fieri non posse, possit Episcopus ad opus deducere, ejusne verbis assentieris, et Deum esse confiteberis eum, qui ab ipso praedicatur? » — « Certe, inquit, o Imperator, juro per salutem, si videro hunc taurum resurgere, ipse quoque Christum fatebor Deum, et me submittam Sylvestri dogmati. » Hoc omnes quoque affirmarunt Judaei. Tunc ergo Sanctus, cum genu flexisset, et solo caput demisisset, et oculos irrigasset fluxione calidarum lacrymarum, Deum per se oravit. Deinde surgens, et manus in altum tollens, dixit cunctis audientibus: « Domine Jesu Christe, qui es Dei filius et Deus, cui facile est vivificare et morte afficere, percutere et sanare, tibi placeat, ut hic bos, qui daemonis invocatione morte fuit affectus, a sancto et vivifico et venerando tuo nomine vivificetur. Jam enim tempus est, ut tua ostendantur miracula ad salutem multorum, propter quam ipse in terram descendisti; exaudi me servum tuum in hac hora, ut sanctissimum tuum nomen sit in majori adhuc admiratione. »

§ **36**. Et cum haec dixisset, prope taurum accedens, voce sublata exclamavit: « Si est verus Deus, quem ego praedico, Jesus Christus, qui natus est ex Maria Virgine, surge et sta supra pedes tuos, tua abjecta feritate. » Protinus itaque motus taurus, exiliit,

et stetit a nullo detentus ; et ad eum accedens mirificus ille pater, cum ab impositis eum solvisset vinculis : « Abi, inquit, unde venisti, ostendens deinceps omnem mansuetudinem, neminem laedens, neque contra ullum insurgèns : haec tibi jubet Jesus Christus, omnium Deus. » Ille autem statim sensim abiit et quieto pede, qui prius erat immitis et immansuetus. Haec eos qui videbant, obstupefecerunt, et, Vere magnus·est, qui a Sylvestro praedicatur, Deus, clamabant. Judaei autem ad Sanctum accurrentes, illius pedes prehensarunt, et rogarunt ut oraret pro ipsis, et eis Deum placaret. Et inclyta Imperatrix Helena, velis ablatis, intra quae sedebat, audiens ea quae dicebantur, et spectans ea quae fiebant, egressa est et pròcidit ad Sancti pedes, Credo Christo, dicens, et rogans ut divinum baptismum consequeretur. Vir autem ille Apostolicus, omnibus in Dominum nostrum Jesum Christum credentibus eum propitium futurum pollicitus, cum iis, qui divinum volebant assequi baptismum, jejunium praecepisset et sanctificationem, dissolvit conventum. Deinde cum eos catechesi imbuisset, qui erant illuminandi, et in iis, quae de more fiunt, prius eos initiasset, baptizat primum quidem Imperatricem : post eam autem Romanorum quoque multitudinem, quae non facile numerari poterat, et eos qui illic aderant Judaeos, qui omnes crediderunt.

§ **37**. Haec autem cum pie administrasset, et fidem dilatasset, fiduciamque et libertatem dedisset praedicationi, et deinde una cum Imperatrice profectus esset Jerusalem, et ad quaerendam salutarem Christi Crucem ei collaborasset, et propter inventionem ejus esset collaetatus, et multos illic quoque Judaeos ad Christi fidem adduxisset, et eos divino baptismo initiasset in nomine sanctae Trinitatis, et evasisset plenus diebus spiritus, terram quidem terrae reddidit, spiritum autem deposuit in manibus Angelorum, abducendum ad Christum, qui fuerat ab eo praedicatus, et multorum laborum, quos propter illum susceperat, accepturum remunerationes, quando veniet unicuique redditurus secundum sua opera : quem decet omnis honor et adoratio, cum Patre principii experte, et increato et honore ei aequali Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

* S. Sylvester per legatos praefuit Arelatensi Concilio, quod, contra Donatistas, anno 314, celebratum est; atque Constantinum Imperatorem excitavit, ut Nicaenum convocaret, quod et confirmavit. Ipse primus Pontificum dicitur, qui pileum, diademate ornatum, ad significandum regale sacerdotium, sumpserit. Huic diademati alteram coronam, ut hisce duabus coronis exprimeretur Pontificis potestas in regnum corporale et in regnum spirituale, Bonifacius Pp. VIII imposuit. Demum Urbanus V triplici coronâ se cinxit, numeri mystici forsitan causâ. Caeterum de S. Sylvestri rebus gestis parum nobis est compertum.

## BEATI PETRI DAMIANI

# SERMO IN FESTIVITATE S. BARBATIANI

## PRESBYTERI ET CONFESSORIS

**Claruit seculo V.**

§ 1. Nuper celebravimus, fratres carissimi, ineffabilem Redemptoris nostri nativitatem, nunc geminato solemnitatis gaudio venerabilem colimus beatissimi sacerdotis ejus assumptionem. In illa festivitate Salvator noster, obumbrata majestatis suae specie, descendit in mundum; in ista gloriosissimus ejus famulus, deposito corruptibili carnis pondere, liber ascendit. In illa Unigenitus Dei Filius humanitatis nostrae formam pro nostra salute suscepit; in ista beatus confessor ejus ad Angelicae beatitudinis speciem felici morte pervenit. In illa solemnitate Redemptor noster trophaeo carnis indutus, ad debellandas aëreas potestates in mundum proeliaturus accessit; in ista vero egregius miles ejus triumphato mundi principe, coeleste palatium victor intravit. Idcirco quippe Deus descendit, ut homo ascenderet; idcirco humiliari dignatus est, ut hominem exaltaret. In nativitate Dominica vox Angelica sonuit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (*Luc.* II); hodie dilecto suo suavissima vox divinae majestatis intonuit, dicens: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). In illa festivitate Dominus exivit de utero Virginis; in ista venerabilis ejus famulus egressus est de ergastulo carnis. In illa Christus pro nobis est pannis involutus; in ista sacerdos ejus stola est ab eo immortalitatis indutus. Ille angustias intrare non dedignatus est uteri, ut istius animam latitudo susciperet coeli. Ille descendit carne velatus, ut iste ascenderet stola gloriae decoratus.

§ 2. Considerate, fratres carissimi, quantus vir iste fuerit, quam pleniter illum, ut revera sacratissimum templum, Spiritus Sanctus inhabitaverit, qui et in pace sanctae Ecclesiae tot miraculis coruscavit. In initio quippe nascentis Ecclesiae illi etiam miracula faciebant, qui facere signa digni non fuerant, et sine virtutibus morum, plerique excellebant virtute signorum. Unde et ipsa Veritas dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia non novi vos: discedite a me operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Ut enim ad fidem cresceret sancta

:cclesia, miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta ›lantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra onvaluisse videmus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cesabit *. Hinc est enim, quod Paulus dicit: *Linguae in signum unt, non fidelibus, sed infidelibus* (1. *Cor*. XIV). Sed cum ista dicaaus, quaestionem nobis oriri non sine aliqua difficultate videmus. i enim signa propter infideles data esse dicuntur, quid est hoc, uod Redemptor noster in patria sua propter incredulitatem honinum vix paucas virtutes facere potuisse perhibetur? Sicut enim Iarcus Evangelista testatur: *multi audientes admirabantur in do:trina ejus, dicentes: Unde huic haec omnia? Et quae est sapien'ia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus ejus ef'iciuntur? Nonne hic est fabri filius et Mariae, frater Jacobi et Ioseph, et Judae et Simonis? Nonne et sorores ejus nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo* (*Marc*. VI). Unde et paulo post subdi:ur: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus, curavit: et mirabatur propter incredulitatem illorum*. Quid est hoc, fratres, quia Paulus affirmat signa pro infidelibus data, Marcus asserit propter infideles fuisse subtracta? Nunquid contrarias inter se invicem proferre sententias possunt, qui uno Spiritu pleni sunt?

§ 3. Sed notandum est, quia in ipsis infidelibus erat quidam diversitatis modus. Par quidam error fuerat omnium non credentium, sed magna diversitas causarum. Aliud est enim, si sola quis fallatur ignorantia; aliud, si adjuncta quoque erret malitia. Ignorantia Paulus peccaverat, qui dicebat: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus: sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (1. *Tim*. I). Per malitiam Judas peccavit, et ideo nequaquam venire ad indulgentiam meruit. Pro illis ergo infidelibus signa data sunt, quos divina providentia misericorditer salvare decreverat. Propter illos vero subtracta sunt, quos ab electorum sorte, exigentibus eorum peccatis, districtae severitatis justitia repellebat. Christianis autem temporibus, cum jam pene totus ubique terrarum orbis in catholica fide persisteret, et pacem sanctae Ecclesiae vix ulla persecutorum saevitia perturbaret, cur beatissimus confessor Christi Barbatianus tot miraculorum virtutibus claruit, nisi quia ante divinae majestatis oculos excellentium meritorum virtutibus fulsit? Erat, sicut de Joanne dicitur, lucerna ardens et lucens: ardens videlicet per amorem cordis, lucens splendore eximiae conversationis. Sed tunc lucerna sub modio occultari voluerat, cum, sicut in sanctissimae vitae ejus narratur historia, latens in cellula, manifestari principibus devitabat. Nolebat mundi regibus innotescere, ut Regi regum potuisset familiarius adhaerere; recusabat ab hominibus temporalem suscipere gloriam, ut cum Angelis acquirere mereretur aeternam.

* Haec Gregorius similiter sentit.

Ad hoc quippe pertinet, quod is, quibus sanitatem restituere cupiebat, saepe superponendum quid, velut emplastrum, saepe comedendum aliquid, quasi medicinale antidotum, conferebat: eo nimirum, ut opinor, studio, ut, dum herbarum virtus, vel medicinalium specierum potentia creditur, nequaquam sanctitatis suae viribus restituta sanitas ascribatur; et dum ab eo medicina suscipitur, magis medicus, quam sanctus, esse videatur. Sed dic mihi, o bone medice, dic, venerabilis medice, unde confectionem tam efficacis, tam subitae virtutis nostris finibus attulisti, ut non triduo, non biduo, non vel unius momenti spatio exspectetur, sed mox ut adhibita fuerit, statim omnis languor, omne vulnus pristinae saluti restituatur? Epithema siquidem curare non potest, nisi tamdiu tumori adjaceat superpositum, donec vel vigorem suum per occultos meatus in corporis interiora transfundat, vel humorem pestiferum virtutis suae potentia ad exteriora trajiciat. Antidotum vero, quod ore percipitur, necesse est ut eatenus moras faciat, quousque per venas et poros occulta viscerum funditus penetret, et vel corrupta solidet, vel tumefacta noxiis humoribus purget. Tua vero venerabilis medicina non moras innectit, non quae a medicis custoditur, diaetae discretionem quaerit; sed mox ut summo tenus tangitur, salus integerrima reparatur. Solve ergo. pater, solve, obsecro, ligaturam, et tam incomparabilis medicinae nobis trade notitiam. Videamus et nos inaestimabiles pigmentorum tuorum species, odoremus jucundissimas fragrantium aromatum suavitates. Eja, fratres, audite, libellus sacratissimae ejus vitae coram cunctis aperiat, quas aromatum species ejus in se medicina contineat, saluberrima illa confectio, quibus aromatibus constet. Dicit enim inter caetera, quia cujusdam Juliani filium guttur gravabat miserabiliter tumidum, qui cum beato viro delatus fuisset, et cum pater pro filio lacrymabiliter postularet, venerabilis vir quandam confectionem, de pane videlicet, et cera, et oleo faciens, super ejus vulnera posuit, et facto Crucis signaculo, statim in ipsius horae puncto omnem pestem de ejus gutture mirabiliter effugavit. Audistis, fratres carissimi, quae pigmentorum genera egregius noster medicus habuit, qui mortale vulnus tanta velocitate sanavit? Panem, ceram, et oleum, quae sustentandae vitae habebant usum, in medicinalis curae transtulit instrumentum. Et unde vitam alebat suam, inde mortem repulit alienam. Speciebus videlicet utens domesticis, aestimationem pretii minuit peregrinis. Aliquando aegrotandi citri peciam, aliquando caricam porrigebat :- et hujusmodi curationis genere illos ad perfectae valetudinis robur, expulsâ omni languoris molestiâ. revocabat, ea, nisi fallor, intentione, ut quia uterque hic fructus in Romanis finibus apud quosdam rarior cernitur, medicinale aliquid fuisse crederetur: sicque dum reparata salus medicinae tribuitur, in aestimatione hominum sanctitatis ejus opinio minueretur.

§ 4. Quid ergo nos miseri dicturi, quid facturi in districto examine tremendi Judicis sumus, qui et virtutes non habemus, et tamen de meritorum excellentia ante humanos oculos superbimus? Qui sanctitatem habere ante interni arbitri oculos nullo desiderio quaerimus, et sanctitatis nomen apud humana judicia nobis fallaciter usurpare gaudemus? Quot enim hodie cernimus, qui, si de virtutibus admirabilis hujus viri vel ultimam particulam attingere potuissent, ad coelum se in superbiae cornibus exaltarent: qui quandoque aliquid virtuosum operantur, verum per hoc non coelum, sed terram petunt. Affectantes nimirum laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum. Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, ante divinae majestatis intuitum damnant omne quod agunt. Saepe etiam sacrae legis eruditione et alios instruunt, omne quod sentiunt, testimoniis attingunt: nec tamen per hoc vitam audientium, sed proprios favores quaerunt: quia nec proferre alia cupiunt, nisi quae auditorum corda ad repetendas laudes excutiunt, non autem ad lacrymas tendunt. Mens quippe exterioribus occupata, igne divini amoris non calet: et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur. Neque enim res, quae et in semetipsa non arserit, aliud accendit. Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta et audientes non erudiant, et eosdem ipsos, qui proferunt, elatos laudibus, deteriores reddant. Attestante etenim Paulo, *scientia inflat, charitas aedificat* (1. *Cor*. VIII). Cum ergo charitas auditores aedificando non erigit, scientia proferentes inflando pervertit.

§ 5. Plerumque hypocritae, fratres mei, se abstinentiâ affligunt, omne robur corporis àtterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant: sed per hoc humanos oculos quaerunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quae ait: *Exterminant* enim *facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth*. VI). Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur: sed inter haec ab ore proximorum sermo admirationis quaeritur, nihilque pro tanto labore aliud, nisi aestimatio humana cogitatur. Perpendite, dilectissimi fratres mei, quam miserabilis vecordiae est, laboriose agere, et ab ore hominum laudibus inhiare: forti opere praeceptis coelestibus inservire, sed terrenae retributionis praemium quaerere. Sic enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute quam agit, humanum favorem desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde coeli regnum mereri potuit, inde famam transitorii favoris quaerit. Intus ergo, fratres mei, intus servanda sunt bona, quae agimus, si ab interno judice vicem recipere nostri operis exspectamus. Hinc est enim, quod in Evangelio Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua*

*in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI). Hinc est, quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filia Regum ab intus* (*Ps.* 44). Filia quippe Regum, est sancta Ecclesia, quae in bono est opere spiritualium principum praedicatione generata: quae dum se in virtutibus sanctae conversationis exercet, quia per hoc soli Deo placere studet, non foris gloriam, sed intus habet. Hic Paulus ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (2. *Cor.* I). Gloriam suam Apostolus testimonium conscientiae memorat, quia fanores oris alieni non appetens, vitae suae gaudia extra semetipsum ponere ignorabat. Occultanda sunt ergo, fratres carissimi, bona quae agimus, ne haec in hujus vitae itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Ecce enim hic beatissimus vir Barbatianus, cujus hodie nobis festinus natalis illuxit, non humanae laudis gloriam petiit, non favores hominum affectavit, non de ostensis tot miraculis apparere ipse mirabilis voluit, non de collatis tot in languidos beneficiis humanae retributionis praemium exspectavit: quin etiam medicinalis exercitii praetendebat speciem, ut clarissimum virtutis suae posset obfuscare nitorem. Et velut magnum coeli astrum nubem virtutibus suis curabat opponere, ut dum minus ad exteriora radios suae lucis expanderet, quasi undique in semetipso collectus, in conspectu aeterni Solis plenius eluceret.

§ 6. Libet autem, dilectissimi, pulcrum divinae dispensationis ordinem studiose perpendere, videlicet qualiter omnipotens Deus ad illuminandam noctem vitae praesentis, stellas suas in coeli faciem mittere, et per eas totius mundi decernat caliginem illustrare: ut dum fulgentia astra radiare per coeli climata cernimus, inoffenso pede operis iter nostrae noctis ambulemus. Sicut enim matutinus lucifer, solem praecedens, ab orientali prius plaga consurgit, deinde meridiani climatis superiora conscendit, ad extremum quoque pronus in occiduum axem vergit, sic nimirum, sic beatissimus Confessor Christi Barbatianus, de Antiochenis finibus, unde oriundus fuerat, exiit, et Romam pertransiens, multa eam miraculorum luce perfudit. Postremo Ravennam usque perveniens, Christum, qui est sol justitiae, plurimis hominum mentibus introduxit. Antiochiae scilicet splendore sui ortus emicuit, Romae plurimos signorum igniculos sparsit, urbem vero Ravennam velut occasu sacratissimi sui obitus illustravit. Ita meritis sacratissimi hujus viri, velut novi splendore luciferi, in tribus suis praecipuis regionibus totus rutilat mundus, dum in alia mundi plaga ejus cernitur ortus, in alia quodammodo videtur ascensus, in tertia celebratur occasus. Et, sicut de compatriota ejus beatissimo Apollinare * in alio sermone jam diximus, quam recte huic luciferi nomen congruit, qui Romam ingressus, primum virtutis

* S. Apollinaris Mart. Vita habetur in Vol. VII, pag. 465, etc.

ıuae miraculum de lumine fecit? Regina enim Galla Placidia *, ıt audistis, suppliciter ejus flagitabat auxilium pro quadam sua ›edisequa, quae intolerabilibus cruciabatur doloribus oculorum: ļui mox pallio suo ejus oculos tangi praecepit, et sic ab ea proınus omnem pestiferae aegritudinis molestiam effugavit.

§ 7. Quapropter cum dignitatem tuam, felicissima urbs Ra'enna, subtili meditatione considero, largissimis te misericordiae livinae beneficiis ditatam esse perpendo. Video enim, quia ex pso originali fonte Christianae religionis, perpetuae meruisti ›oculum haurire salutis. In Antiochia namque, sicut in Actibus Apostolorum legitur, primum Christiani discipuli sunt vocati. Ex ipso igitur sanctae Ecclesiae fundamento quadratos lapides suscepisti, super quos velut firmissimas bases erecta, immobili es fide et sanctitatis soliditate fundata. Inde enim habes Apollinarem Apostolicum martyrem, inde etiam Barbatianum egregium Confessorem, qui velut duae excellentissimae cedri paradisi, sic te ramis suae protectionis obumbrant, ut si sub eis humiliter manere volueris, omnem a te turbinem adversariae tempestatis expellant. Et ut eis deesse nihil valeat, quod ad cumulum tuae felicitatis attineat, mox ut de Antiochenis finibus exeunt, Romae, quae absque dubio caput est et principalis sedes totius sanctae Ecclesiae, commorantur; nimirum ut in schola Petri primitus discant, quod te postmodum de doctrina veritatis erudiant: et de purissimo fonte abundanter bibant, quod in te salutaris doctrinae magisterio velut eructando transfundant. Tamquam enim iterum Paulus, iterum Apollo, quos ille in fide plantavit, iste largissimo miraculorum et praedicationis imbre rigavit. Sed quia neque qui plantat, ex ipso est aliquid, neque qui rigat, nos etiam Apostolica sequentes verba, dicamus: *Deus autem incrementum dedit.*

§ 8. Hos igitur tam praeclaros, coelestis curiae senatores, fratres carissimi, perfecto cordis amore diligite, horum imitari exempla tota animi devotione curate. Nam si vultis esse quod sunt, necesse est etiam vos facere, quod fecerunt. Per angustam ergo et asperam laboris viam, dilectissimi, in hoc seculo cum sanctis incedite, ut postmodum valeatis ad eorum gaudii latitudinem pervenire. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Procul dubio autem a vestigiis Christi exorbitat, qui angustam fugiens, latitudinis viam calcat. Iste namque beatissimus vir, cujus hodierna solemnia frequentare gaudemus, non terrenos honores voluit, non fallaces divitias congregavit, non mundi gloriam petiit, non transitoriae possessionis praedia dilatavit, propinquos sprevit, patriam dereliquit, semetipsum quoque pro amore Christi funditus abnegavit. Nemo ergo dicat, quod illi solummodo coelestibus digni praemiis

* Filia magni Theodosii, mater vero Imperatoris Valentiniani III. Uxor primum fuit Ataulphi Gothorum regis; nupsit deinde Constantio, duci clarissimo. Obiit anno 450.

habeantur, qui persecutorum gladiis pro Christi nomine feriuntur. Conclusit Deus omnem nostrae tergiversationis aditum, obstruxit omne excusationis humanae confugium. Ecce jam non valemus cum beato Apollinare pro Deo mortem subire, possumus saltem cum beato Barbatiano vitam Deo placentem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo, sed non est inferius vivere Christo. Utrumque enim in statera Paulus aequa lance pendebat, cum diceret: *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus* (*Rom.* XIV). Quisquis igitur amat martyrium, exhibeat se martyrio dignum, et martyrii consequetur procul dubio praemium. Non potest sanguinem fundere; potest semetipsum poenitentiae telo percutere, et in cordis contritione mactare. Praeparetur ad feriendum jugulus, non deerit remunerator, etiamsi defuerit gladius. Deest carnifex, qui cervicem exterius feriat: adest judex, qui bonae voluntatis praemium reddat.

§ 9. Studeamus igitur, dilectissimi, cum beatissimo confessore Christi Barbatiano seculi hujus blandimenta despicere, rerum temporalium affluentiam devitare, carnis incentiva reprimere, crucem post Christum etiam in pace Ecclesiastica bajulare: quatenus qui nunc ejus mirabilem sequimur vitam, cum ipso postmodum desiderabilem perducamur ad gloriam: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur, per infinita secula seculorum, Amen.

# VITA SANCTAE MELANAE ROMANAE

AUCTORE SIM. METAPHRASTE.

**Ad coelum evolavit anno 439.**

§ 1. Fuit ergo hoc quoque earum, quae olim fuerunt, civitatum maximae et clarissimae Romae, non solum efferri pulcritudine, neque situ vincere, neque trophaeis et aliis omnibus gloriari, sed multo magis sibi placere, et se magnificare propter eos, qui pro Christo se fortiter gesserunt, tam viros quam mulieres, et has magis, quod non secus ac viri fortiter decertarunt, et se vitae exemplum ad virtutem aliis constituerunt. Ex quibus una fuit beata Melana *, quam sibi nunc argumentum proposuit

* Haec Melana, vel Melania *junior* vocatur respectu *senioris*, ejusdem nominis, cujus ipsa neptis erat. Non imparis virtutis, ait Baronius, aut minoris laudis Melania *senior* fuit aliquando, sed postea Origenis fuligine praeclarissima opera obscuravit.

oratio, et aggressa est res illius dicere ab initio. Eam enim tulit celeberrima et clarissima Roma *. Fuit autem ejus quoque genus clarissimum; erant enim ejus parentes primi senatus Romanorum. Orta est autem bona ex bonis. Nam erant illi quoque pii et virtutum amatores.

§ 2. Cum ergo jam esset nubilis, desiderium continentiae vicit ejus, quae ex aetate erat, appetitionem, et rogavit parentes, ne unquam eam jungerent matrimonio, sed sicut ei, ut esset, ita etiam ut virgo maneret, concederent. Illi autem cum propter hanc solam, hujus vitae agitarentur fluctibus, ei parentes divitias, et sperantes se successorem generis ex ea habituros, quartumdecimum annum jam agentem vel invitam collocant in matrimonio. Erat vero ejus sponsus, et genere, et aetate et aliis omnibus cum Melana conferendus: natus quidem ex Consulibus, et modo excedens ex ephebis. Sponsi autem nomen erat Apenianus, agens annum circiter decimum septimum. Eis autem sic celebratis nuptiis, admirabilis Melana etiam post nuptias, adhuc vehementius amabat continentiam, et amor castitatis non intermittebat eam acrius urere; multis vero verbis maritum suum ad hoc exhortabatur, et cum verba non sufficerent, ei quoque ad persuasionem opem ferebant lacrymae, haec dicenti: « Si quidem, o marite carissime, eadem tibi quoque videntur, et ambo habitabimus convenienter legi continentiae, beati nos erimus propter nuptias, et ambo per nos invicem salvi erimus, et erimus alter alteri viae pulcherrimae occasio. Sin autem juventus et aetas propensior ad voluptates non permittit ut hoc feras, at tu me sinas, et ne coeptum meum et institutum prohibeas, mei autem corporis et meae libertatis merces erunt omnes possessiones, omnes famuli, et vestes, et domus, et quaecumque alia sunt in meis facultatibus. His omnibus tibi cedo, dummodo meipsam redimam. » Ille vero neque universum concedens, neque ejus totam aversans voluntatem: « Nunc quidem, o uxor, inquit, non possunt haec fieri: postquam autem generis et facultatum habuerimus successorem, nec ego bono tuo instituto deero. Grave enim esset, si in divino desiderio vir foeminae cedere conspicerer. Sed tunc ambo hanc viam eligentes, non secus ac in matrimonio, ita in vita ex Deo agenda inter nos conspirabimus. »

§ 3. Acquiescunt ambo ei, quod dictum fuerat. Procedente autem tempore, nascitur eis puella. Ea cum primum lucem adspexit, castitatis Soli fuit consecrata, Melana offerente primitias Domino, qui ipsam dederat, ut sic vel consuetudinem habens matrimonii, videretur plurimum tribuere virginitati. Deinceps vero seipsam contrahens, moderate et temperanter vivebat. Non vestem gestabat splendidam, non corpus suum fovebat lavacris; et si quando a marito aut a parentibus cogeretur, ibat quidem ad

* Circa annum 388.

balneum, cum autem vultum solum lavacris abluisset, ut eorum qui jubebant voluntati satisfaceret, non sinebat reliquum corpus calidis foveri. Ut vero deinceps latèret, emebat auro ancillis persuasis. Cum autem multa etiam fecisset, ut viro persuaderet, ut esset ejusdem instituti, ubi non vidit eum obtemperare, sed cupere etiam fieri parentem aliorum liberorum, de fuga cogitat, et statuit ipsum maritum et patrem, quin etiam suas quoque facultates relinquere. Sed cum quidam viri boni et virtutis amantes sentientes, id prohiberent, dicentes illud Apostolicum: *Quid enim scis, mulier, an virum tuum salvum facies* (1. *Cor*. VII)? mansit quidem, aegre ferens eam, qua tenebatur, necessitatem; cilicium autem intra sumptuosam et splendidam vestem, tamquam praeludium exercitationis, perpetuo ferebat, quando cum marito non habebat consuetudinem. Cum vero omnium falleret oculos, suam amitam latère non potuit. Sed ipsa quidem cum cognovisset, eam increpabat, et indumentum irridebat. Ea vero nihil aegre ferens ipsorum asperitatem, hoc gravius ferebat, quod non posset omnes latère. Quocirca multis lacrymis et precibus, ut res taceatur, impetrat.

§ 4. Erat autem ei maxime in votis a mundo abrumpi, et, ut vult Deus, philosophari *. Unde etiam cum uterum ferret, et ei secundo jam partus appeteret, celebrabatur quidem festum gloriosi martyris Laurentii; illa vero pernoctabat insomnis, genu flectens, psalmos canens, dolores et naturam superare contendens. Desierat matutinum, illa autem non cessabat a precibus. Sed sic quoque seipsam intendens, dolores sentiebat graviores, et violenter quidem, parit tamen. Atque quod natum quidem fuerat, erat masculinum; simul atque autem natum et sancto baptismo fuit regeneratum, ab hoc mundo discedens, ad eum, qui illic est, transmittitur. Illam vero etiam post partum vexabant dolores, et acerbus cruciatus mortem accelerabat. Adstans autem maritus, cum asperam et gravem vidisset perpessionem, conturbatus prope emisit animam. Cum se autem collegisset ac recreasset, currit ad aram, et eam in orbem ambiens, lacrymas profundebat ex oculis, voces emittebat miserabiles, et ut quamcitissimum a superis adveniret invocabat auxilium. Illa vero arbitrata hoc esse illud tempus, quod finem imponet ejus desiderio, viro qui adhuc assidebat in templo, per nuncium significat, et ipsum, et se adhuc esse victuram, si detur jusjurandum, et pacta conventa ineantur, utrosque de caetero victuros esse in continentia, et non quam mundus, sed quam vult Deus, vitam esse perpetuo acturos. Paret vir uxoris verbis et voluntati, et respondet id sibi esse persuasum. Quod quidem cum illa rescivisset, corpore quidem se habet melius, animo autem protinus evadit laetior. seu

* Vitam scilicet monasticam amplecti, quam Graeci Patres revera *philosophiam* nominare consueverunt. Monachorum autem insigne fuit pallium, ut philosophorum.

norbo locum dante laetitiae, seu etiam manu superna ejus adju·'ante scopum et institutum.

§ 5. Cum ergo nacta esset tempus et occasionem, deposuit qui-lem alium ornatum corporis, tenuiter et simpliciter vivere con-tituens, et totam se convertens ad internum ornatum animae. nterim autem pulcrum quoque ejus germen virginitatis, quae )eo fuerat consecrata, filia, migrans ex hac vita, vadit ad Deum uum amatorem. Ejus mors meliorem mentem dat viro, ut idem quod ipsa sentiat, et efficit, ut eadem via ingrediatur, qua Me-ana. Cum ambo ergo se subjunxissent jugo vitae ex Deo ducen-lae, id prompto et alacri animo trahebant, inter se virtute de-:ertantes. Atque illis quidem curae erat ab universo mundo om-ıino separari, et se Deo dedicare: et cum vita et habitu mona-ticam elegissent institutionem, parentes autem non permitterent, lli meditabantur se fuga subducere: sed hoc quidem tunc ma-ıus prohibet superna, divina autem laetitia eis timorem excutit. )um de his enim consultarent, sequente nocte suavis quidam odor et plane coelestis, et qui neque verbis exprimi, neque mente :ogitari potest, ad eos venit a superis, qui admirabilem quemdam voluptatis spiritum eis attulit, et qui tristitia afficiebatur et con-trahebatur, animum protinus diffudit ad laetitiam. Cum tali gratia impleti fuissent eorum animi, manebant sic, omnia vitae suae frena Deo permittentes, ut ducerentur quo et quomodo vellet. Cum ille ergo paulopost annuisset, eis quidem e vivis excedit Me-lanae pater. Illi autem, cum amotus esset is, qui prohibebat, quando Deo visum est et tempus vocabat, statim quidem exeunt e magna civitate, urbanam multitudinem et tumultus valere ju-bentes: eos vero excipiunt suburbana commoda ad philosophan-dum, et apta ad quietem. Eis autem, quando hanc angelicam inceperunt vitae formam, aetas erat, Apeniano quidem viginti-quatuor annorum; Melaniae autem viginti, quo tempore vel ma-xima solet rabie agitari adolescentia.

§ 6. Illa vero et omni utens cautione, se valde gerebat philo-sophice, et in his erat marito non injucunda adjutrix. Quinetiam si videbat juvenem ab accurata et perfecta vitae forma declinan-tem, eum sapienter corrigebat, et ad pietatem dirigebat. Nam illi quidem nihil tantae erat curae, quantae nihil ea curare, quae ad corpus pertinebant: immo vero et cibo et veste et omni ra-tione flammam juventutis extinguere. Cum illum autem videret amictus ornatum et vestium pulcritudinem adhuc amplecti, non cessabat partim quidem admonere, partim vero scite quoque et apte irridere, donec effecit, ut in his se gereret philosophice. Et alioqui conjugi dux erat Melana ad pietatem, cum Eva, quod ad illum attinebat, pugnans ex diametro. Eos enim, qui aegrota-bant, adire et invisere, et curationem adhibere, et peregrinantes hospites mensa accipere, et viatico eos donare, a Melana docebatur

maritus. Quae quidem ambo similiter faciebant, et obibant ut communes servatores et benefactores, custodias, loca relegatis constituta, carceres et ergastula: eos quidem, qui propter inopiam detinebantur, solventes; qui autem propter aliquam aliam retinebantur calamitatem, eos et re ipsa et verbis consolantes. Via autem procedentes, reliquas quoque facultates vendere incipiunt, alios quidem ex pauperibus facientes divites, sibi vero nihil aliud conservantes, quam nihil habere, et solum sperare in Dominum.

§ 7. Qui autem benefactis semper insidiatur, et adversus quemlibet, qui boni aliquid facit, bellum suscipit ab initio, non sinebat quiescere, sed gravem quidem adversus eos machinam Apeniani fratrem admovet Severum, per quem existimabat sese solidae eorum mentis turrim esse labefactaturum. Apenianum autem fuisse Melanae maritum, superius declaravit oratio. Hic ergo Severus improba mente ementiebatur naturam; et cum esset frater, factis erat inimicus. Cum enim Apenianus una cum Melana ad vitam ex Deo agendam esset traductus, Severus insano daemonis instinctu inspiratus, aggressus est fratrem molestia afficere, agros avellens, fructus abripiens, omnibus modis insultans et vim afferens. Postquam vero eos vidit omnia malle amittere quam praeceptum Domini despicere, quo cavetur oportere eum ferre, qui acceperit injuriam, tunc ille vi majore eos aggrediebatur. Nam cum ex Apeniani servis improbissimos dolose subornasset et corrupisset, alios quidem promissis, alios vero pecuniis, iis persuadet, ut contra fratrem suum insurgant, et ab eo quidem deficiant; non solum autem seipsos, sed eos quoque agros, in quibus habitabant, Severi esse dicerent, et eos ejus nominarent. Sed stolidus plane aggressus est inania. Nam illi quidem et si talia paterentur ab eo, a quo quis minime exspectasset, ea quidem toleranter et sedate ferebant, immo vero gaudebant potius. Non enim eis leve videbatur cum Job contendere rebus adversis et calamitatibus: generosos autem illos hoc solum male habebat, quod cum auferrentur opes, parum flueret fluentum beneficentiae, divitiis non secus atque alio fluento alio derivatis.

§ 8. Non haec autem ita gerebantur, ut imprimis pia Imperatrix Verina * non haec acceperit auditione: sed ad eam quidem diu ante pervenerat fama eorum philosophiae, ducebat operae pretium illos et videre et audire dicentes, et multis precibus accersebat Melanam. Tunc autem tempore quoque dante occasionem, illam magno studio vocavit; illa vero ivit. Sed quae extiterunt ante eorum congressionem, satius est pauca ex iis audire. Erat quidem haec lex apud Romanos, ut nullus vir nec mulier ad Imperatorem aut Imperatricem operto capite accederet. Ea vero legem nihil curans, velata accessit, non tyrannorum mores, sed Pauli legem maxime dicens oportere conservare, qui non sinit

* Errorem censeo, Verina enim Leonis Magni, qui imperare coepit anno 457, uxor fuit

mulieres nudo capite incedere. Sed neque vestem voluit mutare, neque pannos exuere, etsi multi suaderent ut faceret.

§ 9. Illa vero eis dicebat: « Meis me vestibus indui, quomodo eas exuam? » Unde etiam cum ingrederetur in regiam, ne adspexit quidem ad aliquid ex iis, quae apud alios habebantur in admiratione, ne obtutu quidem ea digna judicans. Procedenti autem ei simul cum Apeniano, statim assurrexit Imperatrix, et allocuta est, et ut proxime assidèret, est dignata. Eam enim obstupefecit vestitus, et admodum rudis et simplex habitus, et eos convocans, qui erant in sua potestate, Melanam communiter admirabatur: « O qualem, dicens, nunc rem intueor? Te jampridem quidem divinam audivi esse mulierem, nunc autem etiam video; et simul surgens e throno aureo, eam suspexit et amplexa est, et saepe dixit: « Beata es tu, quae jure consecuta es in Domino beatitudinem. »

§ 10. Postquam autem pollicita est se de Severo jure poenas esse sumpturam propter injurias, quibus eos affecerat: « At nobis, inquit Melana, melius est injuriam pati, quam facere injuriam. Eos enim, quibus impinguntur alapae, non solum pati, sed etiam aliam obvertere maxillam, lex est divina. Atque tu quidem multa bona a Deo consequèris propter hoc bonum tuum propositum: nobis vero sufficiet, si damnum hucusque sistatur, et non plura adjiciat. Nam nostra quidem causa hujus nullam duceremus rationem, nisi quod ea, quae sunt hospitibus et egentibus attributa et destinata, eripit. » Propter haec ergo Imperatrix eos magis admirata, propter hos ipsos pepercit Severo: ipsis autem, ut sicut volebant omnes citra impedimentum venderent facultates, per fratrem praebet et Imperatorem, qui Romana sceptra tunc administrabat. Hi autem erant domini multorum in multis locis praediorum, non solum prope Urbem, sed etiam multorum aliorum in Italia, et non paucorum quoque in Sicilia, plurimorum vero in Hispania et Britannia: quae etiam propter studium Imperatoris, prompte emebant omnes, statim sine intermissione pretium exsolventes. Hi itaque egregii magnifice etiam admirabantur Imperatores, et Melana voluit sororem Imperatoris quibusdam honestis donare muneribus, sed illa eorum aliquid accipere dicebat esse instar sacrilegii. Sunt enim re vera sacra et Christo dedicata. Cum sic dixisset, beatam Melanam a se cum magno dimisit comitatu, multis insignibus Eunuchis cum praepositis eam praecedentibus. Sicque exierunt Melana et ejus maritus e regia, in admiratione habiti, et honorifice deducti.

§ 11. Cum hi autem praeclari coepissent sua, ut volebant, dispensare, non longo abhinc tempore magnas illas suas pecunias in pauperes exhauserunt. Neque enim ullus alius, excepto Imperatore, de divitiis cum eis contendisset: tam magna vis pecuniae et prope incredibilis, et agris eorum quotannis redibat, auri, ut

ajunt, duodecim millia. Illi autem hoc universum distribuebant pauperibus, atque illos ipsos agros postea vendiderunt. Hoc vero est argumentum eorum divitiarum; eorum enim domum, quae erat adeo splendida et magnifica, nullus Romanorum potuit justo pretio emere: igne autem postea a barbaris exustam, cum multum de pretio remisissent, eam quoque similiter vendiderunt, majus quiddam quam Job, ut mihi quidem videtur, hac in re facientes. Nam ei quidem paupertas fuit involuntaria; hi autem lubentes ex ditissimis effecti sunt pauperrimi. Et ejus quidem uxor non magno et forti animo ferebat quod contigerat: Melana autem non solum quod ad se attinebat, id lubenter faciebat, sed etiam maritum faciebat participem sui scopi et instituti. Est autem satis evidens, supernam dexteram eis opem tulisse: quae et stantes custodiebat, et si quando fuissent supplantati, ipsa eos protinus erigebat et firmabat. Ipsa eos saepe cum in somnis prolaberentur, sustollebat, et eos efficiebat cautiores in posterum. Aliquando autem sibi visi sunt ambo simul in principio quidem ambulare per viam admodum angustam et fossis interceptam, quae ita eos affligebat, ut viderentur sibi esse contriti et confracti. Postquam vero eam cum magna afflictione ac perpessione confecissent, tunc eos excepit relaxatio, liberumque et latum spatium, et voluptas ineffabilis et valde admirabilis. Sic Deus efficiebat, ut ii aperte de futuris certam conciperent fiduciam, et quod parvos labores magna bona essent consecutura.

§ 12. Sed neque erat negligens communis inimicus, qui, ut est in proverbio, movebat omnem rudentem; sed sicut est mos illius, omnibus quidem modis aggrediebatur, semper autem victus recedebat. Collecta aliquando fuerat ab illis justis vis auri maxima, et humi erat effusa: domus autem tota auro non secus atque igne collucebat. Erat vero hoc aurum subventurum multorum inopiae et calamitati.

§ 13. Tunc malignus coepit suo uti artificio, ejus faciem auri specie illustravit, colore ejus animum leniit et demulsit, admonuit magni ponderis, ostendit pulcritudinem: omnibus modis volebat ei eripere vere magnum thesaurum rationis, et nihil non moliebatur, ut efficeret eam auri amore teneri. Sed frustra ei malignus parabat insidias; etenim cum ea illi perturbationi tamquam frenum injecisset, auri colori ea illi opponebat, quae neque verbis explicari, neque mente comprehendi, neque tempore interire poterant, sed sunt in aeternum senii expertia et immortalia. Quod autem ei maximam excitavit tempestatem, ut mulier illa egregia paulopost significavit, hoc erat:

§ 14. «Erat, inquit, mihi quidam ager, qui amoenitate et pulcritudine alios omnes superabat. In hoc autem ipso erat etiam lavacrum, et artificio tam pulcrum, et ex tam bona materia confectum, et aquis tam jucundum, ut cujusvis deliniret animum, etiam

antequam biberet aut lavaretur. Quod vero lavacri ad deliniendum erat accommodatissimum, illius una pars quidem habebat mare; altera vero arbores. Sic autem erat aedificatum, ut e solio quidem prospiciens, illinc posses videre fluctus maris in tranquillitate jucundissimum spectaculum, et naves navigantes, et portum, et nautas; hinc vero terrae pulcritudinem, et arborum proceritatem, et garritus avium, et fluentes fontes: quinetiam venatores et venationem, et, ut semel dicam, ubique innumerabilia ad demulcendum accommodata, et omnia plena elegantia et amoenitate. Hoc ergo cum mihi assidue veniret in mentem, dici non potest quomodo meum teneret animum, et hujus varietate me varius conabatur daemon delinire et ad se trahere: sed meum protinus animum extulit Deus, mihi suggerens, ut ea cogitarem, quae praeparavit iis, qui ipsum dilexerunt, ut ait divinus Apostolus: haec autem omnia, ut quae fluant, despicerem. Sed sic quidem fuit superatus malignus, nullo penitus relicto, quod posset illorum demulcere animos, et ad se convertere. »

§ 15. Quae autem deinceps sunt consecuta, quamnam quidem civitatem latuerunt? quamnam etiam regionem? Quaenam vero gens, ad quam non pervenit illorum beneficentia, veluti quodam fluvio magno et puro fluento, per universam terram et mare fluente uberi rivo eorum beneficentiae? Mesopotamia, Phoenicum civitates, regio Syrorum, Aegyptus quoque ejus accepit fluxionem: et ubi sol oritur et occidit, a manu illorum omnia sunt repleta. Sunt autem, qui dicunt eos quoque, cum totas insulas emissent ab Imperatore, partim quidem illo dimittente, partim vero ipsis dantibus, alias quidem sanctis viris donasse; alias vero exornasse choris virginum et monachorum multitudine. Pretiosa autem vestis et splendidum argentum erat sacerdotibus ab eis dedicatum ornamentum. Cum sic quae erant in Italia, bene disposuissent, et ex facultatibus pauca reliquissent, navigarunt in Siciliam *; partim quidem, ut agros qui illic erant venderent; partim autem, ut sanctissimum Episcopum Paulinum ** viserent, qui erat eis pater secundum spiritum. Cum ii autem recessissent a civitate, Praefectum quidem, qui eorum domum et quod remanserat pecuniae, non liberalibus intuebatur oculis, divina quaedam ira protinus apprehendit. Nam praetextu penuriae panis, in medio foro commota plebs, quae erat in civitate, eum faciunt praemium sui furoris et insaniae, et miserum violênta morte interimunt. Barbari *** vero, repente facta incursione, quaecumque erant ante civitatem, praedam Mysorum effecere, adeo ut hinc evaserit manifestum, illos non sine Dei numine res suas in tuto collocasse, et in coelestibus horreis recondidisse.

* Anno 408.
** Nolae Episcopum, cujus Vitam habes in Vol. vi, pag. 484, etc.
*** Gothi, qui, duce Alarico, anno 408, Romam obsedêre. Hanc autem urbem rursus obsidione cinxêre anno 409; demum, anno sequenti, ea sunt potiti.

§ 16. Cum autem a Sicilia recta in Libyam et Carthaginem essent navigaturi, quidam vehemens et saevus ventus eos excipit et vexat multis diebus, adeo ut aqua defecerit navigantibus: erant vero in navi multi vectores. Cum autem eis tantum immineret periculum, visa est eorum navigatio non esse Deo grata. Jubet itaque Melana, ut velum convertentes, flanti vento obtemperarent, quocumque navem duceret. Itaque cum secundum ventum in puppi habuissent, appellunt in quamdam insulam. Eam vero gens quaedam barbara, et quae praeda et rapto vivebat, paulo ante fuerat populata. Cum multi autem illinc abducti esset captivi viri et mulieres et pueri, insulae incolis significant barbari, si pro eis redimendis quantum satis esset auri accepissent, ipsos captivos esse reddituros, insulae autem parsuros. Sin vero non accepissent, se insulam quidem exusturos, captivis autem gladio mortem illaturos. Atque insulae quidem incolas ea, quae significabantur, dubios reddebant et perplexos.

§ 17. Cum ipsos autem justos accessisse intellexisset Episcopus, hoc in lucro posuit; et ad eos veniens, ipsos oravit, et plus adeptus pecuniae quam petebat, et praedam universam liberavit, et insulam eripuit a periculo. Melana vero cum suis se clementius et benignius gerentes in captivos, eis dederunt etiam quingentos aureos, panemque praebuerunt et caetera quibus opus habebant: hoc agentes, ut donorum magnitudine obliviscerentur magnarum calamitatum. Deinceps autem cum bonum ventum assecuti, solvissent ab insula, navigarunt citra ullam molestiam, placidusque eos a tergo impellens ventus, cito transmisit Carthaginem. Cum e nave autem descendissent, suam solitam aggressi sunt operationem, pecunias et agros partim quidem sacris aedibus dedicantes, partim vero consecrantes monasteriis, partim etiam in pauperes effundentes. Sic se levantes omni onere divitiarum, leves et expediti pergebant ad veras divitias, quae emuntur eo, quod nihil possideatur ab iis, qui thesaurum pie recondunt. Civitas autem, in qua versabantur, appellabatur Tagaste *, in qua erat sacrum templum, et sacerdos dicendi peritus, et qui oratione multos poterat inducere ad salutem, nomine Alypius: cum quo versantes, sacra meditabantur eloquia. Templum vero, in quo agebat Alypius, admodum munifice et aureis ornamentis, et lucidis gemmis et plurimis ornarunt agrorum proventibus. Ab eis quoque sunt aedificata duo monasteria, quae satis habebant operum et proventuum. Quorum alterum quidem habebat chorum virorum numero octoginta; alterum autem habebat virgines, quae erant numero centum et triginta **.

§ 18. Cum haec pulcre sic disposuisset Melana, rursus meminit

* Extat S. Augustini Epistola, hac occasione scripta ad Pinianum et Melaniam.
** Certum est Pinianum et Melaniam Hipponem perrexisse ad invisendum S. Augustinum, Alypio eos comitante.

abstinentiae; et toto quidem die generosa mulier permanebat jejuna. Sole autem jam occidente, parum cibi sumebat, ejusque duri: nonnunquam vero modico olei condiebat obsonium. Vino autem non utebatur omnino, sed accipiens ex melle confectam potionem, quam solent appellare Conditum, sic levabat sitim. Tempus vero, quod multis saepe obtundit et retardat impetum, ei illum reddebat acriorem. Et primo quidem secundo quoque die cibum sumebat, deinde autem tertio quoque die, deinde septimo quoque: adeo ut semel tantum in hebdomada cibo vesceretur, eoque castigato et temperato, et qui nihil omnino haberet ex iis, quae possunt adferre voluptatem. Panis enim durus, breves quaedam erant ejus mensae deliciae, adeo ut ea jejunio nihil esset minus laboriosa. Scribebat autem generosa illa foemina adeo celeriter et pulcre et citra errorem, ut nullam unquam daret reprehendendi ansam iis, qui sunt hujus rei periti. Et in scribendo quidem maximam diei partem consumebat. Defessa vero manu, oculi quidem plurima scripta percurrebant; plurima autem menti tradebant, ut mandaret memoriae. Porro vero iis jam defessis, aures iis serviebant, quae pertinent ad utilitatem, et animum sanctorum virorum adhibebat sermonibus. Praeter haec autem non parvam quoque partem tribuebat orationi. Nam tota quidem nox fere in ea consumebatur, duabus solum horis somno ab ea attributis. Accubitus autem erat, saccus super nudum solum positus. Dicebat enim: « Oportet semper vigilare, cum nesciamus, ut vox est Dominica, qua hora fur veniat. » Propterea a se, et quae secum erant virgines, sic faciebat adversus somnum contendere. Sibi autem leges imponebat, et a se rationem exigebat; et otiosa oratio, et mores non satis graves, et risus nimis profusus, et sinistra cogitatio omnino castigabatur; et non sinebat omnino malam aliquam nubem aetherem animae subtercurrere.

§ **19**. Atque illa quidem tam caute et tam duriter vitam agebat, et aliis erat regula, ut eam viam ingrederentur. Perinde autem, ac si ei ad jejunium non sufficeret spatium septem dierum, adjiciebat etiam Dominicum, ut jejunaret octo dies sibi vim adferens, etiamsi a Praefecta vetita sit hoc facere: quae dicebat esse absurdum, diem resurrectionis, similiter atque alios, attribui afflictioni. Unde etiam dicens persuasit et effecit, ut esset cibi particeps et modici olei, docens esse praeceptum Apostolicum, *Praefectis obedire et eis cedere*. Ejus autem in laboribus diligentiam, et a suis laboribus lectionis vehementem contentionem, et eorum quae lecta fuerant, acrem perscrutationem, et multa alia quisnam satis verbis potuerit exprimere? Nam manibus quidem, ut dictum est, ad scribendum: quod ex scriptura autem lucrifaciebat, eo utebatur ad alendos pauperes. Quinetiam saepe quoque indumentum, suis manibus confectum, ponebat in manibus pauperum, ex sacro, ut ajunt, quodammodo in sacro. Sacrorum

autem eloquiorum erat adeo studiosa, ut totam quidem divinam Scripturam, veterem et novam, ter singulis annis perlegeret: ejus vero ea, quae sunt pulcherrima, semper haberet in lingua. In omnibus autem exquirendis et examinandis erat plane admirabilis. Nunquam enim sensus aut verbum eam praetercurrebat, sed omnia diligenter perscrutabatur, et quod latebat, eruebat. Insigne vero ejus discendi studium, eam quoque ad recentiorum, bonorum, inquam, et studiosorum scripta transmittebat; et nihil erat omnino ex iis, quae ad utilitatem scripta fuerant aut scribebantur, quod non possideret, et aliis communicaret. Jam vero in lingua quoque Graeca ita erat exercitata, ut quando ea loqueretur, nullus ex iis, qui audiebant, crederet Italicam linguam ei esse patriam. Ejus autem vigebat in omnibus honesta quaedam et grata lenitas et mansuetudo, maxime ea disserente et habente orationem ad eos, qui exercebant philosophiam. Ejus vero in Christum zelum nutriebat amor quidam ineffabilis, et qui non poterat contineri. Hac itaque ratione non solum efficiebat, ut mens eos aversaretur, qui furiosam aliquam sequuntur haeresim: sed nec permittebat, ut eorum nomen aut auribus audiretur, aut lingua proferretur: adeo, ut valde apposite diceret illud divini Davidis: *Non meminero nominum eorum per labia mea.*

§ 20. Cum autem, juxta Paulum, fervèret spiritu, grave ducebat, si non ipsa multos Christi parti adjecisset, et similes haberet amatores temperantiae: et partim quidem verbis, partim autem donis multos adolescentes et multas adolescentulas traxit ad exercitationem. Eadem vero faciebat etiam in gentiles et Samaritanos, et eos vocabat ad rectam fidem: qui paulo post dimissis suis, illam sequebantur. Sic ergo erat beata illa foemina sapiens piscatrix, et sciebat venari animas hominum. Majores autem labores aggrediens, aliam quoque inopinatam et propemodum incredibilem ostendit tolerantiam. Cum ligneam quandam arcam parasset, altitudine quidem tantam, ut non permitteret ei stare rectam, latitudine vero, ut non posset declinare ad dexteram nec ad sinistram, in ea corpus includit, per breve foramen eos, qui foris erant, alloquens et eos audiens. Cum mater autem saepe ad eam accederet (erat enim ei navigationis comes et socia philosophiae), non temere veniebat: sed si aut vacabat orationi, aut in divinis versabatur eloquiis, non prius ad eam intuebatur, aut illam compellabat, quam spiritale opus, quod obibat, perfecisset. Sic cum omnibus ipsam quoque vicit naturam. Quamobrem mater magnam lucrifaciens utilitatem, abibat magnas Deo agens gratias, quod ex suo ventre talem fructum produxisset. Et quid opus est illius omnia persequi? Ad ejus enim laudem sufficit per omnibus modestia ejus et moderatio, quod cum viveret tam pure, quam ullus alius, cor haberet contritum et mentem demissam ac humilem, ut nullus alius ex iis, qui multa admittunt non honesta.

§ 21. Cum sic autem septem annos decertasset, eam subiit cogitatio longioris peregrinationis. Dicebat enim, oportere ad sacra etiam loca accedere, et etiam videre Jerusalem *, et obire et adorare omnia, quae illic sunt, miracula. Cumque ei ita visum esset, mare eam suscepit, cum simul adesset mater et Apenianus: et cum eis prospera fuisset navigatio, pervenerunt Alexandriam: ea est autem civitas Aegypti, in qua Pontificali munere fungebatur magnus inter sacerdotes Cyrillus **. Cum eo congressi, et cum alio viro prophetico, nomine Theodoro, et in transitu ex eorum sermone magnam accepissent utilitatem, navem rursus ascenderunt, ad sacra loca festinantes, nihil autem secum adferentes, praeterquam si quid erat necessarium, et quod posset paucis diebus sufficere, volentes ipsi quoque esse cum mendicantibus. Postquam vero in terram descenderunt, contigit beatam Melanam in morbum incidere. Deinde cum convaluisset a corporis infirmitate, et Dominico sepulcro recuperatam sanitatem primo obtulisset, et ad id primo accessisset, idque adorasset, decaetero oculos et animum pascebat aliis spectaculis. Versabatur autem cum iis, qui ex sacerdotibus erant maxime insignes, et maxime cum iis, qui in dicendo erant sapientissimi, ut etiam utilitatem ex eis perciperet. Alebatur vero illis, quibus in Lybia, tot dies, quot illic mansit, operans manibus, sicut Carthagine. Cum adventasset autem vespera, ingrediebatur quidem in salutare sepulcrum resurrectionis: clauso vero templo, manebat intus, et oratio noctu ab ea tandiu producebatur, donec ingressi essent matutina cantaturi cantica. Postquam autem finem acceperat glorificatio, tunc ipsa quoque corpus parum dabat somno et quieti.

§ 22. Cum vero, sicut a me dictum est, paucae quaedam facultatum reliquiae ei Romae remansissent, et cuidam ex fidelibus mandatum esset, ut eas proponeret emendas volentibus, postquam ille hoc fecisset, aurum ad eos mittit Jerosolymam. Qui solita utentes benignitate, eas haereditatem fecerunt egentium. Hic cum aliquandiu essent versati, videret autem Melana matrem suam senio et tempore gravari, eam illic relinquit, rogavitque, ut ea illi pararet tabernaculum in monte Oliveti. Illa vero venit in Aegyptum, una cum Apeniano, tum quod vellent videre sanctos qui erant in ea, tum etiam, ut sua benignitate impertirent eos, qui illic erant, pauperes. Hi ergo venientes, faciebant id propter quod venerant, et eos qui se in pietate exercebant, obibant. Cum autem accessissent ad quoddam tabernaculum, quod apud se habebat virum in philosophia maximum, cui nomen erat Ephaestion, rogabant ut ipse quoque ea, quae alii, participaret. Cum is autem recusaret, quid non fecit Melana, volens ei persuadere

* Circa annum 418.
** Hujus S. Cyrilli memoria die 28 januarii recolitur.

ut acciperet? Cum vero non persuaderet, tale quid statim machinatur, quod quidem pulcherrime amborum parem declaravit constantiam, Melanae ad benefaciendum, et Ephaestionis ad hoc, ut non persuaderetur ex rebus humanis aliquid accipere.

§ 23. Obibat enim domunculam, scrutans omnem, quae in ea erat, supellectilem, et cum nihil aliud vidisset nisi stoream et sportulam, in qua sal erat repositus, cum sub eo sale aliquam auri partem posuisset et infodisset, ut quae latuisset, magno studio preces ab eo poposcit. Quas cum impetrasset, exiit. Sed nihil ei profuit hoc inventum. Cum enim vir ille sacrosanctus id cognovisset, magno cursu contendit, et eos voce procul stitit: et manibus aurum quatiens ostendit, et dixit se nescire, ad quid eo uteretur. Cum ii autem dixissent: « Si non tibi omnino, at aliquibus aliis erit utile. » — « Atqui non erit, inquit, aliquis, qui hîc petat; est enim pauper locus, ut videtis, et admodum desertus. Cum vero ne sic quidem acciperent, auro in fluvium jacto, recessit senex. In alios quoque non paucos ejusmodi ajunt eos incidisse, qui aeque cavebant omnino aurum manu ab aliquo accipere, atque virus serpentis, aut aliquid aliud mortiferum et exitiale sua sponte bibere. Cum talibus ergo in Aegypto fuissent repleti miraculis, reversi sunt Alexandriam: et cum multorum bonorum virorum, qui illic erant, consuetudine se secundo exsatiassent, profecti sunt in montes, qui dicuntur Nitriae. Congressi autem illic quoque cum virtutis studiosis qui illic erant, cum instar apum omnem florem virtutis collegissent, pleni bonis redierunt Jerosolyma. Melanae vero paratum erat tabernaculum in monte Oliveti, sicut matri mandatum fuerat. Cum faustum autem accepisset principium diem luminum, seipsam includit in domuncula, et legem sibi imponit, ut aliorum quidem nullum neque videat, neque ab ullo videatur: a matre autem, et ab eo, qui olim conjugii, tunc vero erat laborum socius, spatio quinque dierum semel videretur: et similiter sui adspectum non denegaret consobrinae; eam enim jam diu ante in suam disciplinam acceptam erudiebat, plenamque fastu et Romano spiritu, ad extremam deduxerat modestiam, et sic effecit, ut summum magis apprehenderet.

§ 24. Hanc longe laboriosissimam vitam dicunt fuisse Melanae ad annos quatuordecim. Deinde cum mater ei emigrasset, illa cum ei justis factis ipsam honorasset, et corpus composuisset, in altera domuncula annum transegit, quae carebat luce, et alioqui erat priori similis, in qua producebat luctum et exercitationem et jejunium. Postea autem cum fama in omnem partem pervasisset, et multi ad eam ventitarent, ab ea quoque factum esset coenobium plus quam nonaginta virginum: in quo non solum virgines, sed multae etiam, quae ante turpiter vixerant, priorem vitam et voluptates multum valere jubentes, vere pulcram fecerunt mutationem.

Imponuntur vero eis quoque leges, ut cum viro nunquam sermonem conferant, neque ex monasterio exeant, et ab iis, qui sunt extra, nihil unquam accipiant. Ducem autem gregis non seipsam constituit, sed ipsa quidem apud eas tenebat locum ancillae: sic enim, ut id sustinerent, iis persuasit, ut simul et amor in eam augeretur, et eis esset propinquum exemplum, ut se modeste gererent; rectionem vero suscepit alia, quae et moribus et oratione praestabat caeteris, adeo ut ea quidem apud eas, quae ei parebant, locum obtineret dominae: Melana autem, obsequio quidem, ancillae; benignitate vero, matris. Quod si quando contigisset onus abstinentiae a Praefecta gravius imponi sororibus, quod mollioribus reputabatur molestum, eis ad consolationem beata sufficiebat Melana, quae, quod eis durum erat, apte et prudenter molliebat; et cum aliquando affligeretur jejunio, inscientibus omnibus, sub uniuscujusque lecto ponebat ea, quae erant ad usum necessaria. Illa autem cum invenisset, non ignorabat quidem quis hoc fecisset; accipiens vero, sic remedium adferebat inopiae; in ipsam autem valde magnam conservabat benevolentiam. Sic se sapienter in earum animos insinuans, merito etiam cum eos docebat, habebat morem gerentes.

§ 25. Dicebat autem, non oportere solum corpus, sed etiam animum quoque castum et purum servare a libidinosis cogitationibus. Deinde media quidem nocte ad preces nullam ostendere pigritiam; precantes vero non solum labra movere, sed multo magis totam simul cogere cogitationem: et adhibere mentem iis quae dicuntur. Absurdum enim esse, bona quidem a Deo petere, non diligenter autem et studiose ea petere; et ad regem quidem mortalem accedentes, et habitu et adspectu et modis omnibus prae se ferre reverentiam; ad terribilem vero et immortalem regem venientes, non multo magis ad Dominicam auctoritatem et infinitam excellentiam timidos assistere. Cum de his haec disseruisset, transiit ad matrem omnium charitatem, omnia esse vana et supervacanea sine hac pronuncians. De qua et multa alia oratione est persecuta*, et quod alia quidem nostra malignus daemon potest imitari: ut, verbi causa, inediam et vigiliam, et quaecumque in corpore consistunt. Nam secundum naturam ipse est his omnibus superior, et a nullo eorum vinci potuerit. Humilitatis autem et charitatis non magis nobiscum habere potuerit participationem, quam tenebrae lucis, et vitium virtutis: qui etiam propter ea, quae sunt naturae maxime contraria, superbiam, inquam, et in homines malevolentiam, ex luce miser effectus est tenebrae. Ante omnia vero dicebat oportere conservare rectam fidem, puram, et citra ullam dubitationem. Nam qui in aliis quidem se recte gessit, in hac autem dubitat, in eo quod est praecipuum et caput omnium, aberraverit.

§ 26. Cum autem videret multas ex iis, quae erant apud ipsam,

mulieribus magni facere jejunium, et timeret, ne in eo existimantes omnia contineri, alias virtutes negligerent, tales eis adducens similitudines, ad ipsarum excitabat studium. Dicebat enim, animam quidem esse sponsae similem; quae sunt autem circa ipsam virtutes, nuptialibus indumentis unamquamque partem aliquam corporis ornare. Jejunium vero esse pedum ornamentum. Quomodo ergo cum aliis indumentis oportet etiam ea habere, quae pedes ornant, ita etiam animae cum aliis adesse oportet jejunium. Si quis autem rursus ejus quidem solius curam gerit, alia vero omnia negligit, non est ea anima dissimilis illi puellae, quae cum duceretur ad nuptias, et solum pedes sibi induisset, reliqua omnia reliquit inornata et nuda. De obedientia autem, et quod oporteat magistratibus parère, haec quoque adjecit. Etiam in iis, quae ad vitam mundanam pertinent, hoc est quod omnia maxime continet: et quod imperare quidem facit Imperatorem, parère autem eum, qui est ei subjectus. Et si hoc sustuleris, ordinem quoque sustulisti, et cum nominibus scilicet res quoque confudisti. Neque vero ei deerant exempla sic dicenti:

§ 27. Accessit aliquando quidam ad magnum quemdam senem, ejus studens fieri discipulus. Is autem ab initio ostendens, qualem oportet esse discipulum, jussit eum statuam, quae prope stabat, quantum posset verberare, et ei insultare calcibus. Postquam vero paruit adolescens, interrogavit senex, an quae pulsabatur et calcibus impetebatur statua, contradixerit aut aegre tulerit. Cum is autem dixisset, nihil factum ejusmodi, jussit eum rursus percutere, et praeter plagas eam etiam incessere maledictis. Postquam vero ter fecit eadem, statua autem erat solum inanima et muta, tunc senex: « Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem sustinere, et nihil contradicere, quomodo nec haec statua perpetuo probris affecta et contumeliis, accede, et nostra disciplina fruere: sin minus, ne te ad nostram conferas disciplinam. » Illa multa ejusmodi oratione percurrebat apud virgines. Ad summam autem, per omnes pervadens virtutes, et quantum in unaquaque esset lucri ostendens, et quantum damni, si pigrae essent ac socordes, eas erigebat et excitabat oratione, et persuadebat, ut omnem laborem audacter subirent. Deinde etiam, ut par erat, eis quoque templum aedificat, in quo possent divinum peragere ministerium, hoc sanctorum reliquiis consecrans, Prophetae, inquam, Zachariae et Stephani primi martyris, et quadraginta etiam Christi martyrum.

§ 28. Quid vult id, quod est postea consecutum, declarare oratio? Apenianus qui fuerat ejus quidem secundum carnem conjux, frater autem secundum spiritum, iis quae sunt inferius relictis, migrat ad superas regiones. Illa autem suum quoque finem jam prope adesse existimans, majorum certaminum hinc sibi sumpsit occasionem, intra templum quidem manens, ad

jejunium autem et alia laboriosa omnia se extendens, idque ad quatuor annos integros. Deinde cogitat etiam virorum excitare monasterium, sed sumptuum inopia ejus promptum animi studium prohibebat. Cum vero sentiret et diceret, nihil esse quod a Deo non posset fieri, ipse eam hac quoque liberavit inopia. Nam vir quidam locupletissimus et pecuniosissimus ei magnam vim auri elargitur : quo factum est, ut et opus ab ea perficeretur, et sacrum aedificaretur monasterium, et viros in id admitteret, quales oportebat illius convenire moribus. Cum parum autem ab hoc labore respirasset, eam majores excepere labores et longa peregrinatio. Redduntur enim ei litterae ab ejus patruo Volusiano, qui illo quidem tempore erat creatus praefectus Romanae civitatis : missus vero erat legatus Byzantium ad Eudociam * Imperatricem. Haec autem significabat epistola, quod jam diu illam desideraret videre. Illa vero cupiebat ipsa quoque videre patruum, et ei persuadere, ut a gentilium desisteret opinione. Dubia autem erat animi, ne quid imprudens faceret praeter id, quod Deo videbatur. Cum vero aliquibus aliis monachis rem communicasset, permitterent autem illi, ut posset proficisci, egreditur Jerosolymis beata Melana. Per quamcumque autem transibat civitatem et regionem, eam, quo par erat, prosequebantur honore et officiis. Civitatum enim sacerdotes et Pontifices eam non parvo honore afficiebant, et venerandae virgines et quotquot erant egregii monachi, eam adorabant et salutabant, et tamquam e coelo venientem adspiciebant.

§ **29**. Cum autem venisset Chalcedonem, et ad ipsum sinum maris, verebatur ingredi, et videbatur perturbata. Ventura enim in maximam civitatem, mulier quae vixerat in exercitatione, quietisque et silentii maximam curam gesserat, et non gustaverat tumultus qui sunt in civitate, merito extimescebat et refugiebat. Atque divertit quidem, ubi erat templum omni ex parte benedictae martyris Euphemiae : circa mediam autem noctem martyr non parum ex se effundit suavissimi odoris, et voluptate replet ineffabili. Quocirca bona concepta fiducia, diluculo fretum audacter trajecit, et ingressa est Byzantium. Hospitio vero excipitur a quodam viro illustri et alioqui bono, nomine quidem Lauso, qui ad Praepositurae honorem ascenderat. Invenit autem suum quoque patruum Volusianum gravi morbo oppressum : qui ejus habitum admiratus, formaeque et vestitus incredibili et inopinata stupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat ejus vultus exercitatione), magna voce exclamavit : « O qualem ex quali te video, Melana carissima. » Illa vero ex ejus sermone sumpta occasione : « A me ergo tu quoque, inquit, disce, o beate patrue,

* Tres extitêre Eudoxae Augustae : 1) Aelia Eudoxa, Arcadii uxor ; 2) Aelia Eudoxa (Athenaides), Theodosii II uxor ; 3) Licinia Eudoxa, uxor Valentiniani III. Eudoxa, de qua hic agitur naides est.

mulieribus magni facere jejunium, et timeret, ne in eo existimantes omnia contineri, alias virtutes negligerent, tales eis adducens similitudines, ad ipsarum excitabat studium. Dicebat enim, animam quidem esse sponsae similem; quae sunt autem circa ipsam virtutes, nuptialibus indumentis unamquamque partem aliquam corporis ornare. Jejunium vero esse pedum ornamentum. Quomodo ergo cum aliis indumentis oportet etiam ea habere, quae pedes ornant, ita etiam animae cum aliis adesse oportet jejunium. Si quis autem rursus ejus quidem solius curam gerit, alia vero omnia negligit, non est ea anima dissimilis illi puellae, quae cum duceretur ad nuptias, et solum pedes sibi induisset, reliqua omnia reliquit inornata et nuda. De obedientia autem, et quod oporteat magistratibus parère, haec quoque adjecit. Etiam in iis, quae ad vitam mundanam pertinent, hoc est quod omnia maxime continet: et quod imperare quidem facit Imperatorem, parère autem eum, qui est ei subjectus. Et si hoc sustuleris, ordinem quoque sustulisti, et cum nominibus scilicet res quoque confudisti. Neque vero ei deerant exempla sic dicenti:

§ 27. Accessit aliquando quidam ad magnum quemdam senem, ejus studens fieri discipulus. Is autem ab initio ostendens, qualem oportet esse discipulum, jussit eum statuam, quae prope stabat, quantum posset verberare, et ei insultare calcibus. Postquam vero paruit adolescens, interrogavit senex, an quae pulsabatur et calcibus impetebatur statua, contradixerit aut aegre tulerit. Cum is autem dixisset, nihil factum ejusmodi, jussit eum rursus percutere, et praeter plagas eam etiam incessere maledictis. Postquam vero ter fecit eadem, statua autem erat solum inanima et muta, tunc senex: « Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem sustinere, et nihil contradicere, quomodo nec haec statua perpetuo probris affecta et contumeliis, accede, et nostra disciplina fruere: sin minus, ne te ad nostram conferas disciplinam. » Illa multa ejusmodi oratione percurrebat apud virgines. Ad summam autem, per omnes pervadens virtutes, et quantum in unaquaque esset lucri ostendens, et quantum damni, si pigrae essent ac socordes, eas erigebat et excitabat oratione, et persuadebat, ut omnem laborem audacter subirent. Deinde etiam, ut par erat, eis quoque templum aedificat, in quo possent divinum peragere ministerium, hoc sanctorum reliquiis consecrans, Prophetae, inquam, Zachariae et Stephani primi martyris, et quadraginta etiam Christi martyrum.

§ 28. Quid vult id, quod est postea consecutum, declarare oratio? Apenianus qui fuerat ejus quidem secundum carnem conjux, frater autem secundum spiritum, iis quae sunt inferius relictis, migrat ad superas regiones. Illa autem suum quoque finem jam prope adesse existimans, majorum certaminum hinc sibi sumpsit occasionem, intra templum quidem manens, ad

jejunium autem et alia laboriosa omnia se extendens, idque ad quatuor annos integros. Deinde cogitat etiam virorum excitare monasterium, sed sumptuum inopia ejus promptum animi studium prohibebat. Cum vero sentiret et diceret, nihil esse quod a Deo non posset fieri, ipse eam hac quoque liberavit inopia. Nam vir quidam locupletissimus et pecuniosissimus ei magnam vim auri elargitur : quo factum est, ut et opus ab ea perficeretur, et sacrum aedificaretur monasterium, et viros in id admitteret, quales oportebat illius convenire moribus. Cum parum autem ab hoc labore respirasset, eam majores excepere labores et longa peregrinatio. Redduntur enim ei litterae ab ejus patruo Volusiano, qui illo quidem tempore erat creatus praefectus Romanae civitatis: missus vero erat legatus Byzantium ad Eudociam * Imperatricem. Haec autem significabat epistola, quod jam diu illam desideraret videre. Illa vero cupiebat ipsa quoque videre patruum, et ei persuadere, ut a gentilium desisteret opinione. Dubia autem erat animi, ne quid imprudens faceret praeter id, quod Deo videbatur. Cum vero aliquibus aliis monachis rem communicasset, permitterent autem illi, ut posset proficisci, egreditur Jerosolymis beata Melana. Per quamcumque autem transibat civitatem et regionem, eam, quo par erat, prosequebantur honore et officiis. Civitatum enim sacerdotes et Pontifices eam non parvo honore afficiebant, et venerandae virgines et quotquot erant egregii monachi, eam adorabant et salutabant, et tamquam e coelo venientem adspiciebant.

§ **29**. Cum autem venisset Chalcedonem, et ad ipsum sinum maris, verebatur ingredi, et videbatur perturbata. Ventura enim in maximam civitatem, mulier quae vixerat in exercitatione, quietisque et silentii maximam curam gesserat, et non gustaverat tumultus qui sunt in civitate, merito extimescebat et refugiebat. Atque divertit quidem, ubi erat templum omni ex parte benedictae martyris Euphemiae: circa mediam autem noctem martyr non parum ex se effundit suavissimi odoris, et voluptate replet ineffabili. Quocirca bona concepta fiducia, diluculo fretum audacter trajecit, et ingressa est Byzantium. Hospitio vero excipitur a quodam viro illustri et alioqui bono, nomine quidem Lauso, qui ad Praepositurae honorem ascenderat. Invenit autem suum quoque patruum Volusianum gravi morbo oppressum: qui ejus habitum admiratus, formaeque et vestitus incredibili et inopinata stupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat ejus vultus exercitatione), magna voce exclamavit: « O qualem ex quali te video, Melana carissima. » Illa vero ex ejus sermone sumpta occasione: « A me ergo tu quoque, inquit, disce, o beate patrue,

* Tres extitêre Eudoxae Augustae: 1) Aelia Eudoxa, Arcadii uxor; 2) Aelia Eudoxa (Athenaides), Theodosii II uxor; 3) Licinia Eudoxa, uxor Valentiniani III. Eudoxa, de qua hic agitur, Athenaides est.

et accipe indicium futurorum bonorum. Nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec abjecissem curam ipsius corporis, nisi persuasum haberem, me his propediem longe majora accepturam. » Non per se autem solam, sed per multos quoque alios in ejus mentem sensim irrepebat beata Melana, et ejus falsam religionem studebat labefactare: sicut etiam per sapientissimum Proclum, cujus fidei tunc erat creditus sacer clavus ecclesiae Constantinopolitanae. Qui cum ad eum venisset, et suasu beatae Melanae eum ad pietatem dirigeret, is dicitur illum adeo esse admiratus, ut etiam dixerit post agnitam veritatem, quod si Roma tres haberet tales, ne illic quidem nomen unquam audiretur gentilium. Sed haec quidem postea.

§ **30**. Postquam autem Volusianus sensit Melanam velle Imperatorem quoque ad id incitare, veritus protinus, ne violentum et non voluntarium reputaretur esse baptisma, et quam ex eo esset consecuturus, ipse mercede privaretur, eam a coepto prohibuit. Et is quidem, ut dicemus paulo post, rem a se adimplevit, et abjurata gentilium opinione, traductus est ad Christum. Illa autem nec aliorum quoque curam abjecit. Sed cum tunc esset exorta Nestorii blasphemia, et malignus multos in errorem adduceret etiam ex iis, qui erant in verbo veritatis, ipsa erat quae magnum adversus eum inibat certamen, vanumque et inane reddebat ejus sophisma, et ab aurora usque vesperam iis respondens, qui eam interrogabant, multisque ex iis qui decepti fuerant, persuadens, et eos reducens. Quamobrem malignus se ab ea vinci non ferens, in virum ejus conversus, et ei apparens miserabilis cum lugubri et nigra veste, accedit eam terrens, et gravia minitans: et primum quidem se ipsius Imperatoris et ejus famulorum cor mutaturum, et in contrarium traducturum: deinde etiam, ut miserabili exitu vitam finiret, procuraturum, gravissimis confecta doloribus. Illa autem haec esse artem maligni intelligens, Christi nomen, quod gravissimam illi plagam adfert, invocans, effecit ut is statim evanesceret. Deinde cum accersisset eum, qui erat cum ipsa, sacerdotem, et incepisset narrare ea, quae viderat et audierat, sentit repente dolorem in coxendice, eumque adeo acrem, ut ea vocem amiserit, et nemo dubitaverit id esse manifestum inimici insultum. Cum sic ei productus esset dolor ad sex usque dies, et illa hora maxime malum intenderetur, quo nigrum adspexerat et minas audiverat (aderat enim dies septimus), accedit aliquis, renuncians patruum venisse in periculum, ne repentina morte vitam mox finiret.

§ **31**. Hoc postquam illa audivit, etsi propter dolorem coxendicis vix se posset movere, manibus et lectica protinus ad eum vecta proficiscitur. Valde enim angebatur animo, non quod ille moreretur, sed quod mortem subiret animae, ut qui baptismi incorruptionem nondum esset assecutus. Deinde venit quidam

lius, ei significans virum esse baptizatum, et quod cum eam sepe quaesitam non invenisset, sed eam morbo detineri didicis-t, alium ducem rursus nactus, per illum fit lucis filius, et ba-ismum consequitur. Cum haec ei dicta essent, cum dolore ani-ae protinus cessavit etiam morbus corporis: et lumbus quidem rebat dolore, pes autem movebatur, et communis inimicus af-ciebatur dedecore: adeo ut viae reliquum ipsa per se conficeret, qui portabant, pro eo quod prius portabant, ad Deum laudan-um statim manus extendebant. Deinde cum venisset ad patruum, verbis eum confirmasset, et de ea quae illic est vita disseruis-et, laetum et bona spe praeditum transmittit ad viam, quae ducit d Deum, cum pulcherrimo viatico, nempe pretioso Christi cor-ore et sanguine, eum instruxisset, et sic ut tuto recederet, per-cisset *. Et haec quidem hoc modo gesta sunt **. Illa autem ım multos quidem dies hic transegisset, in paucis vero multis lurimum profuisset, et ante alios Imperatrici et ipsi Imperatori s autem erat Theodosius ***), nam ii majori opus habebant cu-ıtione, ut quorum animi majore mundi gloria essent tumidi.

§ 32. Cum haec illa pulcre et pie fecisset, egreditur e civitate: nebatur enim magno amore silentii et quietis, et sacra loca ei eniebant in mentem. Acciderat autem tunc nivis plurimum ce-idisse, et exortum esse frigus vehementissimum, et ad toleran-um difficillimum. Illa autem et tempus et nivem et aetatem et liquatum ac tabefactum corpus, et omnia denique simul superare ontendens, viam confecit, labores magis augens exercitationis. lultis vero sanctis eam in via et hospitio excipientibus, et ut ea ıaneret rogantibus, illa minime obtemperavit; sed contento quo-am cursu cucurrit, salutaris passionis diem festum studens elebrare Jerosolymus; quod ei etiam successit ex sententia. Cum ic ergo una cum eis festum illic celebrasset, ad priora se rursus ontulit, non minus sui et gregis utriusque curam gerens. Cum utem ei venisset in mentem, alterum aedificare oratorium in eo oco, in quo dicitur stetisse Christus Dominus et Deus noster rucem ascensurus, et salutarem subiisse passionem, ejus vero roposito Deus quoque opem ferret, aedificat oratorium: deinde d etiam facit monasterium, in quo se exercerent animae, viris anctis in eo congregatis ad Deum laudandum et glorificandum. nterim autem dum haec fierent, Imperatrix Eudoxia iverat An-iochiam. Paruerat enim Melanae monitis, cum ea venisset Byzan-ium, suadentis, ut hanc susciperet peregrinationem, et veniret lerosolyma, ut videret sancta loca, et quae ex eis percipitur,

* Volusianum, ita a Christiana lego abhorrentem, ut S. Augustinus ipse frustra circa eumdem adlaboraret, maxima et insignissima est gloria Melaniae ad Christi fidem convertisse.

** Circa annum 434.

*** Hujus nominis II, qui regnare coepit anno 409, atque e vita discessit anno 450. Eo imperante Gensericus, Wandalorum rex, post multorum Romanorum caedem, plurimumque urbium ever-sionem, Africâ potitus est. Unni vero Illyricum et Thraciam ad Thermopylas usque occupavêre.

fieret particeps sanctificationis. Cum ea itaque illi processisset obviam, magno honore fuit affecta ab Imperatrice, ut quae eam matris loco haberet, et duabus de causis providentiae divinae ageret gratias, nempe quod et usqueadeo celebratam Jerusalem et sancta loca quae videret, digna sit habita, et quod ea talis matris facta sit filia secundum spiritum. Signum est autem magni amoris Imperatricis in Melanam, quod non dubitaverit tantum iter ingredi, et eo accedere, et quae illic erant virgines, tamquam sorores salutare et amplexari. Porro autem cum celebraretur novi templi dedicatio, illa quoque aderat, et festum celebrabat.

§ **33**. Hanc autem rem bonam consecutum est quiddam, dignum maligni improbitate, et boni Dei virtute. Pedem enim Imperatricis, qui injuriâ daemonis e compage erat luxatus, illa absque dolore apte et recte in suum locum restituit. Cum haec et non pauca alia a magna Melana percepisset commoda, et simul etiam exsatiasset spectaculis, decrevit reverti Constantinopolim, et ei quidem Melana cum tamquam bonas comites dedisset preces, ipsam dimittit: ipsa autem aequales atque adeo majores vitae ex Deo agendae labores pergebat suscipere. Ad eam quoque affluebat a Deo fluvius miraculorum. Quorum existimo non esse supervacaneum aliquot meminisse, ea tamquam aliquod condimentum admiscendo narrationi. Mulier quaedam juvenis aetate invaditur a daemone. Quae quidem clausis dentibus et labris non solum vocem non emittebat, sed neque cibum omnino attingebat. Fames autem, visceribus et carne graviter liquefacta, mortem minabatur paulo post. Tentantibus vero medicis, diligenter adhibitis medicamentis et artis remediis, malum vincere, postquam omnia convincebantur esse inania et nihil posse, defatigati qui ad eam attinebant, ad unum intuebantur auxilium, nempe ad preces magnae Melanae. Eam itaque afferunt tollentes manibus, lacrymas oculis effundentes, et verba emittentes lacrymis magis miserabilia. Illa autem (hominum enim vitabat gloriam, ut quae magnum afferret damnum, modesteque ac moderate se gerebat) « Haec quidem, inquit, a me non possunt fieri: Christi vero martyres haec et his majora possunt facere. » Cum sic dixisset, daemoniacam duci jubet in templum. Cum de sanctorum autem oleo sumpsisset, et os laborantis tetigisset, claram emittit vocem: « In nomine Jesu Christi, dicens, os tuum aperi. » Vocem autem vox statim est consecuta, sanctae vocem vox aegrotae, et incitata est lingua ad agendas gratias, et daemon aberat, et cibus simul aderat, et divinum nomen per ipsam glorificabatur.

§ **34**. Quaedam alia mulier gravida in partum incidit morte acerbiorem. Nam cum jam pàreret, foetus, qui nondum processerat, intus erat mortuus, eratque matris uterus sepulcrum filii. Pervenit itaque calamitas matris usque ad aures Melanae. Illa

ıutem valde gravi dolore affecta, et perinde ac ipsa quae patie-
›atur cruciata, venit statim ad aedes, in quibus periculum adibat
nulier, magnumque medicamentum paravit orationem. Quae vero
aborabat, vix membra movens, non poterat quidem loqui: ha-
ıitu autem et oculis flebiliter et miserabiliter intuens videbatur
icere: Miserere. Quid ergo magna Melana? Oculis in coelum
ublatis, cum zonam suam solvisset, statim imponit ei, quae erat
re mortua. Deinde cum dixisset: « Ipsa fuit mihi donum magni
iri, et qui eam fuerit consecutus, non frustrabitur curatione; »
tatim et mortuum ejecit et peperit, et quae jacebat, fuit statim
ıb omni dolore liberata. Haec vel per zonam beata Melana fa-
ciens miracula, ea aliis attribuebat. Quam multa facta sunt illic
jusmodi, quae mihi non licet nunc attingere, cum prolixam
ernam orationem, et remissus jam mihi sit spiritus propter
nultitudinem eorum quae dicta sunt. Sed ex iis, quae dicta
unt, vobis facile licet reliqua conjicere, ut qui ex modico gustu
otum cognoveritis; ex eodem enim dolio, dixerit quispiam, est
eliquum. Eundum est ergo ad decessum, si prius narrationi
›auca adjecerimus.

§ **35**. Cum enim adesset finis, et is esset Melanae praecogni-
us, et tamquam athleta quispiam non procul abesset a corona,
nagis festinabat, et eum jam adesse laetabatur: et obiens alia
oca Jerosolymorum, et Bethleem illam et Galilaeam, et quaecum-
que in orbem circumibat, ea tamquam anima salutabat in pere-
grinatione. Cum advenisset autem dies natalis Servatoris, ad prae-
epe cucurrit et speluncam, et consobrinae dicit, se non amplius
sse festum cum eis celebraturam. Cum ergo tota nocte illic vigi-
asset in spelunca, die sequenti vadit ad aedem primi martyris;
t cum illic pernoctasset, et librum sumpsisset in manus, eis
egit mortem primi martyris. Deinde cum adjecisset, eas non am-
›lius esse illam audituras legentem, postquam vidit eas graviter
erre, quod dictum fuerat, sentiebant enim quid sibi vellet haec
licens: illa rursus coepit verba ad eas facere, et corda earum
onsolata est verbis spiritalibus: « Ego quidem, dicens, o caris-
imae, a vobis jam recedo, cum hoc ita Deo visum sit. Vos vero
ta vitam agite, tamquam praesentibus et intuentibus Dei oculis,
qui cogitationes scrutatur et videt corda. Eum ergo, ut dicit Pro-
›heta, vobis ante vestrum conspectum proponentes, et castas
ınimas et corpora ab omni labe munda conservate, et si propter
neam privationem tristitia corda vestra pupugerit, si illius vobis
veniat in mentem, protinus satis magnam invenietis consola-
ionem. »

§ **36**. Cum sic dixisset, templum ingreditur, et cum ad pre-
candum constitisset: « Domine Deus, dicebat, quem ego elegi ab
initio, quem ego et nuptiis et divitiis et gloriae praetuli et volu-
ptatibus, cui ab ortu corpus commendavi et spiritum, cujus metu

os semper adhaesit carni meae, qui tenuisti dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me, tu quoque nunc exaudi vocem meam, et hae lacrymae moveant fluenta tuae misericordiae, et omnium peccatorum sordes tam voluntarias quam involuntarias expurga: praebe mihi ad te iter absque ulla perturbatione et citra ullum impedimentum. Ne me retineant hujus aëris mali daemones. Nihil mortale, o Immortalis. Scis, o hominum Amator, nullum hominem esse sine sordibus. Nullus est, in quem non possit arripere ansam adversarius, nec si vitam quidem habeat uno die dimensam. Sed tu quidem cum mea omnia despexeris, siste me mundam ante tuum tribunal. » Ea sic precante cum lacrymis, cum nondum cessasset orare, horror corpus ejus invadit; et incipit quidem aegrotare, non cessat autem laborare. Sed quamvis ita esset affecta, ibat ad consueta cantica, et simul hymnos psallebat matutinos: cumque de anima et salute multum esset philosophata, et suum gregem allocuta, eum ad virtutem incitasset, his finitis cum se sensisset veluti deficientem, vidisset autem eas, quae parebant, monachas graviter ferre se ab ea disjungi, multis verbis eas consolata, dicens non oportere ita moerere et lugere, data jam desuper signo emigrationis, divina Christi sumit sacramenta.

§ 37. Cum autem cum pontifice Eleutheropolis, qui ad eam cum toto clero venerat, diu locuta, de suis gregibus multa mandata dedisset, et cum multi quoque alii confluxissent (exceptis enim admodum paucis, omnes qui circumcirca habitabant, tam qui se separatim exercebant, quam qui communiter vivebant, quicumque erant sacrati ordinis, atque adeo qui erant etiam circa oppida habitantes *), cum ad eos in commune utilem fecisset admonitionem, praecipue vero ad consobrinam, quae propter ejus separationem valde erat perturbata, et deinde ad omnes, qui dolore afficiebantur, extremam hanc vocem effata: « Sicut Domino visum est, ita factum est, » sanctam illam et sacram emisit animam, ultimo die mensis Decembris, cum esset dies Dominica. Ut autem corpus apte et decore componeretur, nihil opus fuit alienis manibus; sed et manu sua sponte pectori honeste erant impositae; pedes autem extensi ut decebat; supercilia vero perinde ac si adhuc viveret, apte et eleganter erant clausa. Cum vero tota nocte super eam pro more cecinissent, circa auroram, eam terrae mandant **.

* Deest, *eo advenerant*, aut quippiam simile.

** Tam S. Augustinus, quam S. Hieronymus non semel in suis Epistolis de S. Melania ... Hic meminisse sufficiat S. Hieronymum ad Alypium et Augustinum scribentem (*Epist.* ...) dixisse: " Sancti filii comunes, Albinus, Apinianus et Melania plurimum vos salutant. ".

# INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM

## QUORUM HISTORIAM

## IN SURIO HABES PRO MENSE DECEMBRI

## SERMONES IN FESTIS:

| ERRATA | | CORRIGE |
|---|---|---|
| Pag. 246 in *Nota:* | adservantur | olim adservabantur |
| " " " | anno 1876 | anno 1875 |
| " " " | anno 1870 | anno 1878 |
| " 354 " | ab ipso composita | ab eodem composita |
| " 458 linea 16: | Spetiosa et Spetiosum | Speciosa et Speciosum |

*Alia vero ejusmodi errata humanissimum Lectorem per se ipsum ut emendet rogo.*

---

Habita facultate Auct. Eccl.

---

S. EUSTOCHIUS VIRGO ET MART.

*Martyrio coronata circa annum* 363.

MARTYROL. — Tharsi in Cilicia sanctae EUSTOCHII Virginis et Martyris, quae sub Juliano Apostata, post dira tormenta, in oratione reddidit spiritum.

Ejus Acta, paucis redacta, refert Petrus in *Catal.* lib. 10.

S. THEODOTUS EPISCOPUS.

*Saeculo IV floruit.*

MARTYROL. — Laodiceae in Syria sancti THEODOTI Episcopi, qui non solum verbis sed rebus et virtutibus fuit ornatus.

Is in Laodicensi Episcopatu successit Stephano, qui, quamquam, scribit Eusebius in *Hist.* lib. 7, cap. ult., tum propter philosophiae cognitionem, tum propter reliquam liberalem eruditionem, apud multos in magna admiratione fuit, tamen propter animum ejus, quo erat erga sacram fidem haud sincere affectus, non tantum laudis meruit, sicut, tempore persecutionis progrediente, perspicue patefactum fuit. Et quamvis ejus inconstantia et levitate (ita idem Eusebius, cujus verba fideliter refero), Ecclesiae illius status videretur ruina collapsurus, fuit tamen Dei Salvatoris clementiâ sustentatus, idque quia confestim Theodotus, vir sane et reipsa et proprio nomine (Theodotus, a Deo datus dicitur) illius Ecclesiae Episcopus designatus, se vere Episcopum demonstravit; nam ut in medicina, quae ad corporum curationem pertinet, sic in animorum morbis sanandis primas fere tulit; humanitatis autem, morum probitatis, clementiae, commiserationis et studii causâ, quod in eos ostendit qui opem ab eo poscebant, facile omnes superavit; in sacris quoque disciplinis multus erat ei usus et crebra exercitatio.

Sunt tamen, qui ipsum Theodotum ariana labe fuisse infectum, ac ideo immerito in Martyrologium Romanum irrepsisse existiment: in quo nec refellere, nec confirmare apud nos est.

S. GEORGIUS EPISCOPUS.

*Floruit saeculo VII.*

MARTYROL. — Viennae sancti GEORGII Episcopi.

De ipso Beda et recentiores agunt. Ado Vien. in *Chron.* eum ponit anno Domini 699, numeratque decimum-quintum ejus sedis Episcopum.

S. AMBROSIUS ABBAS.

*Saeculo VI claruit.*

MARTYROL. — In monasterio Agaunensi sancti AMBROSII Abbatis.

Ambrosius, prius apud Lugdunum monasterii Insulae-barbarae Monachus et Abbas, cum magnis illic sanctitatis operibus clareret, ad celeberrimi Agaunensi (*Saint Maurice*, inter Helvetios) Coenobii regimen vocatus, postquam illic disciplinam monachicam reformasset, gloriosa ibidem morte consummatus et honorifice conditus, signis atque miraculis plurimis post morte coruscavit. Ita *Menologium Benedictinum.* De ipso agit, quamvis brevissime, Trithemius, *De Vir. illustr. Ordinis S. Benedicti.*

S. MARCIANUS CONFESSOR.

*Saeculo IV floruit.*

MARTYROL. — Cyri in Syria sancti MARCIANI Confessoris. Ejus res gestas longa oratione conscripsit Theodoretus in *Theophilo* cap. III. Aliqua referre libet. « Marcianum vero celeberrimum quomodo pro dignitate laudabimus? An illum videlicit cum Elia et cum Joanne, ac similibus comparantes, qui circuibant in mellotis et pellibus caprinis, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat hic mundus? Is enim patriam olim quidem

habuit Cyrum *, postea vero solitudinem: hac autem et illâ relictâ, coelum nunc habet. Et illa quidem eum genuit, haec vero aluit, victoremque effecit, coelum autem coronatum excepit. Contempta enim claritate generis, quod a patriciis ducebat, et splendore palatii, in quo proceritate corporis et forma donatus ab auctore naturae, nimisque prudentiâ pollens, florebat, in Deum et res divinas totum amorem transtulit; et omnibus valere jussis, medias solitudines adiit, parvaque extructâ domunculâ, quae corpus ejus vix aequaret, eademque parvo quodam alio septo circumdatâ, ibi clausus haerebat assidue, ab omni quidem humana consuetudine sejunctus, sed cum Domino universorum colloquens, et dulcem illam vocem exaudiens. Cibus autem illi erat solus panis, isque ad mensuram datus: mensura vero ea erat, quae nec infanti a lacte nuper divulso satis esset.... Verum enim jejunium est perpetua esuries. Hanc legem proponere non desinebat vir ille divinus, et cum corpus haberet maximum atque omnium sui temporis hominum maximus et pulcherrimus esset, exiguo id cibo sustentabat. Post aliquod temporis spatium, duos admisit contubernales, Eusebium, qui sacri illius tugurii fuit haeres, et Agapetum, qui has Evangelicas leges transtulit Apameam... At cum hos duos admisisset, non habitabant tamen illi sub eodem tecto. Nam ne ipsi quidem soli domuncula sufficiebat, ut admodum parva, et quae tum stanti, tum jacenti multum laboris afferret. Quippe qui nec stans erigi poterat, cum tectum caput et collum premeret, nec rècubans pedes extendere, cum corporis longitudinem domuncula non aequaret. Aliam ergo ut extruerent permittens, jussit ut in ea degerent, ac per se ipsi hymnos dicerent et orarent, et divina eloquia lectitarent. Cum vero plures hujus utilitatis participes fieri oporteret, alio habitaculo ejus jussu procul exstructo, jussit eos in illo degere qui vellent... Quo sane tempore omnes illum videre contendebant. Itaque venerunt ad illum aliquando unâ congregati primi Pontificum, magnus ille Flavianus, Ecclesiae Pastor Antiochenae, et divinus Acacius, et Eusebius Chalcidensis Episcopus, et Isidorus qui Cyri gubernacula tunc regebat, singulari omnes virtute. Cum illis etiam erat Theodotus Hierapolitanorum Antistes, monastica exercitatione et mansuetudine conspicuus. Aderant quoque nonnulli ex optimatibus et honoratis, quos fidei ardor incenderat. Omnibus ergo cum silentio sedentibus, et sacram illam vocem exspectantibus, ipse quoque diu tacens sedebat, linguâ quidem otiosus, auribus autem intentus. Tunc adsidentium unus, familiaris illi propter curam animae, et clarus insuper dignitate: « Omnes, inquit, o pater, etiam divini hi patres, doctrinae tuae sitientes, suavissima fluenta tua exspectant. Omnibus ergo qui adsunt utilitatem impertire, nec beneficentiae rivos occlude. » Ille autem cum vehementius suspirasset: « Deus, inquit, universorum quotidie et per creaturas loquitur, et per divinas scripturas verba facit, et quae consentanea sunt admonet, et quae utilia docet, et minis deterret, et promissis hortatur, nec utilitatem ullam capimus. Quomodo ergo loquens prodesse queat Marcianus, qui tantam utilitatem cum aliis aspernatur, et fructum ex illis capere non vult? » Exinde multi sermones habiti sunt a patribus, quos inserere narrationi supervacaneum duxi. Cum autem surrexissent et orassent, eumque sacerdotem ordinare vellent, manus tamen admovère non audebant; atque hoc illum, illo vero hunc adhortante, cum recusassent omnes, re infectâ, discesserunt... Venerat ad illum ex patria soror ejus cum filio, qui et vir erat, et urbis Cyri obtinebat principatum, quae ad victum

* *Cyrus*, vel melius *Cyrrhus*, urbs erat non valde longe ab Antiochia. Adhuc extant ipsius rudera.

illi necessaria erant afferens abunde. Is vero sororem videre non est passus: sororis autem filium, quoniam eum alloquendi tempus erat, in conspectum admisit. Cum autem rogarent ut acciperet quae allata fuerant: « Per quot, inquit, monasteria transiistis, et quibusnam illorum ex his aliquid impertiistis? » Cumque is nulli datum esse respondisset: « Abite, inquit, cum iis quae attulistis. Nos enim nullo horum indigemus, nec si egeremus, acciperemus, quia vos naturalis potius cognationis, quam divini obsequii studio, hanc in nos beneficentiam exercetis. Nisi enim solam generis necessitudinem spectaretis, non nobis solis haec impertiti essetis. » Haec dicens, filium sororis cum sorore dimisit, metuens ne quid acciperetur ex iis quae attulerant.... »

TERTIO NONAS DIE III.

## S. QUARTUS.

*Saeculo I.*

Martyrol. — Natalis S. Quarti Apostolorum discipuli.

De eo scribit Apostolus Paulus, ad Rom. xvi, 23: *Salutat vos . . . . . Quartus frater*. Hunc Berithi ecclesiae episcopum datum esse tradit Dorotheus in *Synopsi;* alii vero, unum ex 70 Christi discipulum faciunt: quae omnia obscura et incerta prorsus censentur.

## SS. GERMANUS, THEOPHILUS, CAESARIUS et VITALIS MM.

*Passi sunt circa annum 254.*

Martyrol. — Caesareae in Cappadocia sanctorum Martyrum Germani, Theophili, Caesarii et Vitalis, qui in persecutione Deciana optime duxerunt martyrium.

Baronius, in *Annalibus*, subjungit: « quorum memoria habetur in Ecclesiasticis tabulis adscripta singulis diebus, quibus eorum natalitia celebrantur. » Eos commemoravêre Beda, Ado, Usuardus et Petrus in *Catal.* lib. 10.

## Innumerabiles Martyres.

*Laureâ donati anno 303.*

Martyrol. — Caesaraugustae sanctorum innumerabilium Martyrum, qui sub Daciano Hispaniarum Praeside mirabiliter occubuerunt pro Christo.

Caesaraugusta (hodie Saragozza), in Hispaniis, provinciae Aragoniae caput, a S. Isidoro prae caeteris Hispaniarum urbibus celebratur, cum dicit: « Illustrior est florens sanctorum Martyrum sepulturis » (*Orig.* lib. 35). In ea enim Dacianus, veluti sedem suarum persecutionum posuit; eo Christianorum coetus ex diversis civitatibus et provinciis confertim perduci jussit, ut ibi necarentur. Qui autem scribit Baronius in *Annalibus*, Christianorum numerus Caesaraugustae diverso cruciamentorum genere, varioque mortis supplicio, fuerit tunc temporis martyrio coronatus, innumerabili propemodum multitudine eorum, omnino remansit incertus. Quamobrem Dei Ecclesia hos omnes una simul anniversaria commemoratione complectens, natalem diem illis adscriptam hoc digno titulo consignavit. Fertur horum omnium Martyrum exercitum *Massam candidam* fuisse appellatum, eo quod corporum eorum combustorum cineres remanserint nive candidiores: quo signo distincti, facile ii a Christianis collecti sunt. Hos Martyres cecinit Prudentius his saphphicis, dum de Caesaraugusta agit. Is eorumdem multitudinem cum Romanorum et Carthaginiensium copiis componere non dubitat.

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti:
Sola praedives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Poeni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.

Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Daemonum, et nigras pepulit tenebras,
Urbe piata.

## SS. VALENTINUS Presb. et HILARIUS Diac. MM.

*Martyrio donati circa annum* 303.

Martyrol. — Viterbii sanctorum artyrum Valentini Presbyteri et ilarii Diaconi, qui in persecutione laximiani ob Christi fidem cum saxi ondere in Tiberim praecipitati et ide ab Angelo divinitus erepti, deium, abscissis cervicibus, coronam iartyrii perceperunt.

Horum Martyrum Acta manuscrita accepimus ab Ecclesia Viterbiensi, bi eorum capita cathedralis ecclesia iagna veneratione conservat. Ita Baonius in *Notis* ad Martyr.; nec quiduam aliud in *Annalibus* refert.

## S. WENEFRIDA Virgo et Martyr.

*Floruit saeculo VII.* — *Nat. Angla.*

Martyrol. — In Anglia S. Wene'ridae Virginis et Martyris.

Haec clarissimis orta natalibus, a S. Beunoo Monacho sanctissime institula, virginitatem perpetuam vovit. Cum autem quodam die Dominico pa'entes ejus ad Ecclesiam ivissent, et lla domi sola remansisset, Cadocus, Alani regis filius, in ejus aedes advenit, suum insanum amorem, quo aestuabat, ei patefaciens. Sed Virgo, pia raude eum deludens, in Ecclesiam profugit. Quod ubi sensit juvenis, magno furoris pèrcitus, ense eam insequitur, ac, execrando prorsus facinore, in ipsa Ecclesia ei caput amputavit. (E *Vita* conscripta a Ruperto Abb. Salop., in Surio).

Martyrol. — In Monasterio Claraevallensi depositio sancti Malachiae Episcopi Connerthensis in Hibernia, qui multis virtutibus suo tempore claruit: cujus vitam sanctus Bernardus Abbas conscripsit. (*Vide Surium*, pag. 76).

Martyrol. — Eodem die sancti Huberti Tungrensis Episcopi (*Vide Surium*, pag. 63).

## S. DOMNUS Ep. et Conf.

*Circa annum* 612 — *Nat. Gallus.*

Martyrol. — Viennae sancti Domni Episcopi et Confessoris.

Ado Vienn. tradit S. Desiderio Episcopo Viennensi (in Gallia), martyrio vitâ functo, subrogatum fuisse Domnum vel Domnolum, virum pietate insignem, cujus charitas maxime in redimendis captivis enituit.

## S. PIRMINUS Episcopus.

*Circa annum* 724 — *Nat. Gallus.*

Martyrol. — Item depositio sancti Pirmini Meldensis Episcopi.

Pirminus ex Monacho Andegavensi (*Anjou*) Episcopus Meldensis (*Meaux*) factus, cum admirando fidei propagandae zelo ferveret, a Gregorio Pp. II ad reformandas Galliae atque Alemanniae Ecclesias destinatus, salutaria multa decrevit. Alsatiam quoque lustravit, ubi plurima coenobia condidit, quae magnam adepta sunt celebritatem. Tandem, quum in monasterium Hornbach se recepisset, ut orationi ac meditationi penitus vacaret, ibi suum diem obiit, cum in vita, tum post mortem miraculis clarus. Ejus patrocinium contra venenata animalia, et in partus doloribus praecipue invocatur. (Ex Trithemio, *De viris illustr. Ord. S. Benedicti;* et ex *Menolog. Benedict.*).

## S. HERMENGANDIUS Episcopus.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Urgellae in Hispania sancti Hermengandii Episcopi.

Baronius haec tantum subjungit: «Tabulae ejus Ecclesiae, et *Flos Sanct.*

Hisp. de eodem hac die.» *Urgella.* in Hispaniarum regno, vulgo *Urgel* vel *Sen de-Urgel* dicitur.

## S. SYLVIA.

### *Floruit saeculo VI.*

Martyrol. — Romae sanctae Sylviae, matris sancti Gregorii Papae.

Sanctitate et virtutibus excelluit S. Sylvia, quae inter Sanctos adnumerari meruit. Romae antiquissimus fuit ejus cultus; et ecclesiam suo nomini dicatam, apud S. Sabam extitisse testatur Joannes Diaconus in *Vita* S. Gregorii. Porro injuriâ temporum ejus memoria pene abolita, a Clemente Pp. VIII fuit renovata. (Baronius, in *Notis* ad Martyr.). Suorum parentum effigies in atrio sui monasterii sanctus Gregorius Magnus pingi jusserat, quas Joannes Diaconus conspexit. En, ut hic refert, S. Sylviae imago: « In altera (scilic. *icone)* vero mater Gregorii sedens depicta est Sylvia candido velamine a dextero humero taliter contra sinistrum revoluto contecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat, et circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactinei coloris appareat, quae magno sinuamine super pedes defluat duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta: statura plena, facies rotunda quidem et candida, sed senio jam rugosa, quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat, oculis glaucis grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mitram candentis brandei, raritate niblatam; duobus dexterae digitis signaculo Crucis se munire velle praetendens: in sinistra vero patens Psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: *Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me**. A dextero vero cubitu usque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: Gregorius Sylviae Matri fecit. »

PRIDIE NONAS DIE IV.

Martyrol. — Mediolani sancti Caroli Borromei Cardinalis, et ejusdem civitatis Episcopi, quem sanctitate conspicuum, et miraculis clarum Paulus quintus in Sanctorum numerum retulit. (*Vide Surium*, pag. 103).

## SS. VITALIS ET AGRICOLA MM.

### *Passi sunt circa annum 304.*

Martyrol. — Bononiae sanctorum Martyrum Vitalis et Agricolae, quorum prior posterioris servus antea fuit, postea consors et collega martyrii: in quem persecutores omnia tormentorum genera exercuerunt, ita ut non esset in corpore ejus sine vulnera locus; quae constanter perferens in oratione spiritum Deo reddidit: Agricolam vero plurimis clavis cruci affigentes interemerunt. Eorum translationi sanctus Ambrosius cum interesset, Martyris clavos, sanguinem triumphalem et crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris altaribus condidisse.

S. Ambrosius de his agit in Oratione, quam Florentiae habuit, cum ab ejus civitatis incolis ad novam basilicam, quae olim *Ambrosiana*, deinde *S. Laurentii* vocata est, dedicandam invitatus, ibi aliquas eorumdem sanctorum Martyrum reliquias deposuit, anno circiter **392**. Hujus Orationis, quae in *Libro de exhortatione virginitatis* habetur, partes principales hic exscribimus. « Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta** secum referre consueverunt. Ego ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiae reservavi. Apophoreta autem solent habere triumphos principum: et haec apophoreta triumphalia sunt;

* *Psalm.* 118.

** *Apophoreta* erant munuscula, quae in conviviis, in Principum triumphis, et in aliis ejusmodi pompis distribuebantur.

hristi enim nostri principis triumphi 
ınt Martyrum palmae. Nec vero huc irigebam iter: sed quia petitus a vobis sum, debui mecum deferre quae iis parabantur, ne minor ad vos venirem; ut quod in me minus est, ıam praesumebatur, in Martyre plus ıveniretur. Martyri nomen Agricola st, cui Vitalis servus fuit ante, nunc onsors et collega martyrii. Praecessit ervus, ut provideret locum: sequuıs est dominus, securus quod fide ervuli jam inveniret paratum..... umque sanctus Vitalis cogeretur a ersequentibus ut Christum negaret, t ille amplius profiteretur Dominum esum Christum, omnia tormentorum enera in eum exercentes, ut non sset in corpore ejus sine vulnere ocus, orationem fudit ad Dominum: *Domine Jesu Christe, Salvator meus t Deus meus, jube suscipi spiritum neum; quia jam desidero ut accipiam oronam, quam Angelus tuus sanctus nihi ostendit.* Et completa oratione, emisit spiritum. Sanctus Agricola nitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Ideoque differebant ejus passionem. Sed ıaec persecutorum honorificentia omni erat immanitate acerbior, quae nvidebat martyrium. Denique ubi ıon adquievit, sanctus Agricola crucifixus est; ut advertamus illas blanlitias eorum non sedulitatis fuisse, ed fraudis.... Sepulti autem erant n Judaeorum solo, inter ipsorum seulcra. Ambierunt Judaei cum servulis sepulturae habere consortium, quorum Dominum negaverunt. Et illos quos viventes persequuti sunt, mortuos honorabant. Illic igitur Martyris exuvias requirebamus, tamquam inter spinas rosam legentes. Circumfundebamur a Judaeis, cum sacrae reliquiae veherentur: aderat populus Ecclesiae cum plausu et laetitia... Detuli ergo vobis munera, quae meis legi manibus, idest, crucis trophaea, cujus gratiam in operibus agnoscitis. Certe et ipsi daemones confitentur. Condant alii aurum atque argentum; ac de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, et saepe habentibus perniciosus: nos legimus Martyris clavos, et multos quidem, ut plura fuerint vulnera quam membra. Colligimus sanguinem triumphalem, et crucis lignum. Haec sanctae viduae negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quae nunc sub sacris altaribus reconduntur... »

## SS. PHILOLOGUS ET PÀTROBA.

*Saeculo I.*

MARTYROL. — Eodem die natalis sanctorum PHILOLOGI et PÀTROBAE sancti Pauli Apostoli discipulorum.

Eorum meminit S. Paulus, ad Romanos (Cap. XVI, 14 et 15) scribens, hisce verbis: *Salutate Pàtrobam* etc., *et qui cum eis sunt, fratres. Salutate Philologum* etc., *et omnes, qui cum eis sunt, sanctos.* Philologum Synope, Pàtrobam Neapoli praefectum esse Episcopum tradit Dorotheus: licet Hippolytus testetur Pàtrobam creatum fuisse Episcopum Puteolanum (Baronius, in *Notis* ad Martyr.).

## S. PROCULUS MARTYR.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Augustoduni sancti PROCULI Martyris.

Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardi Martyrologium, monet ubique *episcopum*, nusquam *martyrem* sanctum Proculum in vetustis Martyrologiis appellatum esse. Vellemus, is addit, tam certa superesse vitae monumenta, quam certum putemus, assertum titulum Proculo deberi, quemadmodum et de cetero Usuardinam lectionem veram censemus et simplicem. — Usuardus enim in suo Martyrologio haec tantum habet: *Augustoduni, sancti Proculi Episcopi.*

### S. CLARUS Presb. et Mart.

*Saeculo III vel IV.*

Martyrol. — In pago Vilcassino sancti Clari Presbyteri et Martyris.

Clarus Vilcassinus (exortus scilicet in ea Galliarum regione, quae *Vexin* nuncupatur) apud nullos antiquos Martyrologos, ait Sollerius, praeterquam apud Nostrum (scilicet *Usuardum)*, nullo ornatus elogio, haud dubio quod nulla Acta viderit Usuardus, ex quibus distinctiores aliquas notas seu missionis, seu praedicationis, vitae, martyrii aut temporis depromeret. S. Clarus colitur Rothomagi (*Rouen*), Caesaromagi (*Beauvais*), Parisiis, aliisque locis. Sunt qui alios S. Claros Episcopos et Martyres extitisse asserunt: id quod valde incertum dubiumque videtur.

### S. PORPHYRIUS Martyr.

*Circa annum 171.*

Martyrol. — Ephesi sancti Porphyrii Martyris sub Aureliano Imperatore.

Agunt de eodem hac item die Graeci in Menologio, ejusque martyrium describunt, subjungit Baronius, quin aliud addat.

### SS. NICANDRUS Ep. et HERMA Presb. MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Myrae in Lycia sanctorum Martyrum Nicandri Episcopi et Hermae Presbyteri sub Libanio Praeside.

Graeci itidem hac die in Menologium de iisdem agunt. — Ita Baronius.

### S. PIERIUS Presbyter.

*Floruit saeculo III.*

Martyrol. — Eodem die natalis sancti Pierii Presbyteri Alexandrini, qui in divinis Scripturis nobiliter eruditus, vitâ purissimus, et ad Christianam Philosophiam nudus penitus et expeditus, sub Caro et Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam Ecclesiam Theona, florentissime docuit populum, et diversos tractatus edidit: post persecutionem vero omne vitae suae tempus Romae versatus, in pace quievit.

Eusebius in *Hist. Eccl.* (lib. VII, cap. 29), de S. Pierio haec scripsit: « Inter homines vitae nostrae aetatis rarissimos quidem et singularis cujusdam virtutis, ex presbyteris Alexandrinis Pierium... cognovimus. At Pierius cum ob inopem admodum ac egentem vitae rationem, quam sua sponte susceperat, tum ob philosophorum disciplinas, quibus erat imbutus, satis spectatus et illustris fuit; in litterarum quoque divinarum tum cognitione, tum explicatione; in disceptationibus praeterea concionibusque publice in Ecclesia faciendis, supra modum exercitatus. »

S. Hieronymus de Pierio agens in *Script. Eccles.*, dum, quae extarent ejus lucubrationes recenset, haec ait: « Pierius Alexandrinae Ecclesiae presbyter sub Caro et Diocletiano* Principibus, eo tempore quo eamdem Ecclesiam Theonas** Episcopus regebat, florentissime docuit populos; et in tantam sermonis, diversorumque tractatuum, qui usque hodie extant, venit elegantiam, ut *Origenes Junior* vocaretur. Constat hunc mirae ἀσκήσεως, et appetitorem voluntariae paupertatis, scientissimumque Dialecticae et Rhetoricae artis, et post persecutionem omne vitae tempus Romae fuisse versatum. Hujus est longissimus tractatus de Propheta Osee, quem in pervigilio Paschae habitum, ipse sermo demonstrat. »

Juxta Photium, qui S. Pierii scri-

* Diocletianus ab anno 284 ad 305 imperium tenuit.

** Theonas episcopatum gessit ab anno 285 ad 300.

bendi elegantiam et facilitatem commendat, hic librum praeterea ad explicandum S. Lucae Evangelium edidit*.

### S. AMANTIUS EPISCOPUS.

*Saeculo V floruit.*

MARTYROL. — Apud Ruthenos in Gallia beati AMANTII Episcopi, cujus vita sanctitate et miraculis extitit gloriosa.

Ejus Vita, quam hîc e Surio exscribimus, a Fortunato, qui centum annos post S. Amantium floruit, conscripta fertur.

« Beatissimus Amantius Rutenae ** urbis quondam fuit civis ortu, vità pastor, nunc felici patronus est excessu. Qui in primaevo aetatis flore, abruptis saeculi laqueis, militiam Christi perseverantiae definitione suscepit, et vitia, quibus pulsatur humana fragilitas, patientiae virtute calcavit. Qui beato fervens proposito, et felicium meritorum splendore conspicuus, sacerdotii culmen et sublimis cathedrae sedem emeruit, gessitque mentem fastigio honoris sui parem. Nunc brevi stylo pauca virtutum ejus perstringamus insignia, praestante Domino, oratione beati antistitis, dicendi vires, qui divitias bonitatis suae sine ullo defectu scit effundere, et nescit, cum effuderit, vacuari.

« Igitur cum in praedictae urbis foro consedisset Praeses, altiori sede caeteris sublimior, et quendam nefarii facinoris reum ultimo crucis supplicio, et extrema poena patibuli damnasset, properat beatus antistes ad forum, petit a Praeside vitam jam metu praemortui: non impetrat: iterat preces, orationem apud surdum Praesidem perdit. Itaque antistes ad cellam repedat, terrae prosternitur, fundit preces, suspiria geminat, tundit crebro verbere sanctum pectus: petit a Domino, quod a Praeside obtinere nequiverat. Digna illico Praeses immitis poena percellitur. Nam cathedrae, cui altius insederat, miris repente modis affigitur, deserit ossa vitalis calor, et soluta nervis rigentibus membra, officium quo animae famulabantur, amittunt. Ad cellulam beatissimi viri concurritur; ab oratione consurgit, ad forum progreditur. Sensit adventum viri Dei Praeses, magna jam sui parte praemortuus. Amissi itaque redduntur sensus, et famulantia usibus suis, ad vigorem pristinum redeunt membra. Redditur ergo Praesidi salus, vita damnato: et quicquid vel admittendo ille, vel hic non dimittendo contraxerat, pia Domini miseratione diluitur. Denique condonata est reo vita cum crimine, Praeses meruit veniam cum salute. Non longo post tempore sequitur longe clarior virtus, et tanto par merito. Erat namque haud longe ab urbe altiori base eminens simulacrum, quo in loco mira gentilium multitudo confluxerat. Itaque dum daemonibus pecudum, vel suis potius mortibus, litant, dumque cuncti, referti epulis, vino pleni, cantu perstrepunt, beatissimus sacerdos advenit; vidensque exultare infelicem plebem omni luctu graviori laetitia, trahens imo pectore longa suspiria, a sacrilegii impio scelere pio hortamine revocare pertentat. Sed invisa semper ignaviae remedia sunt, quae perire arbitrio suo, quam alieno servari consilio, mavult. In modum utilium, incommodum voluptatis examinat, blandaque noxia pro rectis ac necessariis habet. Totis ergo furoris stimulis in injuriam sancti viri seditiosum vulgus exarsit, cum pia ille adversus saevientes arma corripiens, cellulam repetit, terrae prosternitur, fundit uberes pro hostibus fletus, ingeminat pro inimicis alta suspiria, petit ut sine nece sua, vel certe propria, saevientium furor desisteret. Nam ille quo coronaretur, optabat: pro his, ne punirentur impii, pia apud misericordem Regem vota

* Jamdiu est, ex quo omnia Pierii opera intercidêre.

** Vulgo *Rhodez*.

fundebat. Post longa itaque suspiria sanctum elevans caput, si nubes aliqua ab Oriente consurgeret, qui prope assistebat, inspicere puerum rogat. Nullam ille videri respondit. Rursus beatus pontifex terrae prostratus, ingemuit: erectumque item a terra caput, eadem quae prius famulum sciscitabatur. Videri, ut prius, famulus negat. Cumque tertio sancta terrae membra prosterneret, ait, cui id operis injunctum fuerat, nubem ab Oriente pertenuem exiguamque videri: scilicet credidit, quod futurum praeviderat. Ab humo homo Dei consurgit, et coelum, unde nunquam mente defuerat, intuetur. Tegitur repente nubibus dies, mox diabolo exitium ferens terribili sonitu fulmen increpuit, pariterque infelix simulacrum ferit, dividit, dispergitque: fertur per aëra lapideum sacrilegorum numen. Quod ita diversam in partem ultricis procellae turbo dejecit, ut partem nunc ejus Laverna teneat rivus, partem Avarionis habeat ripa fluminis, in testimonium virtutis perpetuo servatura: partem ab urbe procul patens retineat campus opus tanti miraculi visibus ingerens, admirationem praebens, memoriam repraesentans. Aliquantulum post haec temporis fluxerat, cum ecce praecepit duobus Ecclesiae famulis, ut in flumine, quod juxta urbem praeterfluit, paucos pro advenientibus pisces caperent. Haud mora, praeceptis obediunt, pisces capiunt, lina legunt, ad urbem remeant: quos milites, qui in praesidio erant civitatis, redeuntes offendunt. Ii hostili ritu septi, potiuntur piscibus: eosque male mulctatos flagris, relinquunt exanimes. Ad sacerdotem famuli redeunt, et quae iis simul ablata illataque fuerant, testis luctus edocuit. Beatus tamen pontifex amissis non doluit ex contemptu, afflictis congemuit ex affectu. Illinc constantiam rigor tenuit, hinc pias lacrymas fudit. Felix, cum vicit contemptu: felicior, cum victus affectu est. Domum interea milites repetunt, nituntur praedam edomare flammis. Subjecto etenim igne exundant latices, novo repente miraculo perdit vim flamma dissiliens, et aestuans incassum furibunda. Miroque repente modo durantur magis flammis pisces, lege mutata naturae: et intractabiles durique sensus fasti novitate miraculi mollinntur. Interea pervasores milites ad sacerdotem concurrunt, direpta referunt, genibus adhaerent, veniam facinoris petunt. Ignoscit mens pietate promptissima, donat eis crimen cum piscibus. Mox quae direpta focis, intemerata duraverant, reddita flammis edomantur. Praeclaris gloriosisque signis plus stupenda succedunt....

« Dum his virtutum fulget miraculis, beatum gloriosae consummationis tempus advenit. Sed cum fracta jam aevo membra deficerent, afflictum emortuumque corpus onus abstinentiae roborabat, et quod natura negaverat, meritum conferebat. Fuitque tantus fidei in eo fervor, ut insatiabili ardore quo plus corpori districtionis intulisset, inferre plus cuperet, et ita erant augmenta meritorum ejus incitamenta profectuum. Amor quippe Dei reficere animum potest, satiare desiderium non potest: sed magis magisque cum hauritur, inflammat. Jucunditate enim sui excitat appetitum, sed non facit de satietate fastidium. Igitur beatissimus Amantius hac meritorum luce fulgens, terrena terris membra commendat, caelestis spiritus celsa conscendit. Illic nunc interest choris Angelorum, hîc fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce supplici, hîc tuetur famulos virtute sublimi. Illic petit, hîc praestat. Illic vota fundit, hîc votis respondet. Illic nunc circumseptus aeterna micat luce, vel meritorum splendore clara, vel illatae crucis tormentis roseo quasi fulgore purpurea. Nam ipse in semet et persecutor extinguendo vitia extitit, et martyr crucifigendo corpus emicuit:

ptusque est novum, non mortis, l carnis mortificatione, martyrium. cum sit in conspectu Domini pre- sa mors martyris, dum beatissimus nantius in seipso hostem et perse- itur, et prosternit, fuit in conspe- ı Domini mors pretiosa viventis.»

## S. JOANNICIUS Abbas.

*Saeculo XI floruit. — Bithynus.*

Martyrol — In Bithynia sancti )annicii Abbatis.

Is, antequam deserta loca peteret, ibi vitam solitariam ageret, miles iit, sodalibus suis jucundus propter ioderationem, inimicis vero terribi- s propter fortitudinem. Cum soli leo animum adhibere decrevisset, n quosdam montes praeruptos atque naccessos sese recepit, corpus suum igiliis, inediâ et laboribus macerans. Multa miracula fecit; prophetiae dono 'uit insignis; verbo et epistolis ico- nomachorum haeresim strenue im- pugnavit, ita ut ab Imperatoribus ico- nomachis valde timeretur; virtutibus et sapientia pollens, S. Joanni Ba- ptistae atque Moysi comparatus fuit. Ex hac vita migravit ad Dominum anno 846, annos natus centum quin- decim. In Oriente, apud Graecos, ma- gnum est nomen ejus. (Consule *Res gestas et Certamina S. Joannicii Ab- batis*, Simeone Metaphr. auctore).

## S. EMERICUS Confessor.

*Anno 1031 migravit ad Dominum.*

Martyrol. — In Pannonia apud Albam Regalem depositio beati Eme- rici Confessoris, filii sancti Stephani Hungarorum Regis.

Ejus Vitam ex antiquis manuscri- ptis composuit Surius, quae a nobis hic integra refertur.

« Beatus Emericus parentes nobi- lissimos habuit, Stephanum Hunga- rorum Regem et Apostolum, et Gy- selam sive Gyslam, sororem S. Henrici Imperatoris: qui paribus studiis in praestantissimo quoque virtutum ge- nere certabant. Emericus in tam arden- ti charitate Christi natus, quid aliud quam suavissimum Deo holocaustum esse poterat? Ab ineunte pueritia, quo sanctitatis evasurus esset, facile de- claravit: quippe qui cum esset somni parcissimus, aliis dormientibus, a se- cunda fere vigilia noctis ad lucem usque psalmos Davidicos lectitabat, lucernis coram ipso ardentibus, ut regiam decebat prolem. Ad finem au- tem cujusque psalmi, corde contrito et compuncto, a Deo veniam petebat. Quod cum sanctus parens ejus sae- pius clam per rimam parietis esset contemplatus, apud se tacitum habuit, nec ulli suorum voluit indicare, ma- gna interim de filio spe concepta. Cum autem aliquando sanctus Rex monasterium beati Martini, quod ipse in monte Pannoniae ingenti sumptu fundârat, et egregia monachorum so- dalitate impleverat, orandi causâ vel- let invisere, Emericum filium suum, ejus itineris comitem sibi adhibuit, non ignorans, quantâ Dei gratiâ puer ille polleret. Ubi autem ad monaste- rium propius accessit, monachi, ho- noris causâ, instituta processione, illi obviam venêre, ut ea, qua par erat, reverentia eum exciperent. Sed Rex sciens filii praeclara merita, eum jussit antecedere, fratresque illos sa- lutare, tum ut ea ratione illos hone- staret, tum ut filio honor, ipsi paratus, impenderetur. Venit ergo Emericus ad fratres, accipitur ab illis honori- ficentissime, osculatur singulos, non tamen eodem omnes modo, sed pro ratione meritorum, quae revelante spiritu Dei cognoverat, aliis duo, aliis tria, plerisque quatuor vel quinque, uni Mauro septem osculo dedit. Quod cum cerneret pater ejus, etsi filium ni- hil ea in re temere fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei novitatem non admirari. Itaque, peracto sacrifi- cio, familiariter et accurate ex eo percontatur, cur non iisdem omnes patres osculis impertiisset. Respondet

ille se pro ratione temporis, quo singuli continenter vixissent, aliis plura, aliis pauciora oscula distribuisse. Eum autem, quem septies osculatus esset, virginem permansisse ait: atque ex eo septenario numero virginitatis praestantiam intelligi debere, quae virtutes alias antecellat, et ad cordium usque intimos recessus, qui soli Deo patescant, penetret, et reconditas hominum mentes intueatur. Profectus inde Rex, cum hujus rei certiorem omnino notitiam habere percuperet, et filii sui virtutem magis exploratam, paucis post diebus cum duobus dumtaxat comitibus redit ad illud coenobium, fratrum vigilias et preces clam explorat. Absolutis nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, cum aliis ad suos se lectos reciperent, soli illi, quibus multa Emericus oscula libaverat, in templo permansêre, et in angulos sese abdentes, Domino preces obtulerunt, et reliquum noctis tempus in Dei laudibus consumpsêre. Eos igitur singulatim accedens sanctus Rex, comiter salutat: eumque illi, rumpto silentio, reverenter resalutant, regiae majestatis deferentes. Tandem ubi ad Maurum venit, cui septem oscula fixerat beatus Emericus, nec blandissima salutatione, nec severa comminatione ab eo responsum extorquere potuit. In sequenti die ad publicum fratrum conventum Rex accedit, Maurique humilitatem et sanctitatem explorare cupiens, coram omnibus multa ei objicit, quae hominem religiosum facere minime conveniret. Maurus sibi satis bene conscius, nihil penitus ad ea respondet, sed ad Deum, quem sciret mentium certissimum inspectorem, confugit, in eoque spem suam collocat. Ita ergo intelligens Rex vera esse, quae filius ejus dixerat, omnibus explicat, quo animo illuc advenerit, Maurumque laudibus in coelum vehit, nec diu post Quinquecclesiensem* Episcopum instituendum curat. Emericus autem, aetate procedente, simul etiam virtutum capiebat et meritorum incrementa. Nocte quadam cum Vesprinii ** esset, uno ad se famulo accersito, orationis causâ vetustissimam beati Georgii martyris ecclesiam petiit, ibique ante aram in preces incumbens, apud se disquirere coepit, quodnam posset Deo gratissimum munus offerre. Ecce autem immenso lumine tota repente completur ecclesia, voxque coelitus auditur ejusmodi: « praeclara res est virginitas. Itaque mentis et corporis virgineam integritatem a te exigo. Hanc offeras Deo, et in ea constanti animi proposito perseveres. » Ille vero non suis praefidens viribus, sed ad Dei gratiam confugiens: « Domine Deus, inquit, qui inspicis omnia, qui humanam imbecillitatem adjuvas, qui aufers spiritum principum, et terribilis es apud reges terrae, perfice in me gratissimam voluntatem tuam, et noxias perniciosasque concupiscentias rore misericordiae tuae prorsus extingue. Confirma fragilitatem servuli tui, et ut in tuo servitio perpetim perduret, ab omnibus carnis illecebris et spurca libidinis pro tua benignitate eum tuere: praestaque, ne unquam e tua gratia excidat. » Porro divina consolatione confirmatus, rem hanc apud se tacitam habuit, et famulo quoque ejus conscio, ne cuiquam eam indicaret, dum adhuc in humanis ipse esset, interdixit. Ita factum est, ut multa ejus virtutum insignia, hominum notitiam, ipso celante, effugerint, nec ante, quam decessisset e vita, aliis patefacta sint. Nimirum hac ratione sapienter declinavit virtutum pestem, inanem gloriam. Pater autem illius regno consulere volens, virginem et formâ corporis, et morum integritate spectatissimam, stirpe regia ortam, ei despondit. Id, etsi ille princi-

* Germanice, *Fünfkirchen*, haud longe a sinistra Dravi ripa.

** Vulgo, *Veszperim*, a fonte quadam perenni nomen trahens. Oppidum olim haud mediocre, nunc fere penitus desertum.

io multum recusaret, tandem tamen, iternis precibus victus, assensit quiem, sed ita tamen, ut non solum se virgo permanserit, sed etiam onsam integram conservarit. Jam nim virginitatis amore et proposito oluptati omni renunciârat. Praeclaum hoc erat in regio adolescente, ui posset omnibus hujus mundi bois circumfluere, non modo se a vitae ujus voluptatibus servare immunem, ed etiam sponsam tam illustrem ad arum contemptum, atque etiam ad irtutum studium et vitae consectanam sanctitatem, adducere. Malebat nim pius adolescens virtutum illam, uam liberorum foecunditate pollere. Nec latuit sanctum ejus parentem Stephanum Regem, quemadmodum corpus suum maceraret jejuniis, ne forsitan lasciviret, sponsamque non alio quam sororis loco haberet. Sed et sponsa ipsa, cum ille jam in ipso juventuti flore vitâ functus esset, quam caste vixisset, testata est, et famulus ille, quem supra diximus, res ejus secretas evulgavit. Non enim diu supervixit, sed quod coelo vita ejus dignior esset, quam terra, Dominus eum cito tulit e medio, et transtulit in regnum suum. Quidam Archiepiscopus in publicis supplicationibus affirmavit, se ejus animam vidisse in coelos euntem. Pater ejus admodum doluit regno tantam spem ereptam: consolabatur autem seipsum, quod filium non dubitaret in coelis felicissime viventem, egregium et sibi et suis patronum exhibiturum. Die tricesimo ab obitu ejus tot et tantis miraculis Deus illustravit sanctum suum, ut cunctis in urbe regia, quam Albam regalem * vocant, ubi sacrum corpus ejus tumulatum est, non moeroris ille, sed gaudii dies videretur. Porro autem Ladislao religioso Rege postea regnante, Conradus quidam natione Germanus, homo flagitiosissimus, tandem magno Dei munere compunctus, cum se ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adiit, Pontifici peccata sua cum ingenti cordis contritione confessus est, animae salutarem ab eo petiit medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum ejus obstupescens, hac eum mulctavit poena, ut loricam ferream ad nudum corpus quinis catenis ferreis adstringeret, et chartam, in qua ejus peccata enormia scripta erant, Pontificis annulo obsignatam, ad loca, in quibus Sancti quiescerent, secum circumferret, donec divinitus catenae dissolverentur, et scriptura chartae penitus obliteraretur. Fecit homo ut erat jussus (nihil enim arduum videtur ex animo sua peccata lugenti, et cum Deo in gratiam redire cupienti), invisit loca sacra, etiam Jerosolymam et Salvatoris sepulcrum non praetermisit. Tandem venit in Pannoniam, ubi beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: orat ad sepulcrum ejus, nec inde recedere constituit, donec, ruptis vinculis et charta abòlita, se sentiat Domini misericordiam impetrasse. Postquam autem multum delassato inter orandum somnus obrepsit (a prima enim hora usque ad nonam in preces incubuerat), sanctus Rex ei apparens: « Surge, inquit, amice, et Emerici filii mei monumentum, quod juxta est, adito. Ille, quod carnis servanda integritate praecipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sequunturque Agnum, quocumque ìerit, et ante thronum Dei cantant canticum novum.» Evigilat homo, illico ad beati Emerici se sacellum confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus: chartâ resignatâ, nullum habet litterae scriptae vestigium. Ad sonitum cadentium catenarum accurrunt aeditui et complures alii, quibus ille omnia or-

* Germanice, *Stuhlweissenburg*, hungarice *Szekes-Fejervar*, urbs episcopali sede ornata, magnificis aedibus, et Hungariae regum sepulcris celeberrima. Eam S. Stephanus ipse condidit.

dine exponit. Mirantur omnes, laudant Deum et beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladislaum Regem. Is, convocato concilio, de beato Emerico sanctorum catalogo adscribendo, cum Episcopis et regni proceribus confert. Jam enim etiam ex remotissimis regionibus eo adventabant homines, pro gravissimis rebus vota nuncupantes. Indictum est autem triduanum jejunium, et Nonis Novembris honorifice elevatum est beati Emerici corpus, multaque divinitus miracula eodem elevationis die atque deinceps edita sunt *. »

### S. FELIX de Valois.

*Animam Deo reddidit anno 1212.*

Martyrol. — In Monasterio Cervi Frigidi, territorii Meldensis sancti Felicis de Valois, Fundatoris Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus festum celebratur duodecimo Kalendas Decembris, ex decreto Innocentii Undecimi. Vide *Breviarium Rom.* sub hac die.

### S. MODESTA Virgo.

*Obiit circa annum 680.*

Martyrol. — Treviris sanctae Modestae Virginis.

Haec Monasterii S. Symphoriani, Treviris, Abbatissa, sanctae Gertrudi familiarissima, insigni vitae sanctitate enituit. Fuit B. Mariae Virgini devotissima. In coelum migravit paulo post S. Gertrudis obitum (*Ex Menologio Benedict*).

NONIS DIE V.

### S. ZACHARIA Sacerdos et Propheta.

*Probab. anno I Jesu Christi mortuus.*

Martyrol. — Sancti Zachariae Sacerdotis et Prophetae, patris beati Joannis Baptistae.

Certiora de hoc S. Propheta monumenta ex Evangelio desumuntur. Epiphanius autem, cui Gregorius Nyssenus, Basilius, Cyrillus Ep. Alexandrinus, aliique consentiunt, eum occisum fuisse ab Herode inter templum et altare tradit. Quae licet, Baronius addit, minus probari Hieronymo videantur, dum explicat illum locum Matthaei, cap. 23, tamen apud ipsum Baronium tot tantorumque veterum Theologorum plurimum valet assertio. Tertullianus, qui tot annis Hieronymum praecessit, in *Scorpiace* cap. 8, testatur perennes S. Zachariae sanguinis maculas, silicibus impressas, indelebiles esse relictas. Id quod aeque Hieronymus rejecit hisce verbis: « Simpliciores fratres inter ruinas templi et altaris sive in portarum exitibus qui Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariae sanguine putant esse polluta. » (*Loc. cit.*).

### S. ELISABETH.

*Anno incerto obiit.*

Martyrol. — Item sanctae Elisabeth ejusdem sanctissimi Praecursoris matris.

De S. Elisabeth quoque Evangelium consulendum est. Nicephorus autem, cum agit de Herodis infanticidio (*Hist.* lib 1, cap. 14), narrat tunc temporis S. Elisabeth una cum Zacharia et filio Joanne in spelunca quondam ad regionem montanam latuisse. Cedrenus vero (*Comp. histor.*) ait S. Elisabeth post dies quadraginta in eadem spelunca animam afflavisse. — Cur autem ipsa, in Martyrologio Romano, Zachariae marito suo jungatur, explicat Baronius, qui scribit ipsos non ea ratione conjunctos fuisse, quod una eademque die uterque migraverit e corpore; sed cum S. Elisabeth natalis certae diei ignorantia aliquando fuerit ejus memoria praetermissa, consultius visum fuisse, in commu-

* S. Emericus, inter sanctos una cum S. Stephano Rege, ejus Patre, a Gregorio Pp. VII, anno 1082, relatus fuit. Consule S. Stephani Vitam, in Surii Vol. IX, pag. 4.

moratione Sanctorum eam conjungere viro suo. Nefarium enim est existimatum, sanctissimam foeminam praeconio Evangelii celebratam, illiberaliter nimis esse silentio praetermissam; quam sancti Patres praeclarissimis laudibus sunt prosecuti, tum qui Lucae caput primum sunt interpretati, tum etiam qui de Joannis Baptistae ejus filii natali, vel Dei Genitricis visitatione pro concione dixêre. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyr.

### S. FELIX Presb. et EUSEBIUS Monacc. MM.

*Passi sunt circa annum* 100.

Martyrol. — Tarracinae in Campania natalis sanctorum Martyrum Felicis Presbyteri et Eusebii Monachi, qui cum sepelisset sanctos Martyres Julianum et Caesarium, et multos converterit ad fidem Christi, quos sanctus Felix Presbyter baptizabat, unà cum eo tentus est, et ambo ad forum Judicis ducti, nec superati, inde in carcerem inclusi, nocte eadem, cum sacrificare noluissent, decollati sunt.

Verbis superius recitatis fere omnia, quae cognosci oportet, comprehenduntur. De eisdem porro agitur in S. Caesarii et Juliani Actis, quae vide in *Surio* ad diem I novembris, pag. 21, etc.

Martyrol. — Emèsae in Phoenicia sanctorum Martyrum Galationis et Epistemis conjugis, qui in persecutione Decii flagris caesi, manibus pedibusque et linguâ insuper mutilati, denique truncato capite, martyrium consummarunt (*Vide Surium*, pagina 294).

—

### SS. DOMNINUS, THEOTIMUS, PHILOTHEUS, SYLVANUS et Socii MM.

*Martyrio decorati anno* 237 *vel* 238.

Martyrol. — Item sanctorum Domnini, Theotimi, Philotei, Sylvani et Sociorum sub Maximiano Imperatore.

De his Graeci agunt in Menologio hac die. — Haec tantum addit Baronius.

### S. MAGNUS Ep. et Conf.

*Saeculo VI claruit. — Mediolanensis.*

Martyrol. — Mediolani sancti Magni Episcopi et Confessoris.

Mediolani e nobili genere, natus. Mortuo sancto Eustorgio II, Mediolanensi Archiepiscopo, is, omnium Ordinum consensu et plausu, ad S. Ambrosii cathedram, anno 518, evectus est. Mira in pauperes et in peregrinantes charitate enituit: quapropter Avitus Viennensis ad eum scribens (*Epist.* 10, apud Sirmond.) testabatur, Gallos Mediolanum venientes tanto affectu a S. Magno exceptos esse, ut ipsi *merito credant intrare se patriam.* Virtutibus clarus, e vita excessit anno 530; et depositus fuit ad Basilicam S. Eustorgii. (*Ex Eccl. Mediol. Hist. Ligust.).*

### S. DOMINATOR Episcopus.

*Obiit circa annum* 495.

Martyrol. — Brixiae santi Dominatoris Episcopi.

S. Rusticiano in Ecclesia Brixiensi successit Dominator, qui in Ramperti, ejusdem Ecclesiae Episcopi, sermone de translatione sancti Philastrii, decimusquartus Episcopus, a S. Philastrio, numeratur. Sed nihil certi de eo ab antiquis scriptoribus accepimus.

### S. FIBITIUS Episcopus.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Treviris S. Fibitii ex Abbate ejusdem civitatis Episcopi.

Baronius haec subnectit : « Hic licet alicubi Episcopus dictus reperiatur, tamen in tabulis Episcoporum Trevirensium, quas descripsit Demochares, nullus ejus nominis legitur Episcopus. Porro Chronicon monast. German. abbatem eum appellat. »

### S. LAETUS Presb. et Conf.

*Floruit saeculo VI. — Nat. Gallus.*

Martyrol. — Aurelianis in Gallia sancti Laeti Presbyteri et Confessoris.

Laetus, qui Gallice *Lié* vocatur, duodecim annos natus, vitam monasticam amplexus est, in qua, quum virtutibus omnibus emineret, sacerdos creatus fuit. Videtur ad coelum migrasse anno 533. Sacrae ejus exuviae, in ecclesiam cujusdam oppidi dioecesis Aurelianensis (*Orleans*) reconditae, summa veneratione coluntur. In via, quae Aureliano Parisios ducit, pagus existit, qui a S. Laeto nomen trahit. (*E* Baillet, *Les Vies des Saints*).

OCTAVO IDUS DIE VI.

### S. FELIX Martyr.

*Anno incerto.*

Martyrol. — Thinissae in Africa natalis sancti Felicis Martyris, qui confessus et ad tormenta dilatus, alio die, ut refert S. Augustinus, Psalmum in ejus festivitate ad populum exponens, inventus est in carcere exanimis.

Psalmus, de quo hîc agitur, est 127. En S. Augustini verba : « Ergo, Fratres, Felix martyr et vere felix et nomine et coronâ, cujus hodie dies est, contempsit mundum. An forte quia timebat Dominum, inde erat felix, inde erat beatus, quia uxor ejus tamquam vinea fertilis erat in terra, et filii ejus circumdederant mensam ejus? Omnia iste perfecte habet, sed in corpore illius, qui hîc describitur. Et quia sic ille intellexit, contempsit praesentia, ut acciperet futura. Noveritis autem, Fratres, non eum passum mortem, quam alii Martyres passi sunt. Confessus est enim, dilatus est ad tormenta, alio die inventum est corpus ejus exanime. Clauserunt enim illi carcerem, sed corpori, non spiritui. Quem illic parabant torquere carnifices, absentem invenerunt, perdiderunt saevitiam suam. Jacebat exanimis, sine sensu illis, ne torqueretur; cum sensu apud Deum, ut coronaretur. Unde et iste felix, Fratres, non tantum nomine, sed et praemio vitae aeternae, si ista dilexit. »

Multum disputatum est de loco ubi S. Felix diem suum obiit, ac de ejusdem nomine. Probabilius autem videtur Thinissa non procul Hippone fuisse.

### SS. Decem Martyres.

*Anno* 637.

Martyrol. — Theòpoli sanctorum decem Martyrum, qui a Saracenis passi leguntur.

*Theopolis*, Antiochia est in Syria; hoc enim nomine a Justiniano Imperatore decorata fuit. Ipsa autem anno 637, in Saracenorum, qui jam fere universâ Syriâ potiti erant, potestatem venit, et ab eisdem usque ad annum 1098 fuit retenta. In *Romano parvo* non decem, verum quadraginta Martyres sub Saracenis passi leguntur.

### S. SEVERUS Ep. et Mart.

*Saeculo IV passus.*

Martyrol. — Barcinone sancti Severi Episcopi et Martyris, qui ob fidem Catholicam clavo capite confossus martyrii coronam accepit.

Hunc ferunt passum in persecutione Diocletiani sub Daciano Praeside, et cum eo quatuor sacerdotes, ut scripsrunt Laurentius de Padilla et Vasaeus etc. Molanus autem in *Addition.* ad Usuardum, haec habet: « Fuit hic unus septuaginta Episcoporum, qui reges Gothicas in Hispania condiderunt; hic a barbaris Gothicis, qui Cataloniam incolebant, clavo capite confosso, martyrio coronatur anno Christi 638. » Unde autem acceperit, nondum invenimus, nec alicubi ejus nominis Episcopum Barcinonensem legimus in Conciliis, quae frequenter illis temporibus coacta sunt in Hispania, nec etiam apud S. Ildefonsum, qui virorum illustrium eorum temporum seriem texuit. — Haec omnia e Baronio in *Notis* ad Martyr. Rom.

### S. ATTICUS.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — In Phrygia sancti ATTICI.

De eo, praeter nomen, nihil aliud inveni.

### S. WINOCUS ABBAS.

*Obiit anno 716.*

MARTYROL. — Apud Bergas depositio sancti WINOCI Abbatis, qui virtutibus et miraculis clarus fratribus etiam sibi subditis multo tempore ministravit.

Ejus Acta, *fidelissime scripta*, ut Baronius testatur, habet Surius, quae nos, prologo, miraculis et translatione omissis, hic referimus.

« Beatus Winocus in Britanniae* finibus ex nobilium virorum prosapia nascendi exordia sumpsit, sed nobilitatis titulum probitatis indole ornavit. Qui cum a prima aetate novus virtutibus quasi semper inciperet, inter ipsa tamen primordia consummator apparuit: et in mundo positus, extra mundum fuit, et sub habitu saeculi gessit militem Christi. Inter haec stupebat in sinu suo Britannia civem suum peregrinari, et intra fines proprios novis quotidie actibus exulare et morari. At qui mente jam a patria exulârat, ut etiam corpore esset exul, non aegre operam dabat. Itaque ut alter Abraham, exire de terra et de cognatione sua, meditatione versabat assidua. Porro succedentibus ad integrum votis, consilium invenit res diu mente concepta et agitata. Habuit proinde in consortium suscipiendae peregrinationis conjuratos in Christi sacramenta tyrones, Quadanocum videlicet, Igenocum, atque Madocum, genere quidem spectabiles, et vita probabiles. Hi unâ cum beato Winoco rerum suarum onere expediti, patrio solo parentumque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei passibus fidei ducebantur, illud Apostolicum operum suorum vocibus clamantes: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (Ad Hebr.* XIII). Igitur post longa viarum spatia regioni tandem appulêre Morinorum**, ubi fama vulgante sanctorum hominum tunc florere religionem compererant. Per id tempus, in ea Morinorum seu Tarvanensium regione beatus Bertinus in ornamento Ecclesiae Dei erat lapis pretiosus, in Sithiu monasterio merito et officio Abba. Hic sanctitatis suae aromata longe lateque spiraverat, et in militiam Christi suo exemplo permultos invitârat atque pertraxerat: cujus laudabilia gesta nôsse qui velit, ex libello, quo ejus actus plenissime continentur, perspicue discere poterit. Tanti ergo patris regimini viri illi, quos diximus, devoto se obsequio subdiderunt, et egregium omnino duxêre, ad doctrinam sancti animo pervigili pendère. Eorum vero laudabili devotioni gratulans beatus Bertinus, sub norma pii patris Bene-

* Britanniam Minorem intellige.

** In ea scilicet regione, quae *Artois* nuncupatur.

dicti docuit eos ferre suave jugum Christi: monasticisque parère sanctionibus, et verbis et factis instituit. Cumque eos inter ipsa conversionis primordia culmen perfectionis jam attigisse miraretur, locum eis, in quo singularius Domino vacarent, attribuit, utque cellam illic sacris occupationibus congruentem extruerent, imperavit. Parent imperio, construendo incumbunt aedificio. Locus ille in Morinorum territorio situs, usque in praesentem diem mons sancti Winoci vocatur: ubi illi viri Dei aliquandiu degentes, et se mundo, et sibi mundum crucifixerunt.

Habebat tum sane mater Ecclesia egregium membrum suum, virum illustrem Hermarum tam opibus quam moribus praeclarum. Hic pro adipiscenda in terra viventium portione, Deo sanctoque Winoco quoddam sui juris obtulit praedium, quod Voromholt ab incolis vocitatum, usitatissimum ad nos usque servat vocabulum. Adjacet ea possessio cuidam fluviolo in Tarvanensium et Flandrorum confinio, habetque pingue satis solum et fertile frugum. Eo autem Abbas Bertinus destinatis Dei famulis, operam dat construendis servorum Dei habitaculis, in quibus et Christus in pauperibus carius exciperetur, et monasticus ordo secretius atque devotius excoleretur. Viri ergo Dei, in militiam Christi succincti lumbos mentis, imperio se jubentis accommodant injunctumque opus maturare contendunt. Fervet opus, surgunt aedificia, instruuntur xenodochia: ita ut brevi absoluta et exaedificata illa domus Dei, facile posset ab incolis honorem promereri. Sancti autem viri illi in labore manuum suarum adeo erant divinâ gratiâ instructi, ut non sua, sed quae essent Jesu Christi quaerentes, aliorum salutem suae anteferre, et aliorum levandis incommodis, sarciendisque detrimentis sua lucra facere viderentur. Nihil enim in omni vita jucundius habuère, quam hospitum pauperum et peregrinorum commodis prospicere: eratque eis cor unum et anima una, et quod dici solet, erat alius alii dimidium animae. His ergo instrumentis in semetipsis templum Spiritus Sancti construentes, usque ad finem vitae a rigore propositi nihil remiserunt. Porro post decessum trium sanctorum virorum, beatus Winocus superstes fuit: qui regularibus disciplinis apprime imbutus, profecerat sane in omnibus fidei doctrinis, proferens de thesauro cordis nova et vetera. Cumque saepe memorati tres viri extremum clausissent diem, perpetuam translati in requiem, sanctus Bertinus virum Dei gregi monachorum voluit praeesse, quippe qui jam humiliter subesse didicerat. Erat ille quidem antedictis tribus viris aetate minor, sed non inferior sanctitate. Adeo enim in praecedentium sanctorum vestigiis institit, ut in nulla eum virtute posteriorem Ecclesia miraretur. Non enim, ut dici solet, posterior currebat rota, sed praeeuntes quoque in bonis actibus mature attingebat, illud Apostolicum et animo volvens, et opere complens: *Quae quidem retro sunt, obliviscens, ad ea, quae priora sunt, me extendens, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis* (*Philipp.* III). An mihi ejus jam praedicanda est humilitas et patientia? De quibus sane quicquid dixero, minus invenietur, quam pro meritis tanti viri. Didicit ille mitis esse et humilis ab eo, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*; et item: *Qui major est vestrum, erit minister vester*; et: *Qui se humiliaverit, exaltabitur*. Egregium duxit subjectis sibi fratribus ministrare: quia novit Christum non venisse ministrari, sed ministrare. Hospitalitas in eo prompta fuit, quia charitas non ficta: adeo ut illum diem egregie laetum duceret, cum hospitem, imo in hospite Christum, suscipere meruisset. Quicquid operis aliorum manus vel arduum et grave refugiebat,

pigre ille et incunctanter arripie-. In tantarum autem argumentum latum accessit ei a Domino gratia si-rum, et qui parvulus in oculis suis, gloriosus factus est per eum, qui t: *Super quem alium requiescam, super humilem et trementem sermo-meos* (*Isa.* LXVI)? Et jam ultimo io confectus, non fatiscentem cau-itur aetatem: sed in emeritis ar-us adhuc Christi militiam gessit, aque, licet corpore fessus, fortius em fixit, et virtute, qua potuit, erogandam familiae Christi tritici nsuram fidelis dispensator incu-t. Saepius autem illud Apostoli-n animo revolvens: *Qui non labo-non manducet (2. ad Thess.* III); nque illud Psalmographi: *Labores nuum tuarum quia manducabis, tus es et bene tibi erit (Psal.* 127); iem praeceptis non solum affectu, etiam effectu paruit, atque labore nuum tam suis, quam aliorum, essitatibus prospexit. Erat ille pla-ut de quodam in Evangelio Do-nus dicit, vere Israëlita, et doli iers. Jam mente Deum cernebat, a se dolebat in corpore peregrinari. elis in domo Dei oeconomus, plus ari studebat, quam timeri: et mi-trare potius, quam aliorum mini-iis foveri: nec occasione regiae bilitatis, qua praeclare pollebat, quam servilis conditionis ad con-sionem venienti se anteponebat. imo et vultu hilaris, fide robustus, longanimis, charitate diffusus: a tris et a sinistris, armis justitiae nitus, nec prosperis efferebatur, adversis dejiciebatur. In consilio vidus, in intercessione strenuus, ientiae sale conditus, loricâ virtu-n contra spiritales nequitias in-uctus. His et id genus aliis virtu-us armatus, Dominica bella peregit, it vir fortis, principem hujus mundi iegit. Cupiens vero dissolvi, et esse n Christo: *Educ*, inquit, *Domine, de cere animam meam ad confitendum mini tuo* (*Ps.* 141). Ejus autem desi-deriis Dominus annuens, petitioni ejus non defuit. Mittit Angelos, qui eum ad se evocent, donativum largitur e-merito militi suo, quod oculus non vi-dit, auris non audivit, et in cor ho-minis non ascendit. Obiit octavo Idus Novembris, atque in praedio, quod jam supra diximus Voromholt appel-lari, humatus est: regnante in per-petuum Domino nostro Jesu Christo: cui est honor et gloria in saecula saeculorum, Amen.

## S. FELIX MONACHUS.

*Obiit circa annum* 560.

MARTYROL. — Fundis in Latio sancti FELICIS Monachi.

Eum S. Gregorius Magnus, in *Dialogorum* lib. 1, cap. 3, meminit hisce verbis: « Felix, qui appellatur Curvus, quem ipse bene nosti, qui ejusdem monasterii (*scilicet, Fundensis*) nuper praepositus fuerat, multa mihi de fratribus ejusdem monasterii narrabat. » Nec quidquid aliud de sancto Felice habetur.

— Lemòvicis in Aquitania sancti LEONARDI Confessoris, disciputi beati Remigii Episcopi: qui nobili genere ortus, solitariam vitam deligens, sanctitate et miraculis claruit, ac praecipue in liberandis captivis ejus virtus enituit. *(Vide Surium*, pag. 301).

SEPTIMO IDUS DIE VII.

## S. PROSDOCIMUS EPISCOPUS.

*Saeculo I.*

MARTYROL. — Patavii depositio sancti PROSDOCIMI primi ejusdem civitatis Episcopi, qui a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus ad praedicandum Dei verbum ad praedictam civitatem missus est: ubi multis virtutibus et prodigiis coruscans beato fine quievit.

Annus, quo e vita excessit, incertus est. Ejus res gestas ex antiquis

monumentis conscripsêre Mombritius, Petrus, aliique, sed de eis prorsus silet Baronius.

## S. HERCULANUS Ep. et Mart.

*Forte saeculo I.*

Martyrol. — Perusiae sancti Herculani Episcopi et Martyris.

Cum probabile sit duos hujus nominis Episcopos Ecclesiam Perusinam rexisse, hic, qui hodie colitur, prior aetate videtur. De altero enim jam locuti sumus in Surii Vol. iv, pagina 14. Caeterum, historia Ecclesiarum Umbriae ita densis tenebris obvoluta est, ut difficile admodum foret eas dissipare.

## S. AMARANTHUS Martyr.

*Passus fertur circa annum* 250.
*Nat. Gallus.*

Martyrol. — Eodem die sancti Amaranthi Martyris, qui apud Albigensem urbem, exacto agonis fidelis cursu, sepultus, vivit in gloria.

De eo scripsit S. Gregorius Turonensis, in *Gloria Sanctorum*, lib. 1, cap. lvii, haec quae sequuntur: « Amarandus martyr apud Albigensem * urbem, exacto agonis fidelis cursu, sepultus, vivit in gloria. Cujus, ut passionis historia ** declarat, sepulcrum diu vepribus sentibusque contectum latuit, sed, Domino jubente, Christianis populis revelatum est, et crypta, in qua quiescebat, patefacta resplenduit. Sed cum, hostilitate impellente, locus ille ab habitatoribus fuisset evacuatus a longinquo venientes incolae, honorem beato Martyri quasi custodi proprio nitebantur impendere. Igitur cum cereos frequenter devotio Christiana deferret, quadam die contigit, ut quidan prae longinquitate itineris incrementum ignis, quo accenderetur cereus, non exhiber[et]. Arreptumque silicem ferro verber[ans] quasi ignem eliciturus, quod dum ageret, et crebris ictibus lapidem quatiens, nihil foci posset excutere, coelesti lampade cereus, qui jam beato sepulcro adfixus erat, inluminatur: sicque factum est, ut quae humanae non expleverant industriae, perage[re]ntur divini numinis majestate. »

## SS. HIERO, NICANDRUS, HESICHIUS et alii XXX MM.

*Passi sunt anno* 311.

Martyrol. — Melitinae in Arme[nia] passio sanctorum Hieronis, Nica[ndri], Hesichii et aliorum triginta, qui in persecutione Diocletiani sub Lysia Praeside coronati sunt.

Melitina hodie vocatur *Mela*[...]. Videntur omnes hi Martyres milites fuisse. Eorum martyrium edidit Metaphrastes.

## SS. AUCTUS, TAURIO, et THESSALONICA.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Amphipoli in Macedonia sanctorum Martyrum Aucti, Taurionis et Thessalonicae.

Graeci de iisdem agunt hac die in Menologio; ibique eorum Acta passim comprehensa narrantur. Ita Baronius. — Amphipolis, olim macedonici regni inexpugnabile propugnaculum, nunc parva urbs, *Jamboli* nuncupatur.

## SS. MELASIPPUS, ANTONIUS et CARINA MM.

*Passi sunt circa annum* 362.

Martyrol. — Ancyrae passio sanctorum Melasippi, Antonii et Carinae sub Juliano Apostata.

Nihil aliud de his novimus.

* Vulgo *Alby*. S. Amaranthus vel Amarandus creditur Decii temporibus martyrium subiisse. Corpus ejus sepultum fuit apud Viancium vicum, haud procul ab urbe Albigensi, ubi remansit usque ad annum 1404, quo in ecclesiam S. Ce[ciliae] urbis cathedralem, solemni pompa translat[um est].

** Hanc S. Amaranthi passionis historiam [quam] S. Gregorius allegat, deperditam dolemus.

ARTYROL. — Coloniae sancti EN-
BERTI Episcopi, qui pro defensione
lesiasticae libertatis, et Romanae
esiae obedientiâ martyrium su-
non dubitavit. (*Vide Surium*,
316).

## S. ACHILLAS Episcopus.

*Obiisse videtur anno* 311.

[M]ARTYROL. — Alexandriae beati
[AC]HILLAE Episcopi, qui eruditione,
, conversatione ac moribus fuit
gnis.
e eodem adhuc presbytero, ma-
cum laude scribit Eusebius in
tor. Eccl. lib. VIII, c. 29. En sua
ba: « Cujus (*scilicet*, *Theonae*) tem-
e Achillas, ejusdem ecclesiae pre-
ter, ecclesiasticae scholae magiste-
m tenuit, eruditione, fide, con-
sationeet moribus insignis. » Eum
gnum appellat S. Athanasius in
it. secunda contra Arianos. Is suc-
sit in sede Alexandrina S. Petro M.
rum, scribit Baronius in *Annalibus*,
Achilla nimia animi facilitas ab
uibus reprehenditur, quippe qui
testationum praedecessoris sui Pe-
martyris oblitus, Arium poeni-
tiam simulantem, callida arte sese
ejus amicitiam simulantem non
ecit, ut commonitus erat, sed ac-
it, fovit, atque honoribus auxit:
inter alios Sozomenus testatur. —
annis porro, quot Achillas sederit,
levis est controversia; Baronio
babilius videtur, eum non exces-
e in episcopatu unius anni curri-
um.

— In Frisia depositio sancti WILLI-
RDI Episcopi Trajectensis, qui a
to Sergio Papa ordinatus Episco-
, in Frisia et Dania Evangelium
edicavit. (*Vide Surium*, pag. 306).

—

## S. RUFUS Episcopus.

*Tempore incerto.*

MARTYROL. — Metis sancti RUFI E-
piscopi et Confessoris.

Beda de ejus translatione facta tem-
poribus Clotarii agit. — Haec Baro-
nius.

## S. FLORENTIUS Episcopus.

*Obiit anno* 675.

MARTYROL. — Argentorati sancti
FLORENTII Episcopi.

Ponitur hic quartus ejus sedis Epi-
scopus. Ejus vitam ex manuscriptis
Surius composuit, quam hîc integram
damus.

« Cum Dagobertus Rex ad regni
Francorum gubernacula sederet, san-
ctus Florentius cum beato Arbogasto,
Theodato et Hildulpho, e Scotia venit
in Alsatiam. Ubi cum sanctus Arbo-
gastus Argentinensi * Ecclesiae datus
esset antistes, beatus Florentius in
sylva, quam Hassle vocant, ubi Bru-
scha fluvius e monte Vosago emanat,
manibus suis coepit terram colere, ut
victui necessaria pararet. Cumque il-
lic domicilium condidisset, cervae et
aliae ferae e nemore eo adventantes,
omnem ejus laborem devastabant.
Non aderant beato viro instrumenta
venatoria, quibus eas caperet; sed
non deerat magna in Deum fiducia,
qua fretus in Domini nomine jussit
eas omnes venire ad fores cellulae
suae, et illic gradum figere. Per id
tempus Dagobertus Rex manens in
palatio suo Kyrcheimensi, famulos
suos misit, ut venationi operam da-
rent. Abeunt illi cum canibus, per-
lustrant montes et sylvas omnes, nec
ullam feram conspiciunt. Tandem ad
beati viri domunculam perveniunt,
frequentes illic prae foribus ejus con-
sistere feras conspiciunt, nihil se loco
moventes perinde, ac si vincula quae-
dam eis injecta sint. Rei indignitate,

* Vulgo *Strasbourg*.

ut ipsis videbatur, permoti, cum virum Dei non cognoscerent, tunicam ejus vi auferunt, et recedunt. Ille sequitur abeuntes, apportat securim sive bipennim, ut eam quoque tollant. Illis ergo recedentibus, ubi ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Urgent illi quidem fortiter, adigunt calcaria, sed nihil efficiunt. Animadvertunt id se pati ob illatam sancto viro injuriam: redeunt igitur, redduntque quae abstulerant. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem: quid acciderit enunciant. Ille confestim mittit equum suum optime instratum: orat virum Dei, ut illo subvectus, ad ipsum se conferat. Vir beatus equum non admittit, sed suo asello contentus, ad Regis palatium proficiscitur. Ubi ad portae limen accessit, filia Regis ab ipso ortu luminibus orbata, itemque muta, repente et videt, et loquitur, appellatque beati Florentii nomen, cum tamen id omnibus esset incompertum. Ascendente porro illo in palatium, et ad Regem ingredi volente, res accidit admiratione digna. Cum enim non haberet ministrum, cujus operâ uteretur in servando interim pallio suo, ad solis radium, per fenestram sese infundentem, suspendit pallium: inhaesitque id illi haud secus, atque perticae cuidam, donec vir sanctus cum Rege collocutus esset. Quae res tantae admirationi fuit et Regi ipsi, et familiae ejus, ut magnam sylvae ejus partem Rex ei largitus sit, ubi cellam construeret, villasque adjacentes et multa praedia addiderit, quae usque in praesens monasterium Hassle sibi vindicat. Porro autem ex hac vita abeunte beato Arbogasto, sanctus Florentius ei subrogatus* est in cathedra Argentinensi, vitamque in suo populo vivens sanctissimam, gregem sibi creditum ut bonus pastor accurate custodivit. In ecclesia quoque sua, sive monasterio Hassle, religiosos homines, qui Deo illic servirent, collegit: tandemque bonorum operum cursu confecto, cum Christo aeternum regnaturus, in pace quievit. Fuit autem vir sanctus etiam generis nobilitate clarus, sed virtutum ornamentis longe illustrior. Nam in ipso quoque vernantis adolescentiae flore, quod etiam apud maturos perrarum est, carnis proculcavit illecebras, patriam parentesque pro Christi amore deseruit, voluntariamque complexus paupertatem, longinquam et exteras regiones peregrinationem suscepit Christique bonus odor effectus Ecclesiam Dei et dictis et factis longe lateque suaviter affecit, et tamquam fidelis et prudens Domini servus, aeternae vitae alimonia refecit. Post multos autem exantlatos labores, septimo Idus Novembris migravit ad Dominum, conditusque in ecclesia, quam vivens gubernârat, praesentiâ corporis sui eam condecoravit. Postea vero Ratho Argentinensis Episcopus, divina revelatione admonitus, sanctissimi viri corpus in locum illum temoris, quem primo sibi ille delegerat transferendum curavit, ipseque illic sepulturam elegit. Postea multis miraculis Dominus virtutum fidelem servum suum Florentium illustravit. »

* Anno 663.

SEXTO IDUS DIE VIII

Martyrol. — Octava omnium Sanctorum.

Inter majores Octavas ponitur.

## SS. CLAUDIUS, NICOSTRATUS, SYMPHORIANUS, CASTORIUS ET SIMPLICIUS MM.

*Saeculi IV initio passi sunt.*

Martyrol. — Romae via Lavicana tertio ab Urbe milliario, passio sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii et Simplicii: qui primo in carcerem mis-

Inde scorpionibus gravissime caesi, cum a fide Christi mutari non possent, jussi sunt a Diocletiano in flumen praecipites dari.

Horum Acta e Surio transcribimus. « Hi cum essent artifices insignissimi, et marmorum caesores probatissimi, Imperatori Diocletiano valde facti sunt accepti. Cum itaque tempore quodam essent quadraturis marmorum intenti, et artem suam signo Crucis munirent, et ad voluntatem ipsorum artificium fieret, horum unus Simplicius, qui adhuc pagano errore tenebatur, dixit ad quatuor reliquos: « Adjuro vos per deum Solem, ut quis iste Deus sit, dicatis mihi, in cujus nomine vos tam bene operamini. » Cui Symphorianus: « Si potes credere, dicemus tibi, et mox artem consequèris: sed et vitam aeternam habebis. » Quem cum in fide solidatum beato Cyrillo Episcopo consignassent, isdem Episcopus baptizavit eum, et Christo Domino credere informavit. Non multo post accusati a Philosophis, quod Christiani essent, et quod deum Aesculapium fingere, sicut praeceperat Imperator, ex marmore Porphyretico et Proconisso* noluissent, Diocletianus jussit cuidam Tribuno, nomine Lampadio, sub moderatione verborum eos audire. Quibus isdem Lampadius dixit: « Adorate deum Solem, ut destruatis consilium Philosophorum. » Qui respondentes, dixerunt: « Nos nunquam adoramus facturam manuum nostrarum: sed adoramus Deum coeli et terrae, qui imperat in aeternum, Jesum Christum filium Dei. Reclusi sunt igitur in custodia publica. Inde cum mutari a fide Christi non possent, jubente Lampadio, expoliantur, et scorpionibus gravissime caeduntur. Mox Lampadius a daemonio correptus, expiravit. Hoc factum cum audisset Diocletianus, nimio furore repletus, jussit cuidam Nicetio togato, ut in loculis plumbeis vivi includerentur, ac sic in fluvium praecipitarentur. Post dies autem quadragintaduos venit quidam Nicodemus christianus, et levavit cum ipsis loculis corpora martyrum, et in domo sua honorifice posuit. Passi vero sunt sexto Idus Novembris. »

* Italice, *serpentino*.

Animadvertendum tamen est magnum nominum et locorum confusionem SS. Quatuor Coronatorum historiam perturbavisse. Claudius enim et caeteri ipsius socii superius nominati, *artifices metallici*, in Pannoniae metallis, quae ad Caesarem pertinebant, operabantur; ibi, non Romae, quum Aesculapii simulacrum exsculpere noluissent, morti addicti, in flumen Savum projecti sunt, anno probab. 305 vel 306, Galerio imperante. Quum postea eorum corpora Romam translata, atque via Lavicana *ad duos lauros*, apud alios quatuor martyres *(cornicularios)*, qui utpote ignoti *coronati* vocabantur, recondita fuissent, cum eisdem confusi sunt. (Videsis *Bullettino d'Archeologia cristiana*, a clarissimo Jo. Bapt. De-Rossi editum, Num. 11, an. 1879).

### SS. Quatuor Coronati
### *Martyres effecti sunt anno* 303.

Martyrol. — Item, via Lavicana, natalis sanctorum quatuor Coronatorum fratrum, Severi, Severiani, Carpophori et Victorini, qui sub eodem Imperatore ictibus plumbatarum usque ad mortem caesi sunt. Horum autem nomina, quae postea, interjectis annis, Domino revelante, ostensa sunt, cum minime reperiri tunc potuissent, statutum fuit ut anniversaria dies ipsorum unà cum illis quinque sub nomine quatuor Coronatorum recoleretur: qui mos etiam, postquam revelata sunt, in Ecclesia perseveravit.

Consule *Breviarium Rom.* sub hac die. — Honorius I (625-638) iisdem Martyribus ecclesiam erexit, donisque locupletavit. Eorum autem sacras exuvias Leo Pp. IV (847-855) *solerti cura inquirens*, ut scribit in ejus Vita

Anastasius Bibliothec., *reperit. Pro quorum desiderabili amore Basilicam, quae Sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse dum ad Pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quae per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, et pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur et convulsa, supernae virtutis annuente clementia, in splendidiorem, pulcrioremque statum a fundamentis construxit.*

### S. DEUSDEDIT Papa.

*Sedit ab anno* 615 *usque ad an.* 618.

Martyrol. — Romae sancti Deusdedit Papae, qui tanti meriti fuit, ut leprosum osculo a lepra sanaverit.

Natione Romanus. Cum, anno 615, lues elephantiae per Italiam serperet, non sine multorum interitu, ipse sanctissimus Pontifex Urbem omni ope destitutam sustentavit, praesensque aegrotos visitavit, quorum unum, miseratione commotus, quum exosculatus esset, illico a morbo mundum reddidit; id quod luculenter vetera monumenta testantur. Sed dolendum sane est tanti Pontificis gesta, scriptorum inopiâ, parum cognita esse.

— Bremae sancti Villehadi primi ejus civitatis Episcopi, qui unâ cum sancto Bonifacio, cujus discipulus fuit, in Frisia et Saxonia Evangelium propagavit. (*Vide Surium*, pag. 335).

— Suessione in Gallia sancti Godefridi Episcopi Ambianensis, magnae sanctitatis viri. (*Vide Surium*, pag. 338).

### S. MAURUS Ep. et Conf.

*Obiit anno* 150.

Martyrol. — Apud Virodunum sancti Mauri Episcopi et Confessoris.

De quo tabulae ejus ecclesiae. Ponitur secundus ejus Ecclesiae episcopus. Ita Baronius. — *Virodunum* hodie *Verdun* in Gallia.

### S. CLARUS Presbyter.

*Floruit saeculo IV.*

Martyrol. — Turonis sancti Clari Presbyteri, cujus sanctus Paulinus epitaphium scripsit.

Discipulus sancti Martini. De ipso egit Sulpitius Severus, qui ei magna familiaritate erat conjunctus, in hujus sancti Episcopi Vita. Sepultus est in ecclesia, quam ipse Severus condiderat. S. Paulinus episcopus Nolanus, a Severo exoratus, tria epitaphia ad sepulcrum ejus ornandum composuerat: quorum hîc primum referimus:

Nominis ut titulo, sic mentis lumine Clarus
Presbyter hoc tegitur, sed membra caduca sepulcro;
Libera corporeo mens carcere gaudet in astris.
Pura probatorum sedem sortita piorum,
Sancta sub aeternis altaribus ossa quiescunt.
Ut dum casta pie referuntur munera Christo,
Divinis sacris animae junguntur odores.

QUINTO IDUS DIE IX

Martyrol. — Romae dedicatio Basilicae Salvatoris.

Vide *Breviarium Romanum* sub hac die. At non abs re facere videmur, si praeclarum S. Petri Damiani de Basilica Salvatoris elogium hic transcribimus. Is enim in epistola ad Cardinales Lateranensis Ecclesiae haec inter alia profert: « Lateranensis ecclesia, sicut Salvatoris insignita est vocabulo, qui nimirum est caput omnium electorum, ita mater et quidam apex et vertex omnium per orbem ecclesiarum. Haec septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divina mysteria celebrare. In quo nimirum illud Zachariae continetur evidenter oraculum: « *Ecce*, inquit, *lapis, quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem oculi sunt.* (Zach. VIII.

Septem igitur oculos habet haec petra, quia totidem Sancti Spiritus donis praefulget Ecclesia... Haec igitur ad honorem condita S. Salvatoris Ecclesia culmen ac summitas totius Christianae religionis effecta, ut ita dixerim, Ecclesia est Ecclesiarum, et Sancta Sanctorum. »

Martyrol. — Amaseae in Ponto natalis sancti Theodori militis, qui tempore Maximiani Imperatoris pro Christianae fidei confessione fortiter caesus, et in carcerem missus, deinde Domino sibi apparente, ac monente, ut constanter et viriliter ageret, relevatus est: novissime postquam equuleo suspensus et ungulis corrasus est, ita ut ejus interiora apparerent, ardentibus ignibus comburendus traditur: cujus laudes sanctus Gregorius Nyssenus praeclaro encomio celebravit. *(Vide Surium*, pag. 371).

## S. ORESTES M.

*Martyrio coronatus anno* 304.

Martyrol. — Tyanae in Cappadocia passio sancti Orestis sub Diocletiano Imperatore.

Acta hujus martyris, quem alii Arestem nominant, a Metaphraste edita, habet Surius. Quae nos hic referimus.

« Imperatore Diocletiano, magna quaedam persecutio adversus Christianos commota est. Misit enim ille magistratus suos in omne sibi subjectum Imperium, qui Christianos homines de medio tollerent. Unus autem quidam, nomine Maximus, Imperatorem adiit, quem his verbis affatus est: « Divine Imperator, dux nostrorum deorum, et divinorum, quae ad illos pertinent, mysteriorum sapiens praeceptor, peto a benignitate tua, ut jubeas me partes Ciliciae et Cappadociae percurrere, ut Christianos maleficos homines affligens, eosque comprehensos multis et variis cruciatibus subjiciens, igne consumens, et in aquas praecipitans, funditus perdere valeam. » Haec cum Diocletianus audivisset: « Habeas, inquit, potestatem in toto Imperio meo, ad impiam Christianorum superstitionem evertendam: deos autem ipsos omnium dominos, ac totius orbis terrarum adjutores, ubique manifestos esse facias. » Cum Maximus edictum ab Imperatore accepisset, multo cum apparatu ac pompa egressus est, tamquam leo, inventâ escâ: cumque animum immitem et misericordiae omnino expertem haberet, properavit ad urbem, quae dicitur Tyana *. Quo cum venisset, audivit ab ejus urbis civibus, medicum quendam illic esse, Arestem nomine, qui quotidie toti civitati persuadere studebat, ut Jesum Christum omnes colere vellent, et ejus fidem sequi, quem et a parentibus didicisse ajebant, non esse deos alios, nisi unum solum verum Deum ac coelestem, ejusque filium Jesum Christum. His auditis, jussit Maximus Arestem ante tribunal sisti, cui sic ait: « Quaenam est temeritas ista tua? Non enim parum contra te commoti sumus. Dic igitur libere nomen tuum, et genus. » Tunc sanctus Arestes: « Mea, inquit, libertas et fiducia est Jesus Christus, per quem loquendi libertatem consecutus sum: itaque nunc loquar: Christianus ego et sum, et vocor. » Tunc Maximus dixit: « Quoniam te Christianum appellari dixisti, et Christum Deum esse confessus es, diis sacrifica priusquam tormenta patiaris. » Ad haec respondit vir ille sanctus: « Dii, qui coelum et terram non fecerunt, dispereant. Ego enim cum adhuc puer essem, didici sacrificium incruentum Deo viventi offerre, quem et puro corde adoro: tuos vero adulterinos istos deos et inanes ac vanas daemones, quos tu dicis, non adoro. » Tum Maximus: « Video te, inquit, aetate florentem, prudentia et eruditione multum valere, et medicinae artis honestam ac decoram facultatem possidere, quamobrem habeo rationem tui,

* Nunc *Ketch* vel *Nidkè*. Illic celeberrimus sycophanta et impostor, Apollonius, exortus est.

perinde ac si esses filius meus. Age igitur dicas nobis, quod est nomen tuum, et qualisnam sit cultus parentum tuorum. » Tum ille: « Si cupis scire nomen meum, velim scias, apud Deum ipsum valde honoratum illud esse. Namque parentes mei, a quibus, quod ad carnem pertinet, genitus fui, Arestem * me nominarunt, ut scilicet placerem Deo, et hominibus per Domini mei Jesu Christi confessionem, et morborum, quibus humana corpora vexantur, curationem. » Ad haec Maximus: « Stultissime, inquit, et miserrime homo, cur loqueris sic petulanter? Cur teipsum decipis, cum unum Deum confitearis, et Christum, quem Judaei, ut nefarium et maleficum hominem crucifixerunt? » Respondit Arestes: « Si magnam ejus, qui crucifixus fuit, potentiam cognosceres, inanium idolorum errorem derelinqueres, et illum adorares, qui vere Deus est, ex Deo vero, qui corporeis oculis non cernitur, genitus: qui et ipse, ut Deus, corporeo visu non comprehenditur. Hic sponte divinam naturam cum humana conjunxit, et a pernicioso diaboli errore nos liberavit. » Ad haec Maximus: « Multis, inquit, verbis et fallaciis aures meas obtundis: quasi velim ego deos meos relinquere, et istum vestrum Crucifixum adorare. Age igitur et tu diis nostris sacrifica, futurum sciens, ut si hoc feceris, ad dexteram meam sedeas. » At Arestes dixit: « Ego aeternum Deum, semper mihi benefacientem, et Dominum meum Jesum Christum adoro, eique servio: daemonum autem istorum particeps nunquam fuero. » Tum Maximus: « Adducite illum ad templum deorum. » Templum autem, quod dicebat, erat auro et argento excultum, atque idolis refertum. Ad Arestem vero conversus: « Sacrifica, inquit, diis ipsis, Areste. » Respondit ille: « Erras magnopere, cum nescias, quid tibi expediat: isti enim dii tui ex aere, ferro, auro et argento confecti sunt ad decipiendos homines: nam neque vident, neque audiunt, cum sint opera quaedam manufacta; neque omnino sibi opem afferre possunt, nullam denique gratiam referre sciunt. » Tum Maximus: « Velim, inquit, scire, sacrificesne, an membra tua dissipari jubeam. » Respondit Arestes: « Putasne istis tuis verbis me perterrefactum iri? Minime hoc futurum speres: sed quamprimum fac, quicquid vis; ignoras enim, quem praesentem et mihi opitulantem habeo Dominum Jesum Christum. » Tunc ait Maximus: « Hominem istum virgis caedite, eumque admonete, ne pergat amplius insanire. » Ille autem cum verberaretur, elatis in coelum manibus, ait: « Respice, Deus meus, e coelo, et opitulare servo tuo. » Jussit vero Praeses illum tandiu verberari, quoad milites ipsi vicissim quadragenas plagas singuli infligerent, ita ut funes, lora et nervi consumerentur. Mox vehementius eum caedi jussit, sic ut ejus intestina extracta sint, et tanta viri tolerantia omnibus admirationem attulerit. Cum igitur ita verberatus fuisset: « Sacrifica diis ipsis, inquit Praeses, et dimittam te. » Arestes vero nihil respondit. Itaque iratus Praeses, jussit obeliscos ignitos fieri, et ad ejus terga statim adhiberi, ut ea primum comburerentur, deinde aceto acerbissimo et multo sale conspersa tererentur. Tunc martyr ille beatissimus, erectis ad coelum oculis, ait: « Deus, qui Sodomitarum urbes igne consumpsisti, et Ninivem per poenitentiam conversam, tua virtute ad justitiam traduxisti: da, quaeso, mihi, Domine, ut signum aliquod tuum in conspectu meo videam. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur. » His dictis, sufflavit in simulacra illa, et statim comminuta sunt, atque in pulverem conversa. Mox ait Praesidi: « Et ubinam est potentia deorum tuorum? Nunquid sibi ipsi opem ferre potuerunt? » Cum vero

* Arestes enim e graeco vocabulo ἀρέσκω, quod *placeo* significat, originem ducit.

e templo egressus esset, statim aedes quoque illa eversa est. Tunc jussit Praeses in carcerem interiorem Arestem detrudi, et carceris custodi praecepit, ut neque panem, neque aquam ei daret. Sanctus vero martyr laetanti animo adiit carcerem, et elatis in coelum manibus, has preces emisit: « Domine Jesu Christe, qui voluisti me ab ineunte aetate res justas et honestas edoceri, quique omnem erroris cupiditatem atque illecebras a meipso repulisti, qui coelum, terram, quaeque in his continentur, effecisti, qui mare ipsum certo loco constituisti, et ejus bona humano usui contulisti, qui sanctos tuos Abraham, Isaac, Jacob, ad requiem tuam perduxisti: quaeso, ne me derelinquas, quoniam totum me tibi addixi, ac tradidi: fac, ut particeps fiam eorum, qui martyrio ante me functi sunt, et haereditatem tuam perceperunt: quoniam gloriosum est nomen tuum in saecula, Amen. » His precibus ad Deum missis, cum septimum diem in carcere transegisset, octavo die Praeses in tribunali sedens, jussit Arestem illuc duci, et in eum intuens: « Nefarie, inquit, impie, et deorum inimice, cur ausus es frigida quaedam et stulta verba loqui? An propterea id fecisti, quia leniter tecum locutus sum? Age igitur saltem nunc quod aequum est, facias, nisi enim mihi obtemperaveris, diis sacrificans, acerbiores cruciatus contra te statim excogitabimus, et pessimis modis vitam tibi auferemus, corpusque istud tuum in aquam projici jubebimus. » Ad haec Arestes: « Liceat omnia tormenta tua huc afferri: paratus enim sum ea libenter perferre, cum Domini mei Jesu Christi sigillum in corde meo impressum habeam. » Tunc furore accensus Praeses, jussit clavos, palmi longitudinem singulos habentes, afferri, et clavis illis ejus talos configi. Cum igitur martyris pedes carnifices configere voluissent, pedes illi facti sunt ita duri ac solidi, perinde ac si ferreae crepidae fuissent. Itaque cum impius Praeses animadverteret, Arestem nequaquam posse subjici, diabolus in ejus mentem conjecit, ut, alia quadam machina excogitata, celeriter martyrem interficeret. Praecepit igitur cohorti, ut equum quendam maxime terribilem illuc adducerent, et Arestae manus catenis constrictas, in illius equi femore illigarent, et animal ipsum vi multa impellerent, ut vitae finem quamprimum martyr haberet. Fecerunt carnifices, quod a Praeside jussi fuerant, eumque longe ab urbe Tyana quatuor et viginti milliaribus, in equi femore ligatum pertraxerunt. Quo loco spiritum Deo reddidit. Hoc audito, Praeses jussit martyris reliquias in flumen quoddam, Phibum nomine, quod est e regione montis, statim demergi. Eo autem loco visus est homo quidam adspectu, instar Solis, effulgens: qui cum sancti martyris reliquias collegisset, in monte, qui est prope urbem Tyanam, eas deposuit. Haec autem cum praeses Maximus fecisset, sancti martyris Arestae Acta misit in urbem Antiochiam ad Imperatorem Diocletianum. Completum fuit Arestae martyris certamen atque martyrium die nono mensis Novembris, in Christo Jesu Domino nostro: cui gloria est et imperium in secula, Amen.

### S. ALEXANDER Martyr.

*Passus est anno* 304.

Martyrol. — Thessalonicae sancti Alexandri Martyris sub Maximiano Principe.

Et Graeci in Menologio de eo agunt. Ita *Baronius*.

— Apud Byturicas sancti Ursini Confessoris, qui Romae ordinatus a successoribus Apostolorum, primus eidem Urbi destinatur Episcopus. (*Vide Surium*, pag. 370).

—

### S. AGRIPPINUS Episcopus.

*Obiit circa annum 200.*

Martyrol. — Neapoli in Campania sancti Agrippini Episcopi, miraculis clari.

Agrippinus Neapoli in Campania natus, a prima aetate Christianis Mysteriis bonisque moribus imbutus, futurae sanctitatis specimen dedit. Orbatus parentibus, Christi consilium sequutus, vix sibi necessariis retentis, bona pauperibus elargitus est; paterna etiam domo in Oratorium conversa, eo sita in loco, in quo postea extructa Basilica beati Agrippini nomine dedicata est. In demortui Neapolitani Antistitis, Antonino Pio imperante, ad celsiorem locum evectus, praeclaris magis magisque virtutibus emicuit, quibus antea in privata vita tam mire effulserat. In pastorali officio omnes conatus eo intendit, ut Divinus Cultus augeretur, et Christiana Religio illibata floreret, eo potissimum tempore, quo Haeretici falsis doctrinis perdere animas, et Christi oves mactare contendebant: ad quos confutandos sanctus Soter Pontifex Maximus salutarem dedit epistolam, admonens Agrippinum aliosque Campaniae Praesules, ut pervigiles cavèrent, ne clandestina perfidiae lues commissos in greges grassaretur. Quod sanctus Antistes et praedicatione divini verbi, et exemplo integerrimae vitae solertissime praestitit; multique infideles divinitus permoti, ejus operâ veri Dei cultum puramque Religionem suscepêre. Sic aetate, laboribus plurimis mirisque virtutibus exacta, migravit ad Dominum, multis ante et post obitum miraculis effulgens, quinto Idus Novembris, secundo post Christum natum saeculo, sepultusque in Coemeterio extra moenia, unde in sancti Salvatoris templum translatum est, confluentibus ad ejus sepulcrum cultoribus, famâ sanctitatis et prodigiorum adductis. Cum praesertim visus quandoque fuerit unà cum beato Januario adesse sancto Severo morienti, et civitati obsessae auxilium ferre de coelo, idcirco Neapolitani cives aliique finitimi Basilicas et oppida insignita Agrippini nomine aedificarunt. Cujus Sacrum Corpus sub Ara maxima principis Ecclesiae nunc venerationi habetur. (*Ex officio proprio Eccl. Neapolit.*).

### SS. EUSTOLIA, ROMANA ET SOPATRA Virgines.

*Obierunt saeculo VII ineunte.*

Martyrol. — Constantinopoli sanctarum Virginum Eustoliae, Romanae et Sopatrae filiarum Mauritii Imperatoris.

Ex pia Mauritii familia pleraeque pietate insignes foeminae extitere: exornat vero Ecclesiasticas tabulas tum Graecorum tum Latinorum ejusdem filia, Sòpatra nomine, sanctissima virgo, inter sanctos relata, anniversariaque commemoratione donata unà cum Eustolia et Romana, quarum natalis in Ecclesia agitur die nona Novembris. — Ita Baronius in *Annalibus;* nec quidquam aliud de his sanctis Virginibus nobis est compertum.

— Beryti in Syria Commemoratio Imaginis Salvatoris quae a Judaeis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales et Occidentales Ecclesiae ex eo ubertim acceperint.

Videtur hoc celeberrimum miraculum, de quo antiqui scriptores saepe egerunt, anno 765 contigisse. Ipsius historia, in quodam libello, qui perperam S. Athanasio adscribitur, et quem Surius edidit, continetur. Verum quum in hanc Surianam editionem quaedam apocrypha irrepserint, nos hujuscemodi narrationem, cum illa sinceriore, quae in Baronii *Annalibus* legitur, contulimus. Ea porro, aliquibus omissis, sic se habet:

« Berytus civitas est in finibus Tyri

et Sidonis sita, vectigalis autem Antiochiensibus. In hac civitate cum Judaeorum natio frequens esset, contigit ut prope synagogam, quam illic amplam habent, quidam e Christianorum numero domicilium a quodam conductum habitaret. Hic ex adverso lectuli imaginem Jesu Christi Domini nostri fixerat: erat haec sane veneranda, quod integram Christi Domini proportionem exprimeret. Contigit autem non ita diu post id temporis, Christiano mansionem aliquanto ampliorem quaerere ; nec id omnino fortuito factum est, sed ex divina dispensatione, quae omnes cupit in agnitionem veritatis venire, et salvos fieri, exhibens miracula his qui illum colunt, et pie in illum credunt: verum in redargutionem diffidentium, confirmationem autem et stabilimentum credentibus. Quaerebat itaque, ut dicere coeperam, Christianus aedes majores: quas cum in alio civitatis loco invenisset, e domo, quam prope synagogam habuit, in alteram migravit. Cumque res suas omnes in eam transtulisset, imaginem tamen illam Domini illic forte reliquit, oblivione quidem illud, sed tamen divina dispensatione. Judaeus autem, commoditate loci captus, aediculam illam conduxit, nondum animadvertens ejuscemodi imaginem illic affixam: suaque istuc transferens, aliquandiu illic habitavit. Quodam autem die cum hic gentilium suorum quosdam in prandium invitasset, contigit, ut quidam convivarum, sublatis oculis, imaginem Christi Domini nostri inspiceret: moxque conversus ad convivatorem: « Tu, inquit, Judaeus cum sis, qua fronte tandem audes hujuscemodi imaginem domi tuae habere? » Non dicam, hic quot plaustra conviciorum et maledicta in Dominum Salvatorem effuderit. Convivator autem seipsum purgare studens, affirmabat etiam sancte, se hujuscemodi imaginem hactenus non vidisse: atque ita qui invitatus erat, tacuit. Postquam autem fuisset egressus, ad principes sacerdotum hominem detulit, quod imaginem Salvatoris in aedibus conservaret, Nazaraeumque non ejecisset. Illi vero, audita re, interrogaverunt num id posset approbare. Clamante illo, se posse confirmare quae diceret, omnes congregati et furore perciti, illo quidem die nihil egerunt: sed, mane facto, congregati summi sacerdotes et seniores cum ingenti hominum ejusdem nationis turba, assumpto simul delatore Judaeo, ad aedes illas, in quibus imago Domini nostri habebatur, ire pergunt. Cum autem ad eum locum venissent seniores et principes sacerdotum cum ipso simul delatore, irruunt in domum, et confestim imaginem Salvatoris Domini nostri contemplati, furore pleni, Judaeum quidem extra synagogam ejiciunt, imaginem vero detrahunt, dicentes: « Quemadmodum patres nostri illuserunt ei, ita et nos faciamus. » Tunc omnes coeperunt expuere in faciem sanctae imaginis Christi, colaphisque hinc illinc faciem caedentes, dicebant: « Quaecumque designarunt patres nostri in illum, ea et nos quoque faciamus in illius imaginem. » Deinde inquiunt: « Audivimus quod illuserunt ei patres nostri: faciamus idem hoc et nos quoque. » Mox talia convicia evomuerunt in Jesu Christi imaginem, quae nemo sanae mentis excogitare posset. Addunt deinde: « Audivimus patres nostros, pedes manusque illius clavis fixisse: quid obest, quo minus et nos idem tentemus? » Confestim autem imaginis Domini pedes manusque clavis ferreis foraverunt. Deinde insano ore clamant: « Audivimus quod et aceto et felle imbuta spongia illum potaverunt: faciamus et nos similiter; » acceptaque spongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt. Rursus ajunt: « Notum nobis est, quod et calamo caput illius patres nostri percusserunt. Fiat idipsum etiam a nobis pariter. » Sumpto igitur calamo, caput Domini caedere coeperunt. Tandem ajunt: « C

## S. AGRIPPINUS Episcopus.

*Obiit circa annum 200.*

Martyrol. — Neapoli in Campania sancti Agrippini Episcopi, miraculis clari.

Agrippinus Neapoli in Campania natus, a prima aetate Christianis Mysteriis bonisque moribus imbutus, futurae sanctitatis specimen dedit. Orbatus parentibus, Christi consilium sequutus, vix sibi necessariis retentis, bona pauperibus elargitus est; paterna etiam domo in Oratorium conversa, eo sita in loco, in quo postea extructa Basilica beati Agrippini nomine dedicata est. In demortui Neapolitani Antistitis, Antonino Pio imperante, ad celsiorem locum evectus, praeclaris magis magisque virtutibus emicuit, quibus antea in privata vita tam mire effulserat. In pastorali officio omnes conatus eo intendit, ut Divinus Cultus augeretur, et Christiana Religio illibata floreret, eo potissimum tempore, quo Haeretici falsis doctrinis perdere animas, et Christi oves mactare contendebant: ad quos confutandos sanctus Soter Pontifex Maximus salutarem dedit epistolam, admonens Agrippinum aliosque Campaniae Praesules, ut pervigiles cavèrent, ne clandestina perfidiae lues commissos in greges grassaretur. Quod sanctus Antistes et praedicatione divini verbi, et exemplo integerrimae vitae solertissime praestitit; multique infideles divinitus permoti, ejus operâ veri Dei cultum puramque Religionem suscepêre. Sic aetate, laboribus plurimis mirisque virtutibus exacta, migravit ad Dominum, multis ante et post obitum miraculis effulgens, quinto Idus Novembris, secundo post Christum natum saeculo, sepultusque in Coemeterio extra moenia, unde in sancti Salvatoris templum translatum est, confluentibus ad ejus sepulcrum cultoribus, famâ sanctitatis et prodigiorum adductis. Cum praesertim visus quandoque fuerit unâ cum beato Januario adesse sancto Severo morienti, et civitati obsessae auxilium ferre de coelo, idcirco Neapolitani cives aliique finitimi Basilicas et oppida insignita Agrippini nomine aedificarunt. Cujus Sacrum Corpus sub Ara maxima principis Ecclesiae nunc venerationi habetur. (*Ex officio proprio Eccl. Neapolit.*).

## SS. EUSTOLIA, ROMANA ET SOPATRA Virgines.

*Obierunt saeculo VII ineunte.*

Martyrol. — Constantinopoli sanctarum Virginum Eustoliae, Romanae et Sopatrae filiarum Mauritii Imperatoris.

Ex pia Mauritii familia pleraeque pietate insignes foeminae extitere: exornat vero Ecclesiasticas tabulas tum Graecorum tum Latinorum ejusdem filia, Sòpatra nomine, sanctissima virgo, inter sanctos relata, anniversariaque commemoratione donata unâ cum Eustolia et Romana, quarum natalis in Ecclesia agitur die nona Novembris. — Ita Baronius in *Annalibus;* nec quidquam aliud de his sanctis Virginibus nobis est compertum.

— Beryti in Syria Commemoratio Imaginis Salvatoris quae a Judaeis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales et Occidentales Ecclesiae ex eo ubertim acceperint.

Videtur hoc celeberrimum miraculum, de quo antiqui scriptores saepe egerunt, anno 765 contigisse. Ipsius historia, in quodam libello, qui perperam S. Athanasio adscribitur, et quem Surius edidit, continetur. Verum quum in hanc Surianam editionem quaedam apocrypha irrepserint, nos hujuscemodi narrationem, cum illa sinceriore, quae in Baronii *Annalibus* legitur, contulimus. Ea porro, aliquibus omissis, sic se habet:

« Berytus civitas est in finibus Tyri

et Sidonis sita, vectigalis autem Antiochiensibus. In hac civitate cum Judaeorum natio frequens esset, contigit ut prope synagogam, quam illic amplam habent, quidam e Christianorum numero domicilium a quodam conductum habitaret. Hic ex adverso lectuli imaginem Jesu Christi Domini nostri fixerat: erat haec sane veneranda, quod integram Christi Domini proportionem exprimeret. Contigit autem non ita diu post id temporis, Christiano mansionem aliquanto ampliorem quaerere; nec id omnino fortuito factum est, sed ex divina dispensatione, quae omnes cupit in agnitionem veritatis venire, et salvos fieri, exhibens miracula his qui illum colunt, et pie in illum credunt: verum in redargutionem diffidentium, confirmationem autem et stabilimentum credentibus. Quaerebat itaque, ut dicere coeperam, Christianus aedes majores: quas cum in alio civitatis loco invenisset, e domo, quam prope synagogam habuit, in alteram migravit. Cumque res suas omnes in eam transtulisset, imaginem tamen illam Domini illic forte reliquit, oblivione quidem illud, sed tamen divina dispensatione. Judaeus autem, commoditate loci captus, aediculam illam conduxit, nondum animadvertens ejuscemodi imaginem illic affixam: suaque istuc transferens, aliquandiu illic habitavit. Quodam autem die cum hic gentilium suorum quosdam in prandium invitasset, contigit, ut quidam convivarum, sublatis oculis, imaginem Christi Domini nostri inspiceret: moxque conversus ad convivatorem: « Tu, inquit, Judaeus cum sis, qua fronte tandem audes hujuscemodi imaginem domi tuae habere? » Non dicam, hic quot plaustra conviciorum et maledicta in Dominum Salvatorem effuderit. Convivator autem seipsum purgare studens, affirmabat etiam sancte, se hujuscemodi imaginem hactenus non vidisse: atque ita qui invitatus erat, tacuit. Postquam autem fuisset egressus, ad principes sacerdotum hominem detulit, quod imaginem Salvatoris in aedibus conservaret, Nazaraeumque non ejecisset. Illi vero, audita re, interrogaverunt num id posset approbare. Clamante illo, se posse confirmare quae diceret, omnes congregati et furore perciti, illo quidem die nihil egerunt: sed, mane facto, congregati summi sacerdotes et seniores cum ingenti hominum ejusdem nationis turba, assumpto simul delatore Judaeo, ad aedes illas, in quibus imago Domini nostri habebatur, ire pergunt. Cum autem ad eum locum venissent seniores et principes sacerdotum cum ipso simul delatore, irruunt in domum, et confestim imaginem Salvatoris Domini nostri contemplati, furore pleni, Judaeum quidem extra synagogam ejiciunt, imaginem vero detrahunt, dicentes: « Quemadmodum patres nostri illuserunt ei, ita et nos faciamus. » Tunc omnes coeperunt expuere in faciem sanctae imaginis Christi, colaphisque hinc illinc faciem caedentes, dicebant: « Quaecumque designarunt patres nostri in illum, ea et nos quoque faciamus in illius imaginem. » Deinde inquiunt: « Audivimus quod illuserunt ei patres nostri: faciamus idem hoc et nos quoque. » Mox talia convicia evomuerunt in Jesu Christi imaginem, quae nemo sanae mentis excogitare posset. Addunt deinde: « Audivimus patres nostros, pedes manusque illius clavis fixisse: quid obest, quo minus et nos idem tentemus? » Confestim autem imaginis Domini pedes manusque clavis ferreis foraverunt. Deinde insano ore clamant: « Audivimus quod et aceto et felle imbuta spongia illum potaverunt: faciamus et nos similiter; » acceptaque spongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt. Rursus ajunt: « Notum nobis est, quod et calamo caput illius patres nostri percusserunt. Fiat idipsum etiam a nobis pariter. » Sumpto igitur calamo, caput Domini caedere coeperunt. Tandem ajunt: « Clar...

nobis est, quod lanceâ latus illius pupugerunt: nihil a nobis omittatur: addamus et hoc ipsum; » itaque lanceam cuidam porrigentes, jusserunt, ut latus imaginis Dominicae transfigeret. Ex eo autem confestim sanguinis et aquae rivuli emanare coeperunt. Christe, gloria tibi. Incomprehensibilis Domine, gloria tibi. Quis tibi similis, Domine? Quis alius praeter te, Deus, faciens horrenda signa et terribilia, et obstupescenda in coelo et in terra? O admirabilis mediator Dei et hominum, et homousion, mundi Redemptor ac Salvator, totius bonitatis et pietatis fons et origo! O quantus es, Domine Jesu, in humilitate! O quam magnus es, noster Salvator, in patientia! O quantus es in misericordia, Christe! Tunc quidem pro nostra salute incarnatus, in eadem carne, quam ex Virgine sancta et immaculata assumpseras, mortem pertulisti crudelem. Et qui eras in substantia cum Patre Sanctoque Spiritu, unus et impassibilis, existens et invisibilis condoluisti humanam perire naturam. Sed gloria tibi, Domine, qui solus omnia potes una cum benedicto Deo nostro et Patre, atque cum Spiritu Sancto. Amen.

Audite, omnes Ecclesiae filii, caetera, quae postmodum facta dispensata sunt ab eodem Domino; ipsius enim erat permissio. Postquam enim, ut superius dictum est, latus sanctae imaginis illius apertum est, continuo exivit sanguis et aqua. Dixerunt autem principes sacerdotum: « afferatur vas ad locum vulneris, et videamus exitum rei. » Qui illico detulerunt hydriam, et ad locum vulneris, unde sanguis et aqua decurrebant, statuerunt. Quae absque ulla mora subito repleta est. Dixerunt autem ad invicem: « Quoniam susurrant Christum colentes quod signa et inaudita multa fecerit in mundo, quae nemo alius agere potuit, accipiamus hunc sanguinem et aquam hanc, et deferamus ad nostram synagogam, et congregemus universos, qui se male habent, et ex hoc perungamus eos; et, si vera sunt, quae de Christo dicuntur, continuo sanabuntur: sin alias, ostentui habeantur a nobis cuncta, quae a suis sequacibus afferuntur de eo. » Haec dicentes, hydriam deferunt ad synagogam; aestimantes se Christo Jesu Domino nostro aeterni Regis filio maximam inferre posse injuriam. Congregaverunt igitur quoscumque repererunt languidos, et in conspectu Hebraeorum introducti sunt in synagogam: inter quos quidam provectae aetatis erat homo, quem a nativitate sua gravissima possederat corporis molestia, quae Graeca locutione παράλυσις, Latine vero dissolutio membrorum dicitur. Hic dum primum ab eis fuisset perunctus, repente de suo grabato exiliens, incolumis redditus, ad propria remeavit. Deinde adducentes caecos nonnullos, loca eorum luminum perungere studuerunt. Qui ipsi statim in Christi Jesu nomine discussa caecitate, post multos annos lumen amissum recipere meruerunt. Tumultus autem exortus est magnus per totam tandem urbem, concurrentibus omnibus propter innumerabilia, quae fiebant miracula. Et quicumque variis languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes perungebant, et statim sanitatem, quam desiderabant, consequebantur. Omne autem, ad quoscumque pervenire potuit opinio, afferentes infirmos, quos habere poterant in domibus, paralyticos, caecos, claudos, surdos, mutos, et leprosos sive aridos, deducebant eos ad synagogam Judaeorum, ubi haec signa fiebant divinitus. Sed quamvis maxima esset haec eadem synagoga, nequaquam tamen recipere poterat supervenientium multitudinem: infinitae enim erant populorum catervae, quae illuc undique confluebant propter innumerabilia miracula et prodigia, quae pro sua nimia prolixitate, ne fastidium generent, transgrediendo praetermittuntur. Omnes autem principes sacerdotum et seniores, et omnis

turba Judaeorum, parvulorum ac majorum et mulierum videntes, quae facta fuerant, crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, et dicebant: « Gloria tibi sit, aeterne Deus et omnipotens Pater, qui nobis indignis, quamvis sero, revelasti unicum filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum. Gloria tibi sit, Christe, fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demonstrasti. Tibi credimus. Tu nobis esto propitius, et nos suscipere dignare. » Haec et his similia clamantes dicebant, lacrymas autem amaras emittebant et singultus. Postquam autem omnes sanati sunt, confestim ad Episcopum sanctissimae constitutae illic Ecclesiae, qui jam, quae fuerunt facta, didicerat, multitudines concurrebant dicentes et clamantes: *Unus, unus Deus Pater, unus Deus filius et ipse unigenitus, unus Christus, quem patres nostri crucifixerunt, ipsum Deum novimus: huic nos credimus.* Multis itaque laudibus glorificaverunt Deum, imaginem Archiepiscopo demonstrantes, annuntiantes, quae fecerant imagini Domini, qualiter et sanguis et aqua exierunt e látere imaginis, necnon et infinita miracula, quae facta sunt. Ita omnes multitudines, ut sancto baptismo dignae fierent, supplicabant. Quos Episcopus unà cum clero suo assumptos, omnes baptizavit per multos dies, et synagogam eorum Ecclesiam Salvatori nostro Christo dicavit. Illis autem rogantibus, etiam caeteras synagogas eorum Martyria * fecit. Et sic gaudium magnum factum est in civitate illa, non solum corporibus sanatis et vivificatis, sed et animabus in vitam mortuis redeuntibus aeternam. »

QUARTO IDUS — DIE X.

Martyrol. — Neapoli in Campania natalis sancti Andreae Avellini Clerici Regularis, sanctitatis et studio procurandae proximorum salutis praeclaris: quem miraculis clarum Clemens Undecimus Sanctorum catalogo adscripsit. (*Vide Surium*, pag. 378).

* Ecclesias scilicet alicui Martyri dicatas.

## SS. TRYPHO, RESPICIUS ET NYMPHA MM.

*Passi sunt saeculo III.*

Martyrol. — Natalis sanctorum Martyrum Tryphonis et Respicii, ac Nymphae Virginis.

Vide *Breviarium Rom.* sub hac die. — Juxta Ruinart, qui SS. Tryphonis et Respicii Acta edidit, sanguinem pro Christi fide hi Martyres fudêre anno 250. Videntur ipsi natione Phryges fuisse, Apameae autem tenti, ac demum Nicaeam perducti, ubi necati sunt. Celebris erat cultus Tryphonis Constantinopoli, in cujus honorem Justinianus Imperator templum aedificaverat. Celebris quoque Romae, ubi tam S. Tryphonis quam Respicii reliquiae adservantur. S. Nympha minime cum eis est passa; verum, quia ejus corpus simul cum SS. Tryphonis et Respicii reliquiis in uno eodemque altari, in Ecclesia scilicet S. Spiritus in Saxia, Romae, inclusum habetur, eorum omnium nomina simul conjuncta fuere. Quo porro anno et loco S. Nympha occubuerit, mihi prorsus ignotum est.

## SS. TIBERIUS, MODESTUS ET FLORENTIA MM.

*Coronati sunt circa annum* 303.
*Nat. Galli.*

Martyrol. — In territorio Agathensi sanctorum Martyrum Tiberii, Modesti et Florentiae, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleverunt.

Agatha, vulgo *Agde*, urbs est Galliae Narbonensis. Tiberius gallice vocatur *Tubery*. De horum Martyrum passione paucissima sane cognoscimus.

### SS. DEMETRIUS EP., ANIANUS DIAC., EUSTOSIUS ET ALII XX MM.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Antiochiae sanctorum DEMETRII Episcopi, ANIANI Diaconi, et aliorum viginti Martyrum.

Nec in Baronii, nec in Usuardi, nec in Bedae Martyrologiis, praeter nomina, alia reperiuntur. Sollerius porro censet *alios viginti Martyres*, non recte cum SS. Demetrio, Aniano et Eustosio conjunctos fuisse.

### S. PROBUS EPISCOPUS.

*Obiit anno* 175.

MARTYROL. — Ravennae sancti PROBI Episcopi, miraculis clari.

Sextus illius Ecclesiae Episcopus is ponitur. Patriâ romanus videtur fuisse. Corpus ejus in ecclesia cathedrali adservatur. (Ex *Effemeride sagra et historica di Ravenna antica*).

### S. MONITOR EP. ET CONF.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Aurelianis sancti MONITORIS Episcopi et Confessoris.

Numeratur undecimus ejus civitatis Episcopus in tabulis Democh. — Ita Baronius.

### S. JUSTUS EPISCOPUS.

*Obiit anno* 633.

MARTYROL. — In Anglia sancti JUSTI Episcopi, qui unâ cum Augustino Mellito, et aliis a beato Gregorio Papa in eam insulam missus ad praedicandum Evangelium, ibidem sanctitate celebris obdormivit in Domino.

Monachus S. Andreae Romae, deinde Anglorum Apostolus. Omnia autem, quae de eo sunt nobis comperta, enarraverunt Beda et S. Gregorius Magnus, ex quibus caeteri hauserunt. Beda itaque, in *Gest. Anglor.* lib. 1, c. 29, haec habet: « Misit (*videlicet Gregorius Magnus*) cum praefatis legatariis suis complures cooperatores ac verbi ministros, in quibus primi et praecipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Ruffianus; et per eos generaliter universa quae ad cultum erant et ad ministerium ecclesiae necessaria, sanctorum etiam Apostolorum ac martyrum reliquias, nec non codices plurimos. » In libro autem secundo ejusdem historiae haec scripsit: « Anno Dominicae Incarnationis sexcentesimo quarto Augustinus Britanniarum Archiepiscopus ordinavit duos Episcopos, Mellitum videlicet et Justum... Justum vero in ipso Kantia Augustinus ordinavit Episcopum in civitate Doroverni, quam gens Anglorum a primario quondam illius, qui dicebatur Rotschester cognominat... Qui etiam Episcopis utriusque hujus Ecclesiae dona multa obtulit; sed et territoria ac possessiones in usum eorum qui erant cum Episcopis adjecit. » Insigni fructu et merito S. Justus adlaboravit in Anglis ad Christi fidem convertendis, ipsumque Regem Eadualdum ad Christiana sacra amplectenda perduxit, qua de re Gregorius Magnus ad ipsum scribens, ejus zelum et doctrinam summopere commendavit hisce verbis: « Quam devote, quamque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra Fraternitas etc... Susceptis namque apicibus filii nostri Eadualdi Regis, reperimus, quanta sacri eloquii eruditione ejus animum ad verae conversionis et indubitatae fidei credulitatem Fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re, de longanimitate clementiae coelestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, imo quoque vicinarum, vestrae quoque praedicationis ministerio credimus subsequendam etc. » Vita autem functo Laurentio, S. Augustini in Sede Cantuariensi successore, ad illam cathedram promotus est: et ab

vitae finem implevit. — Consule sancti Augustini *Vitam*, quae in Surii Vol. v habetur.

## S. LEO CONFESSOR.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — In oppido Milleduno sancti LEONI Confessoris.

De eo vetera manuscripta, sicut et in vet. Martyrol. Rom., addit, nec quidquam aliud, in suis *Adnotationibus*, Baronius.

## SS. TRYPHENNA ET TRYPHOSA MULIERES.

*Saeculo I. — Patriâ Iconienses.*

MARTYROL. — Iconii in Lycaonia sanctarum Mulierum TRYPHENNAE et TRYPHOSAE, quae beati Pauli praedicatione et exemplo Theclae, in Christiana disciplina plurimum profecerunt.

Harum meminit Paulus ad *Rom.* cap. XVI, 12, hisce verbis: *Salutate Tryphennam et Tryphosam, quae laborant in Domino.* De ipsis agitur in S. Theclae Actis, quae videsis in *Surii* Vol. IX, pag. 594.

## S. THEOCTISTES VIRGO.

*Saeculo X. — Lesbia.*

MARTYROL. — In Paro insula sanctae THEOCTISTIS Virginis.

Historia S. Theoctistis, Virginis Lesbiae, in Paro insula vitam degentis, elegans, et omni fide digna (Baronius in *Annal.* testatur), a quodam Legato graeci Imperatoris Leonis VI descripta fuit. Ipsa et in Surio et in Baronii *Annalibus* habetur. Nos, pluribus omissis, quae ad sanctam virginem haudquaquam pertinent, hîc libenter eam transcribimus.

« Cum essem aliquando in Paro: qui autem: navigabam enim in Cretam, a beato et pio Imperatore missus, qui fuit revera felix, et felicitatem Romanorum simul cum suo sepulcro sepeliit. Mittebar autem, partim quidem simul militans cum clarissimo illo Hemerio, viro ducendi exercitus peritissimo, qui universae classi imperabat, et, ut verius dicam, ipsis etiam animi perturbationibus: ne vero, si de eo, quod est laudibus dignum, de imperatoria, inquam, ejus virtute leviter et per transitum dixero, ejus parvam faciens mentionem, eum afficiam dedecore, ut qui taceam praeclara ejus facinora, quae non potest consequi oratio, accedo ad praesens argumentum illius mentionem opportune facturus. Mittebar ergo cum illo militaturus, et deducendus ad actiones artis imperatoriae non secus ac pullus ad matrem, ad praeclarissima ejus stratagemata exiliens: is enim erat scopus et propositum beati mei Imperatoris; partim autem legatione functurus ad Arabes, qui tunc tenebant Cretam. Cum vero fuissemus in Iö insula, et ne ulterius progrederemur, ventus adversus prohibuisset, navigavimus ad Parum, in transitum visuri situm insulae et contemplaturi quod illic est templum Dominae nostrae Dei parentis. Cum autem delati essemus in portum, qui spectat ad Naxum (is vero sensim et paulatim fit profundus, apteque et eleganter secedit a fluctu: perinde ac si esset ad hoc constructus, et montis concavitate inclusus, ut facile hyemarent et aestivarent navigia), descendimus, et cum parum processissemus, ad templum venimus. Cum autem suffissemus, et de more precati essemus, admirantes id circuibamus. Erat vero id spectatu dignissimum, et servans adhuc reliquias veteris pulcritudinis... Cum nos ergo adstaremus, et admiraremur, et in eum, qui confregerat, exclamaremus, videmus repente monachum profectum e solitudine, et progredientem e nemore ad nos venientem, vultu pallidum, genis macilentis, nudis pedibus, totum squallidum, tunica e pilis contexta, superhumerali et capitis tegumento tunicae similibus, zona pellicea cinctum circa

lumbos, perinde ac fera hirsutum, tamquam Angelum propitium. Neque enim erat similis viro, qui cibo vescitur: sed carnis propemodum experti et exsangui; et, ut semel dicam, virtutum, vel ipsius potius Dei, habitaculum. Accedens ergo nos salutavit, et nos eum vicissim; et rogavimus ut diceret, quisnam esset, patriamque et genus, et an solus hìc viveret... Cum me sic esset adhortatus, incepit. « Venatores quidam ex Euboea huc venerunt non multis abhinc annis: habet enim insula magnam copiam cervorum et caprearum. Eorum unus vir pius, et qui suae curam gerebat animae, narravit narrationem valde consentaneam Dei magnificentiae, qui suo tempore facit admirabilia, et quae sunt praeter hominum opinionem. Veni, inquit, aliquando huc venator, et cum ascendissem ad divinam aedem Dei parentis, adoravi et precatus sum, sicut mihi semper erat mos. Cum autem post preces circumspexissem, vidi in solo parum aquae in fossa, et pauca grana lupinorum, quae madefiebant. Locus enim hic alit lupinos, quomodo reliquae insulae herbas diversas. Nam alia quidem producit magnam marathri multitudinem; alia autem solummodo rutam; et alia saturciam, et alia thymum, aut aliquid aliud. Quod vero fert inter omnia eximium insula, hoc magis nutrit quam alia, redditque floridius. Vidi ergo, ut dixi, lupinos, qui reddebantur teneri, et me quaedam subiit cogitatio, quod esset omnino aliquis, qui hos demisisset in lacum: et quod, ut est verisimile, vir aliquis divinus hanc habitet solitudinem. Hoc ergo reputans, festinabam venire ad socios, qui jam iverant in sylvam. Optabam autem magnam hanc praedam consequi: sperabam enim fore, ut magnum aliquod lucrum ab eo acciperem. Et cum multum quidem venati essemus, tendebamus ad navem. Sed illi quidem iverunt ad mare: ego vero me converti ad preces. Ingressus itaque hoc templum Dominae nostrae, orabam. Video autem ad dexteram sanctae mensae templi veluti quoddam subtegmen, quod vento agitabatur: et rursus visus sum videre telam araneae. Postquam autem progressus volui discernere quod apparebat, audivi vocem dicentem: « Siste gradum, neque ultra progrediaris, o homo, neque accedas propius. Erubesco enim, cum sim foemina, a te nuda conspici. » Haec ergo cum audivissem, et obstupefactus fuissem re admirabili, volebam fugere. A carne enim mea pili exilierant, et erant spina acutiores. Nam quod inexpectatum repente apparet, dejicit ac deprimit spiritus, etiamsi quis videatur esse audacis animi. Stabam itaque obstupefactus, et ore aperto. Postquam autem ad me redii, animo confirmatus, rogavi quisnam esset, et quomodo hanc habitet solitudinem: rursus vox extitit, dicens: « Jace mihi, rogo, tunicam: et cum tecta fuero, quantum mihi jubet divina voluntas, non dubitabo dicere. » Cum me itaque superiore amictu protinus exuissem, eum dimisi, et extra portam sum egressus. Illa autem eum accepit, et se induit. Paulo post vero reversus, video eam stantem, uti prius, et erat figura quidem mulier: id autem quod apparebat, erat supra hominem: pili albi, vultus niger, ostendens parum alboris, pellis, quae membrorum continebat compagem, cum nulla inesset caro, umbrae similis: forma, quae solum humanam servabat similitudinem. Haec ergo, inquit, cum vidissem, timebam, contremiscebam, maledictis incessebam, et meam reprehendebam importunitatem, quod cum essem curiosus, meos socios reliquissem. Tremebundus tamen et pronus humi cadens, rogabam, ut precaretur: et obsecrabam, ut ab ea benedicerer. Illa autem primum quidem conversa ad Orientem, ut quae forte vellet meum sedare animum, ne ea videretur esse spectrum, extensis manibus, precabatur,

parum submurmurans. Conversa autem ad me, dicit: «Deus, o homo, tui misereatur: sed quanam de causa venisti ad hanc solitudinem? et quo opus habens, venisti ad insulam, quae minime habitatur? sed quoniam te divina huc deduxit voluntas, meae, ut existimo, gratiâ humilitatis, de me te omnia docebo, ut voluisti.» Cum me autem rursus humi prostravissem, ea sic coepit loqui; «Mihi, inquit, patria est Lesbos, Methymna civitas, nomen Theocliste, vitae institutum monachatus. Cum autem essem adhuc infans orbata parentibus, a cognatis tradita sum in monasterium virginum, et induta sum habitu monastico. Nata vero decem et octo annos, in diebus paschalibus, excurri in vicum propinquum civitati salutatura sororem. Habitabat enim in vico cum conjuge. Noctu autem irruentes Arabes Cretenses, quorum dux erat ille Nisiris, omnes abduxerunt captivos. Mane vero cum paeana cecinissent, enavigarunt, et huic insulae appulerunt. Adductis autem captivis, cum quaererent pecuniam et pretia statuerent, ego, accepta occasione, contendens in sylvam, cursu feror in intima insulae: et de caetero non destiti fugere, donec petris et acutis lignis pedes perforavi et conscidi, et sanguine terram infeci: et tandem defecta viribus, cecidi semimortua: et totam quidem noctem, non ferens dolorem vulnerum, acerbe transegi. Mane autem cum scelestos praedones vidissem navigantes, liberata sum ab omni dolore, et repleta sum maxima animi voluptate: et nunc jam triginta-quinque annos et paulo plus hic alor perpetuo lupinis et herbis, quae nascuntur in solitudine, vel potius Dei verbo, recordata divinorum eloquiorum, quod non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod proficiscitur per os Dei. Nuda autem evasi, confractis mihi pannis, cum quibus abducta sum captiva. Induor vero et tegor manu divina, quae continet omnia.» Haec cum dixisset, et manus in coelum sustulisset, egit gratias. Cum autem parum intermisisset, quoniam videbat me terram tacitum intuentem, et nec audentem quidem eam fixis adspicere oculis, dicit rursus incipiens: «Res quidem meae quemadmodum se habeant, narravi, o homo. Peto autem, ut una in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno sequenti navigaturus es in hanc insulam venandi causâ (scio enim te omnino venturum, si Deus velit), ut in vase mundo mihi accipias unum ex intemeratis donis corporis Domini nostri Jesu Christi. Ex quo enim hanc habitavi solitudinem, tali dono nequaquam sum dignata.» Haec ergo cum dixisset, et jussisset nulli quicquam de iis dicere, cum precatione me dimisit ad socios. Ego autem me omnia impleturum pollicitus, abii laetus, quod Deus meum implesset desiderium, quod me dignum censuisset, qui talem thesaurum consequerer. Quomodo ergo Sancta mihi jusserat, quando eram cum sociis exiturus ad venandos cervos et capreas, quas haec insula alit multas et aliorum maximas, et visu et narratu admirabiles. Nam cervis quidem sunt colore similes, cervis autem majores magnitudine: est autem eis cornu longum, nempe duodecim palmorum, non ut cervorum, ornatum ramis et adnatis propaginibus: sed totum rectum, et quod unum solum habet porrectum stipitem. Cum ergo essem, ut dictum est, navigaturus ad venationem, accepta in pyxide parte divinae Carnis Domini, eam tuli ad beatam. Cum venissem autem in insulam, et declinassem in aedem Dei Matris, eam non offendi: an autem adesset et lateret, quoniam mecum ascenderant quidam ex sociis; an vero abesset, nescio, hoc tantum scio, me eam non offendisse. Atque alii quidem profecti sunt in sylvam venaturi: ego autem clam reversus sum in templum, et protinus sacrosancta mulie-

apparuit, induta tunicâ, quam a me prius acceperat. Cum me autem in terram projecissem, accurrit, et cum lacrymis dixit eminus: « Nequaquam hoc facias, o homo, nequaquam facias, divinum donum afferens: ne uras miseram, divina dedecore afficiens. » Me itaque tunica apprehensum erexit. Ego autem eduxi e sinu meo pyxidem cum Carne Domini. Cum illa autem in terram cecidisset, divinum donum accepit, et lamentationibus et lacrymis terram rigans dixit: « Nunc dimittis ancillam tuam, Domine: Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum: Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quo tua me jubet potentia. » Haec ergo cum dixisset, et manus diu in coelum extendisset, me precibus prosequens, dimisit ad socios. Cum paucos autem dies venati essemus, et praedam satis magnam cepissemus, reversi sumus. Et illi quidem profecti sunt ad navem: ego autem cucurri, ut illius beatae preces acciperem viae comites. Cum autem venissem in templum, et deinde circumspicerem, ut eam viderem, video eam in eo loco, in quo prius videram, emigrasse. Cum ergo procidissem, et beatos ejus pedes essem amplexus, et rigàssem lacrymis, stabam mutus, diu dubitans quidnam facerem. Atque videbar quidem sapienter et utiliter facturus, si cum lacrymis Deo supplicans, et sanctae motus reverentiâ, rogarem, ut huic rei a Deo provideretur: et quomodo is ostendisset, jussum divinum exequerer. Quod si hoc non essem assecutus, secunda erat, ut dicitur, ineunda navigatio, nempe ut hanc rem sociis communicarem, et cum eis sepulturae mandarem beatae reliquias, hymnis et canticis prosequens pro viribus. Sed ut videtur, non facile contingit se sapienter gerere..... »

TERTIO IDUS DIE XI.

MARTYROL. — Turonis in Gallia natalis beati MARTINI Episcopi et Confessoris, cujus vita tantis extitit miraculis gloriosa, ut trium mortuorum meruerit esse suscitator. (Vide *Surium*, pag. 391).

### S. MENNA MIL. ET M.

*Passus est anno* 294.

MARTYROL. — Cotyaei in Phrygia insignis passio sancti MENNAE Aegyptii Militis, qui in persecutione Diocletiani, postquam, abjecto militiae cingulo, meruit coelesti Regi secreto conversatione in erèmo militare, procedens in publicum, et se Christianum libera voce declarans, primo diris cruciatibus examinatur; novissime fixis in oratione genibus, Domino Jesu Christo gratia agens, gladio caesus est, ac multis post mortem miraculis claruit.

Consule *Breviarium Rom.* sub hac die. — In S. Mennae honorem Constantinus Magnus ecclesiam exstruxisse Constantinopoli, dicitur apud Nicephorum. Eum anno 294 martyrium complevisse Ruinart testatur in *Praefatione* etc.

### SS. VALENTINUS, FELICIANUS ET VICTORINUS MM.

*Martyrium subière anno* 303.

MARTYROL. — Ravennae sanctorum Martyrum VALENTINI, FELICIANI et VICTORINI, qui in persecutione Diocletiani coronati sunt.

Praeter Martyrum nomina et annum, quo passi sunt, nihil aliud in Baronio reperitur.

### S. ATHENODORUS MARTYR.

*Passus est anno* 304.

MARTYROL. — In Mesopotamia sancti ATHENODORI Martyris, qui sub eodem Diocletiano et Eleusio Praeside, ignibus cruciatus, et aliis suppliciis tortus, demum capitis damnatus, cum carnifex corruisset, nec ullus alius

gladio illum ferire ausus esset, orans obdormivit in Domino.

De eo agunt et Graeci in Menologio. Ita Baronius.

## S. VERANUS Episcopus.

*Saeculo V floruit.*

Martyrol. — Lugduni sancti Verani Episcopi, cujus vita fide et virtutum meritis fuit illustris.

Is numeratur sedis Lugdunensis vicesimus tertius Episcopus, quartus ab Eucherio. Hunc illum Baronius putat Veranum, cujus meminit Gennadius *De Vir. Illust.*, et ad quem Hilarius Papa epistolam scripsit.

## S. BARTHOLOMAEUS Abbas.

*Floruit saeculo XI.*

Martyrol. — In Monasterio Cryptae ferratae in agro Tusculano sancti Bartholomaei Abbatis, socii beati Nili, cujus vitam conscripsit.

In Baronii *Annalibus* legitur Benedictum Pp. IX, suasu hujus sancti Bartholomaei, qui nec throni celsitudinem veritus, nec dignitatis praestantiam respiciens, sed tantummodo mali, quo tunc temporis Ecclesia opprimebatur, gravitatem, ei dixerat: « Non licet tibi sacra facere, sed potius abstinere, et Deum placare, quem peccando irritastis, » e Summo Pontificatu cessisse. — Ut autem ingenio sublimi et eruditione celeber erat, reliquit non pauca scripta. Nilo mortuo, omnium suffragiis Abbas electus est. Fuit in pauperes liberalissimus. (Ex *Menologio Benedictino*).

## S. MENNAS Solitarius.

*Floruit saeculo VI.*

Martyrol. — In provincia Samnii beati Mennae Solitarii, cujus virtutes et miracula sanctus Gregorius Papa commemorat.

En itaque S. Mennae commemoratio, quam S. Gregorius M. exaravit.

« Nuper in Samnii provincia quidam venerabilis vir, Mennas nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fere est decennium defunctus. De cujus operis narratione unum auctorem non infero: quia fere tot mihi in ejus vita testes sunt, quot Samnii provincia noverunt. Hic itaque nihil ad usum suum aliud, nisi pauca apium vascula possidebat. Huic cum Longobardus quidam in eisdem apibus rapinam voluisset ingerere, prius ab eodem viro verbo correptus est, et mox per malignum spiritum ante ejus vestigia vexatus. Qua ex re factum est, ut sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eamdem barbaram gentem ejus celebre nomen haberetur, nullusque ultra praesumeret ejus cellulam, nisi humilis intrare. Saepe vero ex vicina sylva venientes ursi, apes ejus comedere conabantur. Quos ille deprehensos, ferulâ, quam portare manu consueverat, caedebat. Ante cujus verbera immanissimae bestiae rugiebant et fugiebant. Et quae gladios formidare vix poterant, ex ejus manu ictus ferulae pertimescebant. Hujus studium fuit nihil in hoc mundo habere, nihil quaerere: omnes, qui ad se charitatis causâ veniebant, ad aeternae vitae desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parcebat, sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam saevire. Consuetudinem vero vicini, vel longe positi, ejusdem loci accolae fecerunt, ut diebus certis per hebdomadam unusquisque ei oblationes suas transmitteret, ut esset quod ipse ad se venientibus offerre potuisset. Quodam vero tempore, possessor quidam, nomine Carterius, immundo desiderio devictus, quamdam sanctimonialem foeminam rapuit, sibique illicito matrimonio conjunxit. Quod mox ut vir Domini cognovit, ei per quos potuit, quae fuerat dignus audire, mandavit. Cumque ille sceleris sui conscius ti-

apparuit, induta tunicâ, quam a me prius acceperat. Cum me autem in terram projecissem, accurrit, et cum lacrymis dixit eminus: « Nequaquam hoc facias, o homo, nequaquam facias, divinum donum afferens: ne uras miseram, divina dedecore afficiens. » Me itaque tunica apprehensum erexit. Ego autem eduxi e sinu meo pyxidem cum Carne Domini. Cum illa autem in terram cecidisset, divinum donum accepit, et lamentationibus et lacrymis terram rigans dixit: « Nunc dimittis ancillam tuam, Domine: Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum: Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quo tua me jubet potentia. » Haec ergo cum dixisset, et manus diu in coelum extendisset, me precibus prosequens, dimisit ad socios. Cum paucos autem dies venati essemus, et praedam satis magnam cepissemus, reversi sumus. Et illi quidem profecti sunt ad navem: ego autem cucurri, ut illius beatae preces acciperem viae comites. Cum autem venissem in templum, et deinde circumspicerem, ut eam viderem, video eam in eo loco, in quo prius videram, emigrasse. Cum ergo procidissem, et beatos ejus pedes essem amplexus, et rigâssem lacrymis, stabam mutus, diu dubitans quidnam facerem. Atque videbar quidem sapienter et utiliter facturus, si cum lacrymis Deo supplicans, et sanctae motus reverentiâ, rogarem, ut huic rei a Deo provideretur: et quomodo is ostendisset, jussum divinum exequerer. Quod si hoc non essem assecutus, secunda erat, ut dicitur, ineunda navigatio, nempe ut hanc rem sociis communicarem, et cum eis sepulturae mandarem beatae reliquias, hymnis et canticis prosequens pro viribus. Sed ut videtur, non facile contingit se sapienter gerere..... »

TERTIO IDUS DIE XI.

Martyrol. — Turonis in Gallia natalis beati Martini Episcopi et Confessoris, cujus vita tantis extitit miraculis gloriosa, ut trium mortuorum meruerit esse suscitator. (Vide *Surium*, pag. 391).

### S. MENNA Mil. et M.

*Passus est anno* 294.

Martyrol. — Cotyaei in Phrygia insignis passio sancti Mennae Aegyptii Militis, qui in persecutione Diocletiani, postquam, abjecto militiae cingulo, meruit coelesti Regi secreta conversatione in erèmo militare, procedens in publicum, et se Christianum libera voce declarans, primo diris cruciatibus examinatur; novissime fixis in oratione genibus, Domino Jesu Christo gratia agens, gladio caesus est, ac multis post mortem miraculis claruit.

Consule *Breviarium Rom.* sub hac die. — In S. Mennae honorem Constantinus Magnus ecclesiam exstruxisse Constantinopoli, dicitur apud Nicephorum. Eum anno 294 martyrium complevisse Ruinart testatur in *Praefatione* etc.

### SS. VALENTINUS, FELICIANUS et VICTORINUS MM.

*Martyrium subière anno* 303.

Martyrol. — Ravennae sanctorum Martyrum Valentini, Feliciani et Victorini, qui in persecutione Diocletiani coronati sunt.

Praeter Martyrum nomina et annum, quo passi sunt, nihil aliud in Baronio reperitur.

### S. ATHENODORUS Martyr.

*Passus est anno* 304.

Martyrol. — In Mesopotamia sancti Athenodori Martyris, qui sub eodem Diocletiano et Eleusio Praeside, ignibus cruciatus, et aliis suppliciis tortus, demum capitis damnatus, cum carnifex corruisset, nec ullus alius

gladio illum ferire ausus esset, orans obdormivit in Domino.

De eo agunt et Graeci in Menologio. Ita Baronius.

## S. VERANUS Episcopus.

*Saeculo V floruit.*

Martyrol. — Lugduni sancti Verani Episcopi, cujus vita fide et virtutum meritis fuit illustris.

Is numeratur sedis Lugdunensis vicesimus tertius Episcopus, quartus ab Eucherio. Hunc illum Baronius putat Veranum, cujus meminit Gennadius *De Vir. Illust.*, et ad quem Hilarius Papa epistolam scripsit.

## S. BARTHOLOMAEUS Abbas.

*Floruit saeculo XI.*

Martyrol. — In Monasterio Cryptae ferratae in agro Tusculano sancti Bartholomaei Abbatis, socii beati Nili, cujus vitam conscripsit.

In Baronii *Annalibus* legitur Benedictum Pp. IX, suasu hujus sancti Bartholomaei, qui nec throni celsitudinem veritus, nec dignitatis praestantiam respiciens, sed tantummodo mali, quo tunc temporis Ecclesia opprimebatur, gravitatem, ei dixerat: « Non licet tibi sacra facere, sed potius abstinere, et Deum placare, quem peccando irritastis, » e Summo Pontificatu cessisse. — Ut autem ingenio sublimi et eruditione celeber erat, reliquit non pauca scripta. Nilo mortuo, omnium suffragiis Abbas electus est. Fuit in pauperes liberalissimus. (Ex *Menologio Benedictino*).

## S. MENNAS Solitarius.

*Floruit saeculo VI.*

Martyrol. — In provincia Samnii beati Mennae Solitarii, cujus virtutes et miracula sanctus Gregorius Papa commemorat.

En itaque S. Mennae commemoratio, quam S. Gregorius M. exaravit.

« Nuper in Samnii provincia quidam venerabilis vir, Mennas nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fere est decennium defunctus. De cujus operis narratione unum auctorem non infero: quia fere tot mihi in ejus vita testes sunt, quot Samnii provincia noverunt. Hic itaque nihil ad usum suum aliud, nisi pauca apium vascula possidebat. Huic cum Longobardus quidam in eisdem apibus rapinam voluisset ingerere, prius ab eodem viro verbo correptus est, et mox per malignum spiritum ante ejus vestigia vexatus. Qua ex re factum est, ut sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eamdem barbaram gentem ejus celebre nomen haberetur, nullusque ultra praesumeret ejus cellulam, nisi humilis intrare. Saepe vero ex vicina sylva venientes ursi, apes ejus comedere conabantur. Quos ille deprehensos, ferulâ, quam portare manu consueverat, caedebat. Ante cujus verbera immanissimae bestiae rugiebant et fugiebant. Et quae gladios formidare vix poterant, ex ejus manu ictus ferulae pertimescebant. Hujus studium fuit nihil in hoc mundo habere, nihil quaerere: omnes, qui ad se charitatis causâ veniebant, ad aeternae vitae desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parcebat, sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam saevire. Consuetudinem vero vicini, vel longe positi, ejusdem loci accolae fecerunt, ut diebus certis per hebdomadam unusquisque ei oblationes suas transmitteret, ut esset quod ipse ad se venientibus offerre potuisset. Quodam vero tempore, possessor quidam, nomine Carterius, immundo desiderio devictus, quamdam sanctimonialem foeminam rapuit, sibique illicito matrimonio conjunxit. Quod mox ut vir Domini cognovit, ei per quos potuit, quae fuerat dignus audire, mandavit. Cumque ille sceleris sui conscius ti-

meret, atque ad virum Dei nequaquam accedere praesumeret, ne forte hunc aspere, ut delinquentes solebat increpare, fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit, ut ejus munera saltem nesciendo susciperet. Sed cum coram eo fuissent oblationes omnium deportatae, vir Dei tacitus sedit, singillatim omnes considerare studuit, et omnes alias eligens, atque seorsum ponens, oblationes, quas idem Carterius transmiserat, cognovit per spiritum, sprevit atque abjecit, dicens: « Ite, et dicite ei: Oblationem suam omnipotenti Domino abstulisti, et mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio; quia suam abstulisti Deo. » Qua ex re factum est, ut praesentes quoque magnus timor invaderet, cum vir Domini jam scienter de absentibus indicaret. » (Ex *Dialogorum* lib. III, cap. XXVI).

PRIDIE IDUS. DIE XII.

MARTYROL. — Natalis sancti MARTINI Papae et Martyris qui Romae coacta Synodo, cum Sergium, Paulum et Pyrrhum haereticos damnasset, jussu Constantis Imperatoris haeretici per fraudem captus, et Constantinopolim perductus, in Chersonesum relegatus est; ubi ob catholicam fidem aerumnis confectus vitam finivit, multisque miraculis claruit: cujus corpus postea Romam translatum, in Ecclesia sanctorum Sylvestri et Martini cònditum fuit. (*Vide Surium*, pag. 421).

## SS. AURELIUS ET PUBLIUS EPISCOPI.

*Saeculo II floruerunt.*

MARTYROL. — In Asia passio sanctorum AURELII et PUBLII Episcoporum.

Hi, cum caeteris Asiae Episcopis, contra Montani et Priscillae haeresim subscripsêre, ut ex epistola Serapionis ad Coricum et Ponticum (apud Eusebium lib 15. cap. 18) eruitur. In hac enim Serapionis, Antiocheni episcopi, epistola haec leguntur: *Aurelius Cyrenius, testis Christi, vobis salutem et prosperam valetudinem opto; Aelius Publius Julius ex Debelto Colonia Thraciae Episcopus: vivit Deus in coelis, quod Sotas in Anchialo voluit Priscillae daemonem ejicere, sed veteratores illi hypocritae neutiquam permiserunt.*

## S. PATERNUS MARTYR.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — In territorio Senonensi sancti PATERNI Martyris.

Videtur monachus fuisse.

## S. LIVINUS EP. ET MART.

*Saeculo VII.*

MARTYROL. — In portu *Gaudensi* sancti LIVINI Episcopi et Martyris.

Videtur Monachus fuisse, natione Scotus. A S. Augustino, Anglorum Apostolo, e sacro fonte susceptus atque litteris institutus, et sacerdotio insignitus dicitur. Quum, unà cum aliquibus Monachis, mare transfretasset, ac in Flandriam venisset, barbaris et paganis, illic degentibus, Evangelium praedicaturus, ab ipsis demum necatus fuit. Baronius in *Annalibus* eum Archiepiscopum appellat. Brabantini et Flandrenses ipsum ut eorum tutelarem venerantur.

## SS. BENEDICTUS, JOANNES, MATTHAEUS, ISAAC ET CHRISTINUS EREM. MM.

*Passi dicuntur anno 1010.*

MARTYROL. — In Polonia sanctorum Martyrum BENEDICTI, JOANNIS, MATTHAEI, ISAAC et CHRISTINI Eremitarum.

Hi ex Bohemia, ubi primitus morabantur, majoris solitudinis desiderio, in Poloniam secessêre, ubi, exstructo tuguriolo, durissimam vitam instituêre. Sed a barbaris illius regionis incolis interfecti sunt. (Ex *Menol. Benedict.*).

S. JOSAPHAT ARCHIEP. ET MART.

*Interfectus est anno 1623, die 12 novembris.*

MARTYROL. — Vitepsci in Polonia ancti JOSAPHAT ex Ordine sancti Bailii, Archiepiscopi Polocensis, qui a chismaticis in odium catholicae uniatis et veritatis crudeliter interfectus, a Pio Papa Nono inter sanctos Martyres adscriptus est.

Is, Archiepiscopus Polocensis (*Poock*, in Lituania), omnibus viribus, otaque mente incubuit ut schismatici id veram fidem redirent; sed contra i eum necaverunt. Sacra Rituum Congregatio, anno 1642, ejus martyrium atque sanctitatem probavit; Urbanus vero Pp. VIII, eodem anno, Officium et Missam in ipsius honorem a monachis Basilianis atque ab universo clero Dioecesis Polocensis recitari permisit. (Ex *Rohrbacher*).

S. RUFUS EPISCOPUS.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Avenione sancti RUFI, primi ejusdem urbis Episcopi.

De eodem vetera manuscripta hac die, ex quibus etiam recentiores. Ita, quin aliud addat, Baronius.

S. CUNIBERTUS EPISCOPUS.

*Saeculo VII floruit.*

MARTYROL. — Coloniae depositio sancti CUNIBERTI Episcopi.

Nobili genere natus, a patre ejus, Crallo nomine, provinciae Mosellensis indigena, Dagoberto magno Francorum regi, nutriendus simul et provehendus traditur. Erat autem puer Cunibertus modestia, castitate, pietate, et animi simplicitate insignis. Exin, in processu temporis, beatus Cunibertus apprime litteris eruditus, ascensiones primum in corde dispositas, profectu quotidiano cucurrit: mox, Ecclesiasticos per ordinem ascendendo gradus, coactus quidem, renitente vi humilitatis, dignissimus tamen obtinuit: quos et excellentibus illustravit meritis et congruentibus adornare curavit obsequiis. Itaque auctus benedictione coelesti, de virtute in virtutem fervidus in dilectione Domini properabat, donec raptus ab Archiepiscopo Trevirorum, Archidiaconatus officio sublimatus est. Ubi mirum in modum totus in Dei opere conversatus, nihil sibi exhausti satis esse credebat, vitaeque jam hujus exosus, his tantum, quos lucrifacere conabatur, spiritum invictum a quolibet servabat.

Paucis postmodum elapsis annorum curriculis, Clerus et populus Agrippinae Coloniae pastore proprio destitutus, virum Domini Cunibertum, jam in opere Dei exercitatum, ut sibi praeesse deberet, cum vocibus, tum precibus imploravit. Nec difficilis erat ista congestio de eo, qui praesagiebatur, quem et rex olim anxia exspectatione promovère quaerebat, et omnis tripartitae Galliae populus dignissimus, et vere plebi Dei necessarium praedicabat. Sola in eo repugnavit humilitas, cujus tamen ad hoc opus praedestinata simul et approbata fuit a Domino sanctitas. Tandem, convenientibus in unum plebis destitutae majoribus, maximoque sacerdotum et aliorum principum coetu, ad eorum auxilium animis opibusque parato, fortissimum viri Dei pectus, charitati tantum cedere solitum, a propositi sui duritia emollitum est. Sicque, nutu Dei, Remedio Episcopo Coloniae successor electus, septimo Calendas Octobris gradum Episcopalis benedictionis ascendit. Deinde jam se talem tantumque cunctis exhibuit, ut nostra hoc facultas nequaquam possit evolvere, ne videamur maxima verbis vilioribus extenuare.... Completis demum feliciter quadraginta villicationis suae annis, pridie Iduum Novembris perveniens ad diem lucis hujus extremum, Creatori suo ditandum bonis omnibus reddidit spiritum. Corpus

autem ejus, sicut ipse vivens praeceperat, positum est cum magna gloria in ecclesia S. Clementis, quam ipse construxerat. (Ex *Surio*).

### B. AEMILIANUS Presbyter.

*Saeculo VI.*

Martyrol. — Turiasone in Hispania Tarraconensi beati Aemiliani Presbyteri, qui innumeris miraculis claruit; cujus admirabilem vitam sanctus Braulius Caesaraugustanus Episcopus descripsit.

Ejus vita a S. Braulio conscriptam fuisse testatur S. Ildefonsus *De Vir. Illustr.* in Braulio, ubi haec ait: « Vitam Aemiliani cujusdam monachi, et memoriam ejus, et virtutem illius viri suo tenore commendat pariter et illustrat. » Fertur S. Aemilianus, in eremo, vitam quam asperrimam duxisse. Hoc autem vivendi genere relicto, Ordinem S. Benedicti amplexus est, quem deinde felicissime propagavit. Condidit inter alia, celeberrimum Cogalliense coenobium, quod *Sanctorum et Pontificum Hispaniae Seminarium*, *domicilium et promptuarium* fuit appellatum. Ab Hispanis S. Aemilianus ut Patronus colitur. (Ex *Menolog. Benedict.*).

### S. NILUS Abbas.

*Saeculo V floruit.*

Martyrol. — Constantinopoli sancti Nili Abbatis, qui ex Praefecto Urbis factus monachus, sub Theodosio Juniore doctrinâ et sanctitate claruit.

Ancyrae in Galatia, nobilissimis parentibus natus est. Anno 390, unâ cum filio suo Theodulo, altero domi cum matre relicto, in solitudinem montis Sinai, ubi alii quamplurimi anachoretae versabantur, se contulit. Mirâ sapientiâ praeditus, *Sapiens* appellatus est. Strenue, viriliterque sanctum Joannem Chrysostomum apud Imperatorem Arcadium defendit. Maximo ardore studiis operam dedit, attingens propterea, aevo suo, eloquentiae graecae verticem. Opera ejus, quae supersunt, firmant animos ad pietatem, mentesque irrigant, et feraces efficiunt. Certum est eum anno 430 adhuc vivere; at quo anno e vivis discesserit, penitus ignotum. En suorum Operum, quae extant, catalogus: *Tractatus de monastica exercitatione*; *Peristeria* seu *Tractatus de virtutibus excolendis et vitiis fugiendis*; *Tractatus de voluntaria paupertate*; *Tractatus moralis*; *Epicteti Manuale concisum et interpolatum*; *Epistola Dogmatica de Ss. Trinitate*; *De Monachorum praestantia*; *Tractatus ad Eulogium*; *Tractatus de Octo spiritibus malitiae*; *De Oratione*; *De diversis malignis cogitationibus*; *Sententiae*; *Epistolarum* Libri [illegible] (Romae, 1673).

### S. THEODORUS Studita.

*Obiit anno 826.*

Martyrol. — Item Constantinopoli sancti Theodori Studitae, qui pro fide Catholica adversus Iconoclastas strenue pugnans factus est in universa Ecclesia Catholica celebris.

Constantinopoli natus est, e parentibus Sergio et Euphemia, qui peste, quae anno 746 illam urbem invaserat, sunt interempti. Anno 781, in coenobium Saccud se recepit; ibique, anno 794, Abbas eligitur. Pro tuendo sacrarum Imaginum cultu graves, assiduosque labores toleravit, et multa mala est perpessus. A graecis Imperatoribus, nempe a Constantino VII, Leone Armeno et a Michaële Balbo, quodam etiam Episcoporum concilio quatuor vicibus, in exilium pulsus fuit, ubi demum, in peninsula Chalcydica, vitam consummavit. Ejus opera, quae adhuc extant, et quae a Sirmondio sunt edita, haec sunt: *Testamentum*; *Antirrheticus*: *Confutatio poëamatum Iconomachorum*; *Quaestiones quaedam propositae Iconomachis*; *Capita septem adversus Iconoma-*

*chos; Epistola ad Platonem de cultu sacrarum Imaginum; Epistolae; Jambi.* Multa habet in suis Annalibus Baronius circa S. Theodorum, quem « virum Dei amicum, sapientiâ et scientiâ affatim praeditum, iteratis crebro confessionibus celebrem, sanguine saepe fuso decorum, vitaque ab adolescentia optimis moribus institutâ fulgentem, ingentibusque miraculis illustratum » praedicat.

MARTYROL. — Compluti in Hispania sancti DIDACI Confessoris, Ordinis Minorum, humilitate celebris, quem Sixtus Quintus Sanctorum Catalogo adscripsit, cujus festum agitur die sequenti. (Vide *Surium*, pag. 440).

IDIBUS DIE XIII.

MARTYROL. — Sancti DIDACI Confessoris, Ordinis Minorum, cujus natalis dies fuit heri. *(De eo jam egimus).*

— Aquis in provincia Narbonensi beati MITRII clarissimi Martyris. (Vide *Surium*, pag. 458).

— Caesareae in Palaestina passio sanctorum ANTONINI, ZEBINAE, GERMANI et ENNATHAE Virginis, quae sub Galerio Maximiano verberibus caesa, igne cremata est: illi vero cum libera voce Firmilianum Praesidem diis immolantem impietatis arguerent, capite caesi sunt. (Vide *Surium*, pag. 455).

## SS. ARCHADIUS, PASCHASIUS, PROBUS ET EUTYCHIANUS MM.

*Passi sunt anno* 437.

MARTYROL. — In Africa sanctorum Martyrum ARCHADII, PASCHASII, PROBI et EUTYCHIANI Hispanorum, qui cum in persecutione Wandalica in Arianam perfidiam nullatenus declinare paterentur, a Genserico Rege Ariano primum proscripti, deinde in exilium acti, atque atrocissimis suppliciis cruciati, postremo diverso mortis genere interempti sunt. Tunc et Paulilli pueruli germani sanctorum Paschasii et Eutychiani constantia enituit; qui cum a fide Catholica divelli non posset, fustibus diu caesus, et ad infimam servitutem damnatus est.

Hanc historiam fere ad verbum Baronius e Prosperi *Chronico* desumpsit.

## S. NICOLAUS PAPA.

*Ab anno* 858 *usque ad ann.* 867.

MARTYROL. — Romae sancti NICOLAI Papae vigore Apostolico praestantis.

Natione Romanus, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes Beatissimi actus omnibus a primordio pueritiae suae fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Quum Pontifex coronatus est, Urbs exultavit, Clerus laetatus est, senatus et populi plenitudo magnifice est gratulatus. Causam ejectionis Ignatii patriarchae Constantinopolitani et Photii subrogationem per legatos inquisivit. Lotharium Lotharingiae regem, filium Lotharii Imperatoris, a sententia uxorem suam dimittendi et pellicem assumendi, revocavit. Rothaldum episcopum Suessionensem; e sede injuste depulsum, Episcopatui reddidit, Actis Synodi Suessionensis, quibus is sede sua expoliatus fuerat, rescissis; et alia multa pro justitiae causa tuenda atque Ecclesiae juribus defendendis perfecit. Erat enim invictissimus ille Pontifex in exhibendis Dominici gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in sancta Ecclesia oriebatur, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori, quousque per missos, aut litteras suas, pax reformaretur, et tranquillitatis populus resumeret lucrum. Postquam autem sedem Apostolicam victoriosissime, et ut verus Dei athleta catholice et principaliter rexit, ex hac luce, idibus novembris migravit ad Dominum: cor-

pus ejus sepultum est ante fores Basilicae B. Petri Apostoli. (*Omnia haec, quae proposito nostro sufficere videntur, ex Anastasio Bibliothecario sunt deprompta*).

Martyrol. — Turonis sancti Britii Episcopi, discipuli beati Martini Episcopi. (Vide *Surium*, pag. 459).

S. EUGENIUS Episcopus.

*Obiit anno* 657.

Martyrol. — Toleti sancti Eugenii Episcopi.

Fuit hic tertius ejus sedis Episcopus, praecessitque S. Idelfonsum, qui in libello *De Viris Illustr.*, cap. 14, hoc ei elogium intexuit: «Hic cum Ecclesiae clericus esset egregius, vita monachali delectatus est. Qui, sagaci fuga, urbem Caesaraugustanam petens, illic Martyrum sepulcris inhaesit, ibique studia sapientiae, et propositum monachi decenter excoluit. Unde Principali violentia reductus, et in Pontificatum adscitus, vitam plus virtutum meritis, quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed valde fervescens spiritus virtute, studiorum bonorum viam persequens. Cantus passivis usibus vitiatos, melodiae cognitione correxit. Officiorum remissos ordines, curamque discrevit. Scripsit de Trinitate libellum et eloquio nitidum, et rei veritate perspicuum. Clarus habitus fuit temporibus Chindasvindi et Recesvinthi Regum, fere duodecim annis tenens dignitatem simul et gloriam sacerdotis; sicque post lucis mundialis occasum in basilica sancti Leocadiae tenet habitationem sepulcri.» S. Eugenius nono Concilio Toletano, quod anno 655 celebratum fuit, praefuit.

— Arvernis sancti Quinctiani Episcopi. (Vide *Surium*, pagina 461).

— Cremonae S. Homoboni Confessoris, quem miraculis clarum Innocentius Tertius in Sanctorum numerum retulit. (V. *Surium*, p. 465).

DECIMOCTAVO KAL. DECEMBR. DIE 14

SS. CLEMENTINUS, THEODOTUS ET PHILEMONUS MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Heracleae in Thracia natalis sanctorum Martyrum Clementini, Theodoti et Philemoni.

*Thesaurum effodiet, quisquis horum Sanctorum Acta alicunde eruerit*, exclamat Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardum.

S. SERAPIO Martyr.

*Passus est anno* 252.

Martyrol. — Alexandriae sancti Serapionis Martyris, quem persecutores sub Decio Principe crudelissimis affecerunt suppliciis, ita ut omnes ei juncturas membrorum prius solventes, de superioribus domus suae eum praecipitarent, et sic Christi Martyr efficeretur.

S. Serapio morti traditus est, occasione gravissimi tumultus Alexandriae in Christianos a quodam mago instigati, ut Dionysius Alexandrinus Episcopus ad Fabium Antiochenum Antistitem scripsit. (In Baronii *Annalibus*).

S. VENERANDUS Martyr.

*Circa annum* 272.

Martyrol. — Trecis in Gallia sancti Venerandi Martyris sub Aureliano Imperatore.

Trecae vulgo *Troyes*.

S. VENERANDA Virgo et Martyr.

*Circa annum* 143.

Martyrol. — Item in Gallia sanctae Venerandae Virginis, quae sub

Antonino Imperatore, et Asclepiade Praeside, martyrii coronam accepit.

Nullam explicationem addit Baronius.

### S. HYPATIUS Ep. et Mart.

*Anno* 325.

Martyrol. — Gangris in Paphlagonia sancti Hypatii Episcopi, qui magna Nicaena Synodo rediens, a Novatianis haereticis in via lapidibus impetitus, Martyr occubuit.

Agunt de eodem hac die Graeci in Menologio, ejusque martyrium narrant. Ita Baronius.

### S. SERAPIO M.

*Passus est anno* 1240.

Martyrol. — Algeriae in Africa beati Serapionis, qui primus ex Ordine beatae Mariae de Mercede pro captivis fidelibus redimendis, et christianae Fidei praedicatione actus in crucem, et membratim dissectus, martyrii palmam meruit obtinere.

Anglus fuit natione, habitumque Religionis a S. Petro Nolasco suscepit. Ob cultum immemorabilem, quem ei perhibebatur, Benedictus Pp. XIII, anno 1728, eum in Sanctorum album rite inscripsit. In ejusdem honorem a Paulo Pp. V et ab Urbano Pp. VIII indulgentiae concessae sunt. (E *Servorum Dei Beatificatione*, Benedicti Pp. XIV).

### SS. Mulieres MM.

*Martyrium subiêre anno* 773.

Martyrol. — Emèsae passio plurimarum sanctarum Mulierum, quae sub saevissimo Arabum duce Mady ob Christi fidem crudelissime tortae atque necatae sunt.

Omnia haec testatur Theophanes in *Hist. miscella.*

### S. JUCUNDUS Ep. et Conf.

*Claruit circa annum* 485.

Martyrol. — Bononiae sancti Jucundi Episcopi et Confessoris.

Adnumeratur decimus ejus sedis Episcopus. S. Tertulliano successit. S. Barbatiani templum, quod profanatum fuerat, refecit instauravitque. Quid aliud egerit, ignotum.

— In Hibernia sancti Laurentii Episcopi Dublinensis. (Vide *Surium*, pag. 473).

DECIMOSEPT. KAL. DECEMB. DIE XV

### S. GERTRUDES Virgo.

*Obiit anno* 1292.

Martyrol. — Sanctae Gertrudis Virginis, cujus natalis memoria agitur quintodecimo Kalendas Decembris.

*Breviarium Rom.* sub hac die perlege. — Sed notandum est annum, quo S. Gertrudes ad coelum migraverit, variis varia scribentibus, non esse omnino certum; quarto post S. Gertrudis obitum seculo, scilicet, anno 1606, ei a Sede Apostolica publicum cultum fuisse concessum; demum ejusdem Sanctae *Revelationes* primum a Joanne Landspergio Carthusiano, anno 1538, Coloniae Agrippinae editas fuisse.

### S. EUGENIUS Ep. et Mart.

*Saeculo I.*

Martyrol. — Eodem die natalis sancti Eugenii Episcopi Toletani et Martyris, beati Dionysii Areopagytae discipuli, qui in territorio Parisiensi consummato martyrii cursu, beatae passionis coronam percepit a Domino: cujus corpus Toletum postea fuit translatum.

Ejus praeclara gesta recognita olim in Concilio Leodiensi in Ecclesia jussa

sunt legi. Anno 1565, sacrae ipsius Reliquiae, amplissimo apparatu ac religiosissimo cultu, non rheda aliqua triumphali, sed regiis humeris, in antiquam nobilissimam Toletanam cathedram translatae sunt. Siquidem Rex Philippus Secundus se sacrae subdidit sarcinae; ovansque et exultans in praedictum locum eas evexit. (Ex Baronii *Notis* ad Mart. Rom.).

### S. FELIX Ep. et Mart.

*Passus probabiliter circa an.* 287.

Martyrol. — Nolae in Campania beati Felicis Episcopi et Martyris, qui a quintodecimo aetatis suae anno miraculorum gloria claruit, et sub Marciano Praeside cum aliis triginta agonem martyrii complevit.

Hunc Felicem primum Nolanum episcopum passim statuunt scriptores, nonnulla Acta recensentes, quae referuntur ab Ughellio tom. 6, col. 286. Nolae sepultus est. (Ex *Sollerio)*.

— Edessae in Syria sanctorum Martyrum Guriae et Samonae sub Diocletiano Imperatore et Antonino Praeside. (Vide *Surium*, pag. 496).

### S. ABIBUS Diac. Mart.

*Passus est anno* 316.

Martyrol. — Ibidem passio sancti Abibi Diaconi, qui sub Licinio Imperatore et Lysania Praeside unguibus laceratus, in ignem conjectus est.

Diaconum insignem inter Martyres eum vocat Baronius in *Annalibus*. Is enim obibat civitatem, divinas cunctos docens Scripturas, et magno animo confirmans ad pietatem. Quae cum venissent ad aures Lysaniae, Licinio Imperatori ab ipso significantur. Licinius vero, litteris datis, Abibum jubet ut morte afficiatur. Abibus autem degebat in quadam parte civitatis propter statum Ecclesiasticum; mater vero, et quidam ex iis qui ad eum genere attinebant, cum eo versabantur. Cum vero sententiam rescivisset, ne daret poenas, quod martyrii deseruisset ordines, cuidam qui erat ex primis cohortis se ipsum indicavit, dicens: « Non propter caram matrem, nec propter cognatos me reddo manifestum, sed adsum propter Christi confessionem. » Lysanias vero, post varias interrogationes, quum Abibus se Christianum esse, nec posse omnino Deum verum relinquere et sacrificare inanimis diceret, jussit eum brachia vinctum funibus, in ligno sublimem extolli, et ferreis ungulis lacerari. Erat autem suspensio longe violentior quam laceratio: veniebat enim in periculum ne discerperetur cum violenta extensione ei divellerentur brachia. Demum extra civitatem, sequentibus eum matre et cognatis, ductus, in ignem injectus, et ipso statim combustus fuit. (Ex S. Abibi *Actis* fideliter scriptis a Metaphraste in Baronii *Annalibus* relatis).

### SS. SECUNDUS, FIDENTIANUS et VARICUS MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — In Africa sanctorum Martyrum Secundi, Fidentiani et Varici.

Beda de iisdem hac die, consentiuntque vetera manuscripta. Haec tantum Baronius.

### S. MACHUTUS Episcopus.

*Claruit saeculo VI.*

Martyrol. — In Britannia natalis sancti Machuti Episcopi, qui a primaevo aetatis suae tyrocinio miraculis claruit.

In Majori Britannia, nobilissimis parentibus exortus est. Patrem habuit Guentum (vulgo *Guent* vel *Went*), Comitem perillustrem; matrem vero Darvalim, qui eum Abbati S. Brandano instituendum tradidêre. Ipse vitam monasticam est amplexus; et quum, unâ cum S. Brandano in quam-

m insulam apud Britanniam mino-m, solitudinis amore, se recepis-t, invitus eligitur Episcopus Aleti *Guich-Alet*, cujus ruinae apud *Saint-alo* extant). Multos ad Christi fidem nvertit ; miracula quamplurima eratus est; ac demum voluntarie gnitatem episcopalem dimisit, ut erius praedicationi vacaret. Santo-s (vulgo *Saintes*) vitâ functus est. Urbs *Saint-Malo*, S. Machuto, qui Maclovius nuncupabatur, nomen cepit. *(Ex Sigeberto, in Surio)*.

S. LUPERIUS Ep. et Conf.

*Circa annum* 800.

Martyrol. — Veronae sancti Lu-rii Episcopi et Confessoris.

Nullam illustrationem adfert Ba-nius. — In quibusdam Episcoporum eronensium catalogis S. Luperii no-en deest.

— In Austria sancti Leopoldi ejus-em provinciae Marchionis, quem In-ocentius Octavus Sanctorum numero scripsit. (Vide *Surium*, pag. 503).

SEXTODEC. KAL. DECEMB. DIE XVI.

SS. RUFINUS, MARCUS, VALERIUS et Socii MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — In Africa sanctorum lartyrum Rufini, Marci, Valerii et ociorum.

Vetera manuscripta, et Petrus in *atal. lib.* 11, et alii recentiores de psis agunt. — Ita Baronius.

SS. ELPIDIUS, MARCELLUS, EUSTOCHIUS et Socii MM.

*Passi sunt anno* 362.

Martyrol. — Eodem die sancto-um Elpidii, Marcelli, Eustochii et ociorum : ex quibus Elpidius cum sset ordinis Senatorii, et coram Ju-liano Apostata Christianam fidem constantissime profiteretur, primum equis indomitis unâ cum sociis alligatus atque pertractus, deinde in ignem conjectus, gloriosum martyrium consummavit.

Elpidius ob egregiam spectatamque ejus virtutem, a Constantio Imperatore Praefecturâ Praetorii decoratus fuerat: qua Julianus eum expoliavit, et, ut Imperii perduellem, necandum praecepit.

Martyrol. — Lugduni natalis sancti Eucherii Episcopi et Confessoris, viri admirandae fidei et doctrinae, qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conversus, diu intra septa speluncae conclusus, in orationibus et jejuniis Christo servivit ; deinde apud praefatam urbem in Pontificali Cathedra, revelante Angelo, solemniter collocatus est. (Vide *Surium*, pag. 519).

S. FIDENTIUS Episcopus.

*Circa annum* 166.

Martyrol. — Patavii S. Fidentii Episcopi.

De eo Tabulae Patavinae. — Baronius.

— Cantuariae in Anglia sancti Edmundi Archiepiscopi et Confessoris, qui pro Ecclesiae suae juribus tuendis in exilium actus apud Provinum Sènonum oppidum sanctissime obiit, et ab Innocentio Quarto Sanctorum Canoni adscriptus est. (Vide *Surium*, pag. 520).

— Eodem die depositio S. Othmari Abbatis. (Vide *Surium*, pag. 511).

QUINTODEC. KAL. DECEMB. DIE XVII.

Martyrol. — Neocaesareae in Ponto natalis sancti Gregorii Episcopi, qui doctrina et sanctitate illustris, propter signa atque miracula, quae

cum multa Ecclesiarum gloria perpetravit, Thaumaturgus est appellatus. (Vide *Surium*, pag. 547).

## SS. ALPHAEUS ET ZACHAEUS MM.

*Passi sunt anno* 302.

Martyrol. — In Palaestina sanctorum Martyrum Alphaei et Zachaei, qui primo anno persecutionis Diocletiani post multa tormenta capitalem sententiam subière.

Eusebius de his ita agit: « Post istum Alphaeus et Zachaeus, cum post verbera et novaculas, post vincula aspera, gravesque in iisdem dolores, post alias diversas in tormentis quaestiones, post pedes dies noctesque compedibus ligneis, quatuor foraminum intervallo interposito, distentos districtosque, decimoseptimo die mensis, qui vocatur Dius, hoc est apud Romanos ad xv Kal. Decembris, unum solum Deum, et solum Jesum Christum Regem libere essent confessi, velut aliquid locuti blasphemiae, pari ratione cum martyre superiore, capitibus abscissis, ex hac luce decedunt.» (*Lib. VIII*, in Baronii *Annalibus*).

## SS. ACISCLUS ET VICTORIA MM.

*Martyrio decorati anno* 303.

Martyrol. — Cordubae sanctorum Martyrum Aciscli et Victoriae germanorum, qui in eadem persecutione jussu Dionis Praesidis saevissime cruciati, coronas a Domino illustri passione meruerunt.

Creditur ab aliquibus Aurelium Prudentium in illis versibus sui *Hymni de Martyr. Caesaraug.*,

Corduba Acisclum dabit et Zoëllum,
Tresque coronas,

Acisclum et Victoriam simul cum Zoëllo designavisse: at longe felicior videtur Ruinartii conjectura, qui tres fratres Faustum, Januarium et Martialem, Cordubenses, hisce verbis denotatos esse affirmat. De SS. Acisclo et Victoria in Breviario Toletano est sacer hymnus, nec non capitula. Eorumdem plures alii Scriptores Hispanici, quos Baronius, in *Notis* ad Martyrol. Rom. recitat, meminère.

Martyrol. — Alexandriae sancti Dionysii Episcopi, summae eruditionis viri, qui multis confessionibus clarus, et pro passionum tormentorumque diversitate magnificus, plenus dierum confessor quievit, Valeriani et Gallieni Imperatorum temporibus. (Vide *Surium*, pag. 533).

— Aurelianis sancti Aniani Episcopi, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur. (Vide *Surium*, pag. 570).

## S. HUGO Episcopus.

*Saeculo XII claruit.*

Martyrol. — In Britannia sancti Hugonis Episcopi, qui ex Monacho Carthusiano ad Ecclesiam Lincolniensem regendam vocatus, multis claruit miraculis et sancto fine quievit.

Hugo, e Burgundiae provincia, claris natalibus ortus est. Pater ejus miles fuit strenuus et religiosus, qui eum, annorum fere octo natum, Canonicis Regularibus, Deo perpetuo serviturum tradidit. Porro et ipse pater, saeculo valefaciens, filium imitatus, monasticam amplexus est vitam in coenobio eodem. Sed Hugo, quum olim, cum suo Priore Carthusiam adiret, ita illorum Monachorum spirituali conversatione flagrare se sensit, ut, frustra Canonicis obnitentibus, in sanctam illam sodalitatem admitti vellet. Quam perfecte in hoc sacro Carthusianorum instituto versatus fuerit, ex unico ejus verbo satis adverti posset, quod dicere solebat, cum jam Episcopus esset, non arroganter sane, sed constanter, ad suorum aedificationem pariter et reprehensio-

nem, si quando negligentes eos reperisset. Ajebat namque: « Equidem postquam Carthusiam adivi, nescio si vel semel unquam *morantia* mihi subrepsit. » *Morantiam* dicunt Monachi illius sodalis negligentiam, unde fratrum conventus exspectare cogatur. Postquam autem jam decem annos in cella exegisset, procurationem totius domus ei commissa fuit: quo in munere tantâ vigilantiâ, tantaque probitate se gessit, ut fama ejus longe lateque manaret. Nam Rex Angliae Henricus II, audiens quae de eo percrebrescebant, spectabiles misit legatos ad Carthusiam, qui illum accersirent, ut domum Wictamiae(*Witham*), quam ipse Rex Carthusiano Ordini concesserat, consummaret regeretque. Cum autem in Wictamiam se contulisset, et illius domus administrationem suscepisset, ipsam tam aedificiis, quam utensilibus brevi instruxit et absolvit. Vacaverat Sedes Lincolniensis annos fere decem et octo. Annuente Rege et consentiente Metropolitano, illius ecclesiae Canonici unanimiter Hugonem Episcopum elegêre. At Hugo asserens hanc electionem invalidam esse, tum propter Regis et Archiepiscopi favorem, tum propter loci importunitatem, tum ob suae personae indignitatem, maxime vero, quod, absque Prioris Carthusiae permissu, ipsi minime consentire liceret, oblatam dignitatem totis viribus rejicere cobatur. Sed Canonici, denuo in ecclesia Lincolniensi convenientes concorditer illum rursus elegêre; et ne Ordinis sui allegaret impedimenta, nuncios illico ad Carthusiam misêre, qui licentiam cum mandato referrent. Quid plura? Non sine magnis laboribus, Hugo trahitur, rapitur, et episcopus consecratur (anno 1186). Suscepto episcopatu, prima ei cura et sollicitudo fuit, ut viros sapientiâ et scientiâ instructos atque in timore Dei probatissimos suo lateri adhiberet. Horum consilio et auxilio fretus, pastorale munus perquam strenue executus est. Homines quieti et pudici spiritus impensius amabat, nec alios suo gregi sciens et prudens praeficere voluit, quantalibet industriae aut litteraturae prerogativâ pollerent. Pacis studiosissimus fuit. Sed contra Regem Henricum, ejusque ministros, labefactantes Ecclesiae jura, et Richardum, Henrici II filium, subditos opprimentem, impavidus stetit; maxime autem Richardum acriter reprehendit: quapropter *malleus regum* dictus fuit. Singulis autem annis, ad monasterium suum Wictamiense redire solebat, ubi tanta humilitate versabatur, ut praeter solum annulum nil gestaret, quod episcopalem dignitatem, qua praeditus erat, indicaret. Londini, gravissimo morbo correptus, sexagenarius, in pace sanctissimus Praesul vitam finivit. Corpus ejus Lincolniam delatum, ibi, magno populi clerique concursu, tumulatum fuit. Honorius vero Pp. II. Sanctorum albo eum adscripsit (*ex Auctore ignoto apud Surium*).

### S. GREGORIUS Episcopus.

*Obiit anno* 594 *vel* 595.

Martyrol. — Turonis sancti Gregorii Episcopi.

Ejus vitam a clericis Turonensibus descriptam habet Surius. Nos ipsam, aliquibus brevitatis causâ praetermissis, hîc referimus.

« Gregorius Celtico Galliarum tractu fuit exortus, Arvernicae regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus: et si quid divinae generositati terrena conducit nobilitas, parentes ejus cum rebus locupletes, tum quoque natalibus fulserunt illustres... Ita nobili stirpe nobilissima proles emergens, ut rosa quaedam stipite gratior, decus generositatis auctum in parentes refudit. Et quia jugum Domini ab adolescentia portavit, sedebit solus (ut ait Jeremias) vel certe prope Martinum. Ut autem aetatulae robur admisit, litterarum stu

diis mancipatur: in quibus equidem studiis primitus sub Gallo Episcopo, suo videlicet patruo, sensus illius teneritudo coaluit... Parentes ejus ut revera nobiles erant, et in Burgundia diffusi lati fundi possessores. Sanctus vero Nicetius, vir totius religionis, qui Lugdunensi praeerat civitati, cum praedicti parentes eum vicinarentur, puerum Gregorium acciri jussit. Quem sanctus vir coram positum aliquantisper contemplatus, et nescio quid divinum in eo commentatus, jussit hunc ad se (jacebat enim in lectulo) levari: ac velut paradisi colonus concivem sibi futurum praesagiens, ulnis adstrictum coepit confovere, cum quidem (quod reticendum non est) ita collobio se totum contexit, ut nec summis digitis puerum contingeret. Hoc sane castitatis exemplum idem puer adultus auditoribus suis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere quantum fragiles quique, lepòres debeant ac tactus vitare. Benedixit ergo puerum, et imprecatus illi prospera, suis remisit eum... Adhuc itaque laicus tam sensu quam corpore adoleverat, cum subito nimia febrium ac stomachi pituita comprehensus, coepit graviter aegrotare, languor per dies ingravescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter visitabat: genitrix vero, ut mater, cum lamentis assiduabat. Sed cum jam de humano auxilio desperaretur, coelitus adolescenti suggestum est, quo se ad divinum conferret. Rogat igitur, ut ad sepulcrum sancti Elidii (erat enim juxta) portari deberet: sed ei parum profuit, quia tunc differebatur, quod per illud incommodum quaerebatur. Domi reportatus, ita coepit post paululum tormentari, ut putaretur ad exitum urgeri. Vexatio tandem fecit causam intelligi. Consolatur eos qui flebant, dicens: « Ad sepulcrum beati Elidii me semel adhuc deferte: fides mea est, quod ille et mihi sanitatem, et vobis mox praestabit laetitiam. » Tunc vero illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit, spondens quia si ab hoc contagio liberaretur, clericatus habitum suscipere nec prorsus moraretur. Dixerat, et sensit protinus discedere febrem: et a naribus ejus copia sanguinis defluente, sic omnis illa valetudo disparuit, ac si legatus quidam re, pro qua venerat, obtenta, discedere festinaret. Ita comam deposuit, et se divinis obsequiis ex toto mancipavit. Cum ergo sanctus Gallus ad emeritam beatae vitae coronam vocaretur, vir Domini Avitus adolescentem suscepit: qui cum ejus ingenium, morumque habitudinem exploravisset, magistrorum diligentiam adhibuit, et quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiae provexit. Haec in vita beati Elidii reperies. Porro autem in discendis litterarum studiis ea se discretione exercuit, ut utraque nimietate careret, nec poëtarum naenias ex toto horreret, nec (ut plèrisque mos est) his indecentius haerens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim quod suffecit. Aciem cordis veluti ad quandam cotem exacuit, et ita quasi ab Aegyptiis vasa aurea promutuans, et ad eremum, qua manna comederet, demigrans, in perscrutandis divinarum scripturarum potentatibus intravit. Quod ipse de se loquens ostendit, dicens: Non ego Saturni fugam, non Junonis iram, non Jovis stupra commemoro, et caetera monstra, quae illic sequutus annectit, usque dum diceret: Haec omnia tamquam cito ruitura despiciens, ad divina potius et Evangelica miracula revertar: Non enim vinciri cupio meis retibus, vel involvi: in quo se ostendit scisse haec quidem, sed saniori judicio respuisse. Tempore praestituto Diaconus ordinatus est... Hic itaque virtutibus proficiens, sed viribus corporis intabescens, aliquando valetudinem cum febre et pustulis incurrerat. Qua tandem ita confectus est.

, usu cibi potusque negato, hujus vi- ɔspem amiserit. Unum tamen supe- rat, quod ejus fiducia Martino innixa, llatenus vacillabat: quinimmo fer- ntius flagrans, tanto ejusdem Mar- i desiderio succensus est, ut cum rs pene caput illi merserit, ad vi- idum tamen ejus sepulcrum, iter ipere non dubitaverit. Nec eum dehortari possent cum obnixe re- erint: quia corporis illa febris, re vincebatur amoris. Et quidem is duabus vel tribus mansionibus, neris occasione itidem languor in- luit. Sed nec tunc omnino cogi tuit; quin ad propositam Martini fi- ciam festinaret, nomine divinae ijestatis dehortatores obtestans, ut l vivum, vel forte defunctum se, te ejus sepulcrum exponerent. Quid ıra? Pervenit utcumque: probata es, perfectae salutis compos effecta . Et non solum ille, sed et Armenta- is quidam ex ejus clericis, qui sensu nitus caruerat, merito praedictae lei sanatus est. Agens itaque tam o se, quam pro illo gratias, amore ırtini exsatiatus, vel potius magis ccensus ad patriam rediit... Anno ntesimo septuagesimosecundo post ınsitum domini Martini, Sigeberto ge anno duodecimo regnante, bea- s Euphronius, qui inter virtutes nsenescens, tantâ gratiâ donatus t, ut ei prophetiae spiritus inesse sus sit; appositus est ad patres suos: mpusque advenerat, ut Gregorius nore beati Martini dudum flagrans, ad pastoralis officii ministerium oneus Episcopus, cathedram ejus cesua regendam suscipere debuisset. ım igitur beatus Euphronius obiis- t, Turonici de ejus successore tra- ıturi conveniunt. Sed facili discri- ine suasum est cunctis, Gregorium in ectione praeferendum. Personam in co frequentissimam jam olim scie- ınt, pluraque ejus gesta viro digna onvenerant. Tunc vero cunctis in con- na voce coëuntibus, cerneres, Deo vente, causam prosperari. Nam cle- ricorum turba, nobilibus viris con- ferta, plebsque rustica simul et ur- bana, pari sententia clamant, Grego- rium decernendum, cum claris meritis, tum quoque nobilitate pollentem, sa- pientiâ praecipuum, generositate pri- mum, principibus notum, ac sua probi- tate reverendum, omnibusque officiis habilem. Legatio ad regem dirigitur, cum quidem, Deo dispensante, Gre- gorius coram reperitur. De hac igitur causa conventus, quanta humilitate se excusare tentavit, quibus modis subducere visus est? Sed quia velle Dei est hinc, caetera flectuntur. Hunc rex auctoritate cogit, hunc Brune- childis regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est. Quem, ut credo, ne qualibet oc- casione delatus profugeret, statim Aegidius Rhemensis Archiepiscopus ordinavit.

« Sedes itaque Turonica octavodeci- mo die, postquam Euphronium ami- serat, Gregorium suscepit. Et caetera quibus hunc et a Turonensibus deside- ratum, et ad cathedram legaliter in- gressum ostendit. Adeptus ergo prae- sulatum, qualis vel quantus fuerit, ut compendiose dicatur, et plures eccle- siae, quas noviter construxit, vel qua- rum sarta tecta restauravit, insinuant, et libri in laudem sanctorum, vel in expositione sanctarum scriptura- rum editi, quamprimum demonstrant. Matrem namque Ecclesiam, quam dominus Martinus construxerat, nimia vetustate confectam, arcuato schemate reparavit, atque historiatis parietibus per ejusdem Martini gesta decoravit. Sed plures alias (ut diximus) con- struxit, sicut in Ipsius Chronicis re- peritur, ut est ecclesia sanctae Crucis, vel in Artensi villa. In construendis vero spiritualibus templis, videlicet in custodia gregis, quam certatim sese impenderit, vel ex hoc animadverti- tur, quod nec ab ipsis quidem sanctis viris studium suae praedicationis ab- stinuit. Nam, ut de his taceatur, quo-

diis mancipatur: in quibus equidem studiis primitus sub Gallo Episcopo, suo videlicet patruo, sensus illius teneritudo coaluit... Parentes ejus ut revera nobiles erant, et in Burgundia diffusi lati fundi possessores. Sanctus vero Nicetius, vir totius religionis, qui Lugdunensi praeerat civitati, cum praedicti parentes eum vicinarentur, puerum Gregorium acciri jussit. Quem sanctus vir coram positum aliquantisper contemplatus, et nescio quid divinum in eo commentatus, jussit hunc ad se (jacebat enim in lectulo) levari: ac velut paradisi colonus concivem sibi futurum praesagiens, ulnis adstrictum coepit confovere, cum quidem (quod reticendum non est) ita collobio se totum contexit, ut nec summis digitis puerum contingeret. Hoc sane castitatis exemplum idem puer adultus auditoribus suis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere quantum fragiles quique, lepòres debeant ac tactus vitare. Benedixit ergo puerum, et imprecatus illi prospera, suis remisit eum... Adhuc itaque laicus tam sensu quam corpore adoleverat, cum subito nimia febrium ac stomachi pituita comprehensus, coepit graviter aegrotare, languor per dies ingravescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter visitabat: genitrix vero, ut mater, cum lamentis assiduabat. Sed cum jam de humano auxilio desperaretur, coelitus adolescenti suggestum est, quo se ad divinum conferret. Rogat igitur, ut ad sepulcrum sancti Elidii (erat enim juxta) portari deberet: sed ei parum profuit, quia tunc differebatur, quod per illud incommodum quaerebatur. Domi reportatus, ita coepit post paululum tormentari, ut putaretur ad exitum urgeri. Vexatio tandem fecit causam intelligi. Consolatur eos qui flebant, dicens: « Ad sepulcrum beati Elidii me semel adhuc deferte: fides mea est, quod ille et mihi sanitatem, et vobis mox praestabit laetitiam. » Tunc vero illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit, spondens quia si ab hoc contagio liberaretur, clericatus habitum suscipere nec prorsus moraretur. Dixerat, et sensit protinus discedere febrem: et a naribus ejus copia sanguinis defluente, sic omnis illa valetudo disparuit, ac si legatus quidam re, pro qua venerat, obtenta, discedere festinaret. Ita comam deposuit, et se divinis obsequiis ex toto mancipavit. Cum ergo sanctus Gallus ad emeritam beatae vitae coronam vocaretur, vir Domini Avitus adolescentem suscepit: qui cum ejus ingenium, morumque habitudinem exploravisset, magistrorum diligentiam adhibuit, et quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiae provexit. Haec in vita beati Elidii reperies. Porro autem in discendis litterarum studiis ea se discretione exercuit, ut utraque nimietate careret, nec poëtarum naenias ex toto horreret, nec (ut plérisque mos est) his indecentius haerens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim quod suffecit. Aciem cordis velut ad quandam cotem exacuit, et ita quasi ab Aegyptiis vasa aurea promutuans, et ad eremum, qua manna comederet, demigrans, in perscrutandis divinarum scripturarum potentatibus intravit. Quod ipse de se loquens ostendit, dicens: Non ego Saturni fugam, non Junonis iram, non Jovis stupra commemoro, et caetera monstra, quae illic sequutus annectit, usque dum diceret: Haec omnia tamquam cito ruitura despiciens, ad divina potius et Evangelica miracula revertar: Non enim vinciri cupio meis retibus, vel involvi: in quo se ostendit scisse haec quidem, sed saniori judicio respuisse. Tempore praestituto Diaconus ordinatus est... His itaque virtutibus proficiens, sed viribus corporis intabescens, aliquando valetudinem cum febre et pustulis incurrerat. Qua tandem ita confectus est.

, usu cibi potusque negato, hujus vi-
spem amiserit. Unum tamen supe-
at, quod ejus fiducia Martino innixa,
llatenus vacillabat: quinimmo fer-
itius flagrans, tanto ejusdem Mar-
i desiderio succensus est, ut cum
rs pene caput illi merserit, ad vi-
dum tamen ejus sepulcrum, iter
ipere non dubitaverit. Nec eum
dehortari possent cum obnixe re-
erint: quia corporis illa febris,
re vincebatur amoris. Et quidem
is duabus vel tribus mansionibus,
ieris occasione itidem languor in-
uit. Sed nec tunc omnino cogi
uit, quin ad propositam Martini fi-
iam festinaret, nomine divinae
jestatis dehortatores obtestans, ut
vivum, vel forte defunctum se,
e ejus sepulcrum exponerent. Quid
ra? Pervenit utcumque: probata
s, perfectae salutis compos effecta
. Et non solum ille, sed et Armenta-
s quidam ex ejus clericis, qui sensu
itus caruerat, merito praedictae
ei sanatus est. Agens itaque tam
) se, quam pro illo gratias, amore
rtini exsatiatus, vel potius magis
census ad patriam rediit... Anno
itesimo septuagesimosecundo post
ositum domini Martini, Sigeberto
e anno duodecimo regnante, bea-
Euphronius, qui inter virtutes
senescens, tantâ gratiâ donatus
, ut ei prophetiae spiritus inesse
us sit; appositus est ad patres suos:
npusque advenerat, ut Gregorius
ore beati Martini dudum flagrans,
ad pastoralis officii ministerium
neus Episcopus, cathedram ejus
esua regendam suscipere debuisset.
m igitur beatus Euphronius obiis-
, Turonici de ejus successore tra-
turi conveniunt. Sed facili discri-
ne suasum est cunctis, Gregorium in
ctione praeferendum. Personam in
o frequentissimam jam olim scie-
nt, pluraque ejus gesta viro digna
nvenerant. Tunc vero cunctis in con-
a voce coëuntibus, cerneres, Deo
ente, causam prosperari. Nam cle-
ricorum turba, nobilibus viris con-
ferta, plebsque rustica simul et ur-
bana, pari sententia clamant, Grego-
rium decernendum, cum claris meritis,
tum quoque nobilitate pollentem, sa-
pientiâ praecipuum, generositate pri-
mum, principibus notum, ac sua probi-
tate reverendum, omnibusque officiis
habilem. Legatio ad regem dirigitur,
cum quidem, Deo dispensante, Gre-
gorius coram reperitur. De hac igitur
causa conventus, quanta humilitate
se excusare tentavit, quibus modis
subducere visus est? Sed quia velle
Dei est hinc, caetera flectuntur. Hunc
rex auctoritate cogit, hunc Brune-
childis regina perurget. Sed quoniam
discreta humilitas obedientiam non
recusat, tandem aliquando assensus
est. Quem, ut credo, ne qualibet oc-
casione delatus profugeret, statim
Aegidius Rhemensis Archiepiscopus
ordinavit.

« Sedes itaque Turonica octavodeci-
mo die, postquam Euphronium ami-
serat, Gregorium suscepit. Et caetera
quibus hunc et a Turonensibus deside-
ratum, et ad cathedram legaliter in-
gressum ostendit. Adeptus ergo prae-
sulatum, qualis vel quantus fuerit, ut
compendiose dicatur, et plures eccle-
siae, quas noviter construxit, vel qua-
rum sarta tecta restauravit, insinuant,
et libri in laudem sanctorum, vel
in expositione sanctarum scriptura-
rum editi, quamprimum demonstrant.
Matrem namque Ecclesiam, quam
dominus Martinus construxerat, nimia
vetustate confectam, arcuato schemate
reparavit, atque historiatis parietibus
per ejusdem Martini gesta decoravit.
Sed plures alias (ut diximus) con-
struxit, sicut in Ipsius Chronicis re-
peritur, ut est ecclesia sanctae Crucis,
vel in Artensi villa. In construendis
vero spiritualibus templis, videlicet
in custodia gregis, quam certatim sese
impenderit, vel ex hoc animadverti-
tur, quod nec ab ipsis quidem sanctis
viris studium suae praedicationis ab-
stinuit. Nam, ut de his taceatur, quo-

rum, ut ait Apostolus, peccata manifesta sunt, de quibus superfluo quicquam diceremus, ad ostendendum quantopere circa perfectiores sollicitus extiterit, duo saltem eorum, quos ob sanctitatis insignia vix praeter Gregorium aliquis arguere praesumeret, ad medium deducantur. Haud longe enim post ejus ordinationem sanctus Senoch Abbas de cella egressus, ad eum salutandum profectus est. Quem sanctus vir magnâ reverentiâ susceptum, mutuoque colloquio sensim exploratum peste superbiae mox persensit infectum. Sed gratia, quae in discernendis spiritibus huic suppeditabat, illum ab eadem superbia penitus expurgavit. Nec dissimili virtute circa beatum quoque Leobardum extitit sollicitus: quem nequam spiritus ita sinistris cogitationibus agitabat, ut propter quandam verborum contumeliam, qua se dudum recluserat, migrare decrevisset. Sed nec iste potuit incurrere casum, qui Gregorium meruit habere sublevantem. Nam cum solito ad majus monasterium, quasi sacra Martini vestigia deosculaturus adiret, sollicitus pastor qualiter ovis amoris Christi vinculata se gereret, ad ejus tugurium divertit. Cui mox ille secreta cordis, quae diabolus quasi rationabilia confixerat, eidem reseravit. Qui protinus, sagacissimo ut erat ingenio, diaboli commenta deprehendit, et non minimo dolore suspirans, increpare hominem coepit, ac diabolicam calliditatem verbis competentibus denudavit, domumque reversus, libros ad propositum monachorum ei congruos pia sollicitudine transmisit. Quibus relectis, non solum ab illa, quam patiebatur, incursione curatus est, sed etiam in sensus acumine multum provectus. Nihil ergo nunc magnificentius quaeras, nihil in laude Gregoriana praestantius expectes. Si anima corpore melior, satius esse quemquam in ea suscitari, nec quisquam mendax negare potest. Vox autem ejus quam imperiosa fuerit, vel ea quae diceb[...] auctoriosa vita subditis inculcaverit, diligens lector in ipsius libris explicabit. Verum (ut supra retulimus) incommodo corporis frequenter ob injuriam carnis fatigabatur: sed quoties corpusculum, nimio virtutum exercitio fatigatum, languor inclementius pulsavisset, ille ad Martinum suum decurrens, concite sanabatur. Hoc saepissime fiebat. Quando au[...] et qualiter, in descriptione mira[cu]lorum ita dirigitur, ut merito d[ile]ctionem delectet: siquidem ut d[iscre]tus et humilis, corporea medicame[nta] sibi primus adhibebat. Sed qu[...] ille humilius expetebat, indignu[m] judicans, cui medela per mirac[ul]a dari debuisset, tanto divina l[arg]i[tas] hunc ad solam suae potentiae m[edi]cinam reservabat...

« Multa quidem Gregorius, qua[e] [pro]sequi longum est, in salute lang[uen]tium operabatur, quae tamen [...] obtentu sanctorum, quorum reliq[uias] perinde ferebat, a suis meritis ex[clu]dere nitebatur: cum quidem [...] tanto verius per ipsum fiebant, qua[nto] ipse humilius aliis tribuebat, ut [est] illud: cum aliquando per viam [...] deretur, et Crucem auream cum [re]liquiis beatae Mariae semper Virginis vel beati Martini, collo gestar[et], procul a via cujusdam pauperis [...]tium incendio conspicit concrem[ari]. Erat autem (ut est in usibus pauperu[m]) foliis atque surculorum cremiis [...]gnium videlicet fomentis, conte[xta]. Hac illacque miser cum uxore et [li]beris cursitare et strepere, aqu[am] advehere. Sed jam flammae prae[va]luerant, nec poterant mitigari. T[unc] vero Gregorius accurrit, et cont[ra] flammarum globos Crucem elevat: moxque in adspectu sanctarum re[li]quiarum ita totus ignis obstupuit, nec ea, quae jam apprehenderat, [ul]tra vel ad modicum ustulare pos[set]. Causa fuerat, qua Rhemense oppid[um] adire debuerat. Cumque ab Aeg[idio] pontifice humanitus fuisse suscep[tus]

dem noctu quievit. In crastinum ro illucescente Dominica, ad eccle- m, Episcopo colloquuturus, venit. m autem ejus adventum in secre- io praestolaretur ( nolebat enim ecclesia loqui ), Sigo, ferendarius )ndam Sigeberti, ad eum accessit. am ille osculatum sedere juxta se it. Dum aliquantisper secum sermo- areutur, et ille de ore Gregorii idèret, subito auris ejus, quae pri- n obsurduerat, cum quodam cre- n reserata est. Ille gratias coepit re, et quid ei per Gregorium prae- utum sit, manifestare. Sed vir mini, consuetae non immemor hu- litatis, hominem ab hac aestima- ne subducere nitens: « Noli, ait, cissime fili, mihi aliquid gratiae erre, sed beato Martino, per cujus iquias licet indignus, quas refero, i auditus restitutus est, surditas )ulsa.» Virtus namque charitatis in praeminebat adeo, ut ipsis ini- cis affectum dilectionis impende- , ut sequenti patebit exemplo. odam enim tempore factum est, ut venerabilem matrem suam in Bur- ndia properaret. In sylvis vero ab- nis, quae trans Verberim fluvium e sunt, latrones incurrit, qui tanto )etu super comitatum ejus irruere i sunt, ut non modo exspoliare, et occidere velle putarentur. Quo- n assultu Gregorius terreri non uit, qui praesidio Martini circum- tus incedebat. Cujus mox auxilium gitans, ita sibi adesse expertus est, latrones velocius quam emerserint, am inirent. At Gregorius usus sueta pietate nec in perturbatione batus, fugientes revocat ad cibum, d potum inimicos invitat. Sed cre- es eos fustibus agi, et invitos e- )s contra possibilitatem calcaribus gere, ut nec revocantem audire sint. Ita Gregorius supernis auri- s ostensus est vicinus, et operibus ritatis intentus. Inter haec sancta emnia gerebantur. Cumque sanctus tifex fletibus insistens, beati Martini praestolaretur adventum, divino mysterio palla jam ex more cooperto, languidus ad plenum restituitur sanitati. Quare Gregorius admodum gavisus, omnipotenti Deo gratias agit, oculosque lacrymarum imbre suffusus, in hac ad populum voce prorumpit: «Timor a cordibus vestris, fratres, abscedat, quia nobiscum beatus confessor inhabitat: nec omnino credite diabolo, qui ab initio mendax est, et in veritate non stetit.» Cum haec et alia verba consolatoria adstantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium, multoque alacriores, quam venerant, ad sua per Martinum atque Gregorium redierunt.

« Quia vero natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquando in hac die pontifici nostro contigerit, memoremus. Nam in sacrosancta hujus Natalis nocte pridianis vigiliis fatigatus, cum paululum se cubito collocaret, vir quidam ad eum còncitus venit, dicens: «Surge, revertere ad ecclesiam.» Ille expergefactus, signum Crucis sibimet imprimens, iterum obdormivit. Nec destitit vir ille, quin hominem secundo moneret. Sed cum èxcitus gravem se adhuc sentiret, rursus obdormivit. Tum vero ille vir tertio veniens, maxillae ejus alapam impressit, dicens: « En tu reliquos ad vigilias admonere debes, et tam diu sopore deprimeris? » Qua Gregorius voce perculsus, pernici velocitate ad ecclesiam est regressus. Adeo supernis oculis gratus extitit, ut nec humanitate cogente, negligentiam pati permissus sit suae salutis. Visum est hoc inserere lectioni, qualiter eum Deus arguere voluerit, ne vel aliorum levitate peccaret. Nam cum hunc a desperato languore beatus Martinus ita sanaret, ut ad ecclesiam in crastino properaret, ne se in solemniis Missarum fatigaret, uni presbyterorum haec celebrare praecepit. Sed cum presbyter nescio quid rustice festina verba depromeret, nonnulli de circumstantibus eum irridere coeperunt, dicentes, melius

fuisse tacere, qum sic inculte loqui. Nocte autem insequuta vidit virum dicentem sibi, de mysteriis Dei nequaquam disputandum. Satis dehinc apud eum constitit, ne stultos et faciles ante se permitteret de beatis solemniis obtrectantes.

« Saepius autem vir Domini, sicut verus et gregis et suimet consultor, vel subditorum utilitate, vel propriae salutis causâ, longius procedebat. Aliquando igitur sepulcrum beati Hilarii supplicaturus adivit, cum ad visendam quoque sanctam Radegundem reginam divertit. Factum est autem, cum hi duo tamquam incolae paradisi secum de coelestibus fabularentur, oleum quod ante pignora sanctae Crucis guttatim illic defluere solebat, sic in adventu Pontificis auctum est, ut infra unius horae spatium ultra unum sextarium exundaret. Porro cum haec beata regina ad regem esset accersenda coelorum, vir Domini Gregorius de ejus transitu nuncium accepit. Cumque illa jam eo accurrente migrasset, sancta ejus membra sepulturae locavit. Quo quidem tempore altare solemniter benedixit: operculum tamen Episcopo, qui tunc forte deerat, reservavit.

« Causa fuerat, qua Germanum fluvium juxta Blaviense castrum transmeare debuerit. Sed idem fluvius ita tunc intumuerat, ut intuentibus non parvum horrorem incuteret. Non longe autem sanctus Romanus presbyter requiescit, quem noster, ut vita ejus perhibet, Martinus tumulavit. Cum igitur hinc procella ventorum, illinc montes undarum ingens periculum navigaturo minarentur, oculos ad coelum erigens, et ad ecclesiam praedicti Romani subinde respiciens, adeo omne pelagus mox complanavit, ut compressis fragoribus, in ripam alteram sine periculo veheretur.

« Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cum aequivocus ejus ille Magnus Gregorius in sede Apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est, quod dudum alter alteri pe- culiari sit amicitia devinctus. [illegible] immerito tamen hunc Fortunatus [illegible] gorio comparat Nazianzeno, [illegible] ille datus sit Orienti, Romensis [illegible] diei, est hic noster Occidenti. [illegible] igitur sacra Apostolorum limina [illegible] petisset, magna cum reverentia [illegible] ctus eum Papa excepit. Quem ad [illegible] Petri confessionem introducens, [illegible] tere constitit, praestolans quo [illegible] geret. Interim autem (ut erat inge[illegible] profundissimus) secretam Dei dispen- sationem admirans, considerabat [illegible] hujusmodi hominem (erat enim [illegible] turâ brevis) tantam gratiam coel[illegible] profluxisse. Quod ille mox divini[illegible] persentiens, et ab oratione surge[illegible] placidoque, ut erat, vultu ad Pap[illegible] respiciens: « Dominus, inquit, [illegible] nos, et non ipsi nos: idem in parv[illegible] qui et in magnis. » Cumque id [illegible] cogitationi sanctus Papa respo[illegible] cognosceret, ipsa sua deprehensi[illegible] gavisus, gratiam, quam hactenus [illegible] Gregorio mirabatur, in magna [illegible] ratione deinceps habere coepit. [illegible] demque Turonicam ita nobilit[illegible] ut auream ei cathedram donaret, [illegible] apud praefatam urbem in poste[illegible] servaretur.

« Jam vero beatus Martinus hu[illegible] lumnum suum magnificans, [illegible] quaque ei se propitium multis [illegible] demonstraverat. Sed cum oper[illegible] ejus cooperatorem quoque se [illegible] deret, aliquando praesentiam suam [illegible] cet invisibili suo quo videri [illegible] splendore manifestavit. Nam [illegible] rium ex promptuario praedecess[illegible] sui apud Turonum consecraturus [illegible] liquias sancti Saturnini martyris [illegible] domini Martini a basilica suscep[illegible] cum ingenti veneratione defer[illegible] (erat enim Sacerdotum et Levitar[illegible] in albis vestibus non minimus [illegible] rus, et civium honoratorum ordo [illegible] clarus, sed et populi secundi o[illegible] magnus conventus), radiantibus [illegible] lemniter cereis, crucibus in al[illegible] sublatis. Cum ita veniretur ad ost[illegible]

·ibilis fulgor cellulam subito perdens, omnium oculos nimio perinxit splendore: qui diutius durans, illacque sicut fulgur discurrebat. ies nimio pavore perculsi, solo jaint. At Gregorius, ut tantae virtuonscius, constanter eos exhortans: lite, inquit, timere: rememoramiualiter globus ignis de capite beati tini egressus, coelum visus est scendisse, et ob id nos cum his tis reliquiis ipsum credite visi.» Tunc universi magnificaverunt m, et senior cum electis dicebat: nedictus qui venit in nomine Do.: Deus Dominus et illuxit nobis.»

Pauca haec de nostro praesule disint, non ut miracula ejus, quae obis dari solent, commendemus, ut nec hanc quidem gratiam illi isse monstremus. Caeterum ad gloriam commendandam illud iciat, quod humili corde Christum uitus est, et quod non speravit in uniae thesauris (hoc utique est, abilia fecisse) et, ut, partim supe monstratur, a peccatorum est lao custoditus. Super omnem quippe iam, est a peccatis protectio. Vimo et primo igitur Episcopatus o, tamquam septenario annorum nero ter in fide sanctae Trinitatis pleto, appositus est ad patres suos, tam dierum, quia ferme tricens ordinatus est, quam perfectione us. Qui tamen non usquequaque tur clausus in tumulo, cui restat, el lingua vivat in mundo. Et quia, t credimus, beato Martino in coelo sociatus, sancto etiam corpore est in sepulcro vicinus. Porro Turonses, ne divinis muneribus vintur ingrati, semper necesse est etractent, quantopere sint a Deo ulti. Datus namque est eis patro, non qualiscumque, sed Martinus, cujus laude quid primum vel spe dicatur, cum, ut scriptum est, minima, aliorum maximis maesse manifestum sit? Tamen quanti endus sit, testantur universae, ut ita dicam, mundi nationes, quae illum ita privato affectu diligunt, ut etiam in nostro tempore, quando nimium jam charitas refrigescit, multos tam gente, quam lingua ignotos, ad ejus sanctissimum tumulum confluere videamus, ut merito de eodem Martino dicatur: « Cujus vultum desiderat universa terra.» Quorum utique studia nostram, qui vicini sumus, inertiam jure vehementer redarguunt: non tamen sine divino moderamine constat, quod ejus amor ita omnium cor penetravit, quod ejus memoria, velut alterius Josiae, tam dulcis est omnibus, et quod per omnes fines terrae ita jam patuit, ut quod Christus habet nomen, Martinus honorem. Datus est ei et Gregorius, vir non solum sanctitate, sed et doctrina clarus, ne urbs Turonica obscurior videretur, si scriptorum officio caruisset: quin potius sicut urbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio, ita urbs Turonica post Martinum decoratur in isto. Quem videlicet, vel apud Deum, vel apud Martinum advocatum quendam atque sequestrem habere confidamus, eique nostras necessitates ad expediendum committamus. Verum ille non erit immemor vel suae, vel Martini misericordiae, quam nobis tantopere insinuare curavit: quippe qui ad hunc insinuandum ejus miracula digessit, ut quique futuri audientes quanta et qualia visibiliter operetur, quam desperatos languores sanet, de potentia vel de patientia ejus nullatenus dubitent. Et si pro dispensatione temporum contigerit corporea miracula cessare, semper tamen credamus illum in nostris animabus suae virtutis medicinam operari. Gregorius igitur Martini misericordiae conscius, semper illi de grege suo suggerat, semper illum pro statu sancti loci sui, ac pro totius regni salute interpellet. Nec praetereundum, quomodo consuetam sibi humilitatem, etiam in ipsa sepultura sua servaverit. Nam in tali loco se sepeliri fecit,

ubi semper omnium pedibus conculcaretur, et ipsa loci necessitas cogeret, ne unquam in aliqua reverentia haberi posset; sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco levavit, et edito pulcro Mausoleo ad levam sancti sepulcri dignâ reverentiâ collocavit. Obiit autem decimoquinto Kal. Decembris, videlicet intra Martinianam hebdomadam, ut solemnitatem Martini, quam hîc jam aegrotans celebrare coeperat, Martino junctus, in coelo consummaret. »

## S. EUGENIUS Confessor.

*Circa annum 424.*

Martyrol. — Florentiae sancti Eugenii Confessoris, Diaconi beati Zenobii ejusdem civitatis Episcopi.

De S. Eugenio plura habentur in S. Zenobii Vita, quae habetur in *Surii* nostri Vol. v.

Martyrol. — In Germania sanctae Gertrudis Virginis, Ordinis sancti Benedicti, quae dono revelationum clara extitit: cujus festivitas decimoseptimo Kal. Decembris celebratur (De ea superius egimus).

QUARTODECIMO KAL. DEC. DIE XVIII.

Martyrol. — Romae dedicatio Basilicarum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: quarum primam in ampliorem formam restitutam Urbanus Octavus hac ipsa recurrente die; alteram vero miserando incendio penitus consumptam ac magnificentius reaedificatam Pius Nonus die decima Decembris, translata tamen in praesentem diem anniversaria commemoratione, solemni ritu consecravit.

Confer Breviarium Rom. sub hac die. — Quanta earumdem Basilicarum extiterit sanctitas et religio, non solum ingens et continuus ad ipsas fidelium concursus, verum etiam Barbarorum reverentia demonstrat, qui eas ut coeleste quoddam asylum divinitus praescriptum habuere, ut scri-bunt Orosius, S. Augustinus et Pro-copius. Accipe quid haeretica furens Theodora Augusta dederit in manda-tis Anthemio Scriboni, cum de ca-piendo Vigilio Papa ad ipsum scriberet, haec ait: « Exceptis omnibus, in Basilica S. Petri parce: nam si in Lateranis, aut in Palatio, aut in qualibet ecclesia inveneris Vigilium, mox impositum navi perduc eum usque ad nos » etc. Quod autem spectat ad *Limina Apostolorum*, obtinuit an-quus usus, ut prae reverentia ac re-ligiosa quadam observantia, ipsae Basilicae, Limina Apostolorum vo-rentur; unde Claudianus ad Jacob... magistrum equitum, ait:

Per cineres Pauli, per cani limina Petri

(E Baronii *Notis* ad Martyrol. Rom.

Martyrol. — Antiochiae na... sancti Romani Martyris, qui temp... Galerii Imperatoris, cum Asclep... Praefectus in Ecclesiam irrumpe... eamque funditus conaretur ever... ceteros Christianos hortatus, ... contradicerent, post dira tormen... linguae abscissionem (sine qua t... Dei praeconia loquebatur) in car... laqueo strangulatus, celebri mart... coronatur. Passus est etiam ante ip... puerulus, nomine Bàrula, qui ab ... interrogatus utrum melius esset un... Deum colere, an plures Deos, ... in unum Deum, quem Christiani ... lunt, credendum esse respond... verberibus caesus, jussus est decoll... (Vide *Surium*, pag. 573).

## S. HESYCHIUS Mart.

*Probab. ineunte saeculo IV.*

Martyrol. — Item Antiochiae s... cti Hesychii Martyris, qui cum ... miles, et praeceptum audisset, ... quisquis non sacrificaret idòlis, ... gulum militiae deponeret, rep... cingulum solvit: ob quam caus...

ito in dextera ejus ingenti saxo, fluvium praecipitari jussus est.

)e eo nihil aliud mihi est comtum.

SS. ORICULUS et Socii MM.

*Circa annum* 430.

IARTYROL. — Eodem die sancto-ı Oriculi et Sociorum, qui in per-ıtione Wandalica pro fide Catho-passi sunt.

)e eis vetera manuscripta, ex bus Molanus apud Usuardum. — c tantum Baronius.

S. MAXIMUS Episc.

*Floruit medio saeculo IV.*

IARTYROL. — Moguntiae sancti ximi Episcopi, qui tempore Con-ıtii multa passus ab Arianis con-ior occubuit.

Ejus Acta a Trithemio descripta ha-Surius; sed dum is confundit cum rtino ejusdem civitatis Episcopo, nifeste errare conspicitur: nam e diversos, non tantum ex nomine, et tempore, quo sederunt, tabulae s ecclesiae, quas emendatiores De-ichares recitat, satis declarant. — Baronius in *Notis* ad Mart. Rom. hisce Actis autem colligitur san-m Maximum patriâ fuisse Mogun-um; successisse in episcopatu Lu-Annaeo, qui ab Arianis peremptus rat; ipsum septies ab istis haereti-e sede sua fuisse expulsum, ab isque saepe crudeliter verberatum; ıra scripta pro Religionis et Fidei usa tuenda, edidisse; ac demum, no 378, ad coelum migrasse: « Vi-m autem, ita Trithemius, in omni ritate ducens, continuavit Aposto-am, mundi rebus pauper et modi-s, virtutibus dives, humilitate pro-ndus. Qui cum esset vir tam in vinis scripturis, quam in saeculari-ıs scientiis, multum peritus atque ctissimus, hoc summopere curabat primis, ut vita constaret ejus doctrinae conformis, ne aliis bona praedicans, ipse reprobus efficeretur. Corpus proinde suum jejuniis, abstinentiâ multâ, et vigiliis pene continuis pro Christi Salvatoris amore castigavit, sanctis orationibus, et praedicationi salutaris doctrinae verbi Dei, sine intermissione, quoties opportune licebat, intentus. »

S. ODO Abbas.

*Ex hac vita migravit anno* 942.

Martyrol. — Turonis transitus beati Odonis Abbatis Cluniacensis.

Hujus res gestae, a Joanne monacho, ejus discipulo, longa oratione conscriptae, extant apud Surium. Nos breviorem Vitam, quae in Menologio Benedictino habetur, hîc damus: « Odo, nobili Francorum prosapia natus, monachicae perfectionis speculum a primo Religionis tyrocinio fuit, insignibus a Deo miraculis commendatus. In saeculo etiamnum cum in Regulam S. Benedicti incidisset, legeretque ut monachi vestiti dormirent, nunquam deinceps vestem exuit, et Monachorum studia, ut potuit, sua fecit. Sed postquam Monachum Gigniaci professus, ac deinceps Abbas Cluniacensis creatus est, multo magis ejus se fervor prodidit, eruditionis sanctitatisque titulis adeo celeber, ut tanquam Concilii salutaris promptuarium unicum toto terrarum orbe suspiceretur... Quanti autem ab ecclesia universa ejusdemque summo Romano Pontifice fieret Odo noster, praeter plurima alia, vel ex eo satis liquet, quod, flagrante perniciosissima illa inter Hugonem Italiae Regem, et Albericum Romanae Urbis Principem dissensione, unus Odo componendae illi sufficere visus est, et eam ob causam a Leone VII Romam evocatus, opinioni de se conceptae insigniter satisfecit. Fuit miraculo universis, jussuque Romani Pontificis S. Pauli prope Urbem monasterium reformavit, collapsamque in Italiam monachi-

cam disciplinam praeclare restituit; propagata deinceps per Gallias non solum et Germaniam, sed Hispanias et remotissimas quasque gentes Ordinis reformatione, tanto ubique successu, ut superstes ipse, supra bina coenobiorum millia, unus dirigeret, et ad nutum obsequentes totos Monachorum exercitus haberet: stupentibus rei novitate universis, et confluentibus ex toto terrarum orbe, qui ad famam tanti nominis Magistri Cluniacum petentes, in tot sanctorum admitti contubernium, sancta ambitione sollicite, humiliter et enixe efflagitabant. Inter alias e coelo gratias Odoni sine numero venientes non minima illa, quod ad ipsum Ss. Patriarcha noster Benedictus, cum sancto Martino Tur. Pontif. frequentius inviseret, et cum eo familiarissime colloqueretur, ipsum instrueret, eosque, qui sibi obsequerentur, magnis favoribus, qui obsequi negligerent, vindicta coelitus prosequeretur. Christi anno 942, exardescente denuo inter memoratos supra Principes odio, et rebus ad bellum foedissimum inclinantibus, in Italiam denuo vocatus vir sanctus, cum in dissidiis Principum componendis, concilianda Ecclesiis et Regnis pace, monasteriisque reformandis consenuisset, Romae ex febri moribundus, mortis inducias a Numine impetravit, donec Turones reversus, S. Martini, quem unice semper dilexerat, Tutelaris sui, solemnitatem ibidem celebrasset. Tunc vero, redeunte febri, sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis rite munitus, inter ferventissimas suas Fratrumque suorum preces impollutam Deo animam reddidit. Claruit admirandis cum in vita tum post mortem prodigiis, quibus, brevitatis causâ, praetermissis, illud unum innuimus: Odoni plurimum debere omnem saeculorum posteritatem, cum ob orbem terrarum viris sanctissimis ejusdem discipulis impletum, meritissimis Pontificibus et Doctoribus instructissimum, optimis denique introductis consuetudinibus, pene restauratum, tum ob Religionis portum, innumeris in hoc saeculo naufragis apertum, et Ordinem S. Benedicti summo cum omnium fidelium plausu atque fructu restauratum. Reliquit non pauca praestantissimi ingenii monimenta, easque inter, officium totum cum cantu sancti Martini Festo, per totum terrarum orbem usurpatum. Fuit Deiparae addictissimus, et jussit ut amplissimi Ordinis Reformatio sub ipsius auspiciis, nomine et protectione ab universis suae posteritatis discipulis celebraretur, solitus ipse non alio nomine eamdem Coeli Imperatricem, quam *Matris Misericordiae* appellare.»

## S. THOMAS MONACHUS.

MARTYROL. — Antiochiae S. THOMAE Monachi, quem Antiocheni, ob pestem ejus precibus sedatam, solemnitate annua coluerunt.

De eodem Nicephorus *Hist.* lib. I ubi post multa haec ait: « Hujus Thomae anniversarium diem magnificentissime agentes Antiocheni celebrant. » Plura de eodem in *Prato Spirituali*. — Ita Baronius, qui tamen annum, quo S. Thomas floruit, silentio praeterivit.

## S. FRIGDIANI TRANSLATIO.

*Floruit saeculo VI.*

MARTYROL. — Lucae in Tuscia translatio sancti FRIGDIANI Episcopi et Confessoris.

De ipso scribit S. Gregorius M. (*Dialog.* Lib. III, cap. IX); et alii ex eodem auctore. En S. Gregorii M. verba: « Sed neque hoc sileam, quod, narrante viro venerabili Venantio Lunensi Episcopo ante biduum contigit agnovisse. Lucanae namque Ecclesiae sibimet propinquae fuisse mirae virtutis virum Frigdianum nomine narravit Episcopum, cujus hoc opinatissimum a cunctis illic habitantibus

testatur memorari miraculum, quod Anseris fluvius, qui juxta illius urbis muros influebat, saepe inundatione facta, cursus sui alveum egressus, per agros diffundi consueverat, et quaecumque sata et plantata repererat, evertebat. Cumque hoc crebro fieret, et magna ejusdem loci incolas necessitas urgeret, dato studio operis, eum per loca alia derivare conati sunt. Sed quamvis diutius laboratum fuisset, a proprio alveo deflecti non potuit. Tunc vir Domini Frigdianus rastrum sibi parvulum fecit, ad alveum fluminis accessit, et solus orationi incubuit: atque eidem flumini praecipiens ut sequeretur, per loca, quae ei visa sunt, rastrum per terram traxit. Quem, relicto alveo proprio, tota fluminis aqua secuta est, ita ut funditus locum consueti cursus desereret, et ibi sibi alveum ubi tracto per terram rastro vir Domini signum fecerat, vendicaret; et quaeque essent alimentis hominum profutura sata vel plantata ultra non laederet.» Festum S. Frigdiani die 17 martii agitur; duae autem ejus corporis translationes factae sunt: prima, anno 782, secunda, anno 1152.

TERTIODECIMO KAL. DECEMB. DIE XIX.

Martyrol. — In oppido Marpurg in Germania depositio sanctae Elisabeth Viduae, Andreae Regis Hungarorum filiae, tertii Ordinis S. Francisci, quae pietatis operibus assidue intenta, miraculis clara migravit ad Dominum. (Vide *Surium*, pag. 584).

### S. PONTIANUS Papa et Martyr.

*Ab anno* 232 *usque ad* 237.

Martyrol. — Eodem die natalis sancti Pontiani Papae et Martyris, qui ab Alexandro Imperatore cum Hippolyto Presbytero in Sardiniam deportatus, ibique fustibus mactatus, martyrium consummavit: corpus vero ejus a beato Fabiano Papa Romam delatum, atque in coemeterio Callisti sepultum est.

Pontianus, Romanus, Calpurnii filius fuit. Nec aliud de ipso habetur.

### S. ABDIAS Propheta.

Martyrol. — Samariae S. Abdiae Prophetae.

Abdias, qui interpretatur *Servus Dei*, a LXX Ὀβαδίας nuncupatus, unus est duodecim minorum Prophetarum. In Sacris Scripturis, praeter ejusdem nomen et Prophetias adversus Edom, nihil aliud prorsus de eo legitur. Videtur tamen is Oziae temporibus floruisse.

### S. MAXIMUS Presb. et Mart.

*Passus est anno* 259.

Martyrol. — Romae, via Appia natalis sancti Maximi Presbyteri et Martyris, qui in persecutione Valeriani passus, positus est ad sanctum Xystum.

Hunc illum putat Maximum Pamelius, qui aliquando Confessor, deinde adhaesit Novatiano, ac postea rediit ad ecclesiam: ad quem, sicut ad caeteros Confessores, scribit S. Cyprianus: sed illum non constat martyrio consummatum. Quisnam hic fuerit, me latet: compertum tantum habeo ex manuscript. cod. S. Mariae ad Martyres, Romae hac die passum esse Maximum commentariensem, qui baptizatus a S. Stephano Papa et Martyre, in persecutione Decii e ponte praecipitatus in Tiberim 14 Kal. Decembris martyrium consummavit; sepultusque est ad S. Sixtum in coemeterio Callixti. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyr. Rom.

### S. BARLAAM Martyr.

*Anno* 304 *martyrium consummavit.*

Martyrol. — Caesareae in Cappadocia sancti Barlaam Martyris, qui agrestis licet et rudis, Christi sapien-

tiâ munitus, tyrannum vicit, et ignem ipsum fidei constantiâ superavit: in cujus die natali sanctus Basilius Magnus celebrem habuit orationem.

En itaque celebris sancti Barlaam laudatio, quam S. Basilius recitavit.

« Primum quidem Sanctorum mors planctu ac lacrymis cohonestabatur. Vehementer, mortuum Jacob deflevit Joseph: et Mosis mortem Judaei haud vulgariter planxerunt. Samuelem quoque multis lacrymis ornarunt. Nunc vero, morientibus Sanctis, exultamus. Tristium namque post Crucem Domini immutata est natura. Jam non amplius Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudiis divinis circum ipsorum sepulcra veluti choreas ducimus. Somnus autem justis est mors, immo magis migratio ad vitam meliorem. Hinc est, quod martyres exultant, dum trucidantur. Nam desiderium felicioris vitae, jugulationis dolorem extinguit, et emortuum reddit. Pericula non respicit martyr, coronas respicit: plagas non horret, sed praemia numerat. Non videt lictores inferne flagellantes, sed Angelos superne laetis hominibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporaria pericula, sed ad praemiorum aeternitatem. Splendidum et a nobis jam arrhabonem assequitur, dum divinis acclamationibus ipsi applauditur ab omnibus, et innumeros vinctos e sepulcris convertit et attrahit. Hoc ipsum sane hodie forti ac strenuo Barlaam usu venit. Insonuit enim bellica martyris tuba, et armatos pietatis milites, ut videtis, collegit. Athleta Christo adhaerens praedicatus est, et statim excitatum est ecclesiae theatrum. Et quemadmodum fidelium Dominus dixit, *Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet;* mortuus est fortis Barlaam, et applaudit illi panegyris. In sepulcro consumptus est, et ad convivium advocat. Nunc tempus est ut exclametis: *Ubi est sapiens? ubi scriba? ubi disceptator saeculi hujus?* Agrestis homo insuperabilem nobis hodie pietatis exhibet doctrinam: quem Tyrannus rapuit quidem, veluti facilem praedam ac venationem nactus, postea vero insuperabilem militem sensit: quem tamquam insana ac delira loquentem risit, mox vero, angelica virtute strenuum horruit. Mores enim hominis non fuerunt cum organo linguae barbari, nec ratio cum syllabis claudicare visa est. Sed erat alter Paulus, cum Paulo dicens: *Etiamsi sermone sum rudis, non tamen scientia.* Torpebant jam flagellando lictores, martyr vero robustior inveniebatur. Lacerantium manus enervabantur, verum mens lacerati haudquaquam flectebatur. Nervorum harmonias jam flagra remiserant, ac fidei vigor vehementius stringebatur. Perfossa latera absumebantur, mentis vero philosophia florebat. Major carnis ipsius portio emortua erat: at ipse martyr, quasi nondum inito certamine, firmus erat. Nam quando pietatis amor animum hominis praeoccupat, quodcumque illi pugnarum genus ridiculum reddit: et quotquot illum desideratae rei gratia convellunt, delectant magis, quam consternant. Testis mihi est, affectus ille ac desiderium Apostolorum, unde Judaeorum ipsis aliquando flagella jucunda reddita sunt. *Abibant,* enim, inquit, *gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti essent, qui pro nomine Jesu contumeliam paterentur.*

Talis et nobis hodie laudatur miles, qui supplicia loco gaudii duxit. Flagellis se tamquam rosis impeti arbitratus, pietatis obfuscationem non secus atque jacula quaedam declinavit. Judiciarium furorem quasi quandam fumi offusionem reputavit. Efferas satellitum acies risit, pericula calcavit, quasi super rosis tripudiaret. Plagis affectus, laetatus est, ac si honore afficeretur. In suppliciis vehementioribus non secus exultavit, quam si praeclara bravia acciperet. Nudatos gladios despuit: manus lictorum cera molliores

sensit. Lignum tormento deputatum, veluti salutiferum complexus salutavit. Carceris clausura quasi prato quodam viridi oblectatus est. Tormentorum adinventionibus veluti variis flosculis jucundatus est. Dexteram habuit igne firmiorem, cujus illi machina postremo ab hostibus applicabatur. Arae namque pro more daemoniaci libaminis, igne imposito, martyrem adductum sistentes, focoque incenso dexteram supinam impendere jubentes, manu quasi aereo altari abutebantur, thure illi ardenti maliliose imposito. Sperabant enim ignis vi expugnatam manum, necessario ac velociter incensum thus in aram excussuram. Papae, quam multijuga sunt impiorum praestigia! Quoniam innumeris vulneribus, inquiunt contentiosi, pugilis mentem non fleximus, vel manum illius flammâ incendamus. Quoniam variis machinis animum illius haudquaquam permovimus, dexteram igni admotam permoveamus. At ne hac quidem spe miseri potiti sunt. Nam flamma manum quidem ambedit, perduravit vero illa, cineris instar flammam ferens. Tergum saevienti igni non dedit, quemadmodum fugitivi et imbelles solent, sed immota perstitit, strenue contra flammam dimicans, et Propheticas martyri voces proferendas administrans, ut diceret, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum* (*Ps.* 143). Ignis cum manu confligebat, sed ignis vincebatur. Luctabantur inter se flamma ac dextera martyris, sed dexterae nova quaedam certaminum victoria concedebat, dum flamma quidem per mediam manum exigebatur, ipsa vero manus adhuc ad luctam porrecta erat. O manum igne contentiosiorem! O manum ab igne flecti nesciam! Et o ignem a manu vinci doctum! Ferrum videtur ignis tyrannide emolliri, aes cedit ignis potentiae. Solet illo lapidum quoque vinci durities. Nunc vero martyris dexteram extensam ignis ille comburens non flexit, cujus vigor omnia domat. Merito sane martyr iste ad Dominum hujus gratia clamaret: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Ps.* 72). Quomodo te, o strenue Christi miles, appellabo? statuamne vocabo? Sed multum ita de tua tolerantia detrivero. Nam acceptam statuam ignis emollit, dexteram vero tuam adigere non potuit, ut vel videretur aliquousque moveri. Si ferreum nominavero, et istam imaginem dexteritate tua inferiorem non invenio. Nam tu solus flammae persuasisti, ne manum domaret, tu solus dexteram loco arae habuisti, tu solus ardenti dextera facies daemonum percussisti: et nunc quidem flammante manu capita illorum liquefecisti: nunc vero eadem incinerata, exercitus illorum pessundans excaecas. Sed quid puerili balbutie victorem extenuo? Quin magnificentioribus laudum ipsius linguis cedamus. Sonantiores doctorum tubas ad illius praeconia advocemus. Exurgite nunc, o praeclari athleticorum gestorum pictores. Mutilam Ducis imaginem vestro illustrate artificio, et obscurius a me depictum coronatum athletam, vestrae industriae coloribus conspicuum reddite. Abibo certaminum ac victoriarum martyris a vobis posita imagine victus: gaudebo, tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus. Video manus hujus luctam, cum igne exactius a vobis depictam: video alacriorem pugilem, per vestram depictam imaginem: plorent daemones, et jam martyris in nobis perculsi victoriis: ardens iterum illis ac victrix manus ostentetur: pingatur in tabula una et certaminum agonotheta Christus, cui sit gloria in saeculòrum saecula, Amen. »

—

S. CRISPINUS Ep. et Mart.

*Probab. passus ineunte saeculo IV.*

Martyrol. — In civitate Astiagensi beati Crispini Episcopi, qui, capite amputato, martyrii gloriam adeptus est. Haec urbs in Hispania Boetica sita est, et nunc vocatur *Ecija.* Sancti Crispini Ep. et Mart. gesta in Hymno sacro, quod in Breviario Toletano est, describuntur.

SS. SEVERINUS, EXUPERIUS et FELICIANUS MM.

*Passi sunt circa annum* 170.

Martyrol. — Viennae sanctorum Martyrum Severini, Exuperii et Feliciani: quorum corpora post multa annorum curricula, ipsis revelantibus, inventa, et a Pontifice, Clero, et populo illius urbis honorifice sublata, condigno honore condita sunt.

Passi sunt sub Marco Aurelio Ant. et Lucio Vero Imper.

S. FAUSTUS Diac. et Mart.

*Passus est anno* 260.

Martyrol. — Eodem die S. Fausti Diaconi Alexandrini, qui primum in persecutione Valeriani cum sancto Dionysio in exsilium missus, deinde in persecutione Diocletiani aetate longaevus, gladio animadversus martyrium consummavit.

De ejus certamine et gloria scribit Eusebius in *Hist. Eccl.* Lib. vii, c. x, hisce verbis: « Sed et ex diaconis quosdam in insula post poenas confessionis esse defunctos, superfuisse vero ex his Faustum et Eusebium. Quibus etiam refert * tantum fiduciae et magnanimitatis per gratiam Dei datum, ut cum ad eos qui in carcere tenebantur fratres, nemo prorsus humanitatis et ministerii causâ permitteretur accedere, isti tamen indesinenter reviserent, et necessaria ministrarent. Et cum per dies singulos praesidis furor cresceret, jugulando alios, alios suppliciis ac diversis cruciatuum generibus affligendo, squalore carceris et catenarum ponderibus enecando, et super omnia praecipiendo ne quis ad eos prorsus accederet ut et inedia quasi aliud tormenti genus adhiberetur, concessit tamen Deus supra dictis diaconis gratiam, confessoribus suis providens, ut, invitis omnibus, istis tamen non negaretur ingressus. Sciendum tamen est, quod hic Eusebius, quem diaconum supra diximus, postmodum episcopus apud Laodiciam Syriae, ordinatus est, Maximus vero, quem presbyterum memoravimus, ipsi Dionysio apud Alexandriam successit in episcopatu. Faustus autem, qui cum ipsis tunc confessor enituit, usque ad persecutionem, quae nostris temporibus facta est, grandaevus et plenus dierum perdurans, perfecto martyrio obtruncatione capitis consummatus est. Haec a Dionysio certissima fide memorantur. »

* Dionysius, scilicet, Antistes Alexandrinus, ad quemdam Germanum Episcopum scribens.

SS. AZA et Socii MM.

*Martyrium subierunt anno* 305.

Martyrol. — In Isauria passio sanctorum Azae et Sociorum centum quinquaginta Militum sub Diocletiano Imperatore et Aquilino Tribuno.

Agunt de his etiam Graeci in Menologio. — Ita Baronius.

DUODECIMO KAL. DECEMB. DIE XX.

S. FELIX Confessor.

*Obiit anno* 1212.

Martyrol. — Sancti Felicis de Valois Confessoris.

Vide *Breviarium Rom.* hac die.

—

## SS. AMPELIUS ET CAJUS MM.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Messanae in Sicilia sanctorum Martyrum AMPÈLII et CAJI.

Aliqui putant martyrio coronatos fuisse sub Diocletiano et Maximiano. — Ita Baronius. Sollerius autem, in *Notis* ad Usuardum subjungit: «De genere aut tempore ipsorum passionis nihil magnopere reperit Florentinus, neque apud nos extant, quae eorum gesta multum illustrare queant.

## SS. OCTAVIUS, SOLUTOR ET ADVENTOR MM.

*Passi sunt anno 297.*

MARTYROL. — Taurini sanctorum Martyrum OCTAVII, SOLUTORIS et ADVENTORIS, Thebanae legionis Militum, qui sub Maximiano Imperatore egregie decertantes, martyrio coronati sunt.

Celeberrimi sunt hi Augustae Taurinorum patroni, quorum corpora ab aede S. Andreae (in qua pro tempore collocata fuerunt, cum ad urbis praesidia Galli templum S. Solutoris evertissent) ad templum, tunc Societatis Jesu, anno 1575, solemnissimâ pompâ, cui Dux ipse Sabaudus interfuit, translata fuere. Hos Martyres summopere laudavere S. Ennodius Ep. Ticinensis et S. Maximus Ep. Taurinensis: verum S. Maximi sermo de eisdem ab aliquibus S. Ambrosio tribuitur. In Officio porro proprio Eccl. Taurinensis, haec de SS. Solutore, Adventore et Octavio leguntur: « Multa et magna sunt quae de Sanctorum Martyrum Solutoris, Adventoris et Octavii certaminibus debeant christianorum mentibus imitanda proponi. Nam seniorum traditione compertum est, beatos Martyres ex illa fuisse gloriosissima Sanctorum Agaunensium Thebaeorum Legione, de quibus nullus omnino periit, dum nullus evasit martyrium. Enimvero multi ex ipsa, quando Maximini jussa semel iterumque decimus eorum quisque varie tortus et excruciatus fuit, atque universi persecutiones passi sunt, gladiatorum manus evasisse referuntur, quibus per diversa dispersis, quamplurimas regiones Christus Dominus ad religionem condere dignatus est, ac patrociniis decorare Sanctorum. Ex quibus Solutor, Adventor et Octavius sicut propinquitate viscerum tenebantur, ita et vinculo charitatis et fidei, quo in Christo pollebant, unanimes permanserunt, ut pares essent fide, pares palmâ martyrii. Qui persecutorum fugientes ferocitatem, quum ad Taurinensem pervenissent urbem, illic reperti sunt, ac tenti a satellitibus: et ultra torrentem, qui eminus e muris fluxit Civitatis in Christi fidem perseverantes, ejusque nomen cum magna exultatione confitentes, Adventor et Octavius gladio interfecti pretiosum sanguinem gloriosa morte fuderunt. Solutor vero aetate junior, et gressu velocior, licet ictu lanceae jam vulneratus, cursu rapidissimo e manibus persecutorum evasit, et usque Eporediam perrexit, seque abdidit in crypta, ubi aedes arenae videbantur opere magnifico. At proditus a quodam parvulo, comprehensus est ab iisdem persecutoribus, et procul ab ipsa arena juxta fluvium Duria nuncupatum in palustribus locis perductus, dum Christianum se plena voce confiteretur super quemdam lapidem decollatus est, cujus sanguinis gloriosissimus cruor manifesto indicio usque ad praesentem diem permanet, ibique Ecclesia superaedificata, virtutum ac sanitatum operationes indesinenter divinitus exercentur. Martyris corpus venerabilis mulier Juliana operiri curavit, et quum a satellitibus didicisset et Adventorem et Octavium in Territorio Taurinensi fuisse interfectos, Solutoris corpus in quadrigae suae levans vehiculum ad Taurinensem pergere Civitatem nocturnis horis properavit, et absque ullo ob-

staculo felici profectione ad beatorum Adventoris et Octavii locum Martyrii perduxit. Quorum sacratissima membra cum omni veneratione jungens exuviis Solutoris, in alteram partem transtulit Civitatis, et illic sepelivit; atque in eorum honorem ibidem cellulam construxit oratoriam, sibi in proximo memoriam sepulturae conjungens. Illam vero Victor saeculo quinto Taurinensis Antistes ampliori spatio ac miro opere decoram Basilicam cum atrio aedificavit: cui decimosexto saeculo dirutae mirificum templum media fere in Civitate suffectum fuit a Sanctis Martyribus nuncupatum, ubi ad ipsorum virtutes universarum provinciarum populi natale Martyrum celebrantes quotannis conveniunt, et illorum beneficiis perfruentes, ac devotionis cultu eorumdem praemia adepti gratulantur. Plura quoque templa in honorem sancti Solutoris Eporediensi in Dioecesi Deo dicata sunt, ibique locus, ac vestigia martyrii singulari veneratione coluntur, et ipse uti Patronus invocatur.»

Martyrol. — Caesareae in Palaestina sancti Agapii Martyris, qui sub Galerio Maximiano Imperatore damnatus ad bestias, et ab eis nil laesus, lapidibus ad pedes appensis in mare demergitur. (Vide *Surium*, p. 616).

### SS. NERSA Ep. et Socii MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — In Perside passio sanctorum Nersae Episcopi et Sociorum.

Agunt de his etiam Graeci hac die in Menologio, ubi eorum martyrium paucis describunt. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyrol. Rom.

### S. DASIUS Ep. et Mart.

*Probab. saeculo IV ineunte.*

Martyrol. — Doròstori in Mysia sancti Dasii Episcopi, qui cum nollet in festo Saturni impudicitiis ejus consentire, sub Basso Praeside caesus est.

De quo item Graeci in Menologio, referuntque ejus certamen pro fide susceptum. — Ita Baronius.

### SS. EUSTACHIUS, THESPESIUS et ANATOLIUS MM.

*Passi sunt circa annum 237.*

Martyrol. — Nicaeae in Bithynia sanctorum Martyrum Eustachii, Thespesii et Anatolii in persecutione Maximiani.

Horum Acta Graeci in Menologio hac die enarrant. — Ita Baronius.

### SS. BASSUS, DIONYSIUS, AGAPITUS et alii XL MM.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Heracleae in Thracia sanctorum Martyrum Bassi, Dionysii, Agapiti et aliorum quadraginta.

De eisdem, Baronius haec tantummodo: « Agit de his Beda hac die. adstipulanturque vetera manuscripta. »

### S. EADMUNDUS Rex et Mart.

*Martyrio coron. anno 870.*

Martyrol. — In Anglia S. Eadmundi Regis et Martyris.

Ejus res gestas enarravit Abbo Floriacensis Abbas, qui saeculo sequenti floruit. Hanc Abbonis historiam, aliquibus, brevitatis causâ, praetermissis, hîc referimus.

« . . . . Huic provinciae tam feraci, quam diximus Eastengle vocabulo nuncupari, praefuit sanctissimus Deoque acceptus Eadmundus, ex antiquorum Saxonum nobili prosapia oriundus, a primaevo suae aetatis tempore cultor veracissimus fidei christianae. Qui atavis Regibus editus, cum bonis pollèret moribus, omnium comprovincialium unanimi favore non tantum eligitur ex generis successione,

quantum rapitur, ut eis praeesset sceptrigera potestate. Nam erat ei species digna imperio, quam serenissimi cordis jugiter venustabat tranquilla devotio. Erat omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratiâ praeclarus, et inter suos coaevos mirabili mansuetudine residebat dominus absque ullo statu superbiae. Jamque vir sanctus praeferebat in vultu, quod postea manifestatum est divino nutu: quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem divina pietas praesciebat martyrio finiendum. Nactus vero culmen regiminis, quantae fuerit in subjectos benignitatis, quantae in perversos districtionis, non est nostrae facultatis evòlvere, qui ejus minima, quo conveniret sermone, non possumus expedire. Siquidem ita columbinae simplicitatis mansuetudine temperavit serpentinae calliditatis astutiam, ut nec antiqui hostis deciperetur simulatione fraudolenta, nec malignorum hominum reciperet contra justitiam sententias, rem quam nesciebat, diligentissime investigans. Gradiensque via regia, nec declinabat ad dexteram, extollendo se de meritis: nec ad sinistram, succumbendo vitiis humanae fragilitatis. Erat quoque egentibus dapsilis liberaliter, pupillis et viduis clementissimus pater, semper habens prae oculis dictum illius sapientis: *Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* (Eccles. XXXII). Cumque tam conspicuis in Christo et Ecclesia emineret bonorum actuum ornamentis, ejus patientiam, sicut et sancti Job, aggressus est experiri inimicus humani generis: qui eo bonis plus invidet, quo appetitu bonae voluntatis caret. Quocirca unum ex suis membris ei adversarium immisit, qui omnibus, quae habuerat, undeunde sublatis, ad impatientiam, si posset, erumpere cogeret, ut desperans Deo in faciem benediceret. Fuit autem idem adversarius, Inguar vocabulo dictus: qui cum altero, Hubba nomine, ejusdem perversitatis homine, nisi divina impediretur miseratione, conatus est in exterminio adducere totius fines Britanniae. Nec mirum, cum venerint indurati frigore suae malitiae, ab illo terrae vertice, quo sedem suam posuit, qui per elationem Altissimo similis esse concupivit... Ex eorum ergo genere praedicti duces Inguar et Hubba Nordanhumbrorum primitus aggressi expugnare provinciam, gravi depopulatione totam pervagantur ex ordine. Quorum pessimis conatibus nullus resistere potuit ex provincialibus, quin mulctarentur meritâ supernae indignationis irâ, agente ministro iniquitatis Hubba: quem, praedâ factâ, Inguar reliquit ibi crudelitatis socium, et a boreali parte orientali subito adstans cum magna classe, ad ejus quandam civitatem latenter appulit: quam ignaris civibus introgressus, ignibus cremandam dedit, pueros, senes cum junioribus in plateis civitatis obviam factos jugulat, et matronalem seu virginalem pudicitiam ludibrio tradendam mandat. Maritus cum conjuge aut mortuus, aut moribundus jacebat in limine: infans raptus a matris uberibus, ut major esset ejulatus, trucidabatur coram maternis obtutibus. Furebat impius miles, lustrata urbe, ardendo ad flagitium, quo posset placere tyranno, qui solo crudelitatis studio jusserat perire innoxios. Cumque jam multitudine interfectorum Achaemeniam rabiem non tantum exaturasset, quantum fatigatus in posterum distulisset, evocat quosdam plebejos, quos suo gladio credidit esse indignos, ac ubi Rex eorum tunc temporis vitam degeret, sollicitus perscrutator investigare studet. Nam ad eum fama pervenerat, quod idem Rex gloriosus, videlicet Eadmundus, florenti aetate et robustis viribus, bello per omnia esset strenuus: et idcirco festinabat passim neci tradere, quos circumcirca poterat reperire, ne stipatus militum

agmine ad defensionem suorum posset Rex sibi resistere, qui morabatur eo tempore ab urbe longius in villa, quae lingua eorum Hagilisdun dicitur, a qua et sylva vicina eodem nomine vocatur: existimans impiissimus, ut se rei veritas habebat, quia quantos suos funestus satelles praeoccuparet ad interitum perducere, tantos, si dimicandum esset, regius occursus in exercitu contraheret minus. Classem quoque absque valida manu non audebat deserere: quoniam velut lupis vespertinus mos est, clanculo ad plana descendere, repetitis quantocyus notis sylvarum latibulis, sic consuevit eadem Danorum et Alanorum natio: cum semper studeat rapto vivere nunquam tamen indicta pugna palam contendit cum hoste, nisi praeventa insidiis, ablata spe ad portus navium remeandi. Quapropter circumspectus plurimum, accito uno ex commilitonibus eum ad Regem, hujusmodi curarum tumultibus expeditum dirigit, qui exploret, quae sit ei summa rei familiaris, improvisum, ut contigit, quaerens subjugare tormentis, si ejus nollet obtemperare feralibus edictis. Ipse eum, grandi comitatu succenturiatus, lento pede subsequitur, et iniquae legationis bajulo imperat, ut timoris periculo nudus, ita incautum adoriatur: «Terra marique metuendus dominus noster Inguar, Rex invictissimus, diversas terras subjiciendo sibi armis ad hujus provinciae optatum litus cum multis navibus hyematurus appulit: atque idcirco mandat, ut cum eo antiquos thesauros et paternas divitias, sub eo regnaturus, dividas. Cujus si aspernaris potentiam, innumeris legionibus fultam, tuo praejudicio et vita indignus judicaberis, et regno. Et quis tu, ut tantae potentiae insolenter audeas contradicere? Marinae tempestatis procella nostris servit remigiis, nec rèmovet a proposito directae intentionis: quibus nec ingens mugitus coeli, nec crebri jactus fulminum unquam nocuerunt, favente gratia elementorum. Esto itaque cum tuis omnibus sub hoc Imperatore maximo, cui famulantur elementa pro sibi innata clementia: quoniam novit piissimus in omni negotio parcere subjectis, et debellare superbos.» Quo audito, Rex sanctissimus alto cordis dolore ingemuit, et accito uno ex suis Episcopis, qui ei erat a secretis, qui super his respondere deberet, consulit. Cumque ille timidus pro vita Regis, ad consentiendum plurimis hortaretur exemplis, Rex obstipo capite defigens lumina terrae, paululum conticuit, et sic demum ora resolvit: «O Episcope, vivi ad id pervenimus, quod nunquam veriti sumus? Ecce barbarus advena, districto ense, veteribus nostri regnicolis imminet, et quondam felix indigena suspirando gemens tacet. Et utinam in praesentiarum vivendo quique gemerent, ne cruenta caede perirent: quatenus patriae dulcibus arvis etiam me occumbente, superstites fierent, et ad pristinae felicitatis gloriam postmodum redirent.» Cui Episcopus: «Quos, inquit, optas esse superstites patriae, cum jam hostilis gladius vix aliquem reliquerit in plena urbe? Hebetatis securibus tuorum cadaveribus, te destitutum milite, veniunt loris constringere. Quapropter Rex, dimidium animae meae, nisi fugae praesidio, aut deditionis infausto patrocinio praecaveas, hic statim aderunt tortores, quorum nefando obsequio poenas lues.» Ad haec Rex beatissimus: «Hoc est, ait, quod desidero, quod omnibus votis antepono, ne supersim meis carissimis fidelibus, quos cum liberis et uxoribus in lecto eorum animas furando perdidit pirata truculentus...»

Tunc conversus ad eum, qui de conditione regni locuturus, ab impiissimo Inguar fuerat missus: «Madefactus, inquit, cruore meorum, mortis supplicio dignus extiteras: sed plane Christi mei exemplum secutus, nolo puras commaculare manus, qui pro

us nomine, si ita contigerit, liben-
r paratus sum vestris telis occum-
ere. Ideo pernìci gradu rediens fe-
inus, domino tuo haec responsa
erfer quantocyus: Bene filius diaboli
itrem tuum imitaris, qui super-
endo intumescens, coelo corruit, et
endacio suo humanum genus in-
olv re gestiens, plurimos suae poe-
ae obnoxios fecit. Cujus sectator
raecipuus me nec minis terrere prae-
ales, nec blandae perditionis lenoci-
iis illectum decipies, quem ex Chri-
i institutis inermem reperies. The-
uros et divitias, quas nobis hactenus
ontulit propitia divinitas, sumat,
onsumat tua insatiabilis aviditas:
uoniam etsi hoc corpus caducum et
ragile confringas velut vas fictile,
era libertas animi nunquam tibi vel
d momentum suberit. Honestius e-
im est perpetuam defendere liberta-
em, si non armis, saltem jugulis,
uam reposcere amissam lacrymosis
uerimoniis: quoniam pro altero glo-
iosum est mori, pro altero vero op-
onitur contumacia servilis... »

« Vix sanctus vir verba compleverat, et renunciaturus miles pedem domo extulerat, cum ecce Inguar obvius ubet breviloquio ut utatur, illi pandens per omnia arcana Regis ultima. Quae ille dum exequitur, imperat tyrannus circumfundi omnem turbam suorum interius, solumque Regem teneri, quem suis legibus rebellem jam cognoverat. Tunc sanctus Rex Eadmundus in palatio ut membrum Christi, projectis armis, capitur, et vinculis arctioribus arctatus, constringitur, atque innocens sistitur ante impium ducem, quasi Christus ante Pilatum praesidem, cupiens ejus sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Vinctus itaque multis modis illuditur, ac tandem fustigatus acri instantia, perducitur ad quandam arborem vicinam: ad quam religatus, flagris dirissimis diutissime vexatur, nec vincitur, semper Christum invocando flebilibus vocibus. Quare adversarii in furorem versi, quasi ludendo ad signum, eum toto corpore sagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatus crebris telorum jactibus: quoniam vulnera vulneribus imprimebant, dum jacula jaculis locum dabant. Sicque factum est, ut spiculorum terebratis aculeis circumfossus palpitans horreret, velut asper hericius, aut spinis hirtus carduus, in passione similis Sebastiano egregio martyri. Cumque nec sic Inguar furcifer eum lanistis assensum praebere conspiceret, Christum inclamantem jugiter, lictori mandat protinus, ut amputet caput ejus. Ille seminecem, cui adhuc vitalis calor palpitabat in tepido pectore, ut vix posset subsistere, avellit cruento stipiti festinus, avulsumque retectis costarum latebris prae punctionibus crebris, acsi raptum eculeo, aut saevis tortorum ungulis, jubet caput extendere, quod semper fuerat insigne regali diademate. Cumque staret mitissimus, ut aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam saeculo, divinis intentus beneficiis, jam recreabatur visione internae lucis, qua in agone positus, satiari cupiebat attentius. Unde inter verba orationis eum, arrepto pugione, spiculator uno ictu decapitando, hac luce privavit. Atque ita duodecimo Kalendas Decembris Deo gratissimum holocastum Eadmundus, igne passionis examinatus, cum palma victoriae et corona justitiae, Rex et martyr intravit Senatum Curiae coelestis. Talique exitu Crucis mortificationem, quam jugiter in suo corpore Rex pertulit, Christi Domini sui secutus vestigia, consummavit. Ille quidem purus sceleris, in columna, ad quam vinctus fuit, sanguinem non pro se, sed pro nobis flagellorum suorum signa reliquit: iste pro adipiscenda gloria immarcescibili cruentato stipite similes poenas dedit. Ille integer vitae, ob detergendam rubiginem nostrorum facinorum, sustinuit benignissimus

immanium clavorum acerbitatem in palmis et pedibus: iste propter amorem nominis Domini, toto corpore gravibus sagittis horridus, et medullitus asperitate tormentorum dilaniatus in confessione patienter perstitit, quam ad ultimum, accepta capitali sententia, finivit. Cujus corpus ita truncum et aculeis hirsutum relinquentes, cum suo auctore Dani ministri diaboli, illud caput sanctum, quod non impinguaverat peccatoris oleum, sed certi mysterii sacramentum, in sylvam, cui vocabulum est Hagilesdun recedentes absportaverunt, ac inter densa veprium fruteta longius projectum occuluerunt, id omni sagacitate elaborantes, ne a Christianis, quos vix paucos reliquerant, sacratissimum corpus martyris cum capite, pro tumulantium modulo honestae traderetur sepulturae. Huic autem spectaculo tam horribili quidam nostrae religionis delitescendo interfuit, quem subtractum, ut credimus, paganorum gladiis, divina providentia ad manifestandum hujus rei indaginem reservavit, licet omnino ignoraverit, quid de capite factum esset, nisi quod cum eo carnifices Danos interiorem sylvam petere conspexisset.

« Quamobrem, quantulacumque reddita Ecclesiis pace, coeperunt Christiani de latibulis consurgere, diligenti inquisitione satagentes, ut caput sui Regis et martyris inventum reliquo corpori unirent, et juxta suam facultatem condigno honore reconderent. Siquidem paganis abeuntibus, et depopulationi quoquo locorum operam dantibus, illud corpus sanctissimum adhuc sub dio positum, facillime est repertum in eodem campo, ubi Rex occubuit, completo cursu sui certaminis... »

S. GREGORIUS Decapolita.

*Floruit saeculo VIII.*

Martyrol. — Constantinopoli sancti Gregorii Decapolitae, qui ob cultum sanctarum Imaginum multa passus est.

S. Gregorius Decapoli, in Isauria, natus est; ob hoc Decapolita nuncupatus. Orientem et Occidentem, scribit Baronius in *Annalibus*, peragrans in confessione Catholicae fidei, diem clausit extremum.

S. BENIGNUS Episcopus.

*Obiit sub finem anni 472.*

Martyrol. — Mediolani sancti Benigni Episcopi, qui in magna barbarorum perturbatione Ecclesiam sibi commissam summa constantia et religione administravit.

Is S. Geruntio in sede Mediolanensi suffectus est, quo anno incertum. « Innata atque sanguini, ita Oltrocchi in *Eccl. Mediol. Historia Ligust.*, vel uti inspersa benignitate ornatus Pastor lenitatem vultu aeque ac nomine praeferebat: ad quam non solum virtute formatus, sed naturâ factus videbatur. Lenitatis pedisequa miseros pauperes sublevabat, et effusâ beneficentiâ praeteritarum calamitatum memoriam abstergebat. Hinc quia nullum ab se tristem dimitteret, vere de eo scribit Ennodius (*Epigr.* 86):

Quem quisquis vocitat, testis erit meriti.

Quippe ornatus praesertim aureis morum suavitate, sermone blandus, gestu compositus, accessu facilis, in reprehendendo lenis, remisso amabilis supercilio, sereno vultu conspicuus, et semper sibi similis, ita omnium demulcebat et obstringebat animos, ut iratos patientiâ flecteret, errantes amore complecteretur et vinceret. »

S. SILVESTER Episcopus.

*Obiit anno probab. 532.*

Martyrol. — Cabilone sancti Silvestri Episcopi, qui quadragesimo secundo sui sacerdotii anno plenus die-

rum atque virtutum migravit ad Dominum.

De eo ita scribit S. Gregorius Tur. in *De Gloria Confess.* Cap. LXXXV: «Beatissimus vero Silvester Cavillonensem (vulgo *Châlons-sur-Saône*) rexit Ecclesiam, qui, quadraginta duobus annis sacerdotio ministrato, plenus dierum atque virtutum migravit ad Dominum. Habuit autem lectulum funibus subtilibus innexum: sub quo cum semel atque iterum infirmi, sive quartanarii, sive variis febribus oppressi subderentur, statim virtute divinitus inditâ, sanabantur; idcirco hic lectulus in ecclesiae sacrarium deportatus, simili virtute nitescit. Multi enim, sicut oculis propriis inspexi, abscissis de funibus illis particulis in longinquum deferebant, ipsisque super infirmos locatis, sanitatis adesse beneficium contuebantur. Nam mater mea ab hoc decisâ particulâ, ut puellae a frigoribus febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplo depresso puellam sanam adspexit.»

## S. SIMPLICIUS Ep. et Conf.

*Circa annum* 500.

Martyrol. — Veronae sancti Simplicii Episcopi et Confessoris.

Nihil, quod ejus res gestas illustret, Baronius adfert.

UNDECIMO KAL. DECEMB. DIE XXI.

## Praesentatio Beatae Mariae Virg.

Martyrol. — Jerosolymis Praesentatio beatae Dei Genitricis Virginis Mariae in templo.

Agunt de eadem celebritate Graeci hac die in Menologio. Habetur ejus mentio in constitutione Emmanuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Bals. in Nomoc. Photii. Extant de ea re sermones S. Germani Ep. Constantin., et Georgii Ep. Nicomed., quos latine redditos habet Surius. In Galliis transiit ejusmodi festa dies anno 1375. Scimus antiquitus Praesentationis solemnitatem eam esse appellatam, qua Dei Genitrix S. Simeoni infantem Jesum in Templo obtulit. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyrol. Rom. — De tempore autem, quo Maria Virgo in templo adducta sit, quomodo ibi educata, cui praesentata fuerit, de his omnibus incertum est. (In Benedicti XIV Opere *De Festis* etc.).

## S. RUFUS M.

*Saeculo I.*

Martyrol. — Eodem die natalis beati Rufi, de quo sanctus Paulus Apostolus ad Romanos scribit.

Haec sancti Pauli sunt verba: «Salutate Rufum electum in Domino et matrem ejus et meam» (ad Rom. XVI, 13). Hunc creatum esse Episcopum Thebarum, tradit Dorotheus in *Synopsi.*

## SS. CELSUS et CLEMENS.

Martyrol. — Romae passio sanctorum Celsi et Clementis.

Nec annum, quo passi sunt, nec eorum gestorum aliquid Baronius habet.

## SS. DEMETRIUS et HONORIUS.

Martyrol. — Apud Ostia Tiberina sanctorum Martyrum Demetrii et Honorii.

Ut supra.

## S. ALBERTUS Ep. et Martyr.

***Passus est circa annum* 1191.**

Martyrol. — Rhemis sancti Alberti Episcopi et Martyris, qui pro tuenda Ecclesiastica libertate necatus est.

Is, frater Henrici Magni, Lotharingiae ac Brabantis Ducis, ad Leodiensem (vulgo *Liegi*) episcopatum, ob

egregias ejus virtutes, omnium suffragiis, assumptus est. Verum, quum ei fortiter et pertinaciter Henricus VI Imperator adversaretur, is Romam petiit, ubi Coelestinus Pp. III, omnibus accurate perpensis, ipsum episcopum confirmavit consecravitque. Albertus deinde Rhemos perrexit, ut quamprimum ad Ecclesiam suam se conferret. Sed, ibi, de mandato Imperatoris, a quibusdam tribus sicariis dire interfectus est. (E Baillet). — S. Albertus sexagesimus Leodiensis Ecclesiae Episcopus recensetur.

## SS. HONORIUS, EUTYCHIUS ET STEPHANUS MM.

MARTYROL. — In Hispania sanctorum Martyrum HONORII, EUTYCHII et STEPHANI.

Nihil aliud nobis de ipsis est compertum.

## S. HELIODORUS MARTYR.

*Passus est anno* 275.

MARTYROL. — In Pamphylia sancti HELIODORI Martyris in persecutione Aureliani sub Aetio Praeside: post quem ipsi tortores conversi ad fidem, in mare demersi sunt.

Inter alios martyres qui sub Aureliano, in Asia pro Christi fide occubuerunt, illustris sanè est S. Heliodorus, etenim non tantum ipse martyrii coronâ fuit redimitus, sed et carnifices, a quibus tortus est, eadem, ut coronaretur, effecit.

## S. GELASIUS PAPA.

*Ab anno* 492 *ad* 496.

MARTYROL. — Romae sancti GELASII Papae, doctrinâ et sanctitate conspicui.

« Gelasius natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses octo, dies novem. Fuit autem temporibus Theodorici Regis et Zenonis Augusti. Hujus temporibus inventa est Ecclesia S. Angeli in monte Gargano. Hujus temporibus inventi sunt Manichaei in urbe Roma, quos exilio deportari praecepit. Quorum codices ante fores Basilicae S. Mariae incendio concremavit. Hic sub gestam Synodicam revocavit Mesenum Episcopum ad communionem, et restituit eum Ecclesiae suae sub satisfactione libelli et purgatus est receptus. Hic fuit amator cleri et pauperum, et clerum ampliavit. Hic liberavit a periculo et fame civitatem Romanam. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. Hujus temporibus iterum venit relatio de Graecia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio. Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus venit Romam ad Sedem Apostolicam. Ipsis temporibus beatus Gelasius suscepit Joannem et iterum misit et damnavit in perpetuum Acacium et Petrum si non poeniterent. Tamen expectans sedis Apostolicae satisfactionem secundum humanitatem primae sedis Ecclesiae. Hic dedicavit Basilicam sanctae Euphemiae Martyris in civitate Tiburtina milliario vigesimo ab urbe Roma. Dedicavit autem et Basilicam S. Mariae via Laurentina in fundum Crispini milliario ab urbe Roma vigesimo. Sub hujus Episcopatu clerus crevit. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per menses Februarii et Decembris, Presbyteros triginta duos, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca numero sexaginta septem. Qui etiam sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli 11 Kal. Decembris. Hic fecit tractatus, et hymnos sicut beatus Ambrosius Episcopus, et libros adversus Eutychen et Nestorium, qui hodie in Bibliotheca et Ecclesiae Archivio reconditi tenentur, et post obitum ejus cessavit Episcopatus dies octo. » — Ita Anastasius Bibliothecarius.

### S. MAURUS Ep. et Conf.

Martyrol. — Veronae sancti Mauri Episcopi et Confessoris.

De ipso tabulae Ecclesiae Veronensis. Uberius autem Valerius Cardinalis in Lib. *Antiq. Monum.* etc. — Ita Baronius.

— In Monasterio Bobiensi depositio sancti Columbani Abbatis, qui, multorum coenobiorum fundator plurimorum Monachorum extitit Pater, virtutibus clarus in senectute bona quievit. (Vide *Surium*, pag. 618).

DECIMO KAL. DECEMB. DIE XXII.

Martyrol. — Romae sanctae Caeciliae Virginis et Martyris, quae sponsum suum Valerianum, et fratrem ejus Tiburtium ad credendum in Christum perduxit, et ad martyrium incitavit. Hanc Almachius Urbis Praefectus post eorum martyrium teneri, atque illustri passione post ignem superatum gladio fecit consummari, tempore Marci Aurelii Severi Alexandri Imperatoris. (Vide *Surium*, pag. 638).

### SS. PHILEMON et APPIA MM.

*Saeculo I.*

Martyrol. — Colossis in Phrygia sanctorum Philemonis et Appiae sancti Pauli discipulorum, qui sub Nerone Imperatore, cum Gentiles in die festo Dianae invasissent Ecclesiam, ceteris fugientibus, tenti, jussu Artoclis Praesidis verberibus caesi, et in foveam usque ad renes inclusi, lapidibus opprimuntur.

Philemon, ad quem S. Paulus Epistolam scripsit, nobilis erat Colossensis, cujus domum, Colossis, ad sua tempora integram permansisse tradit Theodoretus (in *Praef. in Ep. ad Philem.*). Quae enim, temporibus Pauli, esse coeperat Ecclesia, eidem cultui mancipata perseveravit in posterum. Apud Philemonem fideles colligi soliti, ejusdem fovebantur auxilio: quod idem Paulus testatur, cum ait : *Viscera sanctorum requiescunt per te, frater*. Qua vero causa, ad ipsum S. Apostolus Epistolam miserit, nemini est ignotum.

### S. MAURUS Martyr.

*Martyrio coronatus anno 284.*

Martyrol. — Item Romae sancti Mauri Martyris, qui ex Africa veniens ad sepulcra Apostolorum, sub Numeriano Imperatore et Celerino Urbis Praefecto agonizavit.

Nec in *Notis* ad Martyr. Rom., nec in *Annalibus* quidquam aliud, quod S. Mauri vitam et martyrium illustret, adfert Baronius.

### SS. MARCUS et STEPHANUS MM.

*Passi sunt anno 305.*

Martyrol. — Antiochiae Pisidiae passio sanctorum Marci et Stephani sub Diocletiano Imperatore.

Is (addit in *Annal.* Baronius) inter alios martyres, qui Antiochiae Pisidiae occubuerunt, clari habentur. — Antiochia in Pisidia hodie *Ak-Cheher* vocatur.

### S. PRAGMATIUS Ep. et Conf.

*Claruit circa annum 490.*

Martyrol. — Augustoduni sancti Pragmatii Episcopi et Confessoris.

Constat eum Concilio Epaunensi, quod fuit celebratum anno 490, interfuisse. Extat ad eumdem Sidonii Apollinaris Epistola, eum orans ut quamdam litem, quam ei describit, componere vellet.

NONO KAL. DECEMB. DIE XXIII.

Martyrol. — Natalis sancti Clementis Papae, qui tertius post bea-

tum Petrum Apostolum Pontificatum tenuit, et in persecutione Trajani apud Chersonesum relegatus, ibi, alligatâ ad collum ejus anchorâ, in mare praecipitatus, martyrio coronatur: cujus corpus Nicolao primo Pontifice Romam translatum, in ecclesia, quae ejus nomine antea fuerit extructa, honorifice reconditum est. (Vide *Surium*, pag. 655).

### S. FELICITAS ET EJUS FILII MM.

*Martyrii coronâ redimiti anno* 162 *.

MARTYROL. — Romae sanctae FELICITATIS, matris septem filiorum Martyrum, quae post eos, jubente Marco Antonino Imperatore, decollata est pro Christo.

Vide *Breviarium Rom.* hac die. — Eorumdem *Passionem*, ex *Martyrum Actis sinceris et selectis*, a Ruinartio editis, hîc transcribimus: « Temporibus Antonini ** Imperatoris orta est seditio Pontificum, et Felicitas, illustris foemina, cum septem filiis suis Christianissimis tenta est. Quae in viduitate pèrmanens, Deo suam voverat castitatem, die noctuque orationibus vacans, magnam de se aedificationem castis mentibus dabat. Videntes autem Pontifices praeconia Christiani nominis per eam profecisse, suggesserunt de ea Antonino Augusto, dicentes: *Contra salutem vestram mulier haec vidua cum filiis suis diis nostris insultat: quae si non venerata fuerit deos, sciat pietas vestra deos nostros sic irasci, ut penitus placari non possint.* Tunc Imperator Antoninus injunxit Praefecto Urbis Publio *** ut eam compelleret cum filiis suis deorum suorum iras sacrificiis mitigare. Publius itaque Praefectus Urbis jussit eam privatim adduci: et blando colloquio ad sacrificium eam pròvocans, minabatur poenarum interitum. Cui Felicitas dixit: *Neque blandimentis tuis resolvi potero, neque terroribus tuis frangi. Habeo enim Spiritum Sanctum, qui me non permittit vinci a diabolo; et ideo secura sum, quia viva te superabo; et si interfecta fuero, melius te vincam occisa.* Publius dixit: *Misera, si tibi suave est mori, vel filios tuos fac vivere.* Felicitas respondit: *Vivent filii mei, si non sacrificaverint idolis; si vero hoc tantum scelus admiserint, in aeternum ibunt interitum.* Postera namque die Publius sedit in foro Martis, et jussit eam adduci cum filiis suis, et dixit: *Miserere filiis tuis, juvenibus bonis, et flore primo juventutis florentibus.* Respondit Felicitas: *Misericordia tua impietas est; et exhortatio tua crudelitas est;* et conversa ad filios suos dixit: *Videte, filii, coelum, sursum adspicite, ibi vos exspectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, et fideles vos in amore Christi exhibete.* Audiens haec Publius, jussit eam alapis caedi, dicens: *Ausa est, me praesente, ista monita dare, ut dominorum nostrorum jussa contemnant?* Tunc vocavit primum filium ejus nomine Januarium: et infinita illi promittens bona praesentia, simul etiam verbera minabatur, si sacrificare idolis contempsisset. Januarius respondit: *Stulta suades: nam sapientia Domini me conservat, et faciet haec omnia superare.* Statim judex jussit eum virgis caedi, et in carcerem recipi. Secundum vero ejus filium, Felicem nomine, admoveri praecepit. Quem cum hortaretur Publius ad immolandum idòlis, constanter dixit: *Unus est Deus, quem colimus, cui sacrificium piae devotionis offerimus. Vide ne tu credas, me, aut aliquem fratrum meorum, a Domini Jesu Christi amore recedere. Immineant verbera, stent cruenta consilia: fides nostra nec vinci potest, nec mutari.* Et isto

* Juxta Borghesium, in *Bollett. d'Archeol. Sacra* a claris. De-Rossi edito, an. I.

** Is est Marcus Aelius Aurelius Verus Antoninus, qui anno 161 Antonino Pio successit (*loc. cit.*).

*** Scilicet Publius Julianus, celeberrimus jurisconsultus (*loc. cit.*).

amoto, jussit tertium filium, nomine Philippum, applicari. Cui cum diceret: *Dominus noster Imperator Antoninus jussit ut diis omnipotentibus immoletis;* respondit Philippus: *Isti nec dii sunt, nec omnipotentes; sed sunt simulacra vana et misera et insensibilia; et qui eis sacrificare voluerint, in aeterno erunt periculo.* Et amoto Philippo, jussit ad se adduci quartum, Sylvanum nomine, cui sic ait: *Ut video, cònvenit vobis cum pessima matre vestra hoc consilium, ut praecepta Principum contemnentes, omnes simul curratis in exitum.* Respondit Sylvanus: *Nos si transitorium timuerimus interitum, aeternum incurremus supplicium. Sed quia vere novimus, quae praemia sint parata justis, et quae sit poena constituta peccatoribus, idcirco securi contemnimus legem humanam, ut jussa divina servemus. Idòla enim contemnentes, Deo omnipotenti famulantes, vitam aeternam invenient; adorantes autem daemonia, cum ipsis in interitu erunt, et in incendio sempiterno.* Amoto Sylvano, jussit quintum praesto esse, Alexandrum, cui dixit: *Misereberis aetati tuae, et vitae in infantia positae, si non fueris rebellis, et secutus fueris ea, quae sunt regi nostro Antonino gratissima. Unde sacrifica diis, ut possis amicus Augustorum fieri, et vitam habere et gratiam.* Respondit Alexander: *Ego servus Christi sum. Hunc ore confiteor, corde teneo, incessanter adoro. Infirma autem aetas, quam cernis, canam habet prudentiam, si unum Deum colat. Dii autem tui cum cultoribus suis erunt in interitu sempiterno.* Isto amoto, jussit sextum Vitalem applicari, cui et dixit: *Forte vel tu optas vivere et non abire in interitum.* Respondit Vitalis: *Quis est qui optat melius vivere? qui verum Deum colit, an qui daemonem cupit habere propitium?* Publius dixit: *Et quis est daemon?* Vitalis respondit: *Omnes dii gentium daemones sunt, et quicumque eos colunt.* Hoc quoque amoto, jussit septimum, Martialem, ingredi, eique dixit: *Crudelitatis vestrae factores effecti, Augustorum instituta contemnitis, et in vestra pernicie permanetis.* Respondit Martiales: *O si nosses quae poenae idolorum cultoribus paratae sunt! Sed adhuc differt Deus iram suam in vos et idòla vestra demonstrare. Omnes enim qui non confitentur Christum, verum esse Deum, in ignem aeternum mittentur.* Tunc Publius jussit et hunc septimum amoveri, et gesta omnia scripta per ordinem Imperatoris suggessit. Antoninus vero misit eos ad diversos judices, ut variis suppliciis afficerentur. E quibus unus judex primum fratrem plumbatis occidit, alter, secundum et tertium fustibus mactavit; alius, quartum praecipitio interemit; alius, in quintum, sextum et septimum capitalem fecit subire sententiam; alius, matrem illorum capite truncari jussit. Et ita diversis suppliciis interempti, omnes effecti sunt victores et Martyres Christi, et cum matre triumphantes, ad praemia in coelis percipienda convolarunt, qui pro Dei amore minas hominum, poenas et verbera contemnentes, Christi amici facti sunt in regno coelorum. »

### S. LUCRETIA Virgo et Martyr.

*Passa est anno* 303.

Martyrol. — Emèritae in Hispania sanctae Lucretiae Virginis et Martyris, quae in persecutione Diocletiani sub Deciano Praeside martyrium consummavit.

Agunt de eadem Usuardus et Vasaeus. Mentio habetur de ipsa in *Flore Sanct. Hisp.* Ita Baronius. — Emèrita nunc *Mèrida.*

### S. SISINIUS Martyr.

*Martyrio coronatus anno* 311.

Martyrol. — Cyzici in Hellesponto sancti Sisinii Martyris, qui in eadem

persecutione post multa tormenta gladio caesus est.

Ipsum martyrio fuisse decoratum anno 311, testatur Baronius in *Annalibus*. De eo agunt Graeci in Menologio. — Cyzici ruinae, quae adhuc supersunt, a Turcis *Bal-kiz* vocantur.

## S. AMPHILOCHIUS Episcopus.

*Obiit circa annum* 392.

Martyrol. — Iconii in Lycaonia sancti Amphilochii Episcopi, qui sanctorum Basilii et Gregorii Nazianzeni in erèmo socius, et in Episcopatu collega, post multa certamina pro Catholica fide suscepta, sanctitate et doctrina clarus quievit in pace.

Iconii (nunc *Konieh)* natus est. Jurisprudentiae studio primum operam dedit; postea in solitudinem se recepit, ubi magnum sanctitatis nomen sibi comparavit. Iconiensis Praesul creatus fuit anno 375. Plura conscripsit, sed fere omnia deperdita dolemus. De S. Amphilochio S. Hieronymus, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, Theodoretus, Sozomenus, verbis sane splendidis, mentionem fecêre. Libet hic transcribere quae Sozomenus refert (*Hist. Eccles.* l. 7, cap. 6):

« Adhuc autem isti quia numero pollebant, Constantii atque Valentis praejudicio freti, securius conveniebant, ac de Deo, ejusque essentia publice disputabant: et ut Imperatoris animum pertentarent, eos subornabant quos in aula suae sectae fautores habebant. Rebantur enim se obtenturos id quod proposuerant, cum ea considerarent, quae sub Constantio acciderant. Quae quidem res et Ecclesiae Catholicae sectatoribus formidinem ac sollicitudinem incusserat: qui tamen non minime et hinc metuebant, quod considerarent, quantum esset Eunomii in disputando acumen. Hic enim non multo ante ob controversiam quam cum clericis suis, imperante adhuc Valente, Cyzici habuerat, ab Arianis discessione facta, privatus agebat in Bithynia e regione Constantinopolis, ac frequens ad eum populus trajiciebat: multique aliunde confluebant, partim ut illum pertentarent, partim ut ejus doctrinam cognoscerent. Hujus rei famam ad Imperatorem quoque permanârat, qui jam conveniendi ejus desiderio tenebatur. Caeterum Imperatrix Placilla eum studiose deprecando cohibuit. Nam cum Nicaeni Concilii doctrinam ipsa fidelissime conservaret, metuebat, ne (quod consentaneum videbatur) maritus colloquio circumventus in illius sententiam deflecteret. Vigente autem adhuc utrinque hujusce contentionis studio, Episcopis iis, qui Constantinopoli versabantur, palatium Imperatoris salutandi gratiâ (ut moris erat) frequentantibus, etiam Amphilochius quidam senex, cum his unà venisse dicitur, ignobilis oppidi sacerdos, simplex, ac nullo rerum usu tritus, sed in divinis apprime consultus. Cum autem caeteri candide adulandum ac religiose Imperatorem consalutassent, etiam sacerdos ille senex ipsum consimiliter salutavit: filio vero Imperatoris, qui patri assidebat, aequalem honorem non exhibuit, sed propius accedens, veluti puero, Salve (inquit) fili, simulque caput illi digitis demulcebat. Commotus igitur irâ Imperator, et quasi ob injuriam filio factam indignatus, quem ille non aequaliter honorasset cum patre, foras exturbari cum contumelia senem jussit. Ille vero cum raptaretur, conversus: « Ad hunc, inquit, modum, Imperator, existima, et coelestem quoque patrem excandescere in eos, qui filium cum patre non aequaliter honorant, et genitore inferiorem nuncupare audent. » Delectatus hoc dicto Imperator, senem revocat: et veniam precatus, vere illum locutum esse confitetur. Firmior itaque factus, eos, qui ab hoc diversum sentirent, non admisit; contentiones etiam et conventiones in foro habere vetuit: et ut

le essentia ac natura Dei solito more disputare, tutum deinceps non esset, effecit, lata in eam rem lege, et constituta poena. »

S. GREGORIUS Episcopus.

*Saeculo VI floruit.*

Martyrol. — Agrigenti depositio sancti Gregorii Episcopi.

Claruit temporibus Mauritii Augusti, cum Romanae Ecclesiae S. Gregorius praesideret, apud quem falso accusatus causam dixit. Exstant de ea re nonnullae ejusdem Gregorii Epistolae (Ita Baronius in *Notis* ad *Mart. Rom.)*. S. Gregorii Agrigentini memoria tum a Graecis, tum a Latinis celebratur. Acta porro, quae de eo habentur, graece scripta, a graeco auctore ampliata, haud in omnibus tuta sunt, in his praesertim, quae ad causam spectant, quam accusatus S. Gregorius Romae dixit (Ita idem Baronius in *Annalibus)*.

S. TRUDO Presb. et Conf.

*Claruit saeculo VII.*

Martyrol. — In oppido Hasbaniae sancti Trudonis Presbyteri et Confessoris.

Oppidum Hasbaniae (vulgo Hasbain vel Haspengaw) in dioecesi Leodiensi (ital. *Liegi*) situm est. S. Trudo (gall. *Tron*, flandrice *Truyen*) Austrasiae Ducum sanguine genitus est. Monasticam vitam amplexus, non coenobitis solum, sed et vicinis, imo etiam remotis populis sanctitate atque doctrina, qua pollebat, mire praeluxit, ita ut Hasbaniae apostolus vocaretur. Multa miracula patravit. Obiisse videtur an. 698. (Ex *Menol. Benedict.* et e Baillet).

B. JOANNES BONUS.

*Obiit anno 1249.*

Martyrol. — Mantuae beati Joannis Boni, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, cujus praeclaram vitam sanctus Antoninus scripsit.

Mantuae in vitam ingressus est circa annum 1168. Mundi voluptatibus illectus, liberioris vitae, quum adhuc juvenis esset, iter quaesivit; verum, ejus parentibus vitâ functis, Mantua profectus, in quamdam solitudinem apud Caesenam se contulit, ubi domunculam sibi exstruxit, cui postea et Oratorium adjecit. Cum autem aliqui socii, idem ejus vitae institutum sequentes, ei se conjunxissent, Joannes ab Innocentio Pp. IV impetravit ut sibi sodalibusque sancti Augustini Regulam amplecti liceret. Mantuam deinde, ab ipsis civibus, qui ei coenobium aedificaverant, revocatus, ibi, tres annos post, diem supremum obiit. Sixtus Pp. IV in Sanctorum numero eum inscripsit, atque cultum in universa Ecclesia ei detulit. (Ex *Historia Ord. Relig.* a Rev. Fontana conscripta, atque ab Opere Bened. Pp. XIV *De Canoniz. Sanct.*).

OCTAVO KAL. DECEMB. DIE XXIV.

Martyrol. — Sancti Joannis a Cruce, Confessoris, cujus natalis memoria decimonono Kalendas Januarii recensetur. (Vide *Surium*, pag. 658).

S. CHRYSOGONUS Martyr.

*Passus videtur anno* 303.

Martyrol. — Eodem die natalis sancti Chrysogoni Martyris, qui post longa vincula et carceres pro constantissima Christi Confessione toleratos, jubente Diocletiano, Aquilejam perductus, ibidem capite caesus, et in mare projectus, martyrium consummavit.

Vide *Breviarium Rom.* hac die, et Martyrium S. Anastasiae, quod die 25 Decembris in Surio habetur. — Vetus est, Romae, Titulus S. Chrysogoni, cujus mentio habetur in Concil. I sub Symmacho, et in *Regist.* S. Gregorii Papae, eumque Gregorius III Papa

ornavit, donisque auxit. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyrol. Rom.

### S. CRESCENTIANUS MARTYR.

*Passus est circa annum* 309.

MARTYROL. — Romae sancti CRESCENTIANI Martyris, qui in passione beati Marcelli Papae legitur.

Ejusdem certamen describitur in Actis S. Marcelli Papae apud Surium. Vide itaque Surii Vol. 1, pag. 333 etc. — Corpus autem S. Crescentiani translatum fuit in Titulum Equitii a Sergio Juniore. — Ita Baronius.

### S. FIRMINA VIRGO ET MARTYR.

*Martyrio coronata anno* 303.

MARTYROL. — Ameriae * in Umbria sanctae FIRMINAE Virginis et Martyris, quae in persecutione Diocletiani varie cruciata, demum suspensa, et lampadibus ardentibus adusta, spiritum reddidit.

Romae, nobilissimo Pisonum genere prognata, patrem habuit Calpurnium, Urbis Praefectum. A prima aetate Jesu Christi amore incensa, humanarum rerum omnium abjectâ curâ, Agoliani, octavo ab Ameria lapide, solitariam, humilemque vitam agebat. Quod cum delatum esset ad Olympiadem, Ameriae praefectum, hic misit qui Firminam ad se venire juberent. Cum illa, divina freta numine, statim ei paruisset, Olympiades benigne eam adhortatus est ut imperatoris edictis obtemperaret: id quod beata virgo firmiter rejecit, multa de Deo et de Christiana religione pie ac sapienter disserens. Quid tandem? Ipse Olympiades sacris se aquis expiari, baptizarique magna voluntate petiit. Tam clari viri insigne facinus diu latère non potuit: quapropter Diocletianus, vehementi irâ commotus, Megentium Ameriam misit, ei man-dans, ut non solum succederet Olympiadi, sed eum, injectis catenis, ad redire ad cultum deorum cogeret, aut publicatis ejusdem bonis, atque omnibus cruciatibus tortum necaret. Et haud minori studio alios quoque et[...] alios Firminam, cujus blandime[...] praestigiisque delinitum Olympiad[...] opinabatur, comprehendi, ac pari su[p]plicio affici, nisi Christum desereret, jubet. Olympiades itaque et Amer[...] capti, in carcerem conjiciuntur. Quo[d] Olympiadem spectat, vide *Martyrologium Illust.* die 1 decembris. S. Firmina, post atroces cruciatus, invi[ct]um spiritum edidit. Ejusdem corpus Megentius unco trahi jactarique per [ur]bem jussit; sed a Christianis dem[um] apud Agulianum sepulturae man[da]tum est: anno vero 780, Ameri[am] deportatum fuit atque ibidem unà c[um] S. Olympiadis sacris reliquiis con[di]tum. (E *Vita et Passione S. Firm[inae] ab Antonio M. Gratiano, Ep. Am[er.] conscripta).*

### S. ALEXANDER MARTYR.

*Circa annum* 361.

MARTYROL. — Apud Corinthum sa[n]cti ALEXANDRI Martyris, qui sub Ju[]liano Apostata et Sallustio Praes[ide] pro Christi fide certavit usque [ad] mortem.

Agunt de eodem, ait Baron[ius], Graeci hac die in Menologio, ubi ej[us] martyrium describitur.

### SS. FLORA ET MARIA MM.

*Passae sunt anno* 889.

MARTYROL. — Cordubae sanctarum Virginum et Martyrum FLORAE [et] MARIAE, quae post diuturnos carcere[s] in persecutione Arabica gladio [con]remptae sunt.

Eorum martyrium narravit S. E[u]logius in *Mem. Sanct.* lib. 2, cap. [8], qui ad eas, carceribus detentas, Commentariolum scripsit, quod appellav[it]

* Italice *Amelia*, in colle sita, Roscii Amerini quem Cicero defendit, patria. *Amerina retinacula* meminit Virgilius in *Georg.* lib. 1.

ocumentum *martyriale*, agitque de sdem in aliis scriptis: omniaque e- ismodi ita sunt composita, ut in pi- ide Spiritus Sancti calamum intin- isse Sanctus Eulogius videatur, ait aronius in *Notis* ad Martyr. Rom. anc autem Sanctarum Virginum hi- oriam, a S. Eulogio exaratam, sum- iatim collectam ita reddit idem Ba- onius in *Annalibus:* « Has imitata lora Virgo, fratris proditione tradita, bore fidei fortis in confessione per- stens, primum in capite ita est cru- eliter verberata, ut non capillis intum, sed cute nudata, os calvariae pparebat; postea fratri tradita pu- ienda simulque custodienda, nocte igiens, tutas nacta est usque ad tem- us martyrii latebras; tunc cum so- ore atque cum compare virgine, no- nine Maria, meruit insigniri coronâ nartyrii. Maria enim, et ipsa flore irginitatis insignis, monitu et hor- atione fratris Martyris incensa ardore nartyrii (nescit enim amor subesse egibus), monasterium clam egressa, orum aditura, ac quaesitura pro Chri- ti confessione coronam, divertens in Ecclesiam, ibi Floram, Dei providen- iâ, invenit, quam ad palmam consor- em habere meruit; ambae enim si- nul confessae, ambae sunt jussae duro arcere contineri, ubi diu detentas eas uis scriptis S. Eulogius est consola- us, scribens ad eas librum, quo eas abantes impulsu nequissimorum, ro- oravit, et reddidit ad subeundum nartyrium fortiores. Quae inde ad lo- um decollationis ductae, sacra signa- ula vultibus imprimentes, extensis ollis, primum Flora, deinde Maria arnificis gladio prosternuntur. Qua- rum veneranda corpora canibus pri- mum exposita, inde in flumen fuere projecta. Quae vero sunt repertae ea- rum venerandae reliquiae, in Ecclesia S. Aciscli fuere reconditae.»

—

## S. FELICISSIMUS MARTYR.

*Saeculo incerto.*

MARTYROL. — Perusiae S. FELICISSIMI Martyris.

Agunt de eo Usuardus atque alii recentiores et vetera manuscripta. — Haec tantum Baronius.

## S. PROTASIUS EPISCOPUS.

*Claruit saeculo IV.*

MARTYROL. — Mediolani S. PROTASII Episcopi, qui apud Constantem Imperatorem in Concilio Sardicensi causam Athanasii defendit, ac pro Ecclesia sibi commissa, et pro religione multis perfunctus laboribus migravit ad Dominum.

Patriâ Mediolanensis, S. Mirocletis discipulus, a S. Sylvestro Papa Mediolanensis Archiepiscopus consecratus est. Interfuit Concilio Sardicensi, et Epiphanium, Ticinensem Antistitem ordinavit. Sedit circiter vigintiquinque annos. Obiisse videtur anno 352. (Ex *Historiis Eccl. Mediol.*).

— In castro Blavio sancti ROMANI Presbyteri, cujus sanctitatis praeconium miraculorum gloria declarat. (Vide *Surium*, pag. 664).

— In territorio Arvernensi sancti PORTIANI Abbatis, qui sub Theodorico Rege miraculis claruit. (Vide *Surium*, pag. 661).

SEPTIMO KAL. DECEMB. DIE XXV.

MARTYROL. — Natalis sanctae CATHARINAE Virginis et Martyris, quae ob fidei Christianae confessionem Alexandriae sub Maximino Imperatore in carcerem trusa, et postmodum scorpionibus diutissime caesa, tandem capitis obtruncatione martyrium complevit: cujus corpus in montem Sinai ab Angelis mirabiliter delatum, ibidem

frequenti Christianorum concursu pia veneratione colitur. (Vide *Surium*, pag. 664).

S. MOYSES Presb. et Mart.

*Passus est anno* 255.

Martyrol. — Romae sancti Moysis Presbyteri et Martyris, quem cum aliis detentum in carcere sanctus Cyprianus per litteras saepe est consolatus. Is cum non tantum adversus Gentiles, sed etiam adversus schismaticos et haereticos Novatianos infracto animo stetisset, demum (ut sanctus Cornelius Papa testatur) in persecutione Decii eximio et admirabili martyrio decoratus est.

Extat de ejus certamine egregium testimonium sancti Cornelii Papae et Martyris, in Epistola ad Fabium, Antioch. Episcopum, quod hîc ex Baronii *Annalibus* exscribimus: « Cujus (*nempe haeretici Novatiani)* amentem audaciam et insolentiam etiam Moyses, beatus martyr, qui nuper apud nos fuit eximio et admirabili martyrio decoratus, dum adhuc in vita manebat, perspicere animadvertens, tum illi, tum aliis quinque presbyteris, qui unâ cum illo sese ab Ecclesia segregavissent, Fidelium societate et communione interdixit. »

S. ERASMUS Martyr.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Antiochiae sancti Erasmi Martyris.

De eodem, scribit Baronius, hac die Usuardus et alii recentiores.

— Caesareae in Cappadocia passio sancti Mercurii Militis, qui custodientis se Angeli patrocinio et barbaros vicit, et Decii saevitiam superavit, multisque auctus tormentorum trophaeis, martyrio coronatus migravit in coelum. (Vide *Surium*, pag. 677).

S. JUCUNDA Virgo.

*Floruit saeculo V.*

Martyrol. — In Aemilia Italiae provincia sanctae Jucundae Virginis.

Sub disciplina eam vixisse S. Prosperi Episcopi Rhegiensis, qui anno 466 ad coelum migravit, testatur Baronius in *Notis* ad Martyr. Rom.

SEXTO KAL. DECEMB. DIE XXVI.

Martyrol. — Alexandriae natalis sancti Petri ejusdem urbis Episcopi, qui cum esset omnibus virtutibus exornatus, Galerii Maximiani praecepto, capite obtruncatur. (Vide Surium, pag. 683).

SS. FAUSTUS, DIDIUS, AMMONIUS etc. MM.

*Passi sunt anno* 303.

Martyrol. — Passi sunt etiam Alexandriae in eadem persecutione sancti Martyres Faustus Presbyter, Didius et Ammonius; itemque Phileas, Hesychius, Pachomius et Theodorus Episcopi Aegyptii, cum aliis sexcentis sexaginta, quos persecutionis gladius evexit ad coelos.

Eusebius, immanem et ferocissimam illam persecutionem describens, quam Diocletianus et Maximianus in Christianos excitavêre, de SS. Martyribus superius nominatis haec scripsit (Lib. viii, cap. xiv, Ed. Basil.): « Apud Alexandriam vero et per omnem Aegyptum, vel Thebaida primus, velut lucifer quidam inter astra conspiciens, Petrus, ejusdem urbis episcopus, doctrinâ, moribus et vitâ praecipuus, et cum eo presbyter Faustus, Didius, et Ammonius, nec meritis, nec institutionibus, nec martyrio dispares, Philèas quoque et Hesychius, Pacomius, ac Theodorus, episcopi de urbibus Aegypti, caeterique cum ipsis innumerabiles, nobilissima pertulerunt martyria. »

S. MARCELLUS Presb. et Mart.

*Passus est circa annum* 355.

Martyrol. — Nicomediae sancti arcelli Presbyteri, qui Constantii mpore ab Arianis e rupe praecipitus, Martyr occubuit.

Equidem furor Arianae persecutiois Nicomediae, cui praeerat antesinanus arianae impietatis Eusebius, ehementius saeviit, quam in aliis Oentis civitatibus; addit in *Notis* ad artyr. Rom. Baronius.

S. BELLINUS Ep. et Mart.

*Passus est circa annum* 1149.

Martyrol. — Patavii sancti Belini Episcopi et Martyris.

De eo Tabulae Ecclesiae Patav. gunt.

S. SIRICIUS Papa et Conf.

385-398.

Martyrol. — Romae sanctae Siricii 'apae et Confessoris, doctrinâ, pietate t religionis zelo praeclari, qui varios amnavit haereticos et disciplinam cclesiasticam saluberrimis decretis nstauravit.

« Siricius, natione Romanus, ex atre Tiburtio, sedit annos 15, menses 1, dies 25. Hic constitutum fecit de mni Ecclesia, vel contra omnes haeeses, et dispersit per universum nundum, ut in omnis Ecclesiae Arhivio teneantur ob impugnationem ontra omnes haereses. Hic coustituit, it nullus Presbyter Missas celebraret er omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati suscieret declaratum, quod nominatur ermentum. Hic Manichaeos, quos exilio deportavit, huc constituit, ut non participarent cum Fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret Sanctum Corpus Dominicum vexari. Hic constituit, ut si quis conversus de Manichaeis rediret ad Ecclesiam nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione Monasterii diebus vitae suae teneretur obnoxius, ut jejuniis et orationibus maceratus, et probatus sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, et ob humanitatem Ecclesiae viaticum eis largiretur. Hic constituit haereticum sub manus impositionis rècipi, praesente cuncta Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque in urbe per mensem Decembris, Presbyteros 31, Diaconos 16, Episcopos per diversa loca 32. Qui etiam sepultus est in coemeterio Priscillae via Salaria, nono Kal. Martii. » — Ita Anastasius Biblioth.

S. AMATOR Episc.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Augustoduni sancti Amatoris Episcopi.

Fortasse hic est ille, notat Baronius, qui S. Silverium Papam exulem litteris est consolatus (an. 539), et adjuvit pecuniis.

S. CONRADUS Episc.

*Obiit anno* 976.

Martyrol. — Constantiae sancti Conradi Episcopi.

Nobili Alemannorum stirpe exortus, patre Henrico de comitibus Altorf, matre Hattha, Comitissa de Hohenwart. A Notingo, Constantiensi Praesule, in opere sui ministerii fuit assumptus. Super egenum et pauperem intelligens, eorum inopiam pro viribus sublevabat; cunctis oppressis, non emptus causidicus, sed magnanimus adjutor fuit. Mortuo autem Notingo, ipse, anno 934, illius in locum, omnium suffragiis, Episcopus creatus est. Domum hospitalem pro pauperibus aedificavit; principalem SS. Dei Genitricis Ecclesiam exornavit; tres insuper novas Basilicas exstruxit; Jerusalem, dominicum sepulcrum veneraturus, tertio petiit; tandem plenus dierum et virtutum, miraculisque

clarus, ad coelestem patriam migravit anno superius memorato. (Ex *sancti Conradi Vita*, ab Uldarico I Constan. Episc. conscripta in *Surio*, Ed. poster.).

S. SYLVESTER ABBAS.

*Obiit anno* 1267.

MARTYROL. — Apud Fabrianum in Piceno beati SYLVESTRI Abbatis, Institutoris Congregationis Monachorum Sylvestrinorum.

Auximi (ital. *Osimo)*, e nobili familia, anno 1177, S. Sylvester progenitus est. Bononiae juris scientiae operam dedit: quibus studiis vix degustatis, ad studium sacrae Theologiae se contulit. In patriam reversus, in Canonicorum cathedralis Ecclesiae numerum cooptatus est: quo in officio, Episcopum suum, ut vitam emendaret, monuit. Cum annum ageret circiter quinquagesimum, sanctiorem vitam sectari cupiens, saeculum deseruit, ac in quamdam solitudinem sese abdidit, Deo uni et sibi vacaturus. Sed quum multi, ejus famâ permoti, apud eum vitam traducere efflagitarent, ipse S. Benedicti institutum complectitur et coenobium aedificat: atque hoc modo Monachorum Sylvestrinorum Congregationis fundamenta jacit, quam Innocentius Papa IV, anno 1248, approbavit, multisque privilegiis auxit. S. Sylvester, innumerabilibus laboribus, miraculisque illustris, nonagenarius, placidissime animam efflavit in coelo perpetuo regnaturam. (Ex *S. Sylvestri Vita* ab Andrea Abbate Gener. Sylvestrinorum descripta, in *Surio*, Ed. poster.).

S. BASOLUS CONF.

*Obiit circa annum* 567.

MARTYROL. — In territorio Rhemensi natalis sancti BASOLI Confessoris.

In territorio Lemovicino, regione Armoricana, is natus fuit. Rhemos profectus, ibi coenobiticam vitam suscepit, postea solitariam vitam duxit. (Ex *Menologio Benedict.*).

S. STYLIANUS ANACHORETA.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Hadrianopoli in Paphlagonia sancti STYLIANI Anachoretae, miraculis clari.

Agunt de eodem Graeci hac die in Menol., ejusque res gestas pluribus describunt. — Ita Baronius in Not. ad Martyr. Rom.

S. NICON MONACHUS.

*Saeculo X floruit.*

MARTYROL. — In Armenia S. NICONIS Monachi.

Ejusdem praeclara gesta graece conscripta, Jacobus Sirmundus, Societatis Jesu, in latinum convertit: ea paulo contracta, sic reddimus: « Ortus est in Ponto Polemoniaco. Ubi adolevit, parentibus insciis, ad monasterium Aurae petrae dictum, in finibus Ponti et Paphlagoniae situm, clam se contulit. Cum vero, divinitus admonitus, ejus Abbas ipsum ad plurimorum gentium conversionem vocatum esse, e monasterio eum abire cogit. Post varias in Orientem peregrinationes, ad Cretam insulam appulit, quae, etsi nuperrime a Saracenorum jugo liberata, Romanoque imperio restituta esset, foedis tamen ipsorum superstitionum vestigiis plena erat. Insulani peregrino et inaudito praedicationis genere, quo is utebatur, attoniti, animisque incensi, vehementer in eum commoti sunt, adeo quidem, ut manus etiam inferre cogitarent; sed postea eximiam ejus virtutem agnoscentes, iras deposuerunt, et propositam ab eo rectam Fidem amplectentes, odii modum in benevolentiae profectusque sui cumulum converterunt. Deinde Corinthum contendit; Lacedaemonem perrexit, aegrotos ubique, ad se venientes,

nima et corpore curans, atque inju-ias et calumnias, ei inlatas, infracto nimo sustinens. Ad immortalem beamque sorte transiisse videtur an-o 998. »

## S. LEONARDUS A PORTU MAUR. CONFESSOR.

*Obiit anno* 1751.

MARTYROL. — Romae sancti LEO-ARDI a Portu Mauritio Confessoris x Ordine Minorum strictioris obser-antiae, zelo animarum et sacris er Italiam expeditionibus conspicui, uem Pius Nonus Pontifex Maximus i Sanctorum Cànonem retulit.

«Leonardus a Portu Mauritio in ora igustica Italiae, piis parentibus na-is*, et jam a prima pueritia mirifica uadam propensione ad pietatem por-endit indicia futurae sanctitatis. Quae ulto clariora deinde ejus in adole-centia eluxerunt, cum Romam pro-ectus, in Collegio romano studiis tterarum ac philosophiae operam de-it. Ita enim in illa scholarum cele-ritate est versatus, ut dum ingenii xercitatione nemini concederet, in-ocentia morum, austeritate vitae, ontemptu sui, studio rerum divina-um omnes antecederet, adeo ut in dolescente alter Aloisius Gonzaga ollegio illi redditus videretur. His ositis fundamentis, ad consumman-um sanctitatis opus quod aedificare oeperat, inter sodales Caravitanos llectus, dum de more illius sodalitii otus esset in navanda opera apostoli-is Urbis concionatoribus, captus A-ostolatus sanctitate, nihil magis in otis habere coepit, quam se totum roximorum saluti dedicare. Ad quod itae genus quo facilius formaretur, errenis omnibus abdicatis, in fami-iam Fratrum Minorum Reformatorum nstituti rigidioris ingressus est. Hic uamdiu vixit, nunquam a summa anctitate est visus abesse. Admiranda in domesticis legibus servandis vigilantia, singulare orationis studium, eximius in Jesum atque Deiparam amor, assidua in affligendo corpore acerbitas, ardens in proximos charitas, summa in omni virtutum laude animi demissio, eum absolutum sanctitatis exemplar constituebant. Ex hac virtutis schola, suscepto sacerdotio, atque theologicis studiis ad praedicationem formatus, urgente in proximos charitate, tamquam e carcere ad cursum ad lucrandas animas egressus, tanta contentione Apostolatum suscepit, ut conatibus impar ejectu sanguinis, apostolicis laboribus in ipso praedicationis exordio abstinere ei fuerit necesse. Hoc ex morbo, quinto post anno, Deiparae ope relevatus, ad pristinam contentionem ita se renovavit, ut prodigii loco haberetur in corpusculo adeo graviter affecto, inedia, vigiliis, macerationibus semper extenuato, tantam inesse firmitatem. Hoc in vitae genere nunquam nec periculis deterritus, nec laboribus defatigatus, annos quatuor supra quadraginta perseveravit: quanta cum animarum utilitate, declarant Italiae regiones admirabili ejus dicendi vi, qua vel obstinatissimos quosque pervincebat, ad religionis studium revocatae, ac urbs Roma praecipue, quae concionibus ejus, ad quas etiam Benedictus Decimusquartus interfuit, adeo ad virtutem exarsit, ut fructus adhuc perennent admirandi illius Apostolatus. Nec vero, dum exterorum saluti consulebat, suos obliviscebatur. Nam, beneficio Cosmae tertii, in solitudine Etruriae comparata ea domo, in quam ipse sese a praedicatione recipere ad sancti Ignatii exercitia solebat, auctor fuit iis qui arctius Deo adhaerere vellent, ut eo secederent, ibique, juxta leges ab ipso conditas, et a Clemente Undecimo probatas, secreti a populo, asperiori vitae genere uterentur. Idem plura sodalitia Urbis excoluit, atque illud praecipue sanctissimi Cordis Jesu, quod est in san-

* Anno 1676, die vigesima decembris.

cti Theodori templo; in iis multa instituit, quibus in Christum atque in Deiparam honos mirifice est auctus. Horum dulcissima nomina in ore habebat semper, et tamquam praesidia certa salutis prae foribus domorum palam proponenda curabat. Passionis Dominicae meditandae studium propagavit, sacellis in amphitheatro Flavio aedificatis, ad quae cruciatus Christi, crucem ad Calvarium bajulantis, recolerentur. Ab eo etiam perpetua Sacramenti Eucharistici adoratio praecipuis in Italiae urbibus est constituta. His igitur aliisque admirandis virtutum meritis maturus coelo, postquam et prophetiae dono et miraculorum virtute, Deus sanctitatem servi sui confirmasset, cum tempus appropinquaret retributionis, ut Benedicto Decimoquarto fidem praestaret, cui nuspiam nisi Romae se moriturum promiserat, ex praedicatione Bononiensi, ad quam ab eodem fuerat missus, in urbem reversus, laboribus fractus, morbo tentari coepit: quo cum deficeret, Ecclesiae sacris expiatus, et postrema salutis monita Fratribus suis dedisset, anno aetatis suae quinto et septuagesimo, sanctissime obdormivit in Domino, die vigesima sexta Novembris, in coenobio sancti Bonaventurae, ubi nunc ejus corpus colitur; eique Pius Sextus, qui viventem magno honore habuerat, absoluto prius rite de virtutibus et miraculis servi Dei judicio, anno ab ejus obitu quadragesimo quinto, beatorum honores, Officium et Missam decrevit. Pius vero Nonus Pontifex Maximus, festis saecularibus Petri et Pauli Apostolorum Principum, anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, solemni ritu, adstantibus Episcopis Orbis universi, Sanctorum fastis inscripsit.» (Ex Ejus Officio proprio).

—

QUINTO KAL. DECEMB. DIE XXVII.

## SS. BASILÈUS, AUXILIUS ET SATURNINUS MM.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Antiochiae sanctorum Martyrum BASILÈI Episcopi, AUXILII et SATURNINI.

Cujus civitatis Basilèus, qui Antiochiae passus habetur, Episcopus fuerit, nusquam reperisse, ait, in *Not.* ad Martyr. Rom., Baronius.

— In Persia sancti JACOBI Intercisi, Martyris conspicui, qui tempore Theodosii Junioris, cum in gratiam Isdegersis Regis Christum negasset, et propterea mater ejus, et uxor ab ipsius se consuetudine subtraxissent, in se reversus, pro Christi confessione Regem adiit, a quo irato condemnatus membratim jussus est concidi, et capite obtruncari: quo tempore innumeri alii martyres ibidem passi sunt. (Vide *Surium*, pag. 695).

## SS. HIRENARCHUS, ACACIUS ET VII MULIERES MM.

*Martyrio decorati anno* 311.

MARTYROL. — Sebaste in Armenia SS. Mart. HIRENARCHI, ACACII Presbyteri, ac septem Mulierum: quorum constantiâ Hirenarchus commotus, ad Christum conversus, sub Diocletiano Imperatore et Maximo Praeside una cum Acacio securi percutitur.

De his etiam Graeci in Menologio, in quo de Hirenarcho haec leguntur « Hic ex urbe Sebasta, cum esset carnifex et minister tormentorum quae sanctis martyribus inferebantur; cumque in persecutione Diocletiani et Maximiani exquisitis quibusdam tormentis Christianas foeminas cruciasset, admiratus illarum constantiam et miracula, mente Divino Spiritu illustratus, se Christianum esse libere professus, jussu Praesidis in paludem injicitur: indeque in rogum

ımissus, cum ab utraque poena ma- ɛret illaesus, capite truncatus, mar- rium explevit ». (In Baronii *Notis* | Martyr. Rom.).

SS. FACUNDUS ET PRIMITIVUS

*Passi sunt anno* 303.

MARTYR.— In Gallaecia apud Caeam ıvium SS. FACUNDI et PRIMITIVI, ui sub Attico Praeside passi sunt.

Ipsi filii sunt S. Marcelli Centurio- is et Martyris, qui martyrii lauream st adeptus, anno 298, Tingi in Mau- tania, et die trigesima octobris co- tur. — Gallaecia, italice *Galizia*, Hi- ɔaniarum est provincia.

S. VALERIANUS EPISCOPUS.

*Saeculo IV floruit.*

MARTYROL. — Aquilejae sancti VA- ERIANI Episcopi.

Pauca de ipsius gestis Historiae ıobis tradidêre. In Aquilejensi epi- ɪcopatu successit Fortunatiano, Aria- ıa haeresi infecto; et ecclesiam illam ıon solum omni labe Ariana quam ɪitissime expurgavit, verum etiam ıova propagine eruditorum et om- ıibus virtutibus praestantium cleri- orum adeo illustrem reddidit, ut, ,uemadmodum S. Hieronymus scri- ɪsit, ea habita sit quasi sanctorum horus. Interfuit, primusque ponitur rdine, Concilio quod, anno 381, A- uilejae a Gratiano Imperatore con- ocatum fuit adversus Arianos. Eccle- iastici autem, qui a Valeriano sancte t docte instituti, hisce temporibus minere, hi sunt: Chromatius, qui i in episcopatu suffectus est; Jovi- us et Eusebius, diaconi, Heliodorus, epotianus, Nicaeas, Chrysogonus onachus, Bonosus et Rufinus, ad uos omnes extant S. Hieronymi e- istolae. Quin etiam S. Hieronymus pse, in suae conversionis primordiis er Europam iter faciens simul cum onoso, ejusdem collactaneo et fami- iarissimo, quum Aquilejae pervenis- et, ibi aliquo temporis spatio con- sedit S. Valeriani colloquiis fruiturus. (Ex Baronii *Annalibus*).

MARTYROL. — Apud Regium in Gal- lia S. MAXIMI Episc. et Confess., qui a primaeva aetate omni gratia vir- tutum praeditus, primum Lirinensis coenobii Pater, deinde Regiensis Ec- clesiae Episcopus, signis et prodigiis inclytus extitit. (V. *Surium*, p. 689).

S. VIRGILIUS EPISCOPUS.

*Obiit anno* 784.

MARTYROL. — Salisburgi in Norico sancti VIRGILII Episcopi, et Carin- thiorum Apostoli, a Gregorio Nono Pontifice Maximo sanctis adscripti.

S. Virgilius, natione Hibernus, vi- tam monasticam amplexus est sub Re- gula S. Benedicti. Cum, religionis causâ, in Gallias venisset, a Pipino, domui regiae praefecto, perhonorifice exceptus, summoque in pretio habi- tus fuit. Ad cathedram Salisburgen- sem (*Salzburg*) evectus anno 745, circumjacentes provincias, Carinthiam in primis, sublatis impiis superstitio- nibus, idolisque eversis et protritis, ab immani daemonum servitute in li- bertatem filiorum Dei vindicavit, u- bique ecclesias construxit, et scholas aperuit. Carinthiis primum Antisti- tem, Modestum nomine dedit, et post ipsius obitum, Latinum consecravit. Is Cathedralem Salisburgensem Ba- silicam ingenti mole et magnis sum- ptibus aedificavit. Pannoniae fines, omni loco praedicans verbum Dei, at- tigit; ac demum laboribus confectus, ad aeternam requiem transiit. In Sanctorum numerum relatus est anno 1233. (Ex vita S. Virgilii a S. Ebe- rhardo ejusdem discipulo conscripta).

SS. BARLAAM ET JOSAPHAT MM.

*Passi sunt circa annum* 383.

MARTYROL. — Apud Indos Persis finitimos sanctorum BARLAAM et JO- SAPHAT, quorum actus mirandos san- ctus Joannes Damascenus conscripsit.

Historia haec, quam, teste Baronio, S. Joannes Damascenus conscripsit, et quae in Surio (*Ed. poster.*) habetur, adeo prolixa et diffusa est, ut impossibile videtur eam paucis complecti. Hic adnotasse sufficiat Barlaam eremiticam vitam egisse; Josaphat autem, filium cujusdam Indiae Reguli, a Barlaam ipso Christianam Fidem suscepisse, ac deinde vitam suam in solitudine peregisse.

## S. SEVERINUS Monachus.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Lutetiae Parisiorum depositio sancti Severini Monachi et Solitarii.

De eodem vetera manuscripta, Maurolyc. et Molanus in addit. ad Usuardum. Haec tantum Baronius.

QUARTO KAL. DECEMB. DIE XXVIII.

## S. RUFUS Martyr.

*Passus est anno* 303.

Martyrol. — Romae sancti Rufi, quem cum omni familia sua Diocletianus Christi Martyrem fecit.

Baronius (in *Notis* ad Mart. Rom.) se in veter. manuscriptis legisse testatur S. Rufum unà cum suis a S. Chrysogono ad fidem esse conversum.

## S. SOSTHENES Martyr.

*Saeculo primo.*

Martyrol. — Apud Corinthum natalis S. Sosthenis disciputi B. Pauli Apostoli, cujus mentionem facit idem Apostolus Corinthiis scribens. Hic ex principe Synagogae conversus ad Christum, ante Gallionem Proconsulem acriter verberatus, praeclaro initio fidei suae primordia consecravit.

Ejus meminit S. Paulus in I. ad Corinth. I, 1, ubi ipsum *fratrem* vocat. Sed et in Actibus Apostolorum, Cap. XVIII, 17, haec de eo leguntur; « Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem Synagogae, percutiebant eum ante tribunal; et nihil eorum Gallioni erat curae. » Ipsum autem Episcopum Colophonis ordinatum, tradit Dorotheus in Synopsi. Censent tamen aliqui Sosthenem, de quo in Epistola ad Cor., non eumdem esse de quo in Apost. Actibus agitur.

## SS. PAPINIANUS et MANSUETUS Episc. et Mart.

*Passi sunt saeculo V.*

Martyrol. — In Africa sanctorum Martyrum Papiniani et Mansueti Episcoporum, qui tempore Wandalicae persecutionis sub Genserico Rege Ariano pro fidei catholicae defensione candentibus ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummarunt. Quo etiam tempore alii sancti Episcopi, Valerianus, Urbanus, Crescens, Eustachius, Cresconius, Crescentianus, Felix, Hortulanus et Florentianus damnati exilio, cursum vitae suae impleverunt.

De hac Genserici persecutione agit Victor Vitensis, cujus aliqua in *Martyr. Illustr.* mensis Octobris, pag. 905. a nobis sunt relata.

— Constantinopoli SS. MM. Stephani junioris, Basilii, Petri, Andreae, et Sociorum trecentorum et triginta novem Monachorum, qui sub Constantino Copronymo pro sanctarum Imaginum cultu variis excruciati suppliciis, veritatem Catholicam effuso sanguine confirmarunt. (V. *Sur.* p. 699).

## S. GREGORIUS Papa Tertius.

*Ab anno* 731 *ad annum* 741.

Martyrol. — Romae beati Gregorii Papae Tertii, qui sanctitate praeclarus migravit in coelum.

« Gregorius III, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos decem, menses octo, dies viginti. Vir mitissimus, et valde sapiens, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Graeca, Latinaque linguà eruditus, Psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, et in eorum sensibus subtilis-

ma exercitatione limatus. Lingua uoque in lectione polita, exhortator mnium bonorum operum, plebique ilutaria praedicans, fidei Catholicae t Apostolicae immutilatae conservaor, perenniter sua monita, corda fidelium corroborans, orthodoxae fidei aemulator ac defensor fortissimus, paupertatis amator, et erga nopes provisor non solum mentis pietate, sed studii sui labore sollicitus, captivorum etiam redemptor, rphanorum quoque et viduarum lartitor, necessaria tribuens, amator religiositatis in Christiana norma, et eligiose volentibus vivere, et Dei imorem habentibus in suis praecordiis dilector existens, Deo favente, pervenit ad sacrum ordinem Presbyteratus. Quem viri Romani, seu omnes populi a magno usque ad parvum, divina inspiratione permoti, subito eum, dum ejus decessor de hoc saeculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui antecessoris esset intentus, vi abstollentes, in Pontificatus ordinem elegerunt. » Haec Anastasius Biblioth. Quae autem Sanctus Gregorius in Pontificatu egit, praecipue in sacrarum Imaginum persecutione, in Historiis Ecclesiasticis sunt legenda.

## S. JACOBUS PICENUS CONF.

*Obiit anno* 1475.

MARTYROL. — Neapoli depositio sancti JACOBI Piceni Confessoris, Ordinis Minorum, vitae asperitate, Apostolica praedicatione, ac pluribus pro re Christiana óbitis legationibus praeclarus, quem Benedictus XIII Pontifex Maximus Sanctorum fastis adscripsit.

« Summi Dei gloria maxime postulat ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus et miraculis quae Christus Dominus per servos suos operari dignoscitur, illorum memoriam super candelabrum totius Ecclesiae collocari decernat, unde universis christifidelibus clara lux effundatur, qua, per viam salutis tuto ambulantes, eorumdem exemplis et patrocinio in superna tabernacula perduci mereantur. Itaque nos, animo revolventes, beatum virum Jacobum a Marchia christianis virtutibus signisque omnipotentis Dei manu per merita ejus patratis excelluisse, quem in Piceni agro Asculano ortum anno Christi Domini MCCCXCI, pieque educatum, inter suos excepit Ordo fratrum Minorum qui a regulari Observantiâ nuncupantur, in hanc deliberationem maturo consilio devenimus, ut eum, coelestium donorum copiâ spectatissimum, aspero vitae genere insignem, et compluribus legationibus pro re christianâ susceptis de Ecclesiâ praeclare meritum, ac jamdudum beatis adnumeratum, in plenario conventu sanctorum confessorum canoni adscriberemus. Etenim Dei virum, beati Bernardini Senensis discipulum, inque avertendis ab agro dominico ingruentium contagionum afflatibus B. Joannis a Capistrano socium, magna quaeque commendant; quippe quem, ut vitae sanctimoniâ percelebrem, a Caesaribus, regibus et principibus pro religionis causâ expetitum, septemque decessorum nostrorum piae recordationis Romanorum Pontificum, Martini V, Eugenii IV, Nicolai V, Calixti III, Pii II, Pauli II et Xisti IV legationes contra haereticos, fraticellos, manichaeos redivivos, patarenos, hussitas, thaboritas et turcas ipsos magnâ doctrinae et zeli apostolici laude in Italiâ, Pannoniâ, Germaniâ, Bohemiâ et Sarmatiâ per innumera vitae pericula obeuntem, universa Ecclesia mirata est. Quare probatissimum virum, qui, multis magnisque meritis plenus, VI kalendas decembres anno MCCCCLXXV Neapoli in Campaniâ obdormivit in Domino, perplura miracula, nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in aede S. Mariae Novae corruptionis expertibus ac suavi et perenni odore perfusis, undequaque inclytum reddide-

runt: quas quidem exuvias nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, carissimo in Christo filio nostro Philippo V Hispaniarum regi catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut, Carolo V Romanorum imperatore apud felicis memoriae antecessorem nostrum Clementem Papam VII flagitante, de Jacobo inter sanctos referendo actum fuerit, atque iterum Philippo III Hispaniarum rege catholico adnitente apud similis memoriae decessores nostros Paulum V et Urbanum VIII, qui, Jacobi virtutibus et miraculis comprobatis, officium de eo recitare, missamque in ejus honorem universo Ordini fratrum Minorum, ac toti civitati, dioecesi Neapolitanae, cujus patronus electus fuerat, decreto apostolico celebrare permisit. Deinde novis miraculis post Jacobi beatificationem per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales coram nobis in examen adductis, decessorumque nostrorum constitutionibus respondere omnino repertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum nobiscum Romae praesentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, tum pro B. Jacobo sanctorum confessorum fastis adnumerando regum et principum christianorum supplicationibus sanctae Apostolicae Sedi porrectis etiam Ordo fratrum Minorum cum Neapolitanâ et Asculanâ civitatibus suas adjunxissent, solemni caeremoniae et maximo ritui de more complendis die indictâ, perque orationes, jejunia et eleemosynas ope omnipotentis Dei ferventissime imploratâ, ac universis, quae ex S. R. E. disciplina peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem antecessoris nostri pontificis et martyris Melchiadis Deo sacrâ, qua etiam Incarnati Verbi mysterium in annuâ translationis almae Domus Lauretanae memoria recolitur, nos ipsi unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro viro Dei Jacobo a Marchia in sanctorum confessorum canonem referendo per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, repetitis precibus, post cantatas de more orationes, et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Jacobum a Marchia Ordinis fratrum Minorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, et celebrarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat et constat, unâ cum beatis Thuribio archiepiscopo Limano confessore pontifice, et Agnete Politianâ virgine nostri Ordinis Praedicatorum, sanctum [illegible] definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab Ecclesiâ universali in ejus honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis IV kalendas [illegible]

cembres, quo die ad coelestem patriam evolavit, ejus festa solemnia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint. (Ex *Canoniz. Bulla*, *anno* 1726, *promulgata*).

TERTIO KAL. DECEMB. DIE XXIX.

MARTYROL. — Vigilia sancti ANDREAE Apostoli.

Est de ea sermo S. Bernardi.

## SS. SATURNINUS ET SISINIUS MM.

*Martyrio coronati saeculo IV ineunte.*

MARTYROL. — Romae via Salaria natalis sanctorum Martyrum SATURNINI senis et SISINII Diaconi sub Maximiano Principe: quos diu in carcere maceratos, jussit Praefectus Urbis in equuleum levari, et àttrahi nervis, fustibus ac scorpionibus caedi, deinde eis flammas apponi, et depositos de equuleo capite truncari.

Horum martyrium recensetur in Actis sancti Marcelli Papae, quae in Surii nostri Vol. I, pag. 333 etc. vide.

— Tolosae S. SATURNINI Episcopi, qui temporibus Decii in Capitolio ejusdem urbis a Paganis tentus, atque a summa Capitolii arce per omnes gradus praecipitatus, capite colliso, excussoque cèrebro, et toto corpore dilaniato, dignam Christo animam reddidit. (Vide *Surium*, pag. 740).

## SS. PARAMON ET CCCLXXV SOCII MARTYRES.

*Passi sunt anno* 254.

MARTYROL. — Item passio sanctorum PARAMONIS, et Sociorum trecentorum septuagintaquinque sub Decio Imperatore et Aquilino Praeside.

In Menologio Graeco haec de eisdem habentur: « Hi fuerunt sub Decio Imperatore et Aquilino Praeside: quos ad templum Isidis Praeses ingressus immolaturus, jubet eos hoc idem facere; quod cum illi renuerent, praecepit omnes occidi. Necati tunc sunt quos secum duxerat 375 viri. Cum autem id videret Paramon, magna exclamans voce dixit: « Nefarium atque impium facinus video; scelestum istum tot viros justos atque hospites, more pecudum, jugulare. » Hoc audiens Praeses, statim Paramonem jubet interfici. Quod cum nesciret ille, in eo ipso loco in quo ambulabat, qui missi fuerant, eum opprimentes occiderunt. » (Ex Baronii *Annal.*).

## S. PHILOMENUS MARTYR.

*Passus est anno* 275.

MARTYROL. — Ancyrae sancti PHILOMENI Martyris, qui in persecutione Aureliani Imperatoris sub Felice Praeside igne probatus, manibus pedibusque ac demum capite clavis confixo, martyrium consummavit.

Graeci itidem hac die in Menologio. — Haec tantum in Baronio.

## SS. BLASIUS ET DEMETRIUS MM.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Vèrulis * sanctorum Martyrum BLASII et DEMETRII.

Agunt de eisdem vetera manuscripta et antiqua Verulanae Eccl. monumenta. Passos fuisse sub Diocletiano vel Juliano creditur. — Ita Baronius in *Notis* ad Martyr. Rom.

## S. ILLUMINATA VIRGO.

*Probab. obiit anno* 303.

MARTYROL. — Tuderti ** sanctae ILLUMINATAE Virginis.

Claruit temporibus Maximiani Imperatoris, ut constat ex rebus gestis ipsius, quas manuscriptas ab Ecclesia Tudertina missas Baronius testatur accepisse (in *Notis* ad Martyr. Rom.). In ejusdem autem Annalibus S. Illuminata coronâ martyrii illustrata dicitur.

* Italiae urbs (in Latio), ital. *Veroli*.
** Italiae urbs (in Etruria), ital. *Todi*.

PRIDIE KAL. DECEMB. DIE XXX.

MARTYROL. — Apud Patras Achajae natalis sancti ANDREAE Apostoli, qui in Thracia et Schytia Christi Evangelium praedicavit. Is ab Aegea Praeside comprehensus, primo in carcere clausus est, deinde gravissime caesus, ad ultimum in cruce suspensus, in ea populum docens biduo supervixit: et rogato Domino ne eum sineret de cruce depòni, circùmdatus magno splendore de coelo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum. (Vide *Surium*, pag. 744).

## SS. CASTULUS ET EUPREPES MM.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Romae passio sanctorum CASTULI et EUPREPITIS.

Agunt de iisdem Beda ac recentiores, consentiuntque vetera manuscripta. — Haec tantum in Baronio.

## S. MAURA VIRGO ET MART.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Constantinopoli sanctae MAURAE Virginis et Martyris.

De eadem agunt Graeci; ejusque nomine nobilitata est insula in mari Jonio, quae *Sancta Maura* nuncupatur. — Ita Baronius in *Notis* ad Mart. Rom.

## S. JUSTINA VIRGO ET MART.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Item sanctae JUSTINAE Virginis et Martyris.

Agitur de ea in vet. manuscriptis, sicut et in veteri Martyrol. Rom. aliisque recentioribus. — Ita Baronius ibidem.

MARTYROL. — Apud Santonas sancti TROJANI Episcopi, magnae sanctitatis viri, qui sepultus in terris, in coelo se vivere multis virtutibus manifestat. (Vide *Surium*, pag. 753).

## S. CONSTANTIUS CONFESSOR.

*Saeculo V.*

MARTYROL. — Romae sancti CONSTANTII Confessoris, qui fortiter Pelagianis resistens, eorum factione multa pertulit, quae illum sanctis confessoribus sociarunt.

Prosper in *Chronico*, sub anno 439, haec de S. Constantio refert: « Hoc tempore, Constantius servus Christi ex Vicario, Romae habitans et pro gratia Dei Pelagianis resistens, factione eorumdem multa pertulit, quae illum sanctis confessoribus sociarunt. »

## S. ZOSIMUS CONFESSOR.

*Saeculo VI claruit.*

MARTYROL. — In Palaestina beati ZOSIMI Confessoris, qui sub Justino Imperatore sanctitate et miraculis fuit insignis.

Is *Magnus* a Baronio in Annalibus vocatur. De eodem plura habet Evagrius in Hist. Lib. IV, cap. VII. Evagrio itaque testante, Zosimus, genere Phoenix, ex Sinda, pago Phoeniciae ortus, monachus factus, ita tum abstinentiâ a cibis, tum aliis virtutibus quae in ejus vita elucebant, Dei gratiam sibi conciliavit, ut non modo res futuras praevideret, verum etiam ab omni perturbatione liber et vacuus esset. Is dirum terraemotum, qui anno 525, Antiochia, ingenti incolarum clade, pene tota còncidit, praenuntiavit. Multa et insignia sane miracula patravit. Quo autem anno vitae suae cursum impleverit, ignotum est.

# MARTYROLOGIUM ROMANUM

## ILLUSTRATUM

---

# MENSE DECEMBRI

KALENDIS DIE I.

### NAHUM Propheta.

Martyrol. — Nahum Prophetae in Bégabar quiescentis.

Haec de eo habet S. Hieronymus, in *Nahum Prophetam Praefatione:* « Juxta Septuaginta Interpretes, in ordine Prophetarum duodecim, post Jonam Nahum ponitur: quia videntur de eadem urbe prophetare. Scriptum siquidem est in Jona: *Factus est sermo Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens: Surge, et vade in Ninivem civitatem magnam, et praedica in ea* (Jonae I, 1). In Nahum vero istud exordium est: *Assumtio Ninive: liber visionis Nahum Elcesaei.* Igitur uterque de Ninive Assyriorum metropoli, quae nunc vocatur Ninus, texunt vaticinium. Porro in Hebraico post Jonam, Michaeas ponitur, et Michaeam sequitur Nahum, qui interpretatur *consolator*... Porro quod additur, *Nahum Elcesaei,* quidam putant Elcesaeum patrem esse Nahum, et secundum Hebraeam traditionem etiam ipsum Prophetam fuisse: quum Elcesi usque hodie in Galilaea vicus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Judaeis, et mihi quoque a circumducente indicatus. »

### SS. DIODORUS Presbyt. et MARIANUS Diaconus MM.

*Passi sunt probabiliter anno* 283.

Martyrol. — Romae sanctorum Martyrum Diodori Presbyteri et Mariani Diaconi, cum aliis pluribus, qui, jubente Numeriano Principe, martyrii gloriam meruerunt.

Horum martyrium paucis describitur in SS. Chrysanthi et Dariae MM. Actis, ut videre potes in *Surii* Vol. X, pag. 711, § 17. Verum Acta haec, utpote *corrupta* (ita Baronius in *Annalibus* ad annum 284), parvi admodum sunt ponderis.

### SS. LUCIUS, ROGATUS, CASSIANUS et CANDIDA MM.

*Incertum quanam aetate passi.*

Martyrol.— Ibidem passio SS. Lucii, Rogati, Cassiani et Candidae.

Monet Baronius Candidae e Beda, aliorum vero nomina e veteribus manuscriptis ab ipso fuisse exscripta, quin aliquid circa eorum passionem et obitum subnectat.

### S. ANSANUS Martyr.

*Martyrio decoratus anno* 303.

Martyrol. — Eodem die sancti Ansani Martyris, qui sub Diocletiano

Imperatore Romae Christum confessus, et in carcerem trusus, deinde Senas in Tuscia perductus, ibidem capitis obtruncatione martyrii cursum perfecit.

S. Ansanus fertur ex nobilissimo Aniciorum genere, Romae, editus fuisse. A Proconsule Lysia capitis damnatus, mortem occubuit quarto a Senis lapide ad Arabiam fluvium. Ubi cum diu miraculis coruscasset, anno 1107, die sexta februarii, sacrum ejusdem cadaver Senas triumphali pompa translatum, in Aede principali reconditum fuit, simul cum corporibus SS. Crescentii, Savini et Victoris, qui omnes in Senarum Patronos electi sunt. (Ex *Fastis Senens. Ecclesiae*).

## S. OLYMPIADES Martyr.

*Passus est anno* 303.

Martyrol. — Ameriae in Umbria sancti Olympiadis viri consularis, qui a beata Firmina ad fidem conversus, sub Diocletiano in equuleo tortus, martyrium consummavit.

Olympiades, exacto sui consulatus tempore, quum Ameriae et circumjacentibus populis a Diocletiano imperatore praepositus fuisset, ejusdem jussu Christianos acriter insectatus est. Sed a Firmina *, virgo romana, quae apud Ameriam vitam in solitudine, humili ac tenui cultu victuque, agebat, mirabilem in modum ad Christi fidem conversus fuit. Quo audito, Diocletianus Megetium e Consularium numero, Ameriam extemplo misit, qui atroces ab illo poenas reposceret, nisi pristinum deorum cultum repetivisset. Cum Megentius operam perdidisset, eum flammatis facibus comburere jussit, quo in supplicio Olympiades animam Deo reddidit. Corpus ejus abjectum Megentii jussu, beatae Firminae curâ clam sublatum, humi traditum est. Ejusdem sacrae reliquiae nunc cum ipsius S. Firminae ossibus, Ameriae religiose adservantur. (E *S. Olympiadis Vita, ab Antonio M. Gratiano Ep. Amer. conscripta*).

* S. Firminae natale die 24 novembris celebratur. Vide *Martyrologium Illustr.* hac die.

## S. ANANIA Martyr.

Martyrol. — Arbeli in Persia sancti Ananiae Martyris.

Graeci etiam de eodem hac die agunt in Menologio, ejusque martyrium paucis narrant. — Ita Baronius.

## S. PROCULUS Ep. et Mart.

*Decollatus anno circiter* 545.

Martyrol. — Narniae sancti Proculi Episcopi et Martyris, qui post multa egregia opera a Totila Gothorum Rege jussus est decollari.

De S. Proculo agunt vetera manuscripta. Sed quum in codice S. Cyriaci, ait Baronius, omnium antiquissimo, haec habeantur: *Interamnae* * *sive Narnis* **, *natalis S. Proculi Episcopi et martyris*, prorsus ignoratur cujus civitatis re vera is Praesul fuerit. Incertum etiam est, an sub Totila sanguinem suum effuderit. At, sic Sollerius in *Notationibus* Usuardi Martyrologio, labyrinthum conserere videntur philopatrides illi, Proculos aeque ac Sanctos alios mirum in modum multiplicantes. — Numerantur enim Proculi plusquam tredecim.

## S. EVASIUS Ep. et Mart.

*Martyrii laureâ donatus sub Juliano Apostata.*

Martyrol. — In civitate Casalensi sancti Evasii Episcopi et Martyris.

Haec de S. Evasio in *Officio proprio* Ecclesiae Casalensis leguntur:

* Italice *Terni*, urbs episcopalis, rupibus altissimis clausa, Taciti *Historiarum* scriptoris, itemque Taciti imperatoris patria.

** Italice *Narni*, in colle sita, episcopali sede ornata, Nervae imperatoris patria.

Evasii Episcopi vitae sanctimoniâ, et Christi confessione, ac martyrio celebris, perantiquus est cultus in Ecclesiis quampluribus: qui Beneventi, ut perhibent, exorsus, quum verbi Dei praedicatione et miraculis plures ad veram Religionem ab Idolorum superstitione perduxisset, coelesti monitu, Romam contendit, Imperatore Constantino; ibique a beato Silvestro Pontifice ad Aram Principis Apostolorum sacratus, et primus Astensis Episcopus est constitutus. At dum commissum sibi Populum fideliter sancteque regeret, exorta sub Constantio Augusto Arianorum tempestate, sede sua pulsus est, multaque perpessus pro Christi Divinitate et doctrina, martyrii coronam promeruit: quam ita explicant vulgata ejus Acta. Quum Christum praedicare pergeret Evasius, et multos ab impuris erroribus ad Christianam fidem converteret, jubente Atubalo quodam Duce Idolorum cultore, comprehensus est, et minis atque blanditiis frustra impetitus apud Sedulam oppidum gladio percussus cum levita suo Projecto, aliisque promiscui sexus centum quadraginta quinque, illustre Christo Domino testimonium dedit kalendis Decembris, impiissimo Apostata Juliano imperante. Tanti Martyris cultus adeo apud Sedulenses, finitimosque populos increbuit, ut Oppidum inde S. Evasii nomine, aut Casale S. Evasii fuerit nuncupatum; ibique Liutprandus Longobardorum Rex post relatam ab hostibus victoriam, sibi ab Evasio in somniis, referentibus iisdem Actis, promissam, insignem illius nomini Basilicam aedificaverit, ubi Martyris ossa honorifice servarentur, addito Canonicorum Collegio, attributisque regalis munificentiae largitionibus. Quam quidem Basilicam Paschalis II Pontifex Maximus, anno a Domini Incarnatione 1106, pridie nonas Januarias, multis adstantibus Episcopis, in honorem beati Evasii solemni ritu consecravit, ac Sixtus Pp. IV, anno 1474, in Cathedralem erexit. »

## S. CASTRITIANUS Episcopus.

*Ad coelum migravit anno* 137.

Martyrol. — Mediolani sancti Castritiani Episcopi, qui in maxima Ecclesiae perturbatione virtutum meritis, ac rerum pie religioseque gestarum laude enituit.

De eodem *Lectiones*, quae sequuntur, in Officio proprio Ecclesiae Mediolanensis recitantur.

« Castritianus, civis mediolanensis, in Caji *, qui ex hac vita migraverat, locum episcopus eligitur absens. Is, ubi Mediolanum venit, in pastoralem curam, quam etsi invitus suscepit, summâ tamen vigilantiâ incumbens, quaecumque, ingravescente paulo ante Domitiani persecutione, collapsa erant restituere coepit. Philippi, nobilis viri, aedes Deo in ecclesiam dicavit. Cum autem, ob miraculorum, quae, eo loco, divinitus flebant, magnitudinem, a fide christiana alieni, se ab impietate ad verum Dei cultum converterent, is, aucta fidelium multitudine, alias duas aedes consecravit, quas duo Philippi filii ecclesiae donarunt, et has ex eorum nominibus Portianam unam, Basilicam Faustae alteram vocavit. Quam quidem Portianam cum Ariani postea, Justinae imperatricis favore subnixi, violenter invadere ac suo pseudoepiscopo tradere niterentur, sanctus Ambrosius ex adverso interritus obstitit, et in ea cum catholicis mori secum paratis excubans, primum instituit ut Hymni et Psalmi secundum morem Orientalium partium canerentur, ne populus interea moeroris taedio contabesceret: unde factum est etiam ut aliae deinceps Occidentis ecclesiae ritum eumdem susceperint. Beatus porro Castritianus Calimerium **, qui deinceps ei in archiepiscopatu successit, graecum

* S. Caji memoria die 27 septembris celebratur.

** S. Calimerii natale, die 31 julii, recolitur.

hominem, egregium pietatis cultorem, benigne domi excepit, diuque aluit. Peregrinos et pauperes fovit perpetuo. His aliisque multis rebus pie gestis, cum unum et quadraginta annos ecclesiam mediolanensem administrasset, miraculis et sanctitate clarus abiit ad Dominum Kalendis decembris, sepultusque est in coemeterio, tum extra Portam Romanam *. »

### S. URSICINUS Episcopus.

*Obiit versus finem saeculi IV.*

Martyrol. — Brixiae sancti Ursicini Episcopi.

Is Brixianae Ecclesiae, quae per ducentos prope annos, proprio pastore viduata, a Praesulibus Mediolanensibus administrabatur, Antistes electus est. Concilio Sardicensi anno 347 celebrato interfuit, ut testantur Tillemontius, Ughellius aliique scriptores. Quod vero affirmatur ab ipso Ughellio aliisque, ipsum scilicet, multa idolorum templa purgavisse, Deoque vivo et vero consecrasse, inter fabulas rejiciendum est. Sacrae ejus exuviae, Brixiae in Ecclesia S. Josepho sacra, custodiuntur. (E *Pontificum Brixian. Serie, etc.).*

— Noviomi in Belgio sancti Eligii Episcopi, cujus vitam admirandam multiplex signorum numerus commendat. (Vide *Surium*, pag. 5).

### S. AGERICUS Episcopus.

*E viris discessit anno 588. Francus.*

Martyrol. — Apud Virodunum ** sancti Agerici Episcopi.

Agericus (vulgo *Airi* vel *Aigri*), patriâ Virodunensis, Desiderato, a quo in ecclesiasticam militiam cooptatus fuerat, in illo episcopatu successit anno 550. Plures extruxit ecclesias locaque pia. Praeclara enituit charitate erga inopes et rudes. Familiarissimus fuit Childeberti II, Francorum regis, in cujus baptismo patrini munus expleverat. Quum autem quidam Guntchramnus-Boso, militum dux, quem is in suam fidem receperat, dirum in modum fuisset interfectus, itemque quum quidam Bertfredus in suipsius episcopalis palatii oratorio, ubi is ad mortem vitandam se abdiderat, necatus fuisset, S. Agericus, *fellis amaritudine aggravatus*, ut Gregorius Turon. ait *Historia Francorum*, lib. IX, 23, *maxime forti inedia consumtus*, decessit, *obiit, adposistusque est in sepulcro*. Viroduni sepultus est, in sacello sancti Martini ab ipso aedificato, quod nunc *S. Agerici* nomine appellatur. — S. Agerici laudes a Venantio Fortunato celebrantur in *Lib. III, carm.* 27 *et* 28.

* In eodem loco non nisi aliquot saeculis post S. Castritiani obitum ecclesia *S. Joannis ad Concam* fuit erecta. ** Vulgo *Verdun*.

### S. NATALIA

*Obiit circa annum 311.*

Martyrol. — Eodem die sanctae Nataliae uxoris beati Hadriani Martyris, qui sub Diocletiano imperatore sanctis martyribus Nicomediae in carcere detentis multo tempore ministravit; impletoque eorum certamine, Constantinopolim profecta, ibidem in pace quievit.

Res ab ea praeclare gestae in Actis Hadriani Martyris intextae sunt, quas itaque vide in *Surii* nostri Vol. IX, pag. 213 et seq.

QUARTO NONAS DIE 2

### S. BIBIANA Virgo et Martyr.

*Pro Christo occubuit anno 362.*

Martyrol. — Romae passio sanctae Bibianae Virginis, quae sub Juliano Imperatore sacrilego ob Christum tamdiu plumbatis caesa est, donec redderet spiritum.

*Breviarium Romanum* videsis sub ıc die. — Sollerius tamen in U-ıardi Martyrol. *Notationibus*, nec-ım certo, post multas disceptatio-ıs, constare sub quo persecutore ıssa fuerit Bibiana, affirmat.

Martyrol. — Ibidem sanctorum artyrum Eusebii Presbyteri, Mar-elli Diaconi, Hippolyti, Maximi, A-riani, Paulinae, Neonis, Mariae, artanae et Aureliae, qui in per-ecutione Valeriani sub Secundiano udice martyrium compleverunt. (Vi-e *Surium*, pag. 63).

S. PONTIANUS Martyr.

*Passus est anno circiter* 259.

Martyrol. — Item Romae sancti Pontiani Martyris cum aliis quatuor. Pontianum, paralysi laborantem, ab Eusebio, quem superius nomina-vimus, sanatum fuisse dum baptiza-batur, *Acta* Eusebii Sociorumque Martyrum testantur.

SS. SEVERUS, SECURUS, IANUARIUS et VICTORINUS MM.

*Passi sunt circa annum* 450.

Martyrol. — In Africa natalis san-ctorum Martyrum Severi, Securi, Ja-nuarii et Victorini, qui ibidem mar-tyrio coronati sunt.

Beda, Usuardus et Petrus in *Catal.* Lib. I, cap. 21, hos meminerunt. Pe-trus vero ex Adone refert eos in per-secutione vandalica martyrio coro-natos esse, — Ita Baronius.

S. CHROMATIUS Ep. et Confessor.

*Ex hac vita migravit circa annum* 406.

Martyrol. — Aquilejae S. Chro-matii Episcopi et Confessoris.

S. Chromatius vir fuit clarissimus; Episcoporum sui temporis doctissi-mum et sanctissimum, eum vocat in *Praefatione* in Librum *Paralip.* S. Hie-ronymus. Eumdem S. Joannes Chryso-stomus in Epistola 155 ad ipsum scripta ejusmodi elogio celebrat: « Clarissima ferventis tuae et sincerae charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffun-dit. » Ad eum et S. Ambrosius episto-lam misit. Rufinus etiam amicitiam suam coluit. S. Chromatius cum caete-ris S. Hieronymum, ut Vetus Testa-mentum ex hebraeo converteret, vehe-menter incitavit; in Origenianis di-sputationibus, pro S. Joanne Chry-sostomo stetit, ejusque doctrinam toto pectore defendit; S. Hieronymum et Rufinum, in quibusdam sententiis di-screpantes, conciliare nisus est. Scri-psisse fertur *Commentaria in Mat-thaeum;* sed nunc tantummodo extant homiliae de octo Beatitudinibus in Cap. v Matthaei, et Tractatus in il-lud: *Ego a te debeo baptizari.* Quae S. Chromatii *Commentariorum* frag-menta saepenumero typis evulgata fuere. Quaedam porro Epistolae sub ejusdem Chromatii et Heliodori no-minibus ad S. Hieronymum, et san-cti Hieronymi ad eosdem Epistolae *de Nativitate B. Virginis, et de Mar-tyrologio*, ab omnibus eruditis, utpote omnino spuriae, rejiciuntur.

Martyrol. — Apud Forum Cor-nelii sancti Petri Episcopi Raven-natis, cognomento Chrysologi, do-ctrinâ et sanctitate celebris; cujus festum pridie Nonas Decembris re-colitur. (Vide *Surium*, pag. 78).

S. LUPUS Episcopus et Confessor.

*Floruit saeculo VI.*

Martyrol. — Veronae sancti Lupi Episcopi et Confessoris.

De eodem agunt tabulae Eccl. Ve-ronensis, et Aug. Valerius ejusdem Ecclesiae Antistes et Cardinalis. — Ita Baronius, nec quidquam aliud.

### S. NONNUS Episcopus.

*Claruit medio saeculo V.*

Martyrol. — Edessae sancti Nonni Episcopi, cujus precibus Pelagia poenitens ad Christum conversa est.

De eo in *Actis* S. Pelagiae poenitentis plura habentur, ut videre potes in *Surii* Vol. x, pag. 255 et seq.

### S. SILVANUS Episcopus.

*Medio saeculo V floruit.*

Martyrol. — Troade in Phrygia sancti Silvani Episcopi, miraculis clari.

Socrates in *Eccl. Historia* (Lib. 7, cap. 36), haec de S. Silvano conscripsit: « Jam vero de Silvano, quem Philippopoli, urbe Thraciae, Troadem translatum dixi, non incommodum arbitror pauca commemorare. Silvanus primum in Troili Sophistae schola Rhetoricam didicit: qui quoniam religionem Christianam diligenter excoluit, et monasticum vitae genus exercere nitebatur, pallium philosophicum gestare noluit. Postea Atticus eum accersivit ad se, et Episcopatu Philippopolis eum donavit: qui triennio in Thracia aetatem degens, cum frigus tolerare non posset (corpus enim habuit exile admodum et imbecillum), obsecrabat Atticum, ut in ejus locum alterum subrogaret Episcopum; se non ob aliam causam quam ob frigus recusare vitam in Thracia traducere, docuit. Silvanus igitur hac de re in ejus locum suffectus, Constantinopoli commoratus est, monasticamque vivendi disciplinam semper excoluit. Adeo enim ab omni fastu alienus fuit, ut saepenumero in frequenti multitudine civitatis, quae tum celebris erat, sandaliis indutus ex foeno confectis incederet. Non longo tempore interposito, Episcopus Troadis moritur: qua de causa Troades veniunt Constantinopolim quaesitum Episcopum. At dum Atticus secum consilium inibat, quem ad illud munus designaret, forte Silvanus in ejus conspectum venit: quem ut vidit Atticus, confestim curam cogitandi deposuit, et ita Silvanum allocutus est: « Non est ulla tibi amplius excusatio quo minus Ecclesiae administrandae curam suscipias, nam Troas nihil habet algoris: ecce tibi locum ... num, quem Deus corporis tui imbecillitati paravit. Ne cunctèris igitur sed Troadem ire matures. » Quapropter Silvanus eo migravit. Sed miraculum ab eo editum percensere animus est. Navis oneraria, quae vulgo πλατή ob latitudinem vocatur, in qua ingentes vehebantur columnae, nuper in littore Troadis fabricata fuerat. Haec cum in mare traducenda esset, et magna hominum multitudo cum multis funibus eam trahere conaretur, nec commovere quidem potuerat. Ubi istud dies complures factum fuit, putabatur navis a daemonio detineri. Itaque Silvanum Episcopum adeunt, rogant ut preces in eo loco faciat, nam eo pacto solum navem posse in mare protrahi credebant. At ille modeste de se ... praedicans, se peccatorem appellavit, dixitque illud non sui, sed alicujus justi esse. Verum ubi acrius instabant, venit ad littus, preces ibi Deo fundit, funem unum manu apprehendit, jubetque alios opus aggredi. Hujus igitur leni pulsu agitata navis in mare raptim fertur. Hoc miraculum a Silvano editum omnes illius provinciae incolas magnopere ad pietatem incitavit. Silvanus et ... etiam vitae officiis magnae suae bonitatis ostendit indicia. Nam cum clericos ex litigantium controversiis quaestum facere videretur, deinceps neminem ex clero Judicem esse permisit, sed, acceptis litigantium libellis, unum ex Fidelibus laicis, quem aequo et bono favère pro certo cognosceret, eum causarum cognitioni praefecit; sicque litigantes contentione et controversia liberavit. Ille

causis Silvanus maximam gloriam ad omnes sibi conciliavit. » Hucusque de Silvano Socrates. Sed de eom scripsit etiam Nicephorus.

### S. EVASIUS Episcopus

Martyrol. — Brixiae sancti Evasi Episcopi.

Etsi Baronius, in *Notis* ad Martylogium Rom., Ecclesiae Brixianae tabulas de S. Evasio agere testetur, ejus Antistitis ne nomen quidem accuratissima *Pontificum Brix. Series illustrata, opera et studio Gradoci*, reperitur.

TERTIO NONAS DIE III.

### S. FRANCISCUS XAVERIUS

*Vita decessit anno* 1552. — *Hispanus.*

Martyrol. — In Sanciano, Sinarum insula, sancti Francisci Xaverii Societate Jesu, Indiarum Apostoli, gentium conversione, donis et miraculis clari, qui plenus meritis et laboribus obiit quarto Nonas Decembris; ejus tamen festum jussu Alexandri VII hac die celebratur.

Consulatur *Breviarium Romanum* hac die.

### S. SOPHONIAS Propheta.

Martyrol. — In Judaea sancti Sophoniae Prophetae.

Sophonias paucis ante captivitatem annis sub Josia vaticinatus est: duas tribus ad poenitentiam invitat. In serie minorum Prophetarum, nonus est. Jerosolymis fere semper constitisse videtur.

### SS. CLAUDIUS et uxor ejus HILARIA et filii cum LXX Militibus MM.

*Passi sunt anno circ.* 283.

Martyrol. — Romae sanctorum Martyrum Claudii Tribuni et uxoris ejus Hilariae, ac filiorum Jasonis et Mari, cum septuaginta Militibus: ex quibus Claudium jussit Numerianus Imperator ingenti saxo alligatum, in flumen praecipitem dari; milites vero et filios ipsius Claudii capitali sententia puniri. Beata autem Hilaria, cum filiorum corpora sepelisset, ad eorum sepulcrum orans, paulo post a Paganis tenta migravit ad Dominum.

Eorum res gestae junctae habentur *Actis* SS. Chrysanthi et Dariae, quae in *Surii* nostri Vol. x continentur.

### S. CASSIANUS Martyr.

*Passus videtur anno* 298.

Martyrol. — Tingi* in Mauritania passio sancti Cassiani Martyris, qui exceptoris diu gerens officium, tandem coelitus inspiratus, execrabile duxit Christianorum neci deservire; unde renuntians eidem officio, sub Christiana confessione triumphum meruit obtinere martyrii.

S. Cassiani *Acta*, brevia, sed insignia et genuina, edidit inter *Sincera et Selecta* Ruinartius, qui ex codice ms. Bibliothecae Colbertinae descripsit. Sunt porro hujuscemodi: « Cum beatissimus Cassianus Aureliano Auriculano agenti vices Praefectorum Praetorio militaris exceptor, eo tempore quo sanctum Martyrem (*Marcellum scilicet, centurionem, cujus festum die* 30 *octobris recolitur*) auditurus erat, ejusdem parebat officio. Inducto itaque Marcello ex centurionibus Astasianis Tingi, tertio Kal. Novembris die, multa et terribili eum voce, quasi judiciaria auctoritate a confessionis perseverantia Aurelianus Auriculanus depravare tentabat. Sed cum Marcellus beatissimus Martyr, Christi se militem esse proclamaret, summa auctoritate constantiae molestiis saecularibus militare non posse, ut jam multum ** judicem judicantis crederent omnes esse Marcellum; contra Aurelianus Auriculanus plena furoris verba depromeret. Quas cum

* Hodie *Tanger* vocatur. ** Forte, *magis*.

sententias exciperet Cassianus, ubi devictum devotione tanti Martyris Aurelium Auriculanum, capitalem vidit ferire sententiam, exsecrationem sui clara voce contestans, graphium* et codicem projecit in terra. Quare stupente officio **, vidente Marcello, tremefactus Aurelius Auriculanus exsiliens de sella decidit ***, quare cum detestatione codices projecisset. Respondit beatissimus Cassianus, *iniquam eum dictasse sententiam*. Quem ut ne se amplius redargueret, statim jussit eum àbripi, et in carcerem trahi. Riserat enim beatissimus Marcellus Martyr, quia gaudebat praescius per Spiritum Sanctum, Cassianum in martyrio sibi comitem fieri. Qua quidem die summa cum exspectatione civitatis Marcellum beatissimum desideratum ****. Nec longa tamen intercapedine temporis venerabilis Cassianus, idest tertio Nonas Decembris die, in eodem loco, in quo Marcellus fuerat auditus, introductus est, et iisdem fere responsionibus, iisdemque sententiis, quibus sanctus Marcellus, triumphum meruit obtinere martyrii, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas, in saecula saeculorum, Amen. » S. Cassianum saeculo IV jam notissimum fuisse patet ex Hymno IV Prudentii *de Coronis*, ubi is praecipuos variarum ecclesiarum patronos recensens, hunc de ipso versiculum conscripsit:

Ingeret Tingis sua Cassianum.

## SS. CLAUDIUS, CRISPINUS, MAGINA, ALIIQUE MM.

*Aetas eorum passionis incerta.*

MARTYROL. — Item in Africa sanctorum Martyrum CLAUDII, CRISPINI, MAGINAE, JOANNIS et STEPHANI.

* *Stylum* videlicet.
** Idest *Magistratibus*.
*** Forte, *dixit*. — Ruinart.
**** Forte, *Marcellus beatissimus desideratum finem obtinuit*. — Ruinart.

Beda et alii recentiores de his agunt hac die, adstipulanturque vetera manuscripta. — Ita Baronius.

## S. AGRICOLA MARTYR.

MARTYROL. — In Pannonia sancti AGRICOLAE Martyris.

De eodem Beda, ac veter. mss. et alii recentiores. — Baronius.

## SS. AMBICUS, VICTOR ET JULIUS MM.

MARTYROL. — Nicomediae passio sanctorum AMBICI, VICTORIS et JULII.

De his item Beda ac veter. mss. necnon et recentiores — Baronius.

## MIROCLES EPISC. ET CONF.

*Abiit ad Dominum anno 325.*

MARTYROL. — Mediolani sancti MIROCLETIS Episcopi et Confessoris, cujus aliquando sanctus Ambrosius meminit.

In Officio proprio Ecclesiae Mediolanensis hae de eodem Lectiones recitandae habentur.

« Mirocles *, civis mediolanensis, eruditione evangelica, disciplinaque florens, fidei studio incensus, omnem in eo sollicitudinem defixit, ut, disjectis impurae superstitionis tenebris, Christianae religionis lux in omnem partem longe lateque diffunderetur: id quod, juvante Deo, in provincia mediolanensi assecutus est, egregia archiepiscopalis officii contentione, praeclaroque coelestium doctrinarum studio. Romam, Melchiade **, Pontifice, ad Synodum evocatus ***, cum gravissima episcoporum Africae causa ageretur, unius potissimum in illius consilio fuit. Certam vero sacrarum precum regulam, ab apostolicae insti-

* Is ad mediolanensem Episcopatum promotus est anno 137.
** S. Melchiades Papa die 10 decembris memoratur.
*** Concilium hoc anno 313 est coactum

.tionis usu derivatam, praescripsit. ᴅit autem ceterarum virtutum epi-opalium gloriâ valde ornatus, sed spitalis maxime, quippe qui domum ibuerit perpetuo patentem atque ex-sitam aegris hominibus, egentibus peregrinis. Ecclesiam praeterea me-olanensem eximie excoluit, tantique cit eum beatus Ambrosius ut in ncione, in Arianorum arrogantiam vectus profiteretur: « Absit, ut tra-m haereditatem Dionysii, qui in silio in causa fidei defunctus est; ereditatem Eustorgii Confessoris; ereditatem Miroclis atque omnium tro fidelium episcoporum. » Sepul-s est in Basilica Portiana *. Per dem tempora Constantinus Magnus, elestis Crucis ostento erectus, et us effigiem pro signo praeferens, in-gnem de hostibus victoriam tulit, cque tandem decreto Mediolani e-to, pax ecclesiae reddita est. »

Martyrol. — In Anglia S. Birini rimi Episcopi Dorcestriensis. (Vide urium, pag. 68).

S. LUCIUS Britannorum Rex.

*Obiit sub finem saeculi III.*

Martyrol. — Curiae in Germania ncti Lucii Britannorum Regis, qui imus ex iis Regibus Christi fidem scepit, tempore Eleutherii Papae.

In *Historia Eccles.* Venerab. Bedae gitur Lucium, Britannorum regem vina luce perfusum, Epistolam mi-sse ad Papam Eleutherium **, *obse-rans ut per ejus mandatum Chri-ianus efficeretur*. S. Eleutherius ita-ue ministros in Britanniam illico isit qui regem aliosque, qui adhuc olorum cultum profitebantur, chri-ianam religionem docerent atque rrâ baptismatis undâ abluerent. Ex-inc Britanni susceptam fidem usque ad Diocletiani tempora integram in-violatamque pacifice servarunt. Lu-cius vero, ut ex aliis historiis eruimus, sancto fine quievit Claudiocestriae (vulgo *Glocester*), ubi tumulatus fuit. Minime porro veritati consentaneum videtur, ipsum Lucium, ad Christi fi-dem conversum, regno abdicâsse, atque Germaniae quasdam provincias, Noricum scilicet, Vindeliciam et Rhoe-tiam peragrâsse, ut Evangelium illis populis praedicaret, ac demum Cu-riae * consedisse, ubi primus fuit Epi-scopus. Probabilius e duobus Luciis prorsus distinctis, Lucio scilicet Bri-tannorum rege, et Lucio Rhoetiae A-postolo et Curiae primo Antistite at-que Martyre unus idemque conflatus fuit.

S. GALGANUS Eremita.

*Vitâ functus anno 1181.*

Martyrol. — Senis in Tuscia san-cti Galgani Eremitae.

Natus est Clusdini, Senarum in op-pido. In primo adolescentiae aestu in omnia vitia ruit; at demum in re-giam virtutis viam, coelo eum impel-lente, reversus, in solitudinem quam-dam secessit, ubi longâ inediâ, mul-tisque cruciatibus commissa scelera expiavit. In illa solitudine obiit an-num agens suae aetatis trigesimum. Ejusdem caput, in theca argentea, gemmis baccata, inclusum, adhuc Se-nis magna cum veneratione adserva-tur. (E *Fastis Eccles. Senensis*).

PRIDIE NONAS DIE IV.

Martyrol. — Sancti Petri Chry-sologi Episcopi et Confessoris, cujus memoria quarto Nonas Decembris re-censetur. (Vide *Surium*, pag. 78).

— Nicomediae passio S. Barbarae Virginis et Martyris, quae in persecu-

* Ex S. Miroclis prosapia originem duxisse Epiphanii Episcopi Ticinensis matrem, ait En-nodius in ejusdem S. Epiphanii Vita.

** S. Eleutherius vitâ functus est an. 185. Ejus natale celebratur die 26 maji. Consule *Martyrolo-gium Illustr.* pag. 463*-64*.

* Germanice *Chûr*, ital. *Coira*, urbs ad Rhenum, Grisonum, seu Rhoetorum sedes principalis.

sententias exciperet Cassianus, ubi devictum devotione tanti Martyris Aurelium Auriculanum, capitalem vidit ferire sententiam, exsecrationem sui clara voce contestans, graphium* et codicem projecit in terra. Quare stupente officio **, vidente Marcello, tremefactus Aurelius Auriculanus exsiliens de sella decidit***, quare cum detestatione codices projecisset. Respondit beatissimus Cassianus, *iniquam eum dictasse sententiam*. Quem ut ne se amplius redargueret, statim jussit eum abripi, et in carcerem trahi. Riserat enim beatissimus Marcellus Martyr, quia gaudebat praescius per Spiritum Sanctum, Cassianum in martyrio sibi comitem fieri. Qua quidem die summa cum exspectatione civitatis Marcellum beatissimum desideratum ****. Nec longa tamen intercapedine temporis venerabilis Cassianus, idest tertio Nonas Decembris die, in eodem loco, in quo Marcellus fuerat auditus, introductus est, et iisdem fere responsionibus, iisdemque sententiis, quibus sanctus Marcellus, triumphum meruit obtinere martyrii, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas, in saecula saeculorum, Amen. » S. Cassianum saeculo IV jam notissimum fuisse patet ex Hymno IV Prudentii *de Coronis*, ubi is praecipuos variarum ecclesiarum patronos recensens, hunc de ipso versiculum conscripsit:

Ingeret Tingis sua Cassianum.

## SS. CLAUDIUS, CRISPINUS, MAGINA, ALIIQUE MM.

*Aetas eorum passionis incerta.*

MARTYROL. — Item in Africa sanctorum Martyrum CLAUDII, CRISPINI, MAGINAE, JOANNIS et STEPHANI.

* *Stylum* videlicet.
** Idest *Magistratibus*.
*** Forte, *dixit*. — Ruinart.
**** Forte, *Marcellus beatissimus desideratum finem obtinuit*. — Ruinart.

Beda et alii recentiores de his agunt hac die, adstipulanturque vetera manuscripta. — Ita Baronius.

## S. AGRICOLA MARTYR.

MARTYROL. — In Pannonia sancti AGRICOLAE Martyris.

De eodem Beda, ac veter. mss. et alii recentiores. — Baronius.

## SS. AMBICUS, VICTOR ET JULIUS MM.

MARTYROL. — Nicomediae passio sanctorum AMBICI, VICTORIS et JULII.

De his item Beda ac veter. mss. necnon et recentiores — Baronius.

## MIROCLES EPISC. ET CONF.

*Abiit ad Dominum anno 325.*

MARTYROL. — Mediolani sancti MIROCLETIS Episcopi et Confessoris, cujus aliquando sanctus Ambrosius meminit.

In Officio proprio Ecclesiae Mediolanensis hae de eodem Lectiones recitandae habentur.

« Mirocles *, civis mediolanensis, eruditione evangelica, disciplinaque florens, fidei studio incensus, omnem in eo sollicitudinem defixit, ut, disjectis impurae superstitionis tenebris, Christianae religionis lux in omnem partem longe lateque diffunderetur: id quod, juvante Deo, in provincia mediolanensi assecutus est, egregia archiepiscopalis officii contentione, praeclaroque coelestium doctrinarum studio. Romam, Melchiade **, Pontifice, ad Synodum evocatus ***, cum gravissima episcoporum Africae causa ageretur, unius potissimum in illius consilio fuit. Certam vero sacrarum precum regulam, ab apostolicae insti-

* Is ad mediolanensem Episcopatum promotus est anno 137.
** S. Melchiades Papa die 10 decembris memoratur.
*** Concilium hoc anno 313 est coactum

tionis usu derivatam, praescripsit. nt autem ceterarum virtutum episopalium gloriâ valde ornatus, sed spitalis maxime, quippe qui domum buerit perpetuo patentem atque exsitam aegris hominibus, egentibus peregrinis. Ecclesiam praeterea meolanensem eximie excoluit, tantique cit eum beatus Ambrosius ut in ncione, in Arianorum arrogantiam vectus profiteretur: « Absit, ut tram haereditatem Dionysii, qui in silio in causa fidei defunctus est; ereditatem Eustorgii Confessoris; ereditatem Miroclis atque omnium tro fidelium episcoporum. » Sepuls est in Basilica Portiana *. Per dem tempora Constantinus Magnus, elestis Crucis ostento erectus, et us effigiem pro signo praeferens, ingnem de hostibus victoriam tulit, cque tandem decreto Mediolani eto, pax ecclesiae reddita est. »

Martyrol. — In Anglia S. Birini imi Episcopi Dorcestriensis. (Vide urium, pag. 68).

### S. LUCIUS Britannorum Rex.

*Obiit sub finem saeculi III.*

Martyrol. — Curiae in Germania ncti Lucii Britannorum Regis, qui imus ex iis Regibus Christi fidem scepit, tempore Eleutherii Papae.

In *Historia Eccles.* Venerab. Bedae gitur Lucium, Britannorum regem vina luce perfusum, Epistolam misse ad Papam Eleutherium **, *obseans ut per ejus mandatum Chriianus efficeretur*. S. Eleutherius itale ministros in Britanniam illico isit qui regem aliosque, qui adhuc olorum cultum profitebantur, chriianam religionem docerent atque crâ baptismatis undâ abluerent. Exinc Britanni susceptam fidem usque ad Diocletiani tempora integram inviolatamque pacifice servarunt. Lucius vero, ut ex aliis historiis eruimus, sancto fine quievit Claudiocestriae (vulgo *Glocester*), ubi tumulatus fuit. Minime porro veritati consentaneum videtur, ipsum Lucium, ad Christi fidem conversum, regno abdicâsse, atque Germaniae quasdam provincias, Noricum scilicet, Vindeliciam et Rhoetiam peragrâsse, ut Evangelium illis populis praedicaret, ac demum Curiae * consedisse, ubi primus fuit Episcopus. Probabilius e duobus Luciis prorsus distinctis, Lucio scilicet Britannorum rege, et Lucio Rhoetiae Apostolo et Curiae primo Antistite atque Martyre unus idemque conflatus fuit.

### S. GALGANUS Eremita.

*Vitâ functus anno 1181.*

Martyrol. — Senis in Tuscia sancti Galgani Eremitae.

Natus est Clusdini, Senarum in oppido. In primo adolescentiae aestu in omnia vitia ruit; at demum in regiam virtutis viam, coelo eum impellente, reversus, in solitudinem quamdam secessit, ubi longâ inediâ, multisque cruciatibus commissa scelera expiavit. In illa solitudine obiit annum agens suae aetatis trigesimum. Ejusdem caput, in theca argentea, gemmis baccata, inclusum, adhuc Senis magna cum veneratione adservatur. (E *Fastis Eccles. Senensis*).

PRIDIE NONAS — DIE IV.

Martyrol. — Sancti Petri Chrysologi Episcopi et Confessoris, cujus memoria quarto Nonas Decembris recensetur. (Vide *Surium*, pag. 78).

— Nicomediae passio S. Barbarae Virginis et Martyris, quae in persecu-

* Ex S. Miroclis prosapia originem duxisse Epiphanii Episcopi Ticinensis matrem, ait Ennodius in ejusdem S. Epiphanii Vita.

** S. Eleutherius vitâ functus est an. 185. Ejus natale celebratur die 26 maji. Consule *Martyrologium Illustr.* pag. 463*-64*.

* Germanice *Chür*, ital. *Coira*, urbs ad Rhenum, Grisonum, seu Rhoetorum sedes principalis.

tione Maximini, post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mamillarum praecisionem atque alia tormenta, gladio martyrium consummavit. (Vide *Surium*, pag. 73).

SS. THEOPHANES ET SOCII.

*Obierunt saeculo VIII labente.*

MARTYROL. — Constantinopoli sanctorum THEOPHANIS et Sociorum.

Sociorum nomina haec sunt: Papias, Strategius cubicularius, et Jacobus protospatharius, omnesque aulici Leonis imperatoris haeretici iconoclastae. De his agitur in *Hist. Miscel.* anno quinto ejusdem Leonis, anno videlicet 780. Ibi enim narratur Theophanem sociosque, *media hebdomada jejuniorum* comprehensos fuisse, eo quod imagines venerarentur; ac Leonis jussu immisericorditer caesos et tonsos, per medium urbis vinctos ad pompam fuisse ductos. Conjecti demum in carcerem, Theophanes ibidem mortuus est; reliqui autem omnes, post hujus gloriosum obitum, probati monachi sunt inventi.

S. MELETIUS EP. ET CONFESSOR.

*Claruit temporibus Diocletiani.*

MARTYROL. — In Ponto beati MELETII Episcopi et Confessoris, qui cum esset eruditionis praerogativâ praecipuus, virtus tamen animi, et vitae sinceritas in eo longe magnificentior extitit.

Eum hisce verbis Eusebius celebrat: « Sed et alios quamplurimos per illud tempus admirabiles in presbyteris viros, nostra jam memoria tenet, ut apud Alexandriam Pierium, Melitium vero apud Pontum, qui episcopus postmodum factus est... Melitius vero tantae fuit suavitatis in moribus et tantae dulcedinis, ut mel Atticum a sodalibus vocaretur. In omni eruditione perfectus. In rhetoricis talis erat, ut aliis studiis nunquam vacasse putaretur. In cunctis vero philosophiae generibus, quae in quinque dividuntur disciplinas, ita erat per singulas consummatus, ut cum in unaquaque quis experiri voluisset, in hac eum sola a puero habuisse exercitium judicaret. Cumque esset eruditionum praerogativâ magnificus, virtus tamen animi, et vitae sinceritas longe in eo magnificentior habebatur. Quem nobis in persecutionis tempore in fuga positum apud Palaestinam diligentius et plenius agnoscere ... cuit. » (Ex *Hist. Eccles. Lib. VII. cap. XXIX, Ed. Basileae)*. Eum ... et S. Basilius in *Lib. de Spiritu Sancto*, ad Amphilochium.

S. FELIX EPISCOPUS.

*Obiit anno 429.*

MARTYROL. — Bononiae sancti FELICIS Episcopi, qui antea Mediolanensis Ecclesiae sub sancto Ambrosio Diaconus fuerat.

Scribit de eo Paulinus in S. Ambrosii Vita, ut in *Surio*, pag. 213 legere poteris. Successit S. Eusebio recenseturque quintus Bononiensis sedis Antistes. Habuit successorem S. Petronium.

S. OSMUNDUS EP. ET CONFESSOR.

*Claruit circa annum 1050.*

MARTYROL. — In Anglia sancti OSMUNDI Episcopi et Confessoris.

Fuit hic Episcopus Sarisberiensis (vulgo *Salisbury*), sanctitate et eruditione clarus, scripsitque inter alia Vitam S. Anselmi. — Ita Baronius.

— Coloniae sancti ANNONIS Episcopi. (Vide *Surium*, pag. 81).

S. MARUTHAS EPISCOPUS.

*Floruit in saeculi V initio.*

MARTYROL. — In Mesopotamia sancti MARUTHAE Episcopi, qui collapsas in Persia Dei Ecclesias ob persecutionem Isdegersis Regis reparavit, ...

tisque miraculis clarus, apud hostes etiam meruit honorari.

Is, ut Socrates tradit, a Theodosio II Imperatore legatus ad Persarum regem, Isdegerdem, missus fuit, qui eum, quoniam virum singulari pietate praeditum esse animadverterat, in summo honore habuit, ita ut religio christiana per ipsum in Perside propagaretur, et Magi metuerent ne Maruthae suasu ipse rex fidem Christi acciperet. Plurimi eum fecisse videtur S. Joannes Chrysostomus, nam in Epistola 14 ad Olympiadem, haec de eodem scripsit: « Marutham Episcopum, quantum in te fuerit, curate atque omnibus officiis complecti ne desinas, ut eum e barathro extrahas (*passus fortasse carcerem fuit ob communicationem cum ipso Chrysostomo)*, nam ejus operâ ob Persidis negotia magnopere egeo. Atque si a te fieri potest, ex eo intellige, quidnam illic ipsius studio atque operâ perfectum sit; et cur istuc profectus sit, fac sciam; et num ei duas epistolas, quas ad eum misi, reddideris, fac me velim certiorem. » S. Maruthas tam a Graecis, quam a Latinis colitur.

## S. BERNARDUS Ep. et Cardinalis.

*Mortuus est anno* 1133.

Martyrol. — Parmae sancti Bernardi Cardinalis et ejusdem civitatis Episcopi, Congregationis Vallisumbrosae Ordinis sancti Benedicti.

Bernardus e nobili Ubertorum familia, Florentiae, natus est. Calcata saeculi nobilitate, vitam monasticam in Vallis-Umbrosae coenobio amplexus, sanctissimae vitae singularem doctrinam adjunxit. Generalis sui Ordinis munere fungi meruit. Ab Urbano Pp. II, qui eum maximi faciebat, Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni fuit renunciatus. Simoniacae luis, quae tunc temporis ubique grassabatur, acerrimus fuit profligator. Parmenses, qui ejusdem operâ ab hoc diro contagio purgati fuerant, Legatos ad Papam Paschalem miserunt deprecantes ut Bernardum illius Ecclesiae Antistitem eligeret. Consecratus itaque Parmae Episcopus, Bernardus eam Ecclesiam sanctissime administravit. Cum autem finis vitae sibi divinitus revelatus appropinquasset, quem suis monachis, quos apud se perpetuo retinebat ut consuetis Ordinis exercitiis cum iisdem vacaret, praedixerat, sacris munitus, inter psallentium manus, animam Deo reddidit; et in ecclesia cathedrali, non absque populi et cleri, viduarum maxime et pauperum, planctu, sepultus est. (Ex *Menologio Benedict.)*.

NONIS DIE V.

Martyrol. — Mutalae in Cappadocia sancti Sabbae Abbatis, qui in Palaestina miro sanctitatis exemplo refulsit et pro fide Catholica adversus impugnantes sanctam Synodum Chalcedonensem strenue laboravit. (Vide *Surium*, pag. 122).

## S. CRISPINA Martyr.

*Martyrii palmam obtinuit anno* 304.

Martyrol. — Thebeste in Africa sanctae Crispinae nobilissimae foeminae, quae temporibus Diocletiani et Maximiani, cum sacrificare nollet, jussu Anolini Proconsulis decollata est: quam sanctus Augustinus saepe laudibus celebrat.

Crispinam inter Africanas Martyres celeberrimam fuisse testatur S. Augustinus variis in locis, ipsam summis laudibus extollens, nimirum in Ps. 120 et in Ps. 137; in Serm. 53 *de verbis Domini;* in *Libro de Virginit.;* et alibi. In Ps. 120, haec, exempli gratiâ, habentur: « Saeviebant persecutores in Crispinam, cujus hodie natalitia celebramus; saeviebant in foeminam divitem et delicatam: sed fortis erat, quia Dominus tegumentum ejus... Hanc enim, Fratres,

nunquid est qui in Africa ignoret? Clarissima enim fuit, nobilis genere, abundans divitiis: sed haec omnia sinistra erant, sub capite erant. Venit inimicus qui feriret caput, et sinistra illi objecta est.» S. Crispinae *Acta* a Mabillonio reperta atque edita sunt. De Thebeste, ubi haec passa est, ait Baronius, fit mentio in Concil. Carthag. sub Cypriano, cui interfuit Lucius a Thebeste. Erat porro in Numidia.

## SS. JULIUS, POTAMIA CUM SOCIIS MM.

*Passi sunt anno* 302.

Martyrol. — Thagurae in Africa sanctorum Martyrum Julii, Potamiae, Crispini, Felicis, Grati et aliorum septem.

Sanguinem pro Christo effuderunt sub eodem persecutore, qui S. Crispinam morti tradidit, nimirum sub Anolino Proconsule. De iisdem agunt Beda, Usuardus et alii recentiores, quibus vetera mss. adstipulantur. — Ita Baronius.

## S. BASSUS Ep. et Martyr.

*Martyrii laureâ donatus anno* 254.

Martyrol. — Niciae apud Varum fluvium sancti Bassi Episcopi, qui in persecutione Decii et Valeriani a Perennio Praeside ob Christi fidem equuleo tortus, laminis candentibus ustus, fustibus et scorpionibus caesus, in ignem injectus, cum evasisset illaesus, duobus clavis confixus, illustre martyrium consummavit.

«Bassus Episcopus Niciae provinciae, dum Christum praedicaret, a Perennio Praeside detentus, et ad deorum sacrificia invitatus, cum idolis immolare contemneret, primo in equuleo suspensus ac diutius tortus est; deinde laminis ardentibus circa latera appositis excruciatus, Jesum Christum Dominum majori constantia profitebatur; quapropter in equuleo levatus, fustibus et scorpionibus, Praesidis jussu, diutissime caesus est. Post haec depositus ad statuas deorum, ligna pro sacrificio portare compellitur, datâ sententiâ, ut si non sacrificaret eodem igni consummaretur. Qui, dum sacrificare contemneret, in ignem missus, sed in eo dudum manens, illaesus educitur. Sicque a Praeside ad Judicem Niciae provinciae destinatur cum litteris sibi mandantibus, ut Bassum aut sacrificare compelleret, aut exquisitis suppliciis perimeret: secundum a Judice suasus sacrificare nollet, fabricatis duobus clavis ad mensuram longitudinis corporis ejus, eisque a plantis pedum per medium corporis usque ad verticem confossus, in Christi confessione emisit spiritum Nonis Decembris tempore Decii et Valeriani. Cujus corpus a Christianis Nicea civitate sepultum est.» (Ex *Mss.* pervetustis antiquis monasterii S. Pontiani, ut habetur in Surii *poster. Edit.*).

Martyrol. — Papiae sancti Dalmatii Episcopi et Martyris, qui in persecutione Maximiani passus est. (Vide *Surium*, pag. 118).

## S. PELINUS Ep. et Mart.

*Passus est anno circiter* 361

Martyrol. — Corfinii * in Pelignis sancti Pelini Episcopi Brundusini qui sub Juliano Apostata, cum ejus oratione Martis templum corruisset, a templorum Pontificibus dirissime caesus, atque octoginta et quinque vulneribus confossus, martyrii coronam promeruit.

« Tabulae ejus Ecclesiae, a qua etiam ejus vitam manuscriptam accepimus, sed admodum depravatam, atque emendatione dignam.» Ita Baronius in suis *Notationibus*.

* Corfinii, olim urbis celeberrimae, nunc tantum pauca rudera supersunt.

### S. ANASTASIUS Martyr.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Item sancti Anastasii Martyris qui ardore martyrii sponte se persecutoribus obtulit.

Agunt de eodem, ait Baronius, Graeci in Menologio hac die, ejusque certamen referunt.

### S. NICETIUS Episcopus.

*Decessit anno* 570.

Martyrol. — Treviris sancti Nicetii Episcopi, mirae sanctitatis viri.

Plura de eo passim in suis *Historiis* conscripsit S. Gregorius Turon. Hic Vitam, quae in *Menologio Benedict.* continetur, referimus: « Nicetius ex utero matris, jam Monachus prodiit, coronâ * nimirum monachi, veluti rasus, caput insignitus. Monachus postea et Abbas factus, fervente sancti Mauri nostri per Gallias disciplina, inter primos post Maurum, sanctitatis praecipua opinione celeberrimus fuit; insigni constantia Reges ipsos àggredi ausus, et pro sceleribus corripere. Creatus Trevirensium Pontifex, mirum quanta severitate justitiam sanxerit, sanctamque voluerit, utpote ea causa nullum omnino, nec mortis periculum reformidavit. Theodeberto Rege, comitantibus excommunicatis nonnullis, ecclesiam ingresso, sacra illico cessare jussit, donec excommunicati excederent. Renitentis atque indignabundi Regis occultissima flagitia energumenus, qui tunc aderat, prodidit, quem frustra templo ejicere, confusus scelerum suorum narratione, Rex conatus est, quoad pessimo insessore liberatus a Nicetio et curatus, nusquam deinceps visus est. Chlotarium Regem saepe monitum, communione fidelium interdixit; et ab eo Episcopatu dejectus, uno excepto Diacono quodam, foede desertus, crastina, eadem se hora, videntibus universis, restituendum praedixit, cum mox, mortuo Chlotario, sequenti praenunciata a se die, a Sigeberti Regis legato, cum insigni confessione a se desciscentium sedi suae restitutus, eos nihilominus omnes, insigni cum benevolentiae significatione in gratiam recepit. Claruit sub Theodeberto, Chlotario et Sigeberto, hujus filio, Regibus, decessitque sub anno 570. » Nicetius adfuit Concilio Arvern. I, anno 535; Aurelian. V, anno 549, et eodem anno Arvern. II. Anno vero 555, Concilio interfuit Parisiens. II. Scripsit ad Imperatorem Justinianum, ut eum ab haeresi revocaret, et ad Clothsindam ut Longobardorum conversionem procuraret. In Basilica sancti Maximini, ejus corpus reconditum est; ibique adhuc adservatur. Non solum Gregorius Turon. eum summis laudibus prosequitur, verum etiam Venantius Fortunatus, qui ejusdem epitaphium composuit.

* Ita S. Gregorius Turon. narrat. Hoc autem praeclarum est testimonium, quo docemur prioribus saeculis clericorum tonsuram in modum coronae fuisse factam.

### S. JOANNES Episcopus.

*Claruit temporibus Leonis Isaurici Imperatoris* **.

Martyrol. — Polyboti *** in Asia sancti Joannis Episcopi, cognomento Thaumaturgi.

Is pro sanctarum Imaginum cultu adversus Leonem Isauricum strenue decertavit. En quid de ipso Baronius in *Annalibus* habet: « Abstinuit tamen idem Isauricus ab infligendo supplicio Joanni Episcopo Polyboti, qui claritudine miraculorum adeo celebris erat in Oriente, ut et ipse, sicut olim magnus ille Gregorius, cognomento dictus fuerit Thaumaturgus. Hic enim, cum ad redarguendum Imperatorem se Constantinopolim contulisset, vehementerque reprehendisset, nullam vim passus, ad suam redire

** Qui mortuus est anno 741.

*** Urbs erat in Magna Phrygia.

Ecclesiam permissus est; ubi suum curans gregem et illaesum ab haeresi custodiens, quievit in pace, quinta die mensis Decembris, qua Graeci in Menologio anniversariam ejus commemorationem agunt. »

OCTAVO IDUS — DIE VI.

MARTYROL. — Myrae, quae est metropolis Lyciae, natalis S. NICOLAI Episc. et Confessoris, de quo inter plura miraculorum insignia illud memorabile fertur, quod Imperatorem Constantinum ab interitu quorumdam se invocantium, longe constitutus, ad misericordiam per visum monitis deflexit et minis. (V. *Surium*, p. 164).

— In Africa sanctarum Mulierum DIONYSIAE, DATIVAE, LEONTIAE, et religiosi viri nomine TERTII, AEMILIANI Medici et BONIFACII, cum aliis tribus, qui omnes in persecutione Wandalica sub Hunnerico Rege Ariano pro defensione Catholicae fidei gravissimis et innumeris suppliciis cruciati, confessorum Christi numero sociari meruerunt.

Horum martyrium habes in Vita S. Eugenii Ep. Carthaginensis, die 13 Julii. Vide ergo *Surii* Vol. VII.

## S. MAJORICUS MARTYR.

MARTYROL. — Ibidem sancti MAJORICI filii sanctae Dionysiae, qui cum esset adolescentulus, ac tormenta pavesceret, matris obtutibus verbisque corroboratus, ceteris fortior factus, in tormentis reddidit spiritum: quem amplexata mater domi sepelivit, et ad ejus sepulcrum assidue orare consuevit.

De S. Majorico in praedicti S. Eugenii *Actis* agitur. Consule *Surium*, pag. 246, Vol. VII.

—

## S. POLYCHRONIUS MARTYR.

*Passus est medio saeculo IV.*

MARTYROL. — Eodem die S. Poly-CHRONII Presbyteri, qui tempore Con-stantii Imperatoris, cum ad altar- Missas ageret, invasus est ab Arian- et jugulatus.

Graeci in Menologio de eodem ... item die agunt his verbis: « Comme-moratio sancti Martyris Polychron- viri sanctitate et miraculorum oper-tione insignis. Hic in Synodo Nicae- celebrata ex lectore diaconus, et ... inde presbyter est ordinatus; po-quam vero Magnus Constantinus ... cessit, statim haeresis Ariana mul- perturbare coepit; itaque pervers- opinionis homines cum inveniss- S. Polychronium altari assistent- repente in eum insilientes, gladiis ... gularunt, et mystico ac divino Sangu- sanguinem Martyris addiderunt. » (In Baronii *Notis* ad Martyrol. Rom.

## S. PETRUS PASCHASIUS MARTYR.

*Anno 1300 pro Christo interfectus ... Hispanus.*

MARTYROL. — Granatae in Hispa- passio beati PETRI Paschasii Marty- Ordinis beatae Mariae de Mercede ... demptionis Captivorum, et Episc- Giennensis, cujus festivitas, Clemen- Papae Decimi jussu, celebratur dec- Kalendas Novembris.

De ipso jam egimus in *Marty-gio Illustrato* ad diem 23 octobr- pag. 943. Hic notare satis sit confir-mationem Clementis Pp. X sententi- Ordinarii Giennensis super cultu ab immemorabili exhibito S. Petro Pa-schasio, editam fuisse die 14 august- anno 1670.

— Romae S. ASELLAE Virginis, quae (ut beatus Hieronymus scribit ... utero matris benedicta, vitam in je-niis et orationibus usque ad senectu- produxit. (Vide *Surium*, pag. 196.

SEPTIMO IDUS DIE VII.

Martyrol. — Mediolani ordinatio sancti Ambrosii Episcopi, et Ecclesiae Doctoris, cujus sanctitate et doctrina universalis Ecclesiae decoratur. (Vide *Surium*, pag. 198).

S. AGATHO Martyr.

*Passus est circa annum* 253.

Martyrol. — Alexandriae natalis beati Agathonis militaris, qui in persecutione Decii cum prohiberet quosdam volentes illudere cadaveribus Martyrum, clamor repente totius vulgi adversus eum extollitur: oblatus autem Judici, cum in confessione Christi persisteret, capite pro pietate damnatus est.

Agunt de eodem hac die Beda, Usuardus et alii recentiores.

SS. POLYCARPUS et THEODORUS Martyres.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Antiochiae sanctorum Martyrum Polycarpi et Theodori.

De his hac item die Beda, ut vet. mss., aliique recentiores. — In Baronio haec tantum.

S. SERVUS Martyr.

*Martyrii lauream consecutus anno probab.* 505.

Martyrol. — Tuburbi in Africa sancti Servi Martyris, qui in persecutione Wandalica sub Hunnerico Rege Ariano fustibus diutissime caesus, trochleis frequenter in sublime elevatus, atque ictu celeri super silices pondere corporis dimissus, et lapidibus acutissimis perfricatus, martyrii palmam adeptus est.

Hujus Martyris gloriosum certamen describitur in Vita S. Eugenii Ep. Carthaginensis, cujus festum die 13 Julii recensetur. Vide itaque *Surii* Vol. VII, pag. 246-47.

S. URBANUS Ep. et Confessor.

*Vixisse creditur circa annum* 350.

Martyrol. — Theani in Campania sancti Urbani Episcopi et Confessoris.

De quo tabulae ejus ecclesiae.

S. MARTINUS Abbas.

Martyrol. — Apud Sàntonas in Gallia sancti Martini Abbatis, ad cujus tumulum creberrima divinitus fiunt miracula.

De eo jam actum est in *Martyrologio Illustrato*, ad diem 24 octobris, pag. 947.

S. PHARA Virgo.

*Floruit saeculo VII.*

Martyrol. — In Pago Meldensi sanctae Pharae Virginis.

Eam Sigebertus, in *Chron.*, anno Domini 620, hisce verbis celebravit: « Virgo Christi Phara claret in Francia, cujus sanctitatem imitatus est frater Pharo, ex Comite clericus, et ex clerico factus Episcopus Meldensis.» Plura de eadem in Vita ejusdem Pharonis, qui die 28 octobris memoratur, habetur. Vide *Martyrologium Illustratum*, pag. 960.

SEXTO IDUS DIE VIII.

Martyrol. — Immaculata Conceptio gloriosae semper Virginis Genitricis Dei Mariae, quam singulari privilegio ab omni originalis culpae labe fuisse praeservatam immunem, Pius Nonus Pontifex Maximus, hac ipsa recurrente die, solemniter definivit. (Vide *Breviarium Rom.* in *Officio noviss.*, hac die: et *Surium*, pag. 226).

## S. EUTYCHIANUS Papa.

*Passus est anno 283.*

Martyrol. — Romae beati Eutychiani Papae qui per diversa loca trecentos quadraginta duos Martyres manu sua sepelivit; quibus et ipse sociatus, sub Numeriano Imperatore martyrio coronatus est, et in coemeterio Callisti sepultus.

« Eutychianus natione Tuscus, ex patre Marino *, de civitate Lunae **, sedit annos octo, menses decem, dies quatuor ***. Hic constituit, ut fruges super altare tantum, favae et uvae benedicerentur ****. Hic temporibus suis per diversa loca 342 Martyres manu sua sepelivit. Qui hoc constituit, ut quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato ***** nulla ratione sepeliret: quod tamen ad notitiam sibi divulgaretur. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris Presbyteros 14, Diaconos 5, Episcopos per diversa loca 9. Martyrio coronatur. Qui etiam sepultus est in coemeterio Calisti, via Appia, octavo Kalendas Augusti. » Haec Anastasius Bibliothecarius in *Vitis Rom. Pontificum*.

— Alexandriae S. Macarii Martyris, qui tempore Decii cum a Judice multis verbis ad negandum Christum suaderetur, et eo majori constantia fidem suam profiteretur, vivus ad ultimum jubetur exuri. (Vide *Surium*, pag. 234).

* Alii legunt *Maximum*.

** *Luna*, trans Macram, Etruscorum olim urbs celeberrima, nunc destructa. Casei et vina et marmora lunensia, priscis temporibus, prae caeteris, laudabantur.

*** Quanto tempore S. Eutychianus sederit, diversae feruntur sententiae. Baronius tamen Anastasio Biblioth. consentit. — Corpus vero hujus Pontificis e coemeterio Calixti Lunam translatum fuit: Lunâ vero dirutâ, in Sarexanam (ital. *Sarzana*) est delatum.

**** Haec fortasse (Baronius in *Annalibus* notat), Eutychianus constituit, ut magis obniteretur erroribus Manichaeorum, qui, quod a mali Principio creaturas exortas dicerent, atque esse execrabiles affirmarent, eisque pariter maledicerent, ipse contra eisdem benediceret, ac verbo sancti- cans pro iisdem Deo, omnium Creatori, gratias ageret.

***** *Colobium* tunicam esse sine manicis, [illegible] est omnibus. Sed, religionis praetextu (ita [illegible] Baronius), praetergressus est postea ejusmodi [illegible] creti usus fines suos, ut non tantum SS. Marty- rum corpora dalmaticâ tegerentur, sed [illegible] etiam ministrorum, ut S. Gregorii Papae testimo- nio constat: quod usque adeo ipse, alio edito de- creto, prohibuit, ut vetuerit etiam corpora Ro- Pontificum, cum perferrentur humanda, tegi dal- maticis.

## S. EUCHARIUS Episcopus.

*Floruit saeculo I.*

Martyrol. — Treviris sancti Eucharii, discipuli beati Petri Apostoli, et primi ejusdem civitatis Episcopi.

Agit de eo Beda. Ejusdem meminit Gregorius Turon. in S. Nicetii Vita. Primus Trevirensis Ecclesiae Episcopus fuisse traditur.

## S. SOPHRONIUS Episcopus.

*Quo tempore obierit, ignotum.*

Martyrol. — In Cypro sancti Sophronii Episcopi, qui pupillorum, orphanorum ac viduarum defensor mirificus, et pauperum atque oppressorum omnium adjutor fuit.

Graeci de eodem agunt hac die in Menologio, ejusque res gestas brevi compendio perstrictas referunt. — Haec tantum in Baronio.

## S. ROMARICUS Abbas.

*Obdormivit in Domino anno circiter* 653.

Martyrol. — In Monasterio Lubraviensi sancti Romarici Abbatis, qui cum in aula Theodeberti Regis primus esset, renuntians saeculo, monasticâ etiam observantiâ ceteris antecelluit.

E *Menologio Benedict.* hanc S. Romarici Vitam exscribimus. « Romaricus ****** illustrissimo nato genere e Pharamundi Francorum Regis [illegible]

****** Gallice, *Romaric, Romaré, Rombert*

.teritate, patrem Romulphum habuit, )rincipem famâ clarissimum, et ob ·gregiam navatam operam, Theode-)erto Regi perquam familiarem; natrem pari nobilitate Romulidam, ui Metensi in urbe palatium habuere. :apto et occiso Theodeberto *, eam-em fortunam Romulphus subiit, et tomaricus princeps haereditate am-)lissima exutus, supplex primum, a Brunechilde spretus, flexo precibus iumine, paulo post ab eadem resti-utus, Comes insuper Palatii in Chlo-arii II, ac deinde filii Dagoberti au-am adscitus est, et magni habitus. Ad psum cum aliquândo Amatus ** Lu-:oviensis monachus divertisset, sum-ta ab aureis atque argenteis in nensa lancibus occasione, de vani-ate saeculi adeo apte disseruit, ut tomaricus gravi illico periturorum astidio laboraret. Monachum proin .uxovii *** professus, propositi ejus-em e famulitio suo, socios triginta abuit; quibus ille non aliter dein-eps, atque Dominis suis humillime erviit. Bonâ dein cum Abbatis sui eniâ, ad Avendum **** (castrum lim suum) profectus, ibidem viro-um condere monasterium, ad radi-es autem montis septem Virginum oenobiola moliri aggressus, duode-im primum cuique Christi famulas ssignavit et inclusit, quae sibi in-icem pulcherrimo ordine et vicibus lternis succedentes, dies noctesque audes divinas, nunquam interrupto fficii cursu continuarent. Miraculo-um gloriâ, admirandus fuit. Ad re-giosae viduae cum diverteret, et )sa admodum doleret, nihil sibi ce-evisiae superesse, quod tam caro et ncto hospiti propinaret, impletum lico dolium Zytho praestantissimo est, ubi primum illud Romaricus si-gno Crucis consignasset; quod mul-tis etiam deinceps aegrotis, qui inde biberant, sanitatem prodigiose resti-tuit. Fuit etiam spiritu prophetiae clarus, quo Grimoaldi in Dagoberti Regis filium scelus, et dignam scelere poenam praevidit praedixitque. Ma-ximâ ante obitum laetitiâ Deus i-psum cumulavit, dum extra se ra-ptus, centum sui monasterii Virgines, cum Magdeflede Abbatissâ in gloria coelesti triumphantes intuitus est, ea visione haud levem Fundationis suae fructum, et praemii se exspe-ctantis praegustum praecipiens. Cla-ruit Princeps sanctissimus sub anno Christi 625, cujus sacrum corpus tanto post, sub annum nimirûm 910, re-pertum est incorruptissimum, ita quidem, ut aliqua parte incisum, maximam recentis sanguinis copiam funderet, plurimis etiam tunc mira-culis illustratum *****. »

## S. PATAPIUS Solitarius.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Constantinopoli sancti Patapii Solitarii, virtutibus et miraculis clari.

Thebis in Aegypto natus est. Patriae, parentibus, amicisque valedicens, in solitudinem quamdam se abdidit. Cum multi, propter suarum virtutum famam, ad eum confluerent, is Constantinopolim perrexit, ubi, ad murum, qui est in Blachernis, sedem suam ponens, soli sibi et Deo vacabat, hospes solitarius. Miracula tamen plura et insignia per eumdem Deus patravit, quae Metaphrastes refert. Magno omnium, quibus ejus virtutes

* Theodebertus rex erat Austrasiae. Anno 612, Theoderico II (vulgo *Thierry*), Burgundionum ge, ejusdem fratre, post magnam cladem apud ullum (vulgo *Toul*), devictus captusque fuit. Bru-:childis, ipsorum aviae, jussu, morti deinde tra-tus est.

** Hujus S. Amati festum die 13 septembris :lebratur.

*** Gallice, *Luxeuil*, ubi S. Columbanus celeberrimum fundavit coenobium.

**** Idem est quod vulgari lingua *Hapsburg* nuncupatur.

***** S. Romarici sacrae exuviae in S. Petri magnificum templum, quod ultra Mosellam visitur, anno 910, translatae fuere, ibique reconditae. Is a Leone Pp. IX in Sanctorum Catalogum adscitus fuit, anno 1050.

cognitae fuerant, moerore, ex hac vita in coelum migravit.

Martyrol. — Veronae ordinatio sancti Zenonis Episcopi. (Vide *Surium*, Vol. iv, pag. 281 etc.).

QUINTO IDUS DIE IX.

## S. LEOCADIA Virgo et Martyr.

*Martyrii palmam promeruit anno circ.* 303.

Martyrol. — Toleti in Hispania natalis sanctae Leocadiae Virginis et Martyris, quae in persecutione Diocletiani Imperatoris a Praefecto Hispaniarum Daciano dirâ carceris custodiâ macerata, cum gravissimos beatae Eulaliae et reliquorum Martyrum cruciatus audisset, genibus in oratione positis, impollutum spiritum Christo reddidit.

« Plura de ipsa in Breviario Toletano, ubi sacro hymno ejus Acta canuntur. Tres ibidem basilicae in ejus memoriam erectae permanent: quarum prima ubi nata, altera ubi passa, tertia vero ubi sepulta fuit. Leguntur plures Synodi Toletanae habitae in Ecclesia S. Leocadiae. Cum Sarraceni Hispanias invasissent, venerandum ejus corpus in Gallias delatum fertur, cujus brachium postea ecclesiae pristinae redditum Laurent. Padill. et Vasaeus tradunt. Sed his diebus Romam ipsum venerandum corpus allatum, in Hispaniam solemni pompa transferendum, accepimus. » Haec Baronius in *Notis* ad Martyrol. Rom. — S. Leocadia, porro, ut in *Beator. Canonizatione* etc. Benedicti Pp. XIV legitur, apparuisse dicitur S. Ildefonso, eique gratias egisse, cum ipse adversus Elvidianam haeresim egregie pugnasset.

## S. RESTITUTUS Episcopus.

*Aetas incerta.*

Martyrol. — Carthagine S. Restituti Episcopi et Martyris, in cujus solemnitate sanctus Augustinus de eo ad populum sermonem habuit.

« De eodem vetera manuscripta. De sermone S. Augustini, cujus hic mentio habetur, scribit Possidius in *Indic.* cap. 8: ipse autem desideratur. » — Ita Baronius.

## SS. PETRUS, SUCCESSUS, BASSIANUS et alii MM.

*Aetas incerta.*

Martyrol. — Item in Africa sanctorum Martyrum Petri, Successi, Bassiani, Primitivi et aliorum viginti.

Nihil affert ad illustrandum horum martyrium Baronius.

## S. VALERIA Virgo et Martyr.

*Passa circa annum* 46.

Martyrol. — Lemòvicis * in Gallia sanctae Valeriae Virginis et Martyris.

De ipsa habetur mentio in *Actis* S. Martialis apud Petrum in *Catal.* lib. 6, cap. 29; et in epistola, quam S. Martialis scripsisse fertur ad Tolosanos. Molanus de eadem in *Additionibus* ad Usuardum hac die.

## S. PROCULUS Episcopus.

*Circa annum* 303.

Martyrol. — Veronae sancti Proculi Episcopi, qui in persecutione Diocletiani colaphis ac fustibus caesus, et civitate pulsus, tandem in Ecclesiam suam restitutus, quievit in pace.

De quo tabulae ecclesiae Veronensis et Augustinus Valer. Episcopus Veron. et Card. *De antiq. monum. Episc. Veron.*; ejus vitam in antiquo Lectionario ejus ecclesiae haberi testatur. Agit de eodem Petrus in *Catal.* lib. 4, cap. 49. Recensetur quartus ejus ecclesiae Episcopus. — Haec Baronius.

* Gallice, *Limoges*.

MARTYROL. — Papiae sancti SYRI primi ejusdem civitatis Episcopi, qui apostolicis signis et virtutibus claruit. (Vide *Surium*, pag. 237).

## S. JULIANUS EPISCOPUS.
*Saeculo III floruit.*

MARTYROL. — Apameae in Syria beati JULIANI Episcopi, qui tempore Severi sanctitate refulsit.

De quo et Graeci, Baronius subjungit. Ejus certamina pro fide catholica suscepta adversus Cataphrygas eum illustriorem reddiderunt, ut constat ex epistola Apollinaris Hierapolitani apud Eusebium, in *Hist. Eccles.* Lib. v, xv. En porro quid in hac *Historia* de S. Juliano habetur: « Interim Apollinaris..... rogatus a fratribus, etiam haec ad ipsos transmisit. In quibus post aliquanta, cum auctorem haeresis designasset, progrediens etiam haec addit..... Sed et sancti probatissimi viri, qui per idem tempus fuerunt, Zoticus de Comana et Julianus de Apamèa, aggressi cohibere spiritum qui loquebatur in Maximilla, jusserunt Themisonem obturare os eorum, et excludere vocem falsi et erratici spiritus. Quod et ita factum est. »

## S. CYPRIANUS ABBAS
*Floruit saeculo VI.*

MARTYROL. — Petragoricis * in Gallia sancti CYPRIANI Abbatis, magnae sanctitatis viri.

Vitam monasticam egisse dicitur in monasterio Genoliaco, dioecesis Petragoricensis, sub abbate Savalo, tempore Chlotarii regis; inde secessit in locum ad Dordoniam (vulgo *Dordogne*), ubi hodieque vicus sub S. Cypriani nomine extat. In Libro *De Gloria Confess.* Gregorii Turonens. haec de S. Cypriano continentur: « Cyprianus, abbas Petrocorici oppidi, magnificae sanctitatis vir fuit, per quem Deus multa miracula in hoc mundo operari dignatus est. Nam manus debiles frequenter redintegravit, paralyticis gressum, caecis restituit visum; tresque leprosos inunctos oleo, pristinae reddidit sanitati. Sed et nunc crebro super infirmos sanitates ostendit, si fideliter ejus tumulum expetant, aut exorent. »

* Gallice, *Périgueux.*

## S. GORGONIA
*Floruit saeculo IV.*

MARTYROL. — Nazianzi sanctae GORGONIAE sororis beati Gregorii Theologi, cujus ipse virtutes et miracula conscripsit.

Ejus praeclaras laudes et res gestas contexuit ipsius germanus S. Gregorius Nazianzenus clarissima oratione, quam dixit in ejus funere. Ex hac porro oratione aliqua hîc transcribere operae pretium existimamus.

« Sororem laudans, domestica praedicabo; non tamen quia domestica, ideo falso, sed quia vera, ideo laudabiliter: vera autem, non modo quia justa, verum etiam quia nota. Nec vero ad gratiam, etiamsi cupiamus, loqui conceditur: quippe cum auditor, tamquam peritus quidam arbiter, inter Orationem et veritatem stet, ut immeritas laudes improbans, ita meritas efflagitans, si modo probus et aequus sit. Quocirca non hoc vereor, ne ultra veritatis metas prosiliam: sed illud contra, ne infra veritatem subsistam, ac procul a rei dignitate remotus, laudatione mea gloriam ipsius imminuam, quandoquidem difficile est, tum actionem, tum sermonem ipsius laudum ornamentis adaequare......... Ab his (*parentibus, scilicet, Gregorio et Nonna*) Gorgonia, et vitam et gloriam accepit; ab his pietatis semina; ab his et quod honeste vixit, et quod hilaris, et cum meliore spe abscessit. Praeclara quidem haec quoque sunt, atque ejusmodi, ut plerisque eorum, qui nobi-

litatis nomine magnopere gloriantur, atque ob majorum splendorem tumidos animos gerant, non facile suppetant. At si de ipsa sapientius et sublimius disserendum est, Gorgoniae patria quidem fuit superna Jerusalem, civitas inquam illa, quae oculis minime cernitur, verum animo et mente intelligitur: in qua civium munere fungimur, et ad quam omni celeritate properamus, cujus civis Christus est, et concives frequens ille coetus, et Ecclesia primitivorum, qui in coelis descripti sunt, et circum magnum urbis Conditorem per gloriae contemplationem festos dies celebrant, ac sempiternam choream agitant; nobilitas autem, divinae imaginis conservatio, atque archetypi imitatio, quam ratio et virtus efficiunt, purumque desiderium, eos, qui supernarum rerum vere studiosi sunt, quantum ad Deum attinet, informans ac denique cognitum habere, et quinam et quam ob causam facti sumus..... Pudicitiae quidem laude excelluit, adeoque omnes aetatis suae mulieres, ne dicam priscas, quarum ingens ob pudicitiam fama est, superavit, ut cum in haec duo cunctis vita divisa sit, nempe in matrimonium et caelibatum, atque hic quidem sublimior et divinior sit, verum laboriosior atque periculosior, illud autem humilius, sed tamen tutius, vitatis utriusque molestiis, quicquid in utroque pulcherrimum erat, elegerit, atque in unum copulavit, alterius nimirum sublimitatem, alterius securitatem, fueritque citra supercilium pudica, caelibatus bonum matrimonio admiscens, illudque ostendens, neutrum horum, aut Deo nos omnino astringere, aut ab eo dirimere..... Jam vero quid illius ingenio acutius? Quippe cujus consilio, non ii tantum, qui genere ipsam attingebant, et qui ex eadem plebe atque eadem caula erant, sed vicini etiam omnes communiter utebantur, ejusque praecepta et admonitiones pro firma et inviolabili lege ducebant. Quid illius sermonibus solertius? Quid silentio prudentius? Jam vero quaenam perinde seipsam templum vivum Deo exhibuit? Quaenam pari honore Sacerdotes complexa est, eumque praesertim, quem pietatis commilitonem et magistrum habuit, illum inquam, cujus pulcra semina sunt, et par filiorum Deo consecratum? Quaenam domum suam piis hominibus magis proposuit, pulcram, inquam, exceptionem, ac divitias conciliantem? Et, quod est praestantius, quaenam pudore, ac Deo gratis incessibus, eos ita excipiebat? Quaenam praeterea tranquilliorem in calamitatibus mentem praetulit? Quaenam rursum animum ad eorum, qui laborabant, vicem dolendam propensiorem? Quaenam liberaliorem egentibus manum porrexit?... Ac de ipsa non minus vere, quam magnifice praedicari potest, quod virtutem aliarum imitata sit, aliarum exemplum fuerit; atque alias quidem invenerit, alias autem superarit..... Cumque ad virum, et filios, et amicos, sermones hos habuisset, quos mulierem, viri et filiorum et fratrum amore praeditam par erat, ac de altera vita praeclare disseruisset, diemque extremum festum diem fecisset, ita demum obdormescit, plena, non humanorum dierum, quos ne ipsa quidem exoptabat, utpote quos sibi malos, et ut plurimum cum pulvurea mole atque impostura conjunctos esse non ignoraret: sed dierum secundum Deum ita plena, ut haud scio an perinde quisquam eorum, qui in diuturnissima senectute morte obierunt ac multos annorum orbes numerarent..... » (Ex S. Gregorii Nazianzeni Operibus, Venetiis anno 1753 editis.)

—

QUARTO IDUS DIE X.

## S. MELCHIADES PAPA

*Obiit anno* 314.

MARTYROL. — Romae sancti MEL-:HIADIS Papa, qui in persecutione Maximiani multa passus, reddita Ec-:lesiae pace, quievit in Domino.

« Miltiades (*vel Melchiades*), natione Afer, sedit annos 3, menses 7... Hic :onstituit nulla ratione die Dominico, ut quinta feria jejunium quis age-'et, quia hos dies Pagani, quasi sa-rum jejunium celebrabant. Et Ma-nichaei inventi sunt in urbe ab eodem. Hic fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias, ex consecratu Episcopi lirigerentur, quod declaratur fer-nentum *. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem Pre-byteros septem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca 12. Hic epultus est in coemeterio Calixti, via Appia, in crypta, 3 Idus Decembris, et cessavit Episcopatus diebus 16 **.» — Haec in Anastasio Bibliothecario.

## SS. CARPOPHORUS ET ABUNDIUS MM.

*Martyrio donati circa annum* 290.

MARTYROL. — Eodem die sancto-'um Martyrum CARPOPHORI Presby-eri et ABUNDII Diaconi, qui in per-secutione Diocletiani primo fustibus crudelissime caesi, deinde in carce-'em, negato cibo et potu, retrusi, et 'ursum in equuleo torti, et post haec diu in carcere macerati, novissime gladio percussi sunt.

De his Beda, Usuardus, Ado, consentiuntque vet. manuscripta. Sed magna varietas lectionis, dum penes quosdam codices Hispali, et apud alios Spoleti passi dicuntur. In Catalogo porro Episc. Hispalensium Carpophorus Episcopus perhibetur. Omnes tamen in hoc consentiunt, passos esse in persecutione Diocletiani, sub Martiano Judice. Quorum autem sint potiora jura, et quibus causa sit adjudicanda, non est nostrum definire. Caeterum error irrepsisse videtur ex confusione nominum civitatis, dum complures antiquorum scriptorum ecclesiast. pro *Hispalensi* dixere *Hispalitano*, ac rursum pro *Spoletino*, *Spolitano*. — Haec in Baronii *Notis* ad Martyrol. Rom. hac die.

MARTYROL. — Emèritae in Hispania passio sanctae EULALIAE Virginis, quae sub Maximiano Imperatore, cum esset annorum duodecim, jussu Daciani Praesidis pro confessione Christi plurima tormenta perpessa est: novissime in equuleo suspensa et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne, spiritum reddidit. (Vide *Surium*, pag. 250).

## S. JULIA VIRGO ET MARTYR.

*Martyrio decorata anno circ.* 303.

MARTYROL. — Item ibidem sanctae JULIAE Virginis et Martyris, quae

* Quod dicitur de *fermento*, res plane obscurissima est: nimirum, quod quae ejusmodi erat de fermento per Ecclesias mitti solito consuetudo, penitus exoleverit. Ita Baronius in *Annalibus* ad annum 313.

** S. Melchiadi Papae Constantinus Magnus aedes Lateranenses, in quibus ipse ejusdemque successores habitarent, concessit. Anno porro 313, sub ipso Pontifice, Romae concilium habitum est, in quo haereticus Donatus condemnatus, Caecilianus, vero, Carthaginis Episcopus, absolutus fuit. Magnopere tamen adlaboraverat S. Melchiades, ut Donatistae Catholicae Ecclesiae unirentur: id quod, ad Donatistarum Episcopos scribens: S. Augustinus hisce verbis testatur: " Qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removère; et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandae optionem liberam caeteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum! O filium Christianae pacis, et patrem Christianae plebis! " (Epist. 162).

beatae Eulaliae socia fuit, et illi ad passionem properanti comes individua adhaesit.

Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardum haec de S. Julia subjicit: « Sed quid de Julia Eulaliae convirginali? Equidem nihil reperio, cui tuto innitar. Prudentio ignotam fuisse, satis ostendit ejus de ipsa silentium. Nec Juliae usquam meminerunt Acta apud Mombritium, nec alia, quae penes nos sunt manuscripta. Qui a codicis Epternacensis hodierno textu eam repetunt, facile advertunt, nomen Juliae ibi pro Eulaliae suppositum esse. Restat ergo ut sola Adonis auctoritate subsistat, qui in aliis Eulaliae Actis eam invenerit, quod nos alibi accuratius inquiremus. »

Martyrol. — Alexandriae sanctorum Martyrum Mennae, Hermogenis et Eugraphi, qui sub Galerio Maximiano passi sunt. (Vide *Surium*, vol. iii, pag. 737, etc.).

### S. MERCURIUS et Socii MM.

*Circa annum* 322.

Martyrol. — Apud Leontinos * in Sicilia sanctorum Martyrum Mercurii et Sociorum Militum, qui sub Tertyllo Praeside tempore Licinii Imperatoris gladio caesi sunt.

Horum Acta, monet Baronius, accepimus edita ab ecclesia Leontina, juncta simul cum rebus gestis sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphii et Cyrini.

### S. GEMELLUS Martyr.

*Passus circa an.* 361.

Martyrol. — Ancyrae in Galatia sancti Gemelli Martyris, qui post dira tormenta sub Juliano Apostata crucis supplicio martyrium consummavit.

Graeci item agunt de eodem hac die in Menologio, ejusque martyrium narrant. Templum, Ancyrae, sub S. Gemelli nomine, in Vita S. Theodori Siceotae celebratur. (Vide *Surium*, vol. iv, pag. 445, penultimâ lineâ.

* Hodie *Lentini*, Gorgiae Sophistae patria.

### S. SINDULPHUS Ep. et Conf.

*Floruit saeculo VII.*

Martyrol. — Viennae, sancti Sindulphi Episcopi et Confessoris.

Beda, Ado et alii recentiores. Meminit ejusdem Ado Vienn. in *Chron.* anno Domini 669; ponitur que xii ejus Sedis Episcopus. — Ita Baronius in *Martyr. Rom.* hac die.

### S. DEUSDEDIT Episcopus.

*Floruit saeculo VII.*

Martyrol. — Brixiae sancti Deusdedit Episcopi.

Hic postremus est, ex Brixianis Episcopis, qui inter Sanctos numerantur, estque vicesimus post Philastrium. Fertur interfuisse Concilio Mediolanensi, celebrato anno 679 in Monothelitarum causa. Sed, procul dubio, eodem anno aut sequenti, praesens fuit Concilio Romano, propter eamdem causam ab Agathone Pontifice habito. Sacrum ejusdem corpus, Brixiae, in S. Petro, in Oliveto, in Ara majori requiescit. (E *Pontificum Brixiae serie*, etc.).

— Laureti in Piceno Translatio sacrae Domus Dei Genitricis Mariae, in qua Verbum caro factum est. (Vide *Breviarium Romanum* sub hac die).

TERTIO IDUS DIE XI

### S. DAMASUS Papa et Conf.

*Sedit ab anno 366 usque ad an.* 384

Martyrol. — Romae sancti Damasi Papae et Confessoris, qui Apollinarem haeresiarcham damnavit, et Petrum Episcopum Alexandrinum fugatum restituit: multa etiam Sanctorum Martyrum corpora invenit, eorumque memorias versibus exornavit.

Anastasius Bibliothecarius hanc S. Damasi Vitam edidit. « Damasus, natione Hispanus *, ex patre Antonio, sedit ** annis decem et octo, mensibus duobus, diebus decem, et cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus. Et facto Concilio Sacerdotum, constituerunt Damasum, quia fortior, et plurima *** multitudo erat, et sic constitutus est Damasus, et Ursicinum ejecerunt ab urbe, et constituerunt eum Neapoli Episcopum ****. Et mansit Damasus in urbe Romana Praesul in Sede Apostolica. Fuit autem temporibus Juliani *****. Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum S. Laurentio, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit in catacumbis, et aedificavit platoniam ******, ubi corpora Apostolorum jacuerunt, idest, beati Petri et Pauli, quam et versibus ornavit. Hic multa corpora SS. Martyrum requisivit, quorum etiam concilia versibus decoravit *******. Hic constitutum fecit de Ecclesia. Hic accusatus est invidiose ********, et incriminatus de adulterio, et, facta Synodo, purgatus est a quadraginta quatuor Episcopis, qui etiam damnaverunt Concordium et Calixtum Diaconos accusatores, et projecerunt de Ecclesia. Hic constituit titulum in urbe Romana, scilicet Basilicam, quam ipse construxit, ubi et donavit patenam argenteam, scyphum anaglyphum, calices ministeriales argenteos, *etc.* Hic constituit, ut Psalmos ********* diu noctuque canerent per omnes Ecclesias: qui hoc praecepit Presbyteris et Episcopis, vel Monasteriis. Hic fecit ordinationes in Urbe quinque per mensem decembr. Presbyteros 31, Diaconos 11, Episcopos per diversa loca 62. Qui etiam sepultus est viâ Ardeatinâ in Basilica sua tertio Idus Decembris juxta matrem suam et germanum **********. Et cessavit Episcopatus per dies 13 ***********. »

* Eum tamen Romanum, et quidem Romae editum, alii affirmant.

** Damasus, quum adhuc juvenis esset, *Lectoris* atque *Notarii* munere, Romae, in basilica S. Laurentii, est perfunctus. (Consule *S. Damasi Opuscula et gesta*, Romae, 1754).

*** Alii legunt, *plurima cum eo*. Ob Ursicini schisma, graves tumultus oborti sunt caedesque factae, ut, inter alios, Ammianus Marcellinus testatur.

**** Falso hîc asseritur Ursicinum Neapolitanae Ecclesiae Episcopum creatum fuisse. Is enim ab Imperatoribus Gratiano et Valentiniano exilio mulctatus est.

***** S. Damasus pontificatum suscepit Valentiniano et Valente imperantibus. Obiit, tum cum Valentinianus et Theodosius Senior sceptra tenebant.

****** Per *platoniam* Baronius in *Annalibus* putat intelligi Ecclesiae pavimentum tabellis marmoreis variis figuris decore stratum.

******* Alii legunt, requisivit et invenit, *quorum etiam Tumbas et Martyria versibus decoravit.* Martyres, quorum sepulcra inscriptionibus Damasus exornavit, sunt, inter alios, SS. Chrysanthum et Dariam, Felicem, Adauctum, Protum et Hyacinthum.

******** Ab Ursicini nimirum sectatoribus, qui, quoad Damasus vixit, nunquam destitere calumniis conviciisque eum exagitâre. S. Hieronymus, ad Pammachium scribens, Damasum appellat *Virginem, Ecclesiaeque virginis doctorem.*

********* Falso asseritur Psalmorum cantum a Damaso fuisse institutum, siquidem ab ipso Ecclesiae exordio viguisse in Ecclesia Catholica cum cantu diurnam nocturnamque psalmodiam certum est. — Ita Baronius in *Annalibus*, ad an. 384. Hisce itaque Anastasii verbis intelligendum est S. Damasum rectum psallendi per Urbis ecclesias ordinem constituisse.

********** Ipse sibi Damasus epitaphium composuit. Est autem hujuscemodi. Quod tamen an revera tumulo incisum fuerit, incertum est.

Qui gradiens, pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat, morientia semina terrae,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariae donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere, credo.

*********** S. Damasus, qui, *elegans in versibus componendis ingenium habuit, multa et brevia metro* edidit, ut in *Script. Eccles. Catalogo* S. Hieronymus testatur. Plures quoque libros *de Virginitate* tum carmine, tum soluta oratione, pluraque alia, edidit: sed fere omnia sunt deperdita. Quae superfuere, et ejusdem S. Damasi opuscula apocrypha, quae circumferuntur, edita sunt Romae, anno 1754. Nemo porro ignorat ipsum sanctum Pontificem auctorem fuisse, ut S. Hieronymus divinas scripturas in latinum transferret atque egregie explanaret.

—

beatae Eulaliae socia fuit, et illi ad passionem properanti comes individua adhaesit.

Sollerius in *Adnotationibus* ad Usuardum haec de S. Julia subjicit: « Sed quid de Julia Eulaliae convirginali? Equidem nihil reperio, cui tuto innitar. Prudentio ignotam fuisse, satis ostendit ejus de ipsa silentium. Nec Juliae usquam meminerunt Acta apud Mombritium, nec alia, quae penes nos sunt manuscripta. Qui a codicis Epternacensis hodierno textu eam repetunt, facile advertunt, nomen Juliae ibi pro Eulaliae suppositum esse. Restat ergo ut sola Adonis auctoritate subsistat, qui in aliis Eulaliae Actis eam invenerit, quod nos alibi accuratius inquiremus. »

Martyrol. — Alexandriae sanctorum Martyrum Mennae, Hermogenis et Eugraphi, qui sub Galerio Maximiano passi sunt. (Vide *Surium*, vol. iii, pag. 737, etc.).

### S. MERCURIUS et Socii MM.

*Circa annum 322.*

Martyrol. — Apud Leontinos * in Sicilia sanctorum Martyrum Mercurii et Sociorum Militum, qui sub Tertyllo Praeside tempore Licinii Imperatoris gladio caesi sunt.

Horum Acta, monet Baronius, accepimus edita ab ecclesia Leontina, juncta simul cum rebus gestis sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphii et Cyrini.

### S. GEMELLUS Martyr.

*Passus circa an. 361.*

Martyrol. — Ancyrae in Galatia sancti Gemelli Martyris, qui post dira tormenta sub Juliano Apostata crucis supplicio martyrium consummavit.

Graeci item agunt de eodem hac die in Menologio, ejusque martyrium narrant. Templum, Ancyrae, sub S. Gemelli nomine, in Vita S. Theodori Siceotae celebratur. (Vide *Surium*, vol. iv, pag. 445, penultimâ lineâ).

* Hodie *Lentini*, Gorgiae Sophistae patria.

### S. SINDULPHUS Ep. et Conf.

*Floruit saeculo VII.*

Martyrol. — Viennae, sancti Sindulphi Episcopi et Confessoris.

Beda, Ado et alii recentiores. Meminit ejusdem Ado Vienn. in Chron. anno Domini 669; poniturque xii ejus Sedis Episcopus. — Ita Baronius in *Martyr. Rom.* hac die.

### S. DEUSDEDIT Episcopus.

*Floruit saeculo VII.*

Martyrol. — Brixiae sancti Deusdedit Episcopi.

Hic postremus est, ex Brixiae Episcopis, qui inter Sanctos numerantur, estque vicesimus post Philastrium. Fertur interfuisse Concilio Mediolanensi, celebrato anno 679 in Monothelitarum causa. Sed, procul dubio, eodem anno aut sequenti, praesens fuit Concilio Romano, propter eamdem causam ab Agathone Pontifice habito. Sacrum ejusdem corpus, Brixiae, S. Petro, in Oliveto, in Ara majori requiescit. (E *Pontificum Brixiensium serie*, etc.).

— Laureti in Piceno Translatio sacrae Domus Dei Genitricis Mariae, in qua Verbum caro factum est. (Vide *Breviarium Romanum* sub hac die).

TERTIO IDUS DIE 11

### S. DAMASUS Papa et Conf.

*Sedit ab anno 366 usque ad an. 384*

Martyrol. — Romae sancti Damasi Papae et Confessoris, qui Apollinarem haeresiarcham damnavit, et Petrum Episcopum Alexandrinum fugatum restituit: multa etiam Sanctorum Martyrum corpora invenit, eorumque memorias versibus exornavit.

Anastasius Bibliothecarius hanc S. Damasi Vitam edidit. « Damasus, natione Hispanus *, ex patre Antonio, sedit ** annis decem et octo, mensibus duobus, diebus decem, et cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus. Et facto Concilio Sacerdotum, constituerunt Damasum, quia fortior, et plurima *** multitudo erat, et sic constitutus est Damasus, et Ursicinum ejecerunt ab urbe, et constituerunt eum Neapoli Episcopum ****. Et mansit Damasus in urbe Romana Praesul in Sede Apostolica. Fuit autem temporibus Juliani *****. Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum S. Laurentio, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit in catacumbis, et aedificavit platoniam ******, ubi corpora Apostolorum jacuerunt, idest, beati Petri et Pauli, quam et versibus ornavit. Hic multa corpora SS. Martyrum requisivit, quorum etiam concilia versibus decoravit *******. Hic constitutum fecit de Ecclesia. Hic accusatus est invidiose ********, et incriminatus de adulterio, et, facta Synodo, purgatus est a quadraginta quatuor Episcopis, qui etiam damnaverunt Concordium et Calixtum Diaconos accusatores, et projecerunt de Ecclesia. Hic constituit titulum in urbe Romana, scilicet Basilicam, quam ipse construxit, ubi et donavit patenam argenteam, scyphum anaglyphum, calices ministeriales argenteos, *etc.* Hic constituit, ut Psalmos ********* diu noctuque canerent per omnes Ecclesias: qui hoc praecepit Presbyteris et Episcopis, vel Monasteriis. Hic fecit ordinationes in Urbe quinque per mensem decembr. Presbyteros 31, Diaconos 11, Episcopos per diversa loca 62. Qui etiam sepultus est viâ Ardeatinâ in Basilica sua tertio Idus Decembris juxta matrem suam et germanum **********. Et cessavit Episcopatus per dies 13 ***********. »

* Eum tamen Romanum, et quidem Romae editum, alii affirmant.

** Damasus, quum adhuc juvenis esset, *Lectoris* atque *Notarii* munere, Romae, in basilica S. Laurentii, est perfunctus. (Consule *S. Damasi Opuscula et gesta*, Romae, 1754).

*** Alii legunt, *plurima cum eo*. Ob Ursicini schisma, graves tumultus oborti sunt caedesque factae, ut, inter alios, Ammianus Marcellinus testatur.

**** Falso hic asseritur Ursicinum Neapolitanae Ecclesiae Episcopum creatum fuisse. Is enim ab Imperatoribus Gratiano et Valentiniano exilio mulctatus est.

***** S. Damasus pontificatum suscepit Valentiniano et Valente imperantibus. Obiit, tum cum Valentinianus et Theodosius Senior sceptra tenebant.

****** Per *platoniam* Baronius in *Annalibus* putat intelligi Ecclesiae pavimentum tabellis marmoreis variis figuris decore stratum.

******* Alii legunt, requisivit et invenit, *quorum etiam Tumbas et Martyria versibus decoravit.* Martyres, quorum sepulcra inscriptionibus Damasus exornavit, sunt, inter alios, SS. Chrysantum et Dariam, Felicem, Adauctum, Protum et Hyacinthum.

******** Ab Ursicini nimirum sectatoribus, qui, quoad Damasus vixit, nunquam destitere calumniis conviciisque eum exagitâre. S. Hieronymus, ad Pammachium scribens, Damasum appellat *Virginem, Ecclesiaeque virginis doctorem.*

********* Falso asseritur Psalmorum cantum a Damaso fuisse institutum, siquidem ab ipso Ecclesiae exordio viguisse in Ecclesia Catholica cum cantu diurnam nocturnamque psalmodiam certum est. — Ita Baronius in *Annalibus*, ad an. 384. Hisce itaque Anastasii verbis intelligendum est S. Damasum rectum psallendi per Urbis ecclesias ordinem constituisse.

********** Ipse sibi Damasus epitaphium composuit. Est autem hujuscemodi. Quod tamen an revera tumulo incisum fuerit, incertum est.

Qui gradiens, pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat, morientia semina terrae,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariae donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere, credo.

*********** S. Damasus, qui, *elegans in versibus componendis ingenium habuit, multa et brevia metro* edidit, ut in *Script. Eccles. Catalogo* S. Hieronymus testatur. Plures quoque libros *de Virginitate* tum carmine, tum soluta oratione, pluraque alia, edidit: sed fere omnia sunt deperdita. Quae superfuere, et ejusdem S. Damasi opuscula apocrypha, quae circumferuntur, edita sunt Romae, anno 1754. Nemo porro ignorat ipsum sanctum Pontificem auctorem fuisse, ut S. Hieronymus divinas scripturas in latinum transferret atque egregie explanaret.

—

## S. THRASON MARTYR.

*Martyrii laureâ donatus circa annum* 309.

MARTYROL. — Item Romae passio sancti THRASONIS, qui cum christianos laborantes in thermis, aliisque operibus publicis fatigatos, et in carcere positos, de suis facultatibus aleret, jubente Maximo, tentus, cum aliis duobus, Pontiano et Praetextato, martyrio coronatus est.

Ejus res gestae intextae habentur in *Actis* S. Marcelli Papae, quae in *Surii* nostri vol. I, pag. 333, etc. videsis. Ejusdem mentio fit in S. Susannae M. *Actis*, in eodem *Surio*, vol. VIII, pag. 253, § 13.

## SS. VICTORICUS ET FUSCIANUS MM.

*Martyrio coronati circa an.* 303.

MARTYROL. — Ambiani *, sanctorum Martyrum VICTORICI et FUSCIANI, sub eodem Imperatore, in quorum naribus et auribus jussit Rictiovarus Praeses immitti tarinchas**, et clavis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos evelli, ac postmodum eorum corpora jaculari; sicque unâ cum sancto Gentiano eorum hospite, capitibus amputatis, migraverunt ad Dominum.

Fertur eos in Galliam profectos fuisse simul cum SS. Dionysio et Quinctino, ut illic verbum Dei disseminarent, et in Belgicam usque perrexisse. Cum postea percontandi causâ quae sancto Quinctino evenerint, Ambianum ivissent, ibi a Rictiovaro capite damnati sunt. (E Baillet, *Les Vies des Saints*).

* Gallice, *Amiens*.

** Vox prorsus incognita, ait Baronius, nisi ex varia lectione Actorum eorumdem Martyrum, genus esse tormentorum, assequi possimus. Aliqua vetera manuscripta, loco *tarincharum*, habent *sudes ferreas*. Caeterum putat Baronius *tarinchas* esse tenuia ferri tela ad incendendum martyrem comparata.

## S. BARSABA MARTYR.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — In Perside sancti BARSABAE Martyris.

Agunt de eodem hac die Graeci in Menologio. — Haec tantum in Baronio.

## S. EUTYCHIUS MARTYR.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — In Hispania sancti EUTYCHII Martyris.

Prope Gades (italice, *Cadice*) passum ferunt Laurent. Padill. et Vasaeus.

## S. SABINUS EPISCOPUS.

*Floruit saeculo IV.*

MARTYROL. — Placentiae sancti SABINI Episcopi, miraculis clari.

Is interfuit, unâ cum S. Ambrosio Mediolan. Episcopo, Concilio Aquilejensi, ut ejus Synodi *Acta* significant. Habentur illic gravissimae adversus Arianos a Sabino dictae sententiae. Erat enim non tantum sanctitate, sed eruditione praecipuus, cui tantum tribuit S. Ambrosius, ut sua scripta ab eodem voluerit recognosci, censurâ ipsius examinari, atque judicio comprobari, ut colligitur ex ejus epistolâ 63 ad eumdem Sabinum conscripta, in qua haec aurea sententia legitur: *Unumquemque fallunt sua scripta et auctorem praetereunt, atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant*. Extant ejusdem Ambrosii ad Sabinum aliae scriptae epistolae. Sed et quam insignis miraculorum operatione S. Sabinus nituerit, S. Gregorius Magnus amplam sane fidem facit. Is enim in *Dialog*, *Lib. III*, *Cap.* X, hoc miraculum ab eo patratum refert. « In ea namque civitate (*Placentia* scilicet) Sabinum nomine fuisse asserunt mirae virtutis Episcopum. Cui dum die quadam suus Diaconus nuntiasset,

quod cursus sui Padus alveum egressus Ecclesiae agros occupasset, totaque illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua ejusdem fluminis teneret, venerabilis vitae Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, et dic ei: Mandat tibi Episcopus ut te compescas, et ad proprium alveum redeas. Quod Diaconus ejus audiens, despexit et irrisit. Tunc vir Dei, accersito notario, dictavit, dicens: Sabinus Domini Jesu Christi servus commonitorium Pado: Praecipio tibi in nomine Jesu Christi Domini nostri, ut de alveo tuo in locis istis ulterius non exeas, nec terrae Ecclesiae laedere praesumas. Atque eidem notario subjungit, dicens: Vade, hoc scribe, et in aquam ejusdem fluminis projice. Quo facto, sancti viri praeceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesiae fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alveum reversa, exire ulterius in loca eadem non praesumpsit. »

MARTYROL. — Constantinopoli sancti DANIELIS Stylitae. (Vide *Surium*, pag. 255).

PRIDIE IDUS DIE XII.

## S. SYNESIUS MARTYR.

*Passus anno 275.*

MARTYROL. — Romae sancti SYNESII Martyris, qui tempore beati Xysti Papae Lector ordinatus, cum multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum Imperatorem accusatus, gladio percussus martyrii coronam accepit.

Celebris inter Martyres, Graecis etiam notissimus fuit, qui de eodem agunt hac die in Menologio, ubi et certaminis ejus Acta describunt, prout hic narratur. De ejus translatione in insulam Augiensem anno Domini 830 facta meminit Hermannus Contractus in Chron. eodem anno. — Haec in Baronii *Notis* ad Martyrol. Roman.

MARTYROL. — Alexandriae sanctorum Martyrum EPIMACHI et ALEXANDRI, qui sub Decio Imperatore cum fuissent multo tempore in vinculis, et diversis suppliciis affecti, ac perdurassent in fide, ignibus tandem consumpti sunt. (Vide *Surium*, p. 234).

— Ibidem sanctarum AMMONARIAE Virginis, MERCURIAE, DIONYSIAE, et alterius AMMONARIAE: quorum prima in eadem Decii persecutione, inauditis tormentorum generibus superatis, ferro caedente, beatum vitae finem percepit: tres vero aliae, cum Judex a foeminis superari erubesceret, ac dubitaret ne eadem in illas exercens cruciamenta, earum etiam constantiâ vinceretur, statim jussae sunt decollari. (Vide *Surium*, in Actis SS. Epimachi et Alexandri Martyrum, pag. 234).

## SS. HERMOGENES, DONATUS ET ALII XXII MM.

*Aetas incerta.*

MARTYROL. — Eodem die sanctorum Martyrum HERMOGENIS, DONATI et aliorum vigintiduorum.

Beda, Usuardus, Wandelbertus et alii recentiores hac die. Hos in paludem quamdam esse demersos habetur in *Thesauro Concion.* Tom. II. — Ita Baronius.

## SS. MAXENTIUS, CONSTANTIUS ET SOCII.

*Martyrio decorati anno 303.*

MARTYROL. — Treviris sanctorum Martyrum MAXENTII, CONSTANTII, CRESCENTII, JUSTINI et Sociorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro Praeside passi sunt.

Non tantum (ad haec Baronius subjungit), hi tres clarissimi ejus civitatis tunc passi, sed et quatuor alii, quorum haec sunt nomina, Justinus,

Leander, Alexander et Soter. De quorum corporum inventione agit Sigebertus in *Chron.* anno Domini 1071.

IDIBUS DIE XIII.

Martyrol. — Syracusis in Sicilia natalis sanctae Luciae Virginis et Martyris, in persecutione Diocletiani: quam cum lenònes, quibus, jubente Paschasio Consulari, tradita erat, ut a populo castitati ejus illuderetur, ducere vellent, nullatenus eam movère potuerunt, nec funibus additis, nec boum jugis plurimis: deinde vero picem, resinam, fervens oleum nil laesa superans, tandem gladio in gutture percussa, martyrium consummavit. (Vide *Surium*, pag. 324).

— In Armenia passio SS. MM Eustratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii et Orestis, in persecutione Diocletiani: ex quibus Eustratius primo sub Lysia, deinde Sebaste sub Agricolao Praeside unà cum Oreste exquisitis tormentis cruciatus, in fornacem missus reddidit spiritum: Orestes autem in stratum ferreum ignitum positus migravit ad Dominum: ceteri apud Aràbracos saevissimis agitati suppliciis sub Lysia Praeside diversimode martyrium consummarunt. Eorum corpora postea Romam translata, in ecclesia sancti Apollinaris honorifice sunt collocata. (Vide *Surium*, pag. 305).

## S. ANTIOCHUS Martyr.

*Passus est circa anno* 120.

Martyrol. — Apud Sardiniam in Sulcitana insula passio sancti Antiochi sub Hadriano imperatore.

De eodem tabulae ejus ecclesiae hac die. Inde etiam, ita Baronius, accepimus ejus Acta plenius scripta, atque, prout in ejus solemnitate recitari solent, per lectiones distincta.

— Cameràci in Gallia sancti Autberti Episcopi et Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 328).

Martyrol. — In pago Pontino sancti Judoci Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 339).

## S. OTHILIA Virgo.

*Obdormivit in Domino probab. anno* 720.

Martyrol. — In territorio Argentoratensi sanctae Othiliae Virginis.

Haec, nobilissimo genere exorta, visum, quum a nativitate caeca esset, in baptismate, ut fertur, recepit. In ipso juventutis flore, vitam monasticam professa est. Altitonensis (vulgo *Homburg*) coenobii, quod pater ejus condiderat, Abbatissa creata, mirum quantos coelo manipulos intulerit, cum paulo post trecentas triginta sacras Deo virgines, exempli sui diligentissimas aemulas et discipulas numeraret. Vacavit continuis fere jejuniis, vigiliis praeterea atque orationibus perpetuo addicta. Misericordiae opera ut propria habuit, ejusmodi exercitiis visa mirum in modum semper delectari. Dono lacrymarum refulsit. (E *Menologio Bened.* et e Baillet).

— Molini in Gallia, natalis sanctae Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Sanctimonialium Visitationis sanctae Mariae Fundatricis, nobilitate generis, sanctimonià vitae, quam in quadruplici statu constanter duxit, et miraculorum gratià conspicuae a Clemente decimotertio in Sanctarum numerum relatae. Sacrum ejus corpus Annecium in Sabaudia translatum, in prima sui Ordinis ecclesia solemni pompa tumulatum fuit. Ejus autem diem festum duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens quartodecimus celebrari mandavit. (Vide *Surium*, vol. viii, pag. 557 etc.).

—

ECIMONONO KAL. JAN. DEC. XIV.

MARTYROL. — Alexandriae, sanctorum martyrum HERONIS, ARSENII, ISIDORI et DIOSCORI pueri: quorum tres ...imos Judex in persecutione Deciana ...riis tormentis dilanians, cum pari ...nstantia videret armatos, tradi ignibus jubet: Dioscorus vero multipliter flagellatus, divino nutu ad consolationem fidelium dimissus est. (Vide *Surium* ad diem 8 Decembris, pag. 234).

## SS. DRUSUS, ZOSIMUS ET THEODORUS MARTYRES.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Antiochiae natalis sanctorum Martyrum DRUSI, ZOSIMI et THEODORI.

Nihil affert ad illustrandam horum Martyrum passionem Baronius. Verum Ruinartius in *Nota* ad sancti Drosidis Martyrium nos docet in Codice Antverpiensi pro *Drusi* nomine, legi *sanctae Drusinae*. Festum hujus Martyris in hieme celebratum fuisse patet ex homilia, quam in ejusdem honorem S. Joannes Chrysostomus recitavit; at tempus ejus passionis nos latet.

## SS. JUSTUS ET ABUNDIUS MM.

*Passi sunt circa annum 284.*

MARTYROL. — Eodem die passio sanctorum JUSTI et ABUNDII, qui sub Numeriano imperatore et Olybrio Praeside, in ignem injecti, cum evasissent illaesi, gladio percussi sunt.

Eorum passionis Acta, scribit Baronius, celebrantur hymno sacro in Breviario Toletano, ubi de his pluribus agitur.

— Rhemis passio sanctorum NICASII Episcopi, EUTROPIAE Virginis, sororis ejus, et Sociorum Martyrum, qui a barbaris Ecclesiae hostibus caesi sunt. (Vide *Sur.*, pag. 344).

MARTYROL. — In Cypro insula natalis beati SPIRIDONIS Episcopi, qui unus fuit ex illis Confessoribus, quos Galerius Maximianus, dextro oculo effosso, et sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat. Hic prophetiae dono et signorum gloriâ inclytus fuit, et in Nicaeno Concilio philosophum ethnicum Christianae religioni insultantem devicit, et ad fidem perduxit. (Vide *Surium*, ad diem 12 hujus, pag. 288).

## S. VIATOR EPISC. ET CONF.

*Floruit saeculo I.*

MARTYROL. — Bergomi S. VIATORIS Episcopi.

S. Viator Brixiae primum Antistes creatus, anno Domini 75 S. Narno, qui hoc anno e vivis discessit, in Bergomensi Episcopatu successisse fertur. Illius gesta nobis sunt obscura et incerta. Obiit anno 88. Ejusdem corpus apud S. Narni tumulum humatum Adalbertus Bergomi Praesul, an. 908, in templum S. Alexandro martyri dicatum transtulit, unde in ecclesiam S. Vincentii, anno 1561, deportatum fuit, et deinceps in aram majorem novae Cathedralis, ubi ad hunc diem colitur. Brixiani quoque ejus memoriam celebrant. (Ex *Pontif. Brixianorum serie* etc.).

## S. POMPEJUS EPISC.

*Vitâ functus est circa an. 120.*

MARTYROL. — Papiae sancti POMPEJI Episcopi.

De eodem in *Actis* S. Syri agitur. Vide ergo *Surium* ad diem 9 hujus, pag. 237.

## S. AGNELLUS ABBAS.

*Circa annum 596.*

MARTYROL. — Neapoli in Campania sancti AGNELLI Abbatis gratiâ miraculorum illustris, qui obsessam urbem

saepe visus est Crucis vexillo ab hostibus liberare.

Haec de eo scripsit Baronius: « Tabulae Ecclesiae Neapolitanae, ubi religiosissime colitur. Extant ejus Acta edita a Paulo Regio; habemus et nos manuscriptum in nostra bibliotheca, ubi et quaedam a viro sancto miracula edita leguntur. Claruit temporibus Gregorii Papae et Mauritii Imperatoris, cum Neapolitanae Ecclesiae praeesset Fortunatus, de quo est frequens mentio in *Registro* S. Gregorii Papae. » (In *Notis* ad Martyr. Rom.).

Martyrol. — Ubedae in Hispania sancti Joannis a Cruce Confessoris, cujus festum agitur octavo Kalendas Decembris. (Vide *Surium*, vol. ix, sub die 24 Novembris, pag. 658).

## S. MATRONIANUS Eremita.

*E vita discessit circa annum* 370.

Martyrol. — Mediolani S. Matroniani Eremitae.

« Matronianus cognomento Eremita, diu in solitudine fuit, ibique sancte vitâ functus est. Ejus mortale corpus, cespite contectum, diu nemus occultarat: demum Gulielmus Boccardus ex nobilitate Mediolanensi, id reperit, effoditque cum sylvas eas forte perrerarat. Juxta corpus tabellae repertae sunt, in quibus scriptum erat, multos annos egisse Matronianum in ea solitudine, coelesti victitantem pane, quem Angelus ei offerebat. Tunc Gulielmus, collectâ ex vicinis pagis multitudine, sustulit cadaver, et honestissime ad urbem deportavit. In Basilica S. Nazarii id collocavêre, cum venientes via Romana illuc pervenissent. Ibi etiam sacellum, et in eo aram honori, nominique ejus posuêre. Miracula deinde cum ibi multa fierent, inde Sancti veneratio, non solum apud populum Mediolanensem, sed apud exteras quoque gentes increbuit. » — Haec in Eccl. Mediolan. Officio proprio leguntur.

DECIMO OCTAVO KAL. JAN. DEC. 15.

Martyrol. — Octava Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis.

— Eodem die ordinatio sancti Eusebii Episcopi Vercellensis, cujus natalis dies Kalendis Augusti recensetur, ac ejus festum jussu Benedicti Papae Decimitertii sequenti die recolitur. (Vide *Surium*, pag. 349).

## SS. IRENAEUS, ANTONIUS, THEODORUS et Socii Martyres.

*Passi sunt anno* 262.

Martyrol. — Romae sanctorum Martyrum Irenaei, Antonii, Theodori, Saturnini, Victoris et aliorum decem et septem, qui in persecutione Valeriani pro Christo passi sunt.

De his, notat Baronius, vetera manuscripta, ex quibus et recentiores hac die.

## SS. FAUSTINUS, LUCIUS, CANDIDUS et Socii MM.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — In Africa passio sanctorum Faustini, Lucii, Candidi, Coeliani, Marci, Januarii et Fortunati.

Circa hos Martyres Baronius hoc tantum addit: « Agunt de his Beda atque alii recentiores, adstipulantque vetera manuscripta. »

## S. VALERIANUS Episc.

*Martyrio coronatus anno circ.* 457.

Martyrol. — Ibidem S. Valeriani Episcopi, qui cum esset annorum plus octoginta, in persecutione Wandalica sub Genserico Rege Ariano conventus ab eo ut traderet Ecclesiae utensilia, idque constanter renuisset, extra civitatem singularis jussus est pelli: cumque praeceptum esset, ut nullus eum neque in domo, neque in

agro dimitteret habitare, multo tempore in strata publica nudo sub aëre jacens, in confessione et defensione Catholicae veritatis cursum beatae vitae complevit.

Haec de Genserici persecutione et de S. Valeriani glorioso certamine scripsit Victor Vitensis in Lib. I *de persecutione Wandalorum*. « Accenditur propter haec adversus Dei Ecclesiam Gensericus. Mittit Proculum quemdam in provinciam Zengitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos, Domini sacerdotes: ut primo armis nudaret, ut ita facilius inermes hostis callidus captivasset. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta populabatur, atque de pallis altaris (pro nefas!) camisias et femoralia sibi faciebat. Qui tamen Proculus, hujus rei executor, frustratim comedens linguam, in brevi turpissima consumptus est morte. Tunc enim sanctus Valerianus Abensis civitatis Episcopus, dum viriliter, sacramenta divina ne traderet, dimicasset, foras civitatem singularis jussus est pelli: ita et praeceptum est, ut nullus eum, neque in domo, neque in agro dimitteret habitare. Qui in strata publica multo tempore, nudo jacuit sub aëre: annorum erat plus octoginta: quem nos tunc indigni in tali exilio meruimus salutare. Quo tempore paschalis solemnitas agebatur, et dum in quodam loco qui *Regia* vocitatur, ob diem Paschalis honoris, nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent; compererunt Ariani. Statim quidem presbyter eorum, Audiot nomine, congregata secum armatorum manu, ad expugnandam turbam accenditur innocentium. Introierunt evaginatis spathis, arma corripiunt, alii quoque tecta conscendunt, et per fenestras ecclesiae sagittas spargunt. Et tunc forte canente populo Dei, lector unus pulpito sistens, allelujaticum melos canebat, quo tempore sagitta in gutture jaculatus, cadente de manibus codice, mortuus post cecidit ipse. Nam et alii quamplurimi sagittis et jaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi. Nam qui gladiis tunc interempti non sunt, postea poenis attriti, regio jussu omnes pene necati sunt, praesertim maturioris aetatis. »

## S. MAXIMINUS Confessor.

*Diem extremum clausit*
*anno circiter* 520.

Martyrol. — In territorio Aurelianensi sancti Maximini Confessoris.

Maximinus * per aliquot annos simul cum sancto Euspicio, Virdunensi Antistite, cujus is nepos erat, in Regis Chlodovei aula vixit. Sed postea ambo, solitudinis amore succensi, in quemdam locum apud Aurelias, qui *Mici* vocatur, Rege id annuente, se recepêre, ibique coenobium ** aedificârunt, cujus primus Abbas S. Euspicius extitit. Huic deinde Maximinus successit, et pari sanctitatis famâ coenobium illud illustrans, multos eximiis virtutibus refulgentes discipulos qui ex omnibus Galliarum regionibus, ut ejus regimini se subjicerent, concurrebant, educavit. Miraculis et bonis operibus illustris, S. Maximinus decem annos post suorum monachorum susceptum moderamen migravit ad Dominum. (Ex *Menologio Bened.* et ex Baillet).

— Apud Ibèros trans Pontum Euxinum sanctae Christianae ancillae, quae virtute miraculorum gentem illam tempore Constantini ad fidem perduxit. (Vide *Surium*, pag. 346).

DECIMO SEPTIMO KAL. JAN. DEC. XVI.

Martyrol. — Sancti Eusebii Episcopi Vercellensis, de quo Kalendis Augusti, et pridie hujus diei refertur memoria. (Vide *Surium*, pag. 349).

* Vulgo *Mesmin*.
** De hoc coenobio, itemque de S. Maximino, mentio habetur in S. Aviti Vita, in *Surii* vol. VI, ad diem 17 junii, pag. 455.

MARTYROL. — Trium puerorum, ANANIAE, AZARIAE et MISAELIS, quorum corpora apud Babyloniam sub quodam specu sunt posita. (Vide *Surium*, ad diem 21 Julii, in Vol. VII, pag. 411 etc.).

— Ravennae sanctorum Martyrum VALENTINI magistri militum, CONCORDII ejus filii, NAVALIS et AGRICOLAE, qui in persecutione Maximiani pro Christo passi sunt. (Vide *Surium*, pag. 360).

### S. ALBINA VIRGO ET MARTYR.

*Martyrio coronata anno 250.*

MARTYROL. — Formiis in Campania sanctae ALBINAE Virginis et Martyris sub Decio Imperatore.

Nec in Annalibus, nec in Adnotationibus ad Martyrol. Rom. circa hanc Martyrem, praeter nomen, quidquid aliud Baronius refert.

### PLURIMAE SS. VIRGINES MM.

*Circa annum 483.*

MARTYROL. — In Africa passio plurimarum Sanctarum Virginum, quae in persecutione Wandalica sub Hunnerico Rege Ariano suspendia, pondera, laminasque ignitas tolerantes, martyrii agonem feliciter consummarunt.

Horum fortem in confessione constantiam atque coronam martyrii Victor Vitensis descripsit. Ejus narrationem lege in *Martyrologio Illustr.*, ad diem 12 octobris, pag. 905, etc.

### S. ADO EP. ET CONFESS.

*Ad coelum migravit anno 875.*

MARTYROL. — Viennae beati ODONIS Episcopi et Confessoris.

Vir, cum primis tum scientiâ, tum etiam sanctitate clarus, institutus educatusque fuerat in celeberrimo coenobio, quod olim apud *Ferrières* erat. Romam profectus, quinque annos ibi demoratus est. Anno 860, Viennae Allobrogum, communi cleri populique consensu plausuque, Antistes, post Agilmarum, creatus, omnia pastoralis sui muneris officia optime adimplevit. Magnopere conatus est ne Lotharius Imperator Theutpergam legitimam suam uxorem repudiaret. Pluribus Conciliis, in quibus maxime ejus doctrina refulsit, praefuit. *Breviarium Chronicorum de sex Mundi Aetatibus* ab Adami ortu ad sui ipsius usque tempora conscripsit. Extat quoque ex ejus lucubrationibus insigne illud monumentum, quo res gestas SS. Martyrum novo Martyrologio caeteris fusius est prosecutus: inscribitur hoc opus *Martyrologium Adonis*. (E variis Scriptoribus).

### S. BEANUS EPISCOPUS.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Aberdonae in Hibernia sancti BEANI Episcopi.

Vetera manuscripta, ejusdem meminere, subjungit Baronius, ex quibus Molanus hac die. Fuit hic Episcopus Aberdonensis, ut idem testatur.

### S. IRENION EPISCOPUS.

*Claruit tempore Theodosii Imperatoris.*

MARTYROL. — Gazae in Palaestina sancti IRENIONIS Episcopi.

De eodem praeclara habetur mentio in Actis S. Porphyrii Episcopi Gazensis, cujus natale die 26 februarii celebratur. (Vide ergo *Surium*, vol. II, pag. 482).

## SEXTO DECIMO KAL. JAN. DEC. XVII

### SS. FLORIANUS, CALANICUS ET SOCII MM.

*Passi sunt anno circiter 640.*

MARTYROL. — Eleutheropoli in Palaestina sanctorum Martyrum FLORIANI, CALANICI, et Sociorum quin-

quaginta et octo, qui tempore Heraclii Imperatoris a Saracenis ob Christi fidem occisi sunt.

Sollerius in suis *Adnotationibus* ad Usuardum haec habet : « *Martyres Eleutheropolitani*, pure Adoniani sunt, nec aliud in ipsorum gratiam praestitit Usuardus, quam hîc etiam Viennensis verba in suum laterculum transferre. Utrobique Martyrum numerus ad quinquaginta determinatus est; utrobique omnes anonymi sunt. Martyrologos nostros deseruit Baronius, secutus, ni fallor, Acta passionis manuscripta, quorum apud nos apographum exstat, ex archiviis S. Petri Romae descriptum, ubi diffusior totius martyrii descriptio Florianum et Calanicum, tamquam totius turmae praecipuos, appellat, addens etiam reliquorum omnium nomina, quae simul ad sexaginta ascendunt, unde formata est Romani moderni annuntiatio.... Non recte a Baronio signatur annus Heraclii XXXVII, qui forte melius XXVII diceretur, quamvis nec in Miscella, nec in Theophane, satis certa indicia reperiri possint, ex quibus aut de Martyrum horum numero, de tempore, aut loco passionis certi aliquid statuatur. »

## S. LAZARUS Episcopus.

*Saeculo I.*

Martyrol. — Massiliae in Gallia beati Lazari Episcopi, quem Dominus in Evangelio a mortuis suscitasse legitur.

S. Lazarus fertur alios triginta annos post suam resurrectionem vixisse; anno Domini 63, simul cum Martha et Maria, ejusdem sororibus, ad Massiliensem urbem appulisse, ubi plurimos ad Christi fidem convertit, atque illius nascentis Ecclesiae primus Episcopus fuisse. Quae omnia a quibusdam inter fabulas et commentia rejiciuntur; ab aliis e contrario ut vera probantur. Consule Faillon, *Monuments inédits sur l' apostolat de S.te Marie Madeleine en Provence, S. Lazare, etc.*

Martyrol. — Romae sancti Joannis de Matha, Fundatoris Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis Captivorum; cujus festivitas agitur Sexto Idus Februarii ex decreto Innocentii Undecimi. (Vide *Martyrologium Illustratum*, ad diem 8 februarii, pag. 120).

## S. STURMIUS Abbas.

*Floruit saeculo VIII. — Germanus.*

Martyrol. — In monasterio Fuldensi sancti Sturmii Abbatis, et Saxoniae Apostoli, quem Innocentius Secundus in Concilio Lateranensi in Sanctorum numerum retulit.

Sturmius sive Sturmio, nobili genere exortus, a Magno Bonifacio, Germanorum Apostolo, S. Wigberto erudiendus traditus, litteris et sanctitate egregie institutus est. Quum vitam monasticam amplexus esset, adeo virtutum omnium profectu excelluit, ut S. Bonifacius eum prae caeteris dilexerit, ac ipsum recentis Fuldensis coenobii primum Abbatem creaverit. Eo honore S. Sturmius dignissimum se ostendit, augendoque Fratrum numero tantopere institit, ut quadringentos non multo post Monachos, exceptis Tyronibus et Conversis fratribus, congregaret: quibus satis non habuit ad sanctiorem vitam exempli facem praeferre, nisi, dignissimo instituto, juventutem teutonicam ad Fuldense monasterium convocaret, pertraheretque. Quo sane unico merito, quantum sibi Germaniam, quantum posteritatem omnem devixerit Sturmius, cujus nimirum operâ potissimum barbaries illis in regionibus proscripta est, nemo facile describeret. Nec eo contentus, ipse etiam, praedicationis munere suscepto, longe lateque discurrens, gentiles quamplurimos ad Christi fidem convertit, ita ut, tamquam alter Bonifacius, et Sa-

xonum Apostolus ab omnibus vocaretur. Tandem laboribus et aetate fractus, ad Fuldense coenobium reversus, ibidem placido fine quievit anno 779. Fuit S. Sturmius Pipino et Carolo Magno, Francorum regibus, magnopere carus. Eum Innocentius Pp. II inter Sanctos adnumeravit anno 1139, in Concilio Lateranensi universali. (E *Menologio Benedict.*, et e *Surio, poster. Edit.*).

## S. VIVINA Virgo.

*Saeculo incerto.*

Martyrol. — Bigardis prope Bruxellam sanctae Vivinae Virginis, cujus egregiam sanctitatem miracula crebra testantur.

Tabulae ejus ecclesiae de ipsa agunt.

## S. OLYMPIADES Vidua.

*Obiit saec. V probab. ineunte.*

Martyrol. — Constantinopoli sanctae Olympiadis Viduae.

Olympiades, clarissimo genere, Constantinopoli, nata, neptis fuit Ablabii, qui sub Constantino Magno Praefecturam Praetorii gessit, filia porro Anysii secundi Comitis. Anno probabiliter 384 Nebridio, illustrissimo viro, nupsit: quibus nuptiis magnus Episcoporum, qui per occasionem Concilii Constantinopolim confluxerant, numerus interfuit. Quum fuisset ad eamdem solemnitatem invitatus S. Gregorius Nazianzenus, is, podagrâ illo tempore graviter laborans, per epistolam Anysio se excusavit. Scripsit nihilominus ad Olympiadem egregium Carmen Epithalamium, seu potius Paraeneticum, quo novam sponsam optimis sane monitis praeceptisque informat. In hoc conjugio, Olympiades menses viginti solummodo vixit, quum Nebridius fato perfunctus esset. Sed ipsa, etsi adhuc primaevo flore juventae vigèret et omnibus bonis afflueret, in viduitatis condition- usque ad mortem permanere decrevit: neque precibus neque minis Theodosius Magnus Imperator unquam consecutus est, ut Elpidio, cognato suo, Hispano, eam in matrimonium conjungeret. Qua repulsa offensus, Theodosius, antequam contra Maximum tyrannum bellum iniret, quod anno 388 contigit, Praefecto urbis mandavit, ut, aliquo praetextu invento, omnes ejus opes custodiret, quousque trigesimum suae aetatis annum et implesset. Quam illa fortunarum suarum direptionem excelso et supra sexum virili animo pertulit. Sed tandem Imperator, post reditum a bello contra Maximum gesto, idest anno 391, perspectâ Olympiadis constantiâ, res suas sibi habere jussit. Quae ex eo tempore commune domi suae diversorium omnibus Episcopis, Sacerdotibus, Monachis eo venientibus aperuit. Inter caeteros, Magnum Amphilochium, Petrum, S. Basilii fratrem, Theophilum, Acacium omni liberalitatis et munificentiae genere complexa est. Quam ob rem Nectarius, Constantinopolitanus Episcopus, eam diaconissam fecit: cujus Nectarii morientis, ut et Optimi Episcopi, oculos ipsa suis manibus clausit. Post Nectarium quam cara fuerit Joanni Chrysostomo, quam ipsi carus Joannes, luculenter declarant ejusdem S. Joannis XVII epistolae ad ipsam, quae adhuc exstant. Post Chrysostomi exsilium, Olympiades quoque, ejusdem causâ, graves aerumnas est perpessa. Ne de contumeliis conviciisque loquar, in judicium et ipsa rapta, ut incendii templi S. Sophiae inter caeteros Joannis fautores rea, ingenti pecunia mulctata est. E patria quoque excedere debuit. Quo demum anno ad coelestem patria nobilissima et sanctissima mulier evocata fuerit, nobis non est compertum. (E variis Scriptoribus).

—

## S. BEGGA VIDUA.

*Diem extremum clausit anno* 698.

MARTYROL. — Andaniae * apud septem Ecclesias beatae BEGGAE Viduae, sororis sanctae Gertrudis.

De S. Begga habes in Vita S. Gertrudis, 17 martii, vol. II, pag. 343; et in Vita S. Modoaldi, 12 maji, vol. V, pag. 365 et 366.

## TRANSLATIO S. IGNATII EP. ET MART.

MARTYROL. — Eodem die translatio sancti IGNATII Episcopi et Martyris, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam; cujus corpus ab urbe Roma, ubi ipse sub Trajano passus fuerat, Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in coemeterio Ecclesiae positum fuit; in qua celebritate sanctus Joannes Chrysostomus concionem ad populum habuit: postmodum vero ejus reliquiae rursus Romam translatae sunt, et in Ecclesia sancti Clementis unà cum corpore ejusdem beatissimi Papae et Martyris summa veneratione reconditae.

Baronius haec subdit: « Fuit haec prima translatio, quando, consummato martyrio, ejus discipuli, qui eum secuti fuerant Antiochia, illic victrices reliquias reduxerunt: de qua translatione agitur in fine Actorum ** martyrii ipsius, eamque graphice describit egregia oratione S. Joannes Chrys. *** Positum tunc fuit corpus ejus in coemeterio ad portam Daphniticam: inde autem, ultimis temporibus Theodosii Junioris, delatum est summo cum honore Antiochiam, positum in templo quod *Fortunae* dicebatur.... De tertia autem, quando Romam delatum est, nihil mihi hactenus compertum habetur. Opinor tamen tunc inde ablatas Sanctissimi Martyris reliquias, cum, Justiniano Imperatore, civitas illa a Coshroe, Rege Persarum, igni ferroque vastata est, anno Domini 540. »

QUINTODECIMO KAL. JAN. DEC. XVIII.

## SS. RUFUS ET ZOSIMUS MM.

*Passi sunt anno circiter* 109.

MARTYROL. — Philippis in Macedonia natalis sanctorum Martyrum RUFI et ZOSIMI, qui ex numero discipulorum fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judaeis et Graecis fundata est: de quorum etiam felici agone scribit sanctus Polycarpus in Epistola ad Philippenses.

En S. Polycarpi verba: « Rogo igitur omnes vos insistere verbo justitiae et patientiae, quam oculata fide vidistis non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zosimo et Rufo, sed et in aliis, qui ex vobis sunt. »

* Nunc *Andenne*, ad Mosam flumen, apud urbem Namur. ** Vide Surii vol. II, pag. 11.

*** En S. Joannis Chrysost. verba: " Exiguum ad tempus eum (*nimirum S. Ignatium*) vobis ademit Deus, sed majore cum gloria restituit. Et quemadmodum pecuniam mutuantes, cum foenore eam reddunt, quae acceperunt, sic etiam Deus pretiosum hunc thesaurum paulisper suscipiens, ut ostenderet Romae, majore cum gloria illum vobis retulit. Emisistis enim Episcopum, et Martyrem recepistis; emisistis cum precibus, et cum coronis suscepistis: nec vero vos soli, sed cunctae quae interjectae sunt civitates. Quomodo enim eas affectas existimatis, cum reportatas reliquias cernerent? quem voluptatis fructum percipere, quantà laetitià gestire? quam faustis undique acclamationibus coronatum celebrare? Quemadmodum enim pugilem generosum, qui omnes devicerit adversarios, spectatores e cavea cum plausu consurgentes sublimem statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, sed sublatum innumerabilibus laudibus ornantes, domum reportant, sic utique et sanctum illum omnes ex ordine civitates ab Urbe relatum suscipientes humerisque gestantes, Antiochiam usque sunt comitatae, martyrem coronatum celebrantes, laudantes agonothetam, diabolum deridentes, quod e contrario illi versutia successisset, et quae in martyrem struxerat, in se recidissent. " (*Ex Homilia in S. Ignatium Deiferum*).

## SS. THEOTIMUS ET BASILIANUS.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Laodiceae in Syria passio SS. THEOTIMI et BASILIANI.

Haec de eisdem Baronius: « De his Beda et alii recentiores, consentiuntque vet. manuscripta. »

## SS. QUINCTUS, SIMPLICIUS ET SOCII.

*Martyrio coronati circa an. 253.*

MARTYROL. — In Africa sanctorum Martyrum QUINCTI, SIMPLICII et aliorum, qui sub Decii et Valeriani persecutione passi sunt.

De his agit Beda hac die. Fuit Quinctus Episcopus in Mauritania, temporibus Decii Imperatoris. Ad S. Quinctum exstat S. Cypriani Epistola 71. An autem hic ille idem sit, non satis exploratum est, inquit Baronius.

## S. MOYSES MARTYR.

*Quo anno passus fuerit, ignotum.*

MARTYROL. — Ibidem sancti MOYSETIS Martyris.

De eodem Beda, Usuardus et vetera manuscripta, itemque recentiores agunt. — Ita Baronius.

## SS. VICTURUS, VICTOR, VICTORINUS ET SOCII MM.

MARTYROL. — Item in Africa sanctorum Martyrum VICTURI, VICTORIS, VICTORINI, ADJUTORIS, QUARTI et aliorum triginta.

Horum Martyrum, praeter nomina, omnia prorsus ignota.

## S. AUXENTIUS EPISCOPUS.

*Claruit saeculo IV.*

MARTYROL. — Mopsuestiae* in Cilicia sancti AUXENTII Episcopi, qui olim sub Licinio miles, potius elegit cingulum exuere, quam uvas Bacchi offerre; factusque Episcopus, praeclarus meritis in pace quievit.

Ejus nobilem confessionem ita enarrat Suidas: « Auxentius Mopsuestiae Episcopus, ex iis qui Confessores nominantur, homo illustris in exercitu Licinii Imperatoris, et e scribarum numero, quos Notarios Romani vocant. Confessionis genus hujusmodi fuit. Erat in quadam Palatii aula fons aquae, et in eo Bacchi statua, et vitis ampla totum complexa locum et obumbrans. Quo cum Licinius causa delectationis venisset, Auxentio et aliis multis e comitatu sequentibus, vitem intuens, uvam magnam et maturam e palmitibus dependentem vidit, eamque Auxentium resecare jussit. At ille statim, femori appenso pugione stricto, resecuit, nihil suspicans. Licinius autem: « Ponito, inquit, uvam ad Bacchi pedes. » At ille: « Absit, Imperator; Christianus enim sum. » Tum ille: « Igitur, apage te, relictâ militiâ; alterutrum enim facias necesse est. » At hic, nihil cunctatus, et zonam solvit, et statim àlacer Palatio excessit. Episcopum autem aliquanto post eum Mopsuestiae Episcopum crearunt. » (E *Lexico*, ad verbum *Auxentius*).

MARTYROL. — Turonis sancti GATIANI Episcopi, qui a sancto Fabiano Papa ejusdem civitatis primus Episcopus ordinatus, multis clarus miraculis obdormivit in Domino. (Vide *Surium*, pag. 361).

QUARTO DECIMO KAL. JAN. DEC. XIX.

MARTYROL. — Alexandriae in Aegypto beati NEMESII Martyris, qui primo per calumniam quasi latro Judici delatus, eoque crimine absolutus, mox in persecutione Decii Christianae religionis nomine Aemiliano Judici accusatur, a quo geminatis suppliciis excruciatus, cum latronibus jussus est

* Nunc *Messis*, ad Pyramum flumen. Saeculo V haec urbs episcopali sede exornata erat.

ncendi, Salvatoris déferens similitudinem, qui unâ cum latronibus pertulit crucem. (Vide *Surium*, ad diem 3 hujus, pag. 235).

## SS. DARIUS, ZOSIMUS, PAULUS ET SECUNDUS MM.

MARTYROL. — Nicaeae sanctorum DARII, ZOSIMI, PAULI, et SECUNDI Martyrum.

Aetas et omnia ignota.

## SS. CYRIACUS, PAULILLUS, SECUNDUS ET SOCII MM.

MARTYROL. — Nicomediae sanctorum Martyrum CYRIACI, PAULILLI, SECUNDI, ANASTASII, SINDINII, et Sociorum.

De his item, nominibus exceptis, omnia obscura.

## S. TIMOTHEUS DIAC. MARTYR.

MARTYROL. — In Mauritania sancti TIMOTHEI Diaconi, qui ob Christi fidem post diras carceres in ignem conjectus, martyrium consummavit.

« De eo etiam Graeci agunt hac die in Menologio, ibique ejusdem martyrium recensent. » — Haec tantum in Baronio.

## SS. MEURIS ET THEA.

*Passi videntur anno circ.* 398.

MARTYROL. — Gazae in Palaestina passio sanctorum MEURIS et THEAE.

Graeci itidem de his agunt. Eorumdem mentio habetur in *Martyrologio Illustrato*, ad diem 25 julii, pag. 664.

## S. URBANUS V PAPA.

*Ab anno* 1362 *usque ad annum* 1370 *sedit.*

MARTYROL. — Massiliae beati URBANI V, qui ex Abbate monasterii sancti Victoris ad summum Pontificatum evectus, fidei propagationem et Ecclesiasticae disciplinae vigorem impense promovit.

Urbanus, olim Guillelmus Gabalus*, Grisacii **, nobilissimis parentibus editus est. Ab ineunte aetate liberalibus imbutus disciplinis, in monasterio Mimatensi *** cucullum induit. Per viginti postea annos Jus Pontificium et sacras litteras publice professus, multos nobiles et spectatos admodum auditores habuit. Ad curiam deinde Romanam evocatus, cognita ejus doctrina et sanctitate, Abbas primum Antisiodorensis ****, Massiliensis postea sancti Victoris ab Innocentio Papa VI designatus, magnisque saepe legationibus perfunctus, quum vix quinquagesimum tertium annum aetatis suae ageret, ad supremum Pontificatum evectus est*****. De Ecclesia dehinc universa sollicitus, eidem omni modo consuluit, insignique felicitate et merito aeterno, Pontificiam majestatem (quod nemo antea ausus erat), tanto tempore exulem, Italiae atque Romae restituit ******, orbis universi gratulatione et plausu. Cui gratulaturus felicissimum illum reditum, Carolus IV Roman. Imperator cum uxore et liberis eo ipse advolavit *******, ac stratoris officio exhibito, eidem sacrisoperanti Diaconus ministravit. Sed et Orientis Imperator, Joannes Paleologus, non solum eidem sese submisit, verum et ipse Romam veniens, pu-

* Incola scilicet illius Galliarum provinciae, quae olim *Gevaudan* appellabatur.

** Gallice *Grisac*, in *Gevaudan* inferiori.

*** Urbis videlicet, quae *Mende* vocatur, episcopali sede ornata.

**** Gallice, *Auxerre*.

***** Absens electus est, quum is tunc temporis legationem exerceret apud Joannam Siciliae reginam. Avenione porro consecratus et coronatus fuit.

****** Die 16 octobris, anno 1367. Cum in Urbem ingrederetur, *miseratus*, ut Aegidius Viterbensis scribit, *collapsa templa, et deserta primi pontificis urbem, illud psalmi inter singultus repetebat: Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus cum recordaremur tui.*

******* Eodem anno 1367.

blice catholicam fidem professus est *. Ad purgandam deinde Ecclesiam conversus Urbanus, ambitioni foedissimae Clericorum fraenum induxit **: pluralitatem beneficiorum sustulit; quemque in Ecclesia propria residere coëgit; luxum vestium coercuit. Bononiensem Studiorum Universitatem instauravit; illamque et Parisiensem amplissimis privilegiis exornavit. Idem, rara felicitate, pluribus saeculis abscondita Principum Apostolicorum sacra capita invenit, eaque reposuit ubi adhuc custodiuntur. Idem de plurimis sacris Ordinibus et novis Christi familiis optime meruit, eas confirmando atque propagando. Innumeris denique meritis gloriosus sancto fine decessit ***, ad extremum usque anhelitum crucem manibus religiosissime tenens, neque unquam vestibus se suis et cucullo exspoliari sinens. Ex suprema ejusdem voluntate, in coenobio sancti Victoris tumulatus fuit ****. (Ex *Menologio Benedict*. — Videsis quoque Historias Ecclesiasticas).

## S. GREGORIUS Ep. et Conf.

*Circa an.* 540.

Martyrol. — Antisiodori sancti Gregorii Episcopi et Confessoris.

Numeratur hic XIII ejus Sedis Episcopus. Sedit annos 12 et menses 6, temporibus Vigilii et Sylverii Pontificum, ut constat ex tabulis ejus ecclesiae, quas recitat Demochares. — Ita Baronius.

* Anno 1369, die 18 octobris.

** *Simoniae maxime extirpator*, Urbanus V in ejusdem *Actis* celebratur.

*** Avenione, quo, ut quaedam negotia persolveret, reversus erat, *eo consilio*, tamen, ut idem Aegidius testatur, *ut in Italiam rediret; profecto rediturus, nisi abeuntem occupasset mors*.

**** Waldemarus, Daniae rex, Gregorio Pp. IX supplicavit, ut Urbanum V in Sanctorum album referret: hoc idem Clementem Pp. VII poposcerunt Carolus Galliarum, et Ludovicus Siciliae, reges.

## S. ADJUTUS Abbas.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Aurelianis sancti Adjuti Abbatis, prophetiae spiritu illustris.

Adjutus Mimatensis primum coenobii monachus, ad Portesani postea coenobii in agro Carnotensi regimen vocatus fuit. Multos, ut vitam monasticam amplecterentur, suo exemplo ac fervore mirifice accendit; et ob insignem ejus vitae sanctitatem, miraculorum etiam gloriâ honorari a Deo meruit. Aurelianis decessit et sepultus est. (E *Menologio Benedict.*).

## S. FAUSTA.

Martyrol. — Romae sanctae Faustae, matris sanctae Anastasiae, nobilitate et pietate insignis.

De eadem exstat S. Anastasiae epistola ad S. Chrysogonum, quam vide in Sur., ad diem 25 hujus, pag. 42[illegible]

TERTIO DECIMO KAL. JAN. DEC. 20

Martyrol. — Vigilia sancti Thomae Apostoli.

## SS. LIBERATUS et BAJULUS MM.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Romae sanctorum Martyrum Liberati et Bajuli.

Nominibus exceptis, nihil aliud de ipsis nobis est compertum.

— Alexandriae sanctorum Martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomaei, Ingenis et Theophili Militum, qui tribunalibus astantes, cum quidam Christianus in suppliciis positus trepidaret, et jam pene ad negandum declinaret, vultu, oculis ac nutibus illum conabantur erigere; cumque hac de causa totius populi clamor in eos prosiliret, prorumpentes in medium, Christianos se esse testati

t: per quorum victoriam Christus, suis eam animi constantiam dede-, gloriosissime triumphavit. (De lem agitur die 8 hujus. Vide *Sum*, pag. 235).

S. JULIUS MARTYR.

*Quo tempore sit passus, ignotum.*

MARTYROL. — Gèldubae sancti Ju- Martyris.

Gelduba ab Usuardo ponitur in racia. Verum Plinius, lib. 19, cap. 5, it Geldubam castellum esse Rheno positum. Aliam Geldubam non in- nimus. — Ita Baronius.

S. EUGENIUS ET MACARIUS MM.

*Martyrio coronati anno* 302.

MARTYROL. — In Arabia sanctorum rtyrum EUGENII et MACARII Pre- yterorum, qui a Juliano Apostata, m ipsius impietatem arguissent, evissime plagis affecti, atque in va- ssimum eremum relegati, gladio esi sunt.

Eorum martyrium describitur in tis S. Artemii Martyris, cujus fe- im die 20 octobris agitur. Vide ergo *rium*, Vol. x, a pag. 586 usque ad g. 592.

— Antiochiae natalis S. PHILOGONII piscopi, qui ex causidico ad eam Ec- esiam regendam Dei nutu accersi- s, adversus Arium unà cum sancto lexandro Episcopo et Sociis primum o fide Catholica certamen iniit, cla- isque meritis quievit in Domino: ujus annuam festivitatem S. Joannes hrysostomus praeclaro encomio ce- bravit. (Vide *Surium*, pag. 362).

S. DOMINICUS EP. ET CONFESSOR.

*Circiter annum* 615.

MARTYROL. — Brixiae sancti DOMI- ICI Episcopi et Confessoris.

Dominicus sancto Anastasio suffe- tus est. Hunc, opibus Theodolindae Italiae Reginae, cui propter eximiam morum pietatem carus erat, multas restaurasse collabentes ecclesias, Bri- xianorum est traditio, multumque in ecclesiasticae disciplinae restauratione insudasse. Dicitur etiam sua in eccle- sia auctor fuisse recitationis Litania- rum, quas S. Gregorius Magnus paulo ante Romae instituerat. — Haec in *Brixianorum Pontificum Serie illu- strata*, etc. habentur.

S. DOMINICUS DE SYLOS ABBAS.

*Quo anno obierit, ignotum.*
*Hispanus.*

MARTYROL. — In Hispania deposi- tio S. DOMINICI de Sylos Abbatis Or- dinis sancti Benedicti, miraculis in captivorum liberatione celeberrimi.

Hic illustris in Cantabria vico Can- nensi natus, vitam monasticam am- plexus est in vetustissimo S. Aemiliani coenobio, ubi, ob admirandam vitae sanctitatem, Abbas creari meruit. Cum vero Monachorum et Ecclesiae jura contra Garsiam Vasconum Regem constantissime tueretur, ab hoc in exilium missus est; et quum adhuc e patria extorris esset, ad libertatem domus Dei migravit. (Ex *Menologio Benedict.*).

DUODECIMO KAL. JAN. DEC. XXI.

MARTYROL. — Calaminae natalis beati THOMAE Apostoli, qui Parthis, Medis, Persis et Hyrcanis Evangelium praedicavit, ac demum in Indiam per- veniens, cum eos populos in Christia- na religione instituisset, Regis jussu lanceis transfixus occubuit: cujus re- liquiae primo ad urbem Edessam, de- inde Orthonam translatae sunt. (Vide *Surium*, pag. 371).

SS. JOANNES ET FESTUS MM.

MARTYROL. — In Tuscia sanctorum Martyrum JOANNIS et FESTI.

Omnia de his, nominibus exceptis, ignota.

## S. THEMISTOCLES Martyr.

*Martyrii lauream adeptus est anno* 253.

Martyrol. — In Lycia S. Themistoclis Martyris, qui sub Decio Imperatore pro S. Dioscoro, qui quaerebatur ad necem, se offerens, equuleo tortus, raptatus, ac fustibus caesus, martyrii coronam adeptus est.

Agunt de eodem Graeci in Menologio, ex quo etiam caeteri.

## S. GLYCERIUS Presb. Mart.

*Passus anno* 301.

Martyrol. — Nicomediae sancti Glicerii Presbyteri, qui in persecutione Diocletiani multis tormentis vexatus, in ignem demum conjectus, martyrium consummavit.

De eodem agitur in Actis SS. Indes et Domnae, die 28 hujus. Vide itaque *Surium*, pag. 521).

## S. ANASTASIUS Ep. et Mart.

*Anno* 610 *peremptus.*

Martyrol. — Antiochiae sancti Anastasii Episcopi et Martyris, qui, Phoca imperante, a Judaeis saevissime necatus est.

Is successit in Antiochena Sede Anastasio Seniori Sinaitae * anno 599. Statim ac Episcopus creatus fuit, more majorum, de suà creatione Romanum Pontificem Gregorium M., certiorem reddidit, fideique professionem ad eumdem conscripsit. Non exstat illa quidem, sed quum ad ipsum Gregorius epistolam tradidit, de ea testimonium profert, ubi haec, ipsius exordio, ait: « Fraternitatis tuae scripta suscepi, professionem fidei recte servantia: magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quod et immutatis sui gregis pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit. » (Ep. ... lib. 7). Quomodo autem a Judaeis ...catus fuerit, ex *Miscella* accipe, ... haec narrantur: « Anno imperii Phocae septimo, Antiocheni Judaei ...late inquieta commissa contra Christianos, occidunt Anastasium Magnum Patriarcham Antiochiae, mittentes ...denda ejus in os ejus, et post ...trahentes eum in plateam urbis ...terfecerunt autem et civium mu... et incenderunt eos. » (Ex Baronii A...*nalibus*, Tom. VIII).

* S. Anastasii Sinaitae festum agitur die 21 aprilis. Vide *Martyrol. Illustr.*, pag. 345*.

## S. SEVERINUS Ep. et Conf.

Martyrol. — Trèviris sancti Severini Episcopi et Confessoris.

Juxta Baronium, vità functus ... circa annum 300.

UNDECIMO KAL. JAN. DEC. XXII

## SS. XXX Martyres.

*Passi sunt circa annum* 2..

Martyrol. — Romae via Lavicana inter duos Lauros, natalis sanctorum Triginta Martyrum, qui omnes ... die in persecutione Diocletiani martyrio coronati sunt.

« Coronam Martyrum Triginta, ... Sollerius in *Notis* ad Usuardum, ... Diocletiano Romae passorum, dedit ... 1 Januarii **, sed loco determinato ... *Appia:* en coronam seu manipulum alterum, forte trecentorum, quam ... ginta pugiles. Numerum dubium ... dunt Hieronymiani codices Luc... et Blumianus, dum contra alios ... stinctius legunt: *Romae via Lavicana inter duos Lauros, natalis sanctorum* CCC *Martyrum, qui omnes uno die* ... *ronati sunt.* Si tempora Diocletiani addita essent, videretur tota nostra annuntiatio inde accepta, magisque adeo suaderent codices Hieronymiani ... alii, in quibus soli triginta exprimuntur. Sed *dignior*, inquit Florentinius ... *immani* Diocletiani *saevitia numer*...

** Vide *Martyrol. Illustr.*, pag. 3*.

*centorum esset.* Quaerimus quid ipserint Martyrologi? Rabanus solo rtyrum numero a Lucensi differt: multum dissonat Romanum parn: *Roma, XXX Martyrum, sub cletiano, via Lavicana inter duos uros sepultorum.* Ado distinctius et ictius cum Lucensi locutus est, iis ne verbis, quibus constat totus tex- noster. Nihil praeterea de his mar-ibus hactenus reperi. »

## . FLAVIANUS Expraefectus M.

*Circa annum* 362.

Martyrol. — Ibidem sancti Flani Expraefecti, qui sub Juliano ostata pro Christo inscriptione * mnatus, et ad Aquas Taurinas ** in ilium missus, illic orans, spiritum o reddidit.

Pater est S. Bibianae Virginis ***, jus natale die 2 hujus celebratur. im alii Fabianum, nonnulli Faustum cunt. Inter martyres meruit connuerari.

## SS. DEMETRIUS, HONORATUS ET FLORUS MM.

Martyrol. — Apud Ostia Tiberina nctorum Martyrum Demetrii, Honoati et Flori.

Utinam, Sollerius hîc exclamat, horum trium, et XXX superiorum lartyrum Acta aut passiones alicubi eperirentur!

— Alexandriae sancti Ischyrionis lartyris, qui cum ad sacrificandum onviciis et injuriis cogeretur, atque ontemneret, praeacuta sude per media viscera transverberatus neci traditur. (Vide *Surium*, ad diem 8 hujus, pag. 236).

Martyrol. — In Aegypto sanctorum Chaeremonis Episcopi Nilopolis, et aliorum plurimorum Martyrum, quorum alii, saeviente Decii persecutione, fuga dispersi, in solitudinibus errantes, a bestiis interempti sunt; alii fame, frigore et languore consumpti; alii a barbaris et latronibus necati, martyrii gloriâ coronati sunt. (*Ut supra*).

— Nicomediae sancti Zenonis militis, qui cum Diocletianum Cereri immolantem derisisset, maxillis confractis, dentibusque excussis, capite truncatus est. (Ejus certamen in Actis SS. Indes et Domnae, die 28 hujus, describitur. Vide ergo *Surium*, pag. 529).

DECIMO KAL. JAN. DEC. XXIII.

Martyrol. — Romae sanctae Victoriae Virginis et Martyris, quae in persecutione Decii Imperatoris, cum esset desponsata Eugenio pagano, et nec nubere vellet, neque sacrificare, post multa facta miracula, quibus plurimas Deo Virgines aggregaverat, a carnifice percussa est gladio in corde, rogatu sui sponsi. (V. *Sur.*, pag. 377).

— Nicomediae natalis sanctorum viginti Martyrum, quos Diocletiana persecutio gravissimis tormentis cruciatos, Martyres Christi fecit. (Horum martyrium in Actis sanctarum Indes et Domnae, die 28 huj. habetur. Vide *Surium*, pag. 525).

— Ibidem passio sanctorum Mygdonii et Mardonii, quorum alter in eadem persecutione igne crematus est, alter in fossam projectus occubuit; tunc etiam passus est Diaconus sancti Anthimi Episcopi Nicomediensis, qui cum litteras perferret ad Mar-

* Ejusmodi ignominiâ affici solitos Christianos onfessores, plura documenta fidem faciunt Erat *uscriptio* genus supplicii, quo vultus atris notis perpetuo mansuris, profundis characteribus, incidebatur. Hanc poenam Constantinus Magnus lege vetuit. (Ex Baronii *Annotat.* ad Martyr. Rom).

** *Aquae Taurinae*, positae videntur in Tuscia, apud Centumcellas (ital. *Civitavecchia*). A quibusdam creduntur esse *Aquapendente*.

*** Vide *Martyrol. Illustr.*, pag. 3*.

tyres, a Gentilibus tentus, et lapidibus obrutus, migravit ad Dominum. (Ibidem, pag. 525).

Martyrol. — In Creta sanctorum Martyrum Theoduli, Saturnini, Eupori, Gelasii, Euniciani, Zètici, Clèomenis, Agàthopi, Basìlidis et Evaristi, qui in persecutione Decii crudelia passi, capite caesi sunt. (Vide *Surium*, pag. 381).

— Romae beati Servuli, de quo sanctus Gregorius scribit, quod a primaeva sui aetate usque ad finem vitae paralyticus jacuit in porticu prope Ecclesiam S. Clementis, et demum Angelorum cantibus invitatus, transivit ad gloriam Paradisi: ad cujus tumulum Deus miracula creberrime ostendit. (Vide *Surium*, pag. 385).

NONO KAL. JAN. DEC. XXIV.

Martyrol. — Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. (Vide *Surium*, pag. 387).

SS. XL Virgines Martyres.

*Passae circa annum* 253.

Martyrol. — Antiochiae natalis sanctarum Virginum quadraginta, quae in Deciana persecutione per diversa tormenta martyrium consummarunt.

In Martyrologiis, circa has Virgines nihil aliud, praeter nomina, habetur.

— Apud Spoletum sancti Gregorii Presbyteri et Martyris, qui temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum, primo nodosis fustibus caesus, ac deinde, post craticulam et carcerem, carduis ferreis in genibus percussus, sed et ardentibus lampadibus per latera incensus, tandem est decollatus. (Vide *Surium*, pag. 394).

—

SS. LUCIANUS, METROBIUS, PAULUS et Socii MM.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Tripoli sanctorum Martyrum Luciani, Metrobii, Pauli, Zenobii, Theotimi et Drusi.

De his, inquit Baronius, agunt Beda, Usuardus et Ado; consentiunt vetera manuscripta. Fefellit tamen, Sollerius monet, Baronium Plantinus Beda, aut id genus Codex ... diversos martyres sub una positione conjungens. De Luciano nihil historici, quod sciam, superest.

— Nicomediae S. Euthymii Martyris, qui in persecutione Diocletiani cum multos ad martyrium praemisisset, ipse ense transfixus, eos secutus est ad coronam. (De hujus ... mentio habetur in Actis SS. Indes et Domnae, die 28 hujus. Vide ... *Surium*, § 36, pag. 533).

S. DELPHINUS Episcopus.

*Diem suum clausisse videtur circa annum* 404.

Martyrol. — Burdigalae sancti Delphini Episcopi, qui Theodosii tempore claruit sanctitate.

Is interfuit Concilio Valentino in Gallia, celebrato anno 374; atque Concilio Caesaraugustano, in Hispania, quod anno 381 celebratum fuit. Severus in *Historia Sacra* eum ut adversarium Priscilliani celebrat, atque hunc Romam pergentem, a Burdigala rejecisse narrat. Exstat ad eum missa Epistola S. Ambrosii. Eidem quinque epistolas S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui ab ipso baptizatus fuerat, scripsit. Amantissimae sunt hae sancti Paulini litterae, plenaeque benevolentiae et observantiae in S. Delphinum, ut ex exordio, quod hic refero, epistolae, in qua suam ob acceptis a Delphino litteris laetitiam describit, patet. Scribit enim: « Ex-

pectabamus, ut area sitiens, refrigeria itterarum tuarum; et anima nostra, icut terra sine aqua, sitientibus in ua verba praecordiis anhelabat; jam nim prope biennium defluebat, ex uo nobis per confamulum Cardamaem modica licet, dulcissima tamen ris tui stillicidia roraveras; nec jam nterim sperabamus vel guttulâ tui ermonis aspergi, quia per totam aetatem irrita non venientis Urani expectatione suspensi, multo magis empus hibernum in tuo nobis silentio ransigendum putabamus. Et ecce nisericors et miserator Dominus, qui lat escam esurientibus, et consolatur iumiles, et potens est supra quam perabamus, dare nobis quae desideraaus, insperantibus quidem, sed optantibus repentino iterum Cardamatem iostrum superventu intulit nobis; et it facta est per eum vox salutationis uae in auribus nostris, exsultavit gaudio cor nostrum.... Cantabimus et psallemus Domino, qui bona tribuit nobis. Misit enim nuntium de terra longinqua, quo dulcissimi et carissimi patris nostri et sospitatem agnovimus, et sermonem accepimus. Unde conversum est cor nostrum a tristitia sollicitudinis in gaudium securitatis; et versa in melius anxiae affectionis vice, in illo die nobis per litteras tuas esto, delectati sumus pro diebus quibus nos humiliaverat diuturnitas taciturnitatis tuae. »

Martyrol. — In Polonia sancti Joannis Cantii Presbyteri saecularis Confessoris, doctrinâ, propagandae fidei zelo, virtutibus ac miraculis clari: cujus festum tertiodecimo kalendas novembris celebratur. (Vide *Breviarium Romanum* ad diem 20 octobris).

## S. THARSILLA Virgo.

*In Domino quievit circa an.* 581.

Martyrol. — Romae natalis sanctae Tharsillae Virginis, âmitae sancti Gregorii Papae, de qua ipse testatur, quod in hora exitus sui Jesum ad se venientem viderit.

S. Tharsillae virtutes et felicissimum exitum sic describit S. Gregorius Magnus: « Nonnunquam vero in consolatione egredientis animae ipse apparere solet auctor ac retributor vitae. Unde et hoc quod de Tharsilla, âmita mea, in homiliis * Evangelii dixisse me recolo, replicabo: quae inter duas alias sorores suas virtute continuae orationis, gravitate vitae, singularitate abstinentiae, ad culmen sanctitatis excreverat. Huic per visionem Felix **, atavus meus, hujus Romanae Ecclesiae Antistes, apparuit, eique mansionem perpetuae claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam. Quae, subsequenti mox febre correpta, ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus foeminis virisque morientibus, multi conveniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem horâ exitus ipsius multi viri ac foeminae ejus lectulum circumsteterunt. Tunc subito illa sursum respiciens Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione coepit circumstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima e corpore est egressa. Tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet illic auctorem suavitatis venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis ejus et genibus camelorum more inventa est obdurata cutis excrevisse. Et quid vivens ejus spiritus semper egisset, caro mortua testabatur. (Ex *Dialogorum* Lib. VI, Cap. XVI).

* Homilia 38.

** S. Felicis Papae memoria die 30 januarii recolitur. Vide *Martyrol. Illustr.*, pag. 95*.

—

## S. IRMINA VIRGO.

*Obiit probab. anno 726.*

MARTYROL. — Treviris sanctae IRMINAE Virginis, filiae Dagoberti Regis.

Hanc Dagobertus *, potentissimus Galliarum Rex, illustrissimo cuidam Galliae Principi jam desponsaverat. Quam, sponso ante nuptias immatura morte praerepto, flentem intuitus pater, nec leviter motus, cum blandius solaretur, et multo illustriorem polliceretur sponsum, longe aliter affecta Irmina: «Ego, *inquit*, genitor amande, nedum ditiorem potentioremque priore, sponsum elegi, sed etiam omnibus dominantem, potentissimum Regem Christum, aeterni Patris Filium, cui me devovi, cujus servitio me mancipabo.» Nec potuit Rex religiosissimus, quin dulcissimae filiae propositum probaret, juvaret denique et illustre eidem coenobium ** moliretur. Illud honori B. Mariae Virginis Sacrum voluit; illicque plurimas, et genere et virtutibus conspicuas, Regi regum famulas congregavit. Ipsa autem speculum et spectaculum omnibus facta egregiae sanctitatis, delicatissimum corpus duriter tractabat, et orationi dedita, totas noctes in ea saepe transigebat. Eam sanctus Willibrordus, magnus Frisiorum Apostolus, amantissime coluit. Ejus demum cadaver, post multos annos de sepulcro levatum, integrum repertum est, ac ab omni corruptionis labe immune. (Ex *Menologio Benedictino*).

OCTAVO KAL. JAN. DEC. XXV.

MARTYROL. — Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit coelum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimonono. A diluvio vero anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo. A nativitate Abrahae anno bis millesimo quintodecimo. A Moyse et egressu populi Israël de Aegypto, anno millesimo quingentesimodecimo. Ab unctione David in Regem anno millesimo trigesimosecundo. Hebdomada sexagesima quinta juxta Danielis prophetiam. Olympiade centesima nonagesimaquarta. Ab urbe Roma condita anno septingentesimo quinquagesimosecundo. Anno Imperii Octaviani Augusti quadragesimosecundo, toto Orbe in pace composito, sexta mundi aetate, Jesus Christus aeternus Deus, aeternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehem Judae nascitur ex Maria Virgine factus homo. Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. (Vide *Surium*, pag. 398).

MARTYROL. — Eodem die natalis sanctae ANASTASIAE, quae, tempore Diocletiani, primo diram et immitem custodiam a viro suo Publio perpessa est, in qua tamen a Chrysogono Confessore Christi multum consolata et confortata fuit; deinde a Floro Praefecto Illyrici diutinâ custodiâ macerata, ad ultimum manibus et pedibus extensis ligata est ad palos, et circa eam ignis accensus, in quo martyrium consummavit, in insula Palmaria, in quam cum ducentis viris et septuaginta foeminis deportata fuerat, qui variis interfectionibus martyrium celebrarunt. (Vide *Surium*, pag. 400).

— Romae in Coemeterio Aproniani sanctae EUGENIAE Virginis, quae, tempore Gallieni Imperatoris, post plurima virtutum insignia, post sacros Virginum choros Christo aggregatos, sub Nicetio Urbis Praefecto diu agonizans, novissime gladio jugulata est. (Vide *Surium*, pag. 420).

* Dagobertus hujus nominis II; Austrasiae rex. Is anno 674 regni gubernacula suscepit; mortuus vero est anno 679.

** Quod in loco, qui *Oeren* dicitur, apud Trevirensem urbem, exstructum fuit.

Martyrol. — Nicomediae passio ultorum millium Martyrum, qui m in Christi Natali ad Dominicum uvenissent, Diocletianus Imperator uas Ecclesiae claudi jussit, et ignem rcumcirca parari, tripodemque cum ure prae foribus poni, ac praeconem agna voce clamari, ut qui incenum vellent effugere, foras exirent, Jovi thus adolèrent: cumque una oce respondissent, pro Christo se lientius mori, incenso igne consumi, eo die nasci meruerunt in coelis, uo Christus in terris pro salute mundi asci dignatus est. (Horum Martyum gloriosissimum certamen in Actis S. Indes et Domnae, die 28 hujus, abetur. Vide *Surium*, §§ 26, 27, 28, 9, pag. 526).

— Barcinone in Hispania natalis ncti Petri Nolasco Confessoris, ac undatoris Ordinis beatae Mariae de ercede Redemptionis Captivorum, irtute et miraculis clari: cujus festum olitur jussi Alexandri Septimi pridie alendas februarii. (Vide *Martyrologium Illustratum*, ad diem 31 januarii, pag. 97).

SEPTIMO KAL. JAN. DEC. XXVI.

Martyrol. — Jerosolymis natalis sancti Stephani Protomartyris, qui a Iudaeis non longe post Ascensionem Domini lapidatus est. (Vide *Surium*, pag. 449).

## S. MARINUS Senator.

***Passus circa annum* 284.**

Martyrol. — Romae sancti Marini Ordinis senatorii, qui sub Numeriano Imperatore et Marciano Praefecto Christianae religionis causâ comprehensus, equuleo et ungulis servili more punitus, in sartaginem deinde conjectus, sed, igne in rorem converso, liberatus, feris quoque objectus, et ab illis servatus illaesus, tandem ad aram iterum ductus, cum idola oratione ejus corruissent, percussus gladio, martyrii triumphum adeptus est.

De S. Marino en quidnam scripserit Baronius in *Annalibus*, anno 284: « Eodem quoque tempore, sed sub Carino, passus, ponitur septimo kal. januarii Marinus Senator, multis acerbissimisque tormentis antea excruciatus sub Marciano Urbis Praefecto. Verum quod, quae sunt certiora Acta martyrum, dicunt Carinum quosdam ex Christianis habuisse in amicitia, atque persecutionem excitatam magis cessare fecisse, aequius puto Numeriani jussu, quam Carini, martyrio sublatum esse. » Sollerius contra, in Adnotationibus ad Usuardi Martyrologium, ita de S. Marino sentit: « Qui tertium in laterculo locum occupat Marinus, solius Usuardi est, nulli antiquorum Martyrologorum usquam cognitus. Non divino, unde ejus notitia ad Nostrum pervenerit; sed video impurum et lutosum fontem esse oportuisse, ex quo Marinus *triumphum sub imperatore Martiano Romae adeptus* fuisse dicatur. Mutata non semel in Romano fuit tyranni appellatio, ut observat Castellanus; neque vero ex Actis apud Mombritium, ullum occurrit vestigium, ex quo ad Carini potius aut Numeriani, quam ad alterius cujuslibet ethnici imperatoris tempora Marini historia revocetur, quae de caetero tot portentis contexta est, ut lectorem etiam maxime credulum, de gestorum veritate, ut minimum dubitare compellat. »

## S. DIONYSIUS Papa.

***Pontificatum gessit ab anno* 261 *usque ad an.* 272 *.**

Martyrol. — Item Romae, via Appia, depositio sancti Dionysii Papae, qui multis pro Ecclesia impensis laboribus, fidei documentis clarus effulsit.

S. Sixto suffectus est, ex monacho,

* Juxta Anastasium Bibliothecariam, cui Baronius in *Annalibus* consentit.

nam solitariam vitam aliquando egerat. Eum consecratum fuisse a Maximo Episcopo Ostiensi, habent Acta sancti Laurentii prope finem. Anno 263 Concilium Romae habuit ad Sabellii haeresim refellendam. Eumdem Presbyteris ecclesias divisisse, et coemeteria, et parochias Dioeceses instituisse, Anastasius Biblioth. testatur. Inter Episcopos, autem, ab ipso ordinatos et ad diversarum Ecclesiarum regimen institutos, certum est, inquit Baronius, ordinasse Zamam Episcopum, eumque Bononiensi Ecclesiae praefecisse. S. Dionysius sepultus est in coemeterio Callixti, via Appia, sexto kal. januarii.

## S. ZOSIMUS Papa et Confessor.

*Sedit ab anno* 417 *usque ad an.* 418.

Martyrol. — Ibidem sancti Zosimi Papae et Confessoris.

Ejusdem vitam ex Anastasio Bibliothecario hîc transcribimus.

« Zosimus, natione Graecus *, ex patre Abrahamio, sedit annum unum, menses octo, dies viginti quinque. Hic multas constituit Ecclesias, et fecit constitutum, ut Diaconi laevas tectas haberent de pallis linostinis, et per Parochias concessa licentia cereos benedici **. Et jussit, ut nullus clericus poculum in publico propinaret ***, nisi in cellis Fidelium, maxime Clericorum ****. Hic fecit ordinationem unam in Urbe per mensem Decembrem, Presbyteros decem, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca octo. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Laurentii martyris, via Tiburtina, octavo ***** kal. januarias, et cessavit Episcopatus per dies 11. »

## S. ARCHELAUS Episcopus.

*Circa annum* 280.

Martyrol. — In Mesopotamia sancti Archelai Episcopi, doctrina et sanctitate celebris.

Haec de S. Archelao conscripsit in *Catalogo Scriptorum Eccles.* S. Hieronymus: « Archelaus, Episcopus Mesopotamiae, librum disputationis suae, quam habuit adversus Manichaeum, exeuntem de Perside, syro sermone composuit, qui translatus in Graecum habetur a multis. Claruit sub imperatore Probo, qui Aureliano et Tacito successerat. » S. Epiphanius in *Libro de Mens. et Pond.* narrat Manetem sive Manichaeum ad Archelaum ivisse disputationis causâ atque ab ipso victum et superatum fuisse, ita ut Manes latenter aufugeret. Publicam autem disputationem ab Archelao et Manete factam refert S. Cyrillus in *Catechesi sexta.*

## S. ZENO Episc.

*Obiit circa annum* 399.

Martyrol. — Majumae ****** sancti Zenoni Episcopi.

* Caesareae in Cappadocia, vel in Calabria ortus est. Primis sui Pontificatus diebus litteras maximi ponderis et momenti ad Episcopos Africanos misit ut mentem suam circa Coelestium et Pelagium eisdem plenius patefaceret. Scripsit quoque ad universos Galliarum Episcopos de privilegiis Ecclesiae Arelatensi conservandae.

** Quod ad cereum Paschalem pertinet, perperam acceperunt nonnulli, ut a Zosimo putarint primo inventum esse ejus usum; cum illud tantum a Zosimo institutum esse dicatur, ut idem cereus, qui in majoribus basilicis incendi soleret, aeque singulis parochiis concederetur. Caeterum antiquiorem fuisse in Ecclesia Paschalis cerei benedictionem, et symbolicum Sacramentum, Prudentius, qui de eo hymnum cecinit, docet. (Ita Baronius in *Annalibus*).

*** Alii legunt: *et jussit ut nullus Clericus in populo publico propinaretur, nisi tantum Cellis fidelium maxime Clericorum.*

**** S. Zosimus decretum quoque fecit adversus eos, qui ad Sacerdotium confestim proruunt absque alia praevia ministratione in singulis, quae sacerdotium praecedunt, ordinibus, definiens quantum temporis in quolibet ordine quis debeat ministrare. (Ex Baronii *Annalibus*).

***** Alii legunt: *septimo kalendas.*

****** Est *Majuma* civitas in Palaestina, quae et *Navale*, seu Portus Gazae dicta est; postea vero a Constantino dicta est Constantia: sed Julianus Apostata, in odium illius, et nomen et privilegia in eam collata abstulit, et Gazaeis iterum subjecit: quae per Synodum in pristinum est restituta. (Ita Baronius in *Notis* Martyrol. Rom.).

Quae de ipso novimus, in martyrii SS. Eusebii, Nestabi et Zenonis fratrum narratione habetur. (Vide *Martyrologium Illustratum*, ad diem 8 Sept., pag. 809, 810).

### S. THEODORUS MANSIONARIUS.

*Circa annum* 560.

MARTYROL. — Romae sancti THEODORI Mansionarii Ecclesiae sancti Petri, cujus meminit beatus Gregorius.

Agit de eodem S. Gregorius in *Dialogorum* lib. 3, cap. 24, ubi haec continentur: « Adhuc supersunt aliqui, qui Theodorum ejus Ecclesiae custodem noverunt, cujus narratione innotuit res quae ei contigit valde memorabilis. Quod quadam nocte dum citius ad melioranda juxta januam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positus stabat, et lampadis refovebat lumen. Tunc repente beatus Petrus Apostolus in stola candida deorsum in pavimento constitit, eique dixit: « Colliberte, quare tam citius surrexisti? » Quo dicto, ab oculis aspicientis evanuit. Sed tantus in eum pavor irruit, ut tota in illo corporis virtus deficeret, et per dies multos de statu suo surgere non valèret. Qua in re quid idem beatus Apostolus servientibus sibi voluit, nisi praesentia sui respectus ostendere: quia quidquid pro ejus veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret. »

SEXTO KAL. JAN. DEC. XXVII.

MARTYROL. — Apud Ephesum, natalis sancti JOANNIS Apostoli et Evangelistae, qui post Evangelii scriptionem, post exilii relegationem, et Apocalypsim divinam, usque ad Trajani Principis tempora persevèrans, totius Asiae fundavit rexitque Ecclesias: et confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est. (Vide *Surium*, pag. 474).

### S. MAXIMUS EPISCOPUS.

*Claruit saeculo III.*

MARTYROL. — Alexandrìae sancti MAXIMI Episcopi, qui satis clarus et insignis titulo confessionis effectus est.

S. Maximi meminit Eusebius in sua *Historia*, haec scribens: « In quibus (*epistolis, scilicet*) memorat (*Dionysium, Antistitem Alexandrinum, subintellige*) etiam Maximum presbyterum, et Dioscorum Demetriumque... Satis claros et insignes titulo confessionis effectos... Maximus vero, quem presbyterum memoravimus, ipsi Dionysio * apud Alexandrìam successit in episcopatu. » (Lib. VI, cap. X). Celebrato autem, anno 272, Antiochìae, concilio **, ubi denuo Pauli Samosatensis errores proscripti sunt, Episcopi, qui illuc convenerant, « communi consilio scribunt epistolam ad personam Dionysii Episcopi urbis Romae, et Maximi Alexandrìae Episcopi, quae per omnes mitteretur ecclesias, per quam cunctis et suam diligentiam comprobarent, et Pauli haeresim confutatam esse, atque dejectam in universorum notitiam pervulgarent. » (*Idem*, lib. VII, cap. XXV). Felix Papa, ut in Baronii *Annalibus* habetur, ad eumdem Maximum scripsit epistolam, qua, veluti ancipiti gladio, Pauli et Sabellii haereses uno ictu confoderet. Teste Eusebio (Lib. VII, cap. ultimo), S. Maximus decem et octo annos Alexandriae episcopatum gessit; eique successit Thomas.

— Constantinopoli sanctorum Confessorum THEODORI et THEOPHANIS fratrum, qui a pueritia in monasterio S. Sabbae nutriti, cum postea pro sanctarum Imaginum cultu adversus Leonem Armenum strenue decerta-

* S. Dionysio anno 266 ad coelum migravit. Ejus festum die 27 novembris recolitur.

** Concilium quod *posterius* vocatur. Prius enim coactum fuerat anno 265.

rent, ejus jussu verberibus affecti, exilio relegantur : sed, eo mortuo, rursus Theophilo Imperatori, qui eadem impietate detinebatur, constanter resistentes, verberibus iterum caesi, in exilium pulsi sunt, ubi Theodorus in carcere expiravit; Theophanes vero, pace demum Ecclesiae reddita, factus Nicaenus Episcopus, quievit in Domino. (V. *Surium*, pag. 492).

## S. NICERATE Virgo.

*Obiit probab. ineunte saeculo V.*

Martyrol. — Ibidem sanctae Niceratis Virginis, quae sub Arcadio Imperatore claruit sanctitate.

De eadem haec, quae refero, narrat in sua *Historia* Sozomenus: « Et quamquam tumultus ac luctus maximus (*propter S. Joannis Chrysostomi exilium*) per urbem accidisset, tamen ne sic quidem de amore erga Joannem concepto remiserunt. Itaque ad Ecclesiam publicam non amplius conveniebant; ac multi ne in forum quidem, neque in balnea ventitabant. Immo quibusdam ne domi quidem manère, tutum fuit: quare et exilio sibi ipsis injuncto, Civitate excesserunt, cum alii multi viri honesti ac mulieres probae, tum etiam Nicerate * Bithyna apud Nicomedienses inter nobiles genere illustris, ac perenni virginitate praestantiâque vitae celebris. Modestissimam inter laudatas foeminas, quas nos meminimus, hanc cognovi, cum et moribus, et verbis, et vitae genere concinna fuerit, ac res divinas usque ad mortem humanis praeposuerit, ac tum fortitudine, tum prudentiâ adversus rerum casus sustinendos sese corroborarit, adeo ut neque amplissimis bonis injuste spoliata stomacharetur, et ex paucis, quae reliqua erant, prudentissima dispensationis ratione, et quidem ad senium provecta, tum ipsa cum familiaribus ea quae necessaria erant haberet, tum aliis largiter suppeditaret. Quin et pro humanitatis alacritate rerum honestârum studiosa existens, omnis generis remedia praeparabat in pauperum aegrotantium usum, quibus èx amicis suis sane multis frequenter opem tulit, nil adjuvantibus eos medicis consuetis: nam divino quodam nutu, *quidquid* inceperat, ad felicem exitum perducebat. Atque, ut summatim dicam, inter nostrae memoriae foeminas laude dignas aliam nullam cognovi, quae ad tantam probitatem ac gravitatem et reliquam virtutem conscenderit. Sed haec quidem tametsi talis esset, vulgus tamen latuit: siquidem ob modestiam ingenii ac sapientiae studium perpetuo latère voluit, ita ut *neque* ipsa studèret ad ministrae dignitatem ascendere, neque, Joanne saepe exhortante, unquam virginum Ecclesiasticarum primatum susceperit. » (Lib. viii, cap. 23). Hanc ipsam esse existimat Baronius, quam S. Joannes Chrysostomus, ad Olympiadem ex Arabisso, posterioris sui exilii loco, scribens, hisce verbis meminit: « Quamobrem te oro, ut et varios peritosque medicos adhibeas; et iis medicamentis utaris, quae hujusmodi morbos pellere queant: quandoquidem nos etiam paucis ante diebus, cum ob aeris statum proclivis nobis ad vomitum stomachus esset, atque et aliis curationis generibus, et pharmaco eo, quod a domina mea lectissima et ornatissima Senatrice missum est, usi essemus, nec ultra tres dies illud adhibere nobis necesse fuisset, ipsius imbecillitatem correximus. Itaque te quoque hortor atque oro ut his utaris, desque operam ut hujusmodi medicamentum ad nos rursus mittatur. Nam cum quamdam stomachi eversionem rursus sensissemus, eodem rursum remedii genere usi, malum omnino suspicavimus. » (*Ad Olymp.* Ep. iv).

—

* Vel *Nicarete*, idest *virtus victoriosa*, vel *virtutis victoria*, e graecis vocabulis νίκη et ἀρετή.

QUINTO KAL. JAN. DEC. XXVIII.

MARTYROL. — In Bethleem Judae natalis sanctorum Innocentium, qui ab Herode Rege pro Christo interfecti sunt. (Vide *Surium*, pag. 504).

## SS. EUTYCHIUS ET DOMITIANUS MARTYRES.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Ancyrae in Galatia sanctorum Martyrum EUTYCHII Presbyteri et DOMITIANI Diaconi.

Haec de eidem Sollerius in *Notis* ad Usuardi Martyrologium, addit: « Eutychius et Domitianus martyres sunt solo ferme nomine et conditione, atque in solis Hieronymianis exemplaribus noti, unde ab Usuardo certissime translati sunt. »

## SS. CASTOR, VICTOR ET ROGATIANUS MARTYRES.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — In Africa sanctorum CASTORIS, VICTORIS et ROGATIANI.

Nulla eorumdem, praeter nomina, memoria superest.

— Nicomediae sanctorum Martyrum INDES Eunuchi, DOMNAE, AGAPIS et THEOPHILAE Virginum, et Sociorum, qui in persecutione Diocletiani post longa certamina diverso mortis genere coronam martyrii sunt assecuti. (V. *Sur.*, p. 512).

— Neocaesareae in Ponto sancti TROADII Martyris, in persecutione Decii: cui agonizanti sanctus Gregorius Thaumaturgus in spiritu adfuit, eumque ad subeundum martyrium roboravit. (*Eum meminit sanctus Gregorius Nyssenus, in S. Gregorii Thaumat. Vita.* Relege *Surium*, sub die 17 novemb., Vol. IX, pag. 567).

## S. CAESARIUS MARTYR.

*Martyrii coronam adeptus anno* 311.

MARTYROL. — Arabyssi * in Armenia inferiori sancti CAESARII Martyris, qui sub Galerio Maximiano passus est.

Is pater fuit Eudoxii, perditissimi Ariani. Ejusdem gloriosum Martyrium paucis ita describit Suidas: « Caesarius sub Maximiano martyrii coronâ est redimitus, quamvis prius indulsisset voluptatibus; sed priores maculas martyrii sanguine voluit eluere; nam utroque pede magnis clavis sex transfixo, in ignem est conjectus, et cum statim flammae admotus expirasset, semiustulatum et integrum cadaver ejus cognati in agro quodam, Sabelo nomine, condiderunt. »

— Lugduni in Gallia natalis sancti FRANCISCI Salesii Gebennensis, propter flagrantissimum zelum in convertendis haereticis ab Alexandro Septimo in Sanctorum numerum relati; ejus festus dies agitur de mandato ejusdem Pontificis quarto kalendas Februarii, quando illius sacrum corpus inde Annesium translatum fuit. (V. *Surium*, Vol. I, pag. 824 etc.).

## S. DOMNION PRESBYTER.

*Obiit probabil. in principio saeculi V.*

MARTYROL. — Romae sancti DOMNIONIS Presbyteri.

S. Hieronymus ad Desiderium presbyterum scribens, haec de Domnione inquit: « Quod si exemplaria (*opusculorum, scilicet, ejusdem S. Hieronymi*) libuerit mutuari, vel a sancta Marcella, quae manet in Aventino, vel a Lot temporis nostri, Domnione, viro sanctissimo, accipere poteris. » (In Epist. 47, alias 154). Ad Domnionem extant ejusdem Hieronymi duae epistolae, nec non *Praef. in Esdram.*

* Arabyssum, civitas in Armenia, non tantum S. Troadii martyrio celebris est, sed et exilio S. Joannis Chrysostomi, qui illuc, ad evitandos frequentes barbarorum incursus, confugerat, ibique humanissime a Trejo, illius urbis Antistite, receptus est.

S. Paulinus in Epistola ad Alipium, apud S. Augustinum, Domnionem *parentem nostrum vere sanctissimum* appellat.

### S. THEODORUS MONACHUS.

*Saeculo IV claruit.*

MARTYROL. — In Aegypto sancti THEODORI Monachi, discipuli S. Pachomii.

De eo plura habentur in S. Pachomii Vita, quam in *Surii* vol. V edidimus. Relege ergo hujus Voluminis pagg. 424 et 428. Sed Theodori meminit etiam S. Nylus in *Tractatu de Oratione*, ubi, cap. CVIII, haec refert: « Legisti omnino et vitas Monachorum Tabennesiatorum, ubi dicitur, quod, Abbate Theodoro sermonem ad fratres habente, venerunt duae viperae sub ejus pedes; ille vero imperturbate eas uti fornicem faciens, suscepit interius, donec sermonem loquutus perfecit, tumque ipsas fratribus ostendit, rem exponens. » Gennadius, de *Viris illustribus* agens, eum inter Scriptores Ecclesiasticos recenset. Regulas Monachorum a Theodoro conscriptas in latinum transtulit S. Hieronymus.

### S. ANTONIUS MONACHUS.

*Floruit saeculo V.*

MARTYROL. — In monasterio Lerinensi sancti ANTONII Monachi, miraculis clari.

« Beatum hunc virum, inquit Sirmondus in *Adnotatione* ad Vitam hujus Monachi ab Ennodio * exaratam, quem paucis post obitum annis primus omnium celebravit Ennodius, jure quodam sibi vindicant tres Provinciae: ortum Pannonia, potiorem vitae partem Italia, obitum et sacras corporis exuvias Gallia. Natus quippe in Valeria ** Pannoniae, atque a beato Severino *** primum Abbate, deinde a Constantio Episcopo Laureacensi, patruo suo, institutus, inde in Italiam profectus est; atque in Val-Telina ****, qua Abdua fluvius, priusquam Larium subeat, decurrit, cum Mario presbytero aliquamdiu versatus, inde rursus emigrans, ad Larium lacum, haud procul a S. Felicis Comensis Martyris sepulcro sedem fixit, clarissimamque nominis famam adeptus est. Quam ut declinaret, Lerinensem denique maris nostri insulam petiit, in eaque vitae cursum inter sanctissimos ejus aevi monachos biennio peregit. » Ita porro brevem suam narrationem concludit Ennodius: « Blandus (*nimirum, S. Antonius*) juvenibus; gravis maturis, doctus peritis, submissus existendo simplicibus, totam illam dominici gregis legionem (*scilicet, Monachos Lerinenses, quorum ipse Abbas creatus fuerat*), distinctam actu, variatam gentibus, quasi unam animam in sua affectione collegit. Ibi biennio, seipso potior, mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum, quas antiqui serpentis parat astutia, diem nostrum et lucem praesentis saeculi perpetui luminis adeptione commutavit. Taceo qualiter vitam ipsius mortis claritudo signaverit, ne universa digerens, non tam veritatem narrasse, quam praedicti laudibus videar immoratus. Veluti si quis cònsitum lucum frondium densitate repererit, ex quo coronam ferro stringente subripiens, genium sylvae, dum praesumit parva, non commovet; melioribus equidem de Antonii nostri factis, quae stylo non attigi, narranda servavi. Vincar forte eloquentiae flumine: nemo me circa illum superabit affectu. Habeat qui secutus fuerit, de peritiae messe jactantiam: mihi gratiam beati hominis

* S. Ennodii, Episcopi Ticinensis, festum, die 17 julii agitur.

** Quae erat provincia inter Danubium et Dravum.

*** S. Severini natalis dies celebratur 8 januarii. Vide *Surium*, in vol. I, pag. 137, etc.

**** Italice, *Valtellina*.

nemo praeripiet, qui ad explicanda jus bona primus accessi. » (Ex *Operibus variis Jac. Sirmondii*).

QUARTO KAL. JAN. DEC. XXIX.

MARTYROL. — Cantuariae in Anglia natalis S. THOMAE Episcopi et Martyris, qui ob defensionem justitiae et Ecclesiasticae immunitatis, impiorum hominum factione, in Basilica sua gladio percussus, migravit ad Christum. (Vide *Surium*, pag. 555).

## S. DAVID REX ET PROPHETA.

*Obiit anno 1016 ante Christum.*

« David Rex et Propheta regnare coepit anno mundi 2919, et regnavit annis 40, ut scribitur lib. III. Regum, cap. II. Scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta. Sic enim docent Chrysostomus, Theodoretus, Cassiodorus, Euthymianus, et alii praefatione in Psalmos, et S. Augustinus lib. 17 *de Civitate Dei*, cap. 14, quamvis autem sanctus Hilarius praefatione in Psalmos, et sanctus Hieronymus in epistola ad Cyprianum, velint Psalmos esse compositos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, ut a Mose, Salomone, Asaph, Chore, Idithum: tamen probabiliorem existimamus sententiam priorem. De qua re disseruimus praefatione in explanationem Psalmorum. Extat quidem Psalmus quidam brevis extra numerum centum quinquaginta Psalmorum, sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum capite ultimo, et Tridentinum sess. 4 non ponunt in canonem Scripturarum nisi Psalmos 150. Porro David non solum Propheta eximius fuit, sed etiam poëta venustissimus, et doctissimus: et scientiam habuit historiae sacrae, legum divinarum, moralis et naturalis philosophiae. Quae omnia in Psalmis mirifice apparent. » (Ita Bellarminus in *Scriptoribus veteris Testamenti*). De Davidis autem progenie haec tradit in sua *Historia* Eusebius: « Per idem tempus Vespasianus post excidia Jerosolymorum omnes, si qui forte ex familia David superfuissent apud Judaeos, veluti regalis prosapiae viros, perquiri jubet. Unde etiam pro hac causa gravissima Judaeis persecutio exorta est. » (Lib. III, cap. XII, Edit. Basileens.). Sepulcrum Davidis, teste Dione Cassió in Hadriani vita, integrum remansit usque ad extremam novissimamque Judaeorum cladem per Hadrianum ipsum illatam: tunc enim sponte corruit.

## S. TROPHIMUS MARTYR.

*Saeculo I. — Asianus.*

MARTYROL. — Arelatae natalis sancti TROPHIMI, cujus meminit sanctus Paulus ad Timotheum scribens: qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, praefatae urbi primus ad Christi Evangelium praedicandum directus est: ex cujus praedicationis fonte (ut sanctus Zosimus Papa scribit), tota Gallia fidei rivulos accepit.

De eo agunt Actus Apostolorum, cap. XX, 4 et 5, ubi haec narrantur: « Habuit (*Paulus, scilicet*) consilium ut reverteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum Sopater..... Asiani vero Tychichus et Trophimus. Hi cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade; » et cap. XXI, 29, ubi dicitur: « Viderant (*Judaei, qui in Paulum, Jerosolymis, in templum ingressum, manus injecerant*) enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem aestimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus. » Ipse Doctor Gentium ejusdem meminit, in II. ad Timotheum, cap. IV, 20, scribens: « Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. » Ab ipso Paulo, vel, ut alii censent, a Petro S. Trophimus fertur ordinatus et consecratus fuisse Arelatensis Episcopus. Zosimi Epistola, quae hîc citatur, teste Baronio, non habetur.

S. Paulinus in Epistola ad Alipium, apud S. Augustinum, Domnionem *parentem nostrum vere sanctissimum* appellat.

### S. THEODORUS MONACHUS.

*Saeculo IV claruit.*

MARTYROL. — In Aegypto sancti THEODORI Monachi, discipuli S. Pachomii.

De eo plura habentur in S. Pachomii Vita, quam in *Surii* vol. V edidimus. Relege ergo hujus Voluminis pagg. 424 et 428. Sed Theodori meminit etiam S. Nylus in *Tractatu de Oratione*, ubi, cap. CVIII, haec refert: « Legisti omnino et vitas Monachorum Tabennesiatorum, ubi dicitur, quod, Abbate Theodoro sermonem ad fratres habente, venerunt duae viperae sub ejus pedes; ille vero imperturbate eas uti fornicem faciens, suscepit interius, donec sermonem loquutus perfecit, tumque ipsas fratribus ostendit, rem exponens. » Gennadius, de *Viris illustribus* agens, eum inter Scriptores Ecclesiasticos recenset. Regulas Monachorum a Theodoro conscriptas in latinum transtulit S. Hieronymus.

### S. ANTONIUS MONACHUS.

*Floruit saeculo V.*

MARTYROL. — In monasterio Lerinensi sancti ANTONII Monachi, miraculis clari.

« Beatum hunc virum, inquit Sirmondus in *Adnotatione* ad Vitam hujus Monachi ab Ennodio * exaratam, quem paucis post obitum annis primus omnium celebravit Ennodius, jure quodam sibi vindicant tres Provinciae: ortum Pannonia, potiorem vitae partem Italia, obitum et sacras corporis exuvias Gallia. Natus quippe in Valeria ** Pannoniae, atque a beato Severino *** primum Abbate deinde a Constantio Episcopo Laureacensi, patruo suo, institutus, inde in Italiam profectus est; atque in valle Telina ****, qua Abdua fluvius, priusquam Larium subeat, decurrit, cum Mario presbytero aliquamdiu versatus, inde rursus emigrans, ad Larium lacum, haud procul a S. Felicis Comensis Martyris sepulcro sedem fixit, clarissimamque nominis famam adeptus est. Quam ut declinaret, Lerinensem denique maris nostri insulam petiit, in eaque vitae cursum inter sanctissimos ejus aevi monachos biennio peregit. » Ita porro brevem suam narrationem concludit Ennodius: « Blandus (*nimirum, S. Antonius*) juvenibus; gravis maturis, doctus peritis, submissus existendo simplicibus, totam illam dominici gregis legionem (*scilicet, Monachos Lerinenses, quorum ipse Abbas creatus fuerat*), distinctam actu, variatam gentibus, quasi unam animam in sua affectione collegit. Ibi biennio, seipso potior, mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum, quas antiqui serpentis parat astutia, diem nostrum et lucem praesentis saeculi perpetui luminis adeptione commutavit. Taceo qualiter vitam ipsius mortis claritas signaverit, ne universa digerens, non tam veritatem narrasse, quam praedicti laudibus videar immoratus. Vel uti si quis cònsitum lucum frondium densitate repererit, ex quo coronam ferro stringente subripiens, genium sylvae, dum praesumit parva, non amovet; melioribus equidem de Antonii nostri factis, quae stylo non attigi, narranda servavi. Vincar forte eloquentiae flumine: nemo me circa illum superabit affectu. Habeat qui secutus fuerit, de peritiae messe jactantiam: mihi gratiam beati hominis

* S. Ennodii, Episcopi Ticinensis, festum, die 17 julii agitur.

** Quae erat provincia inter Danubium et Dravum.

*** S. Severini natalis dies celebratur 8 januarii. Vide *Surium*, in vol. I, pag. 137, etc.

**** Italice, *Valtellina*.

ɜmo praeripiet, qui ad explicanda ıs bona primus accessi. » (Ex *Operi-ıs variis Jac. Sirmondii*).

QUARTO KAL. JAN. DEC. XXIX.

MARTYROL. — Cantuariae in Anlia natalis S. THOMAE Episcopi et lartyris, qui ob defensionem justiɹae et Ecclesiasticae immunitatis, imiorum hominum factione, in Basilica ıa gladio percussus, migravit ad hristum. (Vide *Surium*, pag. 555).

## S. DAVID REX ET PROPHETA.

*Obiit anno 1016 ante Christum.*

« David Rex et Propheta regnare coepit anno mundi 2919, et regnavit ınnis 40, ut scribitur lib. III. Regum, ap. II. Scripsit librum Psalmorum entum quinquaginta. Sic enim docent Chrysostomus, Theodoretus, Cassiolorus, Euthymianus, et alii praefatione in Psalmos, et S. Augustinus lib. 17 *de Civitate Dei*, cap. 14, quamvis autem sanctus Hilarius praefatione in Psalmos, et sanctus Hieronymus in epistola ad Cyprianum, velint Psalmos esse compositos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, ut a Mose, Salomone, Asaph, Chore, Idithum: tamen probabiliorem existimamus sententiam priorem. De qua re disseruimus praefatione in explanationem Psalmorum. Extat quidem Psalmus quidam brevis extra numerum centum quinquaginta Psalmorum, sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum capite ultimo, et Tridentinum sess. 4 non ponunt in canonem Scripturarum nisi Psalmos 150. Porro David non solum Propheta eximius fuit, sed etiam poëta venustissimus, et doctissimus: et scientiam habuit historiae sacrae, legum divinarum, moralis et naturalis philosophiae. Quae omnia in Psalmis mirifice apparent. » (Ita Bellarminus in *Scriptoribus veteris Testamenti*). De Davidis autem progenie haec tradit in sua *Historia* Eusebius: « Per idem tempus Vespasianus post excidia Jerosolymorum omnes, si qui forte ex familia David superfuissent apud Judaeos, veluti regalis prosapiae viros, perquiri jubet. Unde etiam pro hac causa gravissima Judaeis persecutio exorta est. » (Lib. III, cap. XII, Edit. Basileens.). Sepulcrum Davidis, teste Dione Cassio in Hadriani vita, integrum remansit usque ad extremam novissimamque Judaeorum cladem per Hadrianum ipsum illatam: tunc enim sponte corruit.

## S. TROPHIMUS MARTYR.

*Saeculo I. — Asianus.*

MARTYROL. — Arelatae natalis sancti TROPHIMI, cujus meminit sanctus Paulus ad Timotheum scribens: qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, praefatae urbi primus ad Christi Evangelium praedicandum directus est: ex cujus praedicationis fonte (ut sanctus Zosimus Papa scribit), tota Gallia fidei rivulos accepit.

De eo agunt Actus Apostolorum, cap. XX, 4 et 5, ubi haec narrantur: « Habuit (*Paulus, scilicet*) consilium ut reverteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum Sopater..... Asiani vero Tychichus et Trophimus. Hi cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade; » et cap. XXI, 29, ubi dicitur: « Viderant (*Judaei. qui in Paulum, Jerosolymis, in templum ingressum, manus injecerant*) enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem aestimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus. » Ipse Doctor Gentium ejusdem meminit, in II. ad Timotheum, cap. IV, 20, scribens: « Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. » Ab ipso Paulo, vel, ut alii censent, a Petro S. Trophimus fertur ordinatus et consecratus fuisse Arelatensis Episcopus. Zosimi Epistola, quae hîc citatur, teste Baronio, non habetur.

## SS. CALLISTUS, FELIX ET BONIFACIUS MM.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — Romae sanctorum Martyrum CALLISTI, FELICIS et BONIFACII.

De his Beda hac die, adstipulanturque vetera manuscripta, inquit Baronius.

## SS. DOMINICUS, VICTOR, PRIMIANUS ET SOCII MM.

*Aetate incerta.*

MARTYROL. — In Africa passio sanctorum Martyrum DOMINICI, VICTORIS, PRIMIANI, LYBOSI, SATURNINI, CRESCENTII, SECUNDI et HONORATI.

De his Beda, scribit Baronius, vetera manuscripta ac recentiores.

## S. CRESCENS EPISC.

MARTYROL. — Viennae in Gallia sancti CRESCENTIS, disciPuli beati Pauli Apostoli, et primi ejusdem civitatis Episcopi.

Ad haec Baronius scribit: « Hic idem cum eo de quo supra agitur quinto Kal. Julii; puto enim hac die translationem celebrari. » Vide *Martyrologium Illustratum,* hac die, pag. 577.

— Constantinopoli sancti MARCELLI Abbatis. (Vide *Surium*, pag. 533).

— In pago Oxymensi S. EBRULPHI Abbatis et Confessoris, tempore Childeberti Regis. (V. *Surium*, pag. 578).

TERTIO KAL. JAN. DEC. XXX.

MARTYROL. — Spoleti natalis sanctorum Martyrum SABINI Episcopi, EXUPERANTII et MARCELLI Diaconorum, ac VENUSTIANI Praesidis, cum uxore et filiis, sub Maximiano Imperatore; ex quibus Marcellus et Exuperantius primum equuleo suspensi, deinde fustibus graviter mactati, postea ungulis abrasi, et laterum exustione assati, martyrium compleverunt. Venustianus autem non multo post unà cum uxore et filiis gladio necatus est: sanctus vero Sabinus post manuum detruncationem, et diutinam carceris macerationem, ad mortem usque caesus est. Horum martyrium licet diverso extiterit tempore, una tamen die recolitur. (Vide *Surium*, pag. 588).

## SS. MANSUETUS, SEVERUS ET SOCII MARTYRES.

*Aetas incerta.*

MARTYROL. — Alexandriae sanctorum MANSUETI, SEVERI, APPIANI, DONATI, HONORII et Sociorum Martyrum.

De his Usuardus, Wandelbertus, vetera manuscripta. Haec tantum ex Baronio.

— Thessalonicae S. ANYSIAE Martyris. (Vide *Surium*, pag. 582).

## S. ANYSIUS EPISCOPUS.

*Obiisse videtur ineunte saeculo V.*

MARTYROL. — Ibidem sancti ANYSII ejusdem civitatis Episcopi.

Fuit hic successor S. Acholii. Ei Siricius Papa, anno 389, electi cujusdam Bonosi in Macedonia Episcopi haeresis accusati, quod impudentissimo ore illibatam Dei Genitricis Mariae virginitatem negare post partum auderet, causam, cum sibi subjectis Episcopis, cognoscere. (In Baronii *Annalibus*). Eidem Innocentius Pp. I Ecclesiarum Illyrii Orientalis curam demandavit. Inter Orientales, Episcopos, paucos admodum, qui S. Joannis Chrysostomi, exilium patientis, causam amplexati sunt, Anysius erat: qui ideo meruit, ut hanc epistolam Chrysostomus, anno, ut putatur, 406, ad eum mitteret: « Sero quidem ac tarde ad te scripsimus: non sponte nostra diuturno hoc si-

lentio usi sumus, verum ob loci, quo inclusi tenemur, solitudinem, non autem ob socordiam in te ullam ac negligentiam. Nunc quippe reverendissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum nacti, quam jampridem debemus salutationem tibi persolvimus, ingentesque pro ea contentione ac fortitudine, quam Ecclesiarum causâ praestitisti, gratias agimus. Cum igitur eum, reverendissime mi domine, ut humanitas tua poscit, exceperis, eamque, quam cònvenit, comitatem et humanitatem erga eum ostenderis, ne labore te frangi ac debilitari sinas, atque quominus ea, quae ad communem Ecclesiarum correctionem attinet, efficias ac moliaris, impediri. Scis enim quanta hujusce rei, si succedat, magnitudo sit, quamque multarum Ecclesiarum causâ praeclarum hoc certamen a te susceptum sit; ac denique quantae pro laboribus publicae pacis causâ subitis coronae tibi a benigno Deo recondantur. » Aliam porro, eodem anno, epistolam Anysio ac caeteris Macedoniae orthodoxis Episcopis sanctus Joannes Chrys. scripsit. Sanctus quoque Ambrosius, anno probabiliter 383, epistolam ad eum misit, ei suam in Acholii locum electionem gratulans, atque ut ipse ejusdem sanctimoniam, quam apte describit, consequatur, adprecans. (*Epist. XVI, classis* 1).

S. EUGENIUS Ep. et Conf.

Martyrol. — Mediolani sancti Eugenii Episcopi et Confessoris.

Hujus in Ecclesiae Mediolanensis *Officio proprio* commemoratio tantum fit, absque ulla *Lectione*. Ejusdem porro nomen non invenitur in marmoreis tabulis, quae ad omnium Archiepiscoporum Mediolanensium memoriam perpetuandam, in illius urbis Cathedrali nuper positae fuere; sed ne in tabulis quidem a Galesinio, cui tamen Baronius innititur, confectis editisque, reperitur.

S. LIBERIUS Episcopus.

*Circa annum* 205.

Martyrol. — Ravennae sancti Liberii Episcopi.

De eo tabulae Ecclesiae Ravenn.; et Hieronymus Rubeus, in *Historia Ravenn.* lib. 1, qui eum pervenisse usque ad tempora Victoris Papae, et Severi Imperatoris, ait. — Haec Baronius.

S. RAINERIUS Episc.

Martyrol. — Aquilae in Vestinis S. Rainerii Episcopi.

De ipso, scribit Baronius, vetera monumenta ejus ecclesiae, quae manuscripta Romam missa accepimus.

PRIDIE KAL. JAN. DEC. XXXI.

Martyrol. — Romae natalis S. Sylvestri Papae, qui Magnum Constantinum Imperatorem baptizavit, et Nicaenum Synodum confirmavit: multisque aliis rebus sanctissime gestis, quievit in pace. (V. *Sur.*, pag. 590).

SS. DONATA,
PAULINA et Sociae MM.

*Aetas incerta.*

Martyrol. — Item Romae via Salaria, in coemeterio Priscillae, sanctarum Martyrum Donatae, Paulinae, Rusticae, Nominandae, Serotinae, Hilariae et Sociarum.

Ado de iisdem agit, ac recentiores, consentiuntque vetera manuscripta. — Haec tantum Baronius.

SS. SABINIANUS Episc.
et POTENTIANUS Martyres.

*Passi sunt saeculo I* *.

Martyrol. — Apud Senonas ** beatorum Sabiniani Episcopi, et Poten-

* Juxta Baillet, saeculo III passi sunt; juxta Baronium, Sabinianus Episcopus Senonensis a Petro Apostolorum Principe institutus est.

** Gallice, *Sens*.

TIANI, qui a Pontifice Romano illuc ad praedicandum directi, eamdem metropolim confessionis suae martyrio illustrarunt.

De eisdem Petrus de Natalibus, in *Catal. Sanctorum* haec scripsit: « Sabinianus, Potentianus et Altinus Episcopi fuerunt ex septuaginta duobus discipulis Christi, missi a B. Petro Apostolo ad Gallias praedicandas, ubi Sabinianus primas totius Galliarum Provinciae constitutus, verbo et exemplo unâ cum sibi adjunctis Sociis populum instanter docebat, et multa miracula faciebat. Sed dum apud Senonenses praedicaret, tentus ab infidelibus, pro Christi nomine decollatus est, ibique tumulatus: cui successit in Episcopatu Potentianus, qui et ipse verbo praedicationis insistens post modicum temporis martyrium passus est, corpusque ejus avibus et feris expositum, divina gratiâ intactum pèrmanens a fidelibus recollectum unâ cum Sabiniani corpore sepultum est XI Kal. Januarii, ubi multa miracula in aegrotantium membris et obsessis a daemonibus Deus operabatur. Post quos passi sunt etiam sancti Altinus, Serotinus et Edoardus, sepulti apud martyres praefatos. Quorum omnium corpora postmodum a Cevilone, ejusdem urbis Antistite, translata sunt in B. Petri Basilicam contiguam, anno Domini 847, septimo Kal. Septembris, tempore Lotharii, et Ludovici, et Caroli Imperatorum, ubi auditae sunt voces Angelicae Deo gratias agentes. »

## S. COLUMBA Virgo et Mart.

*Martyrii coronâ redimita anno* 275.

MARTYROL. — Ibidem sanctae COLUMBAE Virginis et Martyris, quae, igne superato, in persecutione Aureliani Imperatoris gladio caesa est.

Ejus martyrium, ex Actis ejusdem, ita describit Vincentius * in Lib. IX, c. XIV *Speculi Historialis:* « Ingressus est Aurelianus civitatem Senonis octavo Idus Januarii, ante quem accusata est et adducta beata virgo Columba, quae post multas interrogationes jussa est per juvenem turpissimum vulgari, nomine Barucham, mitti in contubernio publico meretricum. Qui cum venisset in amphitheatrum et intrasset in cellam ejus dixit ei Columba: « Cur cum tanta feritate ad me intras? Nunquid tibi possum resistere, aut te repellere a me? Sed patientiam habe, ne irascatur tibi Dominus meus Jesus Christus, et moriaris. » Qui compunctus in his verbis non accessit ad eam, nec tetigit eam. Et cum oraret Columba, ut castitas ejus a Domino conservaretur, ecce ursa egrediens de cavea amphitheatri, ingressa est cellam virginis, et inveniens ibi hominem, et allidens eum ante pedes Columbae, intendebat in faciem ejus, expectans et quasi quaerens quid juberet de illo. Tunc Columba ad ursam: « Adjuro te per Jesum Christum, ut non laedas illum, sed permitte me loqui cum illo. » Tunc ursa dimisit eum, et posuit se ante ostium ne ille effugeret et ne alius ingrederetur. Tunc Columba ait ad juvenem: « Ecce fera, audito nomine Christi, dat honorem Deo: tu quare in tanto scelere persevèras? Aut ergo promitte te Christianum fieri, aut te devorabit fera. » Tunc juvenis exclamavit: « Si quis Christum non confitetur, sanus hinc non discedat. » Quod cum dixisset, ursa tulit se de ostio; et exiens juvenis clamabat per totam civitatem non esse alium Deum, nisi quem Columba colit. Quo audito, Aurelianus jussit eum adduci. Cui responsum est, quod hoc non potest fieri, quia ursa cum ipsa intus est. Tunc Aurelianus jussit ignem circa carcerem accendi. Ursa vero, ut vidit ignem, coepit fremere et rugire. Cui dixit Columba: « Noli timere, quia non cremaberis hodie.

* Vincentius Bellovacensis dictus, ex Ordine Praedicatorum, scripsit opera laboriosissima, eruditione plena. Obiit anno 1264.

ed morte, cum Deo placuerit, moieris. » Tunc ursa tectum ascendens, rupit per medias turbas, et exivit ivitatem. Tunc populus clamare coeit, ut ignis extingueretur, ne Columa cremaretur. Quibus hoc clamantius, venit nubes de Africa et extinxit gnem. Tunc adducta est Columba in nedium populi. Ad quam Aurelianus: « Quae sunt tua artificia, quod te nec contingunt incendia nec ferae? » Quae espondit: « Nihil aliud novi nisi Christum cum Patre et Spiritu Sancto. » Cui dixit Aurelianus: « Jam ibi contestatus sum, ne nomen hoc memorares. » Praecepit autem ut ad primum milliarium duceretur, et ibi lecollaretur. Quo cum ducta fuisset, rogabat ut parum dimitteretur orare. Sed cum nollent qui ducebant eam, dedit eis anabolarium suum, sive pallium sericum, et permiserunt. Qua orante clamavit ad eam vox de coelo dicens: « Veni, Columba mea, veni: aperti sunt tibi coeli; congaudet tibi paradisus, devictis omnibus colluctationibus: stat Filius Dei, qui tibi coronam in capite ponat, et suscipiant te Angeli Dei, et perducant te in civitatem magnam, Jerusalem coelestem. » Tunc unus ministrorum, extracto gladio, amputavit caput ejus in oratione. Factum est hoc pridie Kal. Januarii. »

### S. HERMES Exorcista.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Rhoetiariae sancti Hermetis Exorcistae.

De actis aut gestis ejus altum silentium, dicit Sollerius.

### SS. STEPHANUS, PONTIANUS et Socii Martyres.

*Aetate incerta.*

Martyrol. — Catanae in Sicilia passio sanctorum Stephani, Pontiani, Attali, Fabiani, Cornelii, Sexti, Floris, Quinctiani, Minervini et Simpliciani.

De his, Baronius testatur, tabulae Ecclesiae Catanensis, ubi celebris est eorum memoria.

### S. ZOTICUS Presbyter.

*Saeculo IV floruit.*

Martyrol. — Eodem die sancti Zotici Presbyteri Romani, qui Constantinopolim profectus, alendorum orphanorum curam suscepit.

Agunt de eodem Graeci hac die in Menologio, his verbis: « Commemoratio S. Zotici, orphanorum nutritoris, qui claris parentibus ortus ex urbe Roma a Constantino Magno in Civitatem Constantinopolitanam cum aliis quibusdam nobilibus ductus est. » Sed et in constitutione Leonis et Antemii Augustorum Zoticus hoc praeconio commendatur: « Zotici beatissimae memoriae, qui hujuscemodi pietatis officia invenisse dicitur. » Constantinopoli enim ipsum primum omnium erexisse xenodochium pauperibus creditur; exciderunt autem ejus vitae Acta, quibus admiranda ipsius opera scriptis mandata habebantur. — Haec Baronius in *Annalibus* ad annum 25, xxviii.

— Ravennae S. Barbatiani Presbyteri et Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 614).

— Eodem die S. Melaniae junioris, quae cum viro suo Piniano Roma abscedens, et Jerosolymam proficiscens, ipsa inter foeminas Deo sacras, vir inter Monachos, religiosam vitam exercuit, et ambo sancto fine quieverunt. (V. *Surium*, pag. 620).

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum.

# ADDENDA

## MARTYROLOGIO ROMANO ILLUSTRATO

---

*Ad pag.* 563* *post S. Flavium Clementem* (*die* 22 *Junii*).

### S. NICAEAS Episcopus.

*Circa annum* 458.

Martyrol.—Eodem die S. Nicaeae Romatianae civitatis Episcopi, doctrinâ, sanctisque moribus clari.

De eodem, Baronius ait, hac die Beda, Usuardus, Ado et alii. Alicubi Nicaeta pro Nicaea legitur, sed usitatior prima lectio. Diversa lectio item diversorum codicum reperitur de civitatis nomine: dum apud aliquos Romatiana, ut hîc ponitur, apud aliquos autem Romanae, vel Romaniciae civitatis Episcopus dicitur. Agit de eo Gennadius *De Vir. Illustr.* cap. 22; et Honorius Augustodun. cap. 27. Quaenam fuerit ista civitas, cujus Nicaeas Episcopus fuit, ignotum est. Baronius tamen Aquilejam illam esse censet, quae, ex eo quod nobilissima fuisset Romanorum colonia, Romana seu Romatiana interdum appellatur; Nicaeam vero esse ejusdem civitatis Praesulem, ad quem extat S. Leonis Papae Epistola septuagesimanona, et alia, quadragesimasecunda, S. Hieronymi. Demum S. Chromatio hunc successisse in Aquilejensi Sede putat Baronius.

*Ad pag.* 563* *post* S. *Alban…* *Martyrem* (*die* 22 *Junii*).

### MCCCCLXXX Martyres.

*Passi sunt circa annum* 61…

Martyrol. — Samariae sanctor… mille quadrigentorum octoginta Ma… tyrum, sub Chosroa Rege Persar…

« Extant horum Acta, subjicit B… ronius, in pervetusto Codice ma… scripto monasterii S. Caeciliae tr… Tiberim positi. Habemus eadem a… pud nos brevius enarrata. »

*Ad pag.* 384* *post S. Euthy…* *Diac. Mart.* (*die* 5 *Maji*).

### SS. IRENAEUS, PEREGRINUS ET IRENE MM.

*Passi ineunte saec. IV.*

Martyrol. — Thessalonicae n… sanctorum Martyrum Irenaei, Peregrini et Irenes, ignibus combu… rum.

De his, Baronius notat, agunt Be… Usuardus, Ado, Petrus et alii; Gra… autem in Menologio tantum de Irenaeo. Nec quidquam aliud, quod e… dem Martyres illustret, in Baro… *Annalibus* reperitur.

*Ad pag. 910* post S. Maximiliani Ep. et Mart. Vitam (die 12 Octobr.).*

## S. WALFRIDUS Episcopus.

*Floruit saec. VII. — Anglus.*

Martyr. — Eboràci in Anglia sancti Walfridi Episcopi et Confessoris.

Ejusdem Vitam e Beda (in *Hist. Gentis Anglorum, Lib. V, cap. XX)* transcribimus: « Is, cum esset puer bonae indolis atque vitam in probis moribus transigens, ita se modeste et circumspecte in omnibus gerebat, ut merito a majoribus quasi unus ex ipsis amaretur et veneraretur. Ubi quartumdecimum aetatis contigit annum, monasticam saeculari vitam praetulit. Quod ubi patri suo narravit (jam enim mater obierat), libenter ejus votis ac desideriis coelestibus annuit, eumque coeptis insistere salutaribus jussit. Venit ergo ad insulam Lindisfarnensem, ibique monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quae monasticae castitatis ac pietatis erant, et discere curabat et agere. Et quia acris erat ingenii didicit citissime Psalmos et aliquot codices, necdum quidem attonsus: verum his quae tonsurâ majores sunt virtutibus, idest, humilitatis et obedientiae non mediocriter insignitus: propter quod et a senioribus et coaetaneis suis justo colebatur affectu; in quo videlicet monasterio cum aliquot annos Deo serviret, animadvertit paulatim adolescens animi sagacis, minime perfectam esse virtutis viam quae tradebatur a Scotis; proposuitque animo venire Romam, et qui ad Sedem Apostolicam ritus Ecclesiastici sive monasteriales servarentur, videre. Quod cum fratribus referret, laudaverunt ejus propositum, eumque id quod mente disposuit, perficere suadebant. At ille confestim veniens ad reginam Eanfledam, cui notus erat, ejusque consilio et suffragiis praefato fuerat monasterio sociatus: indicavit ei desiderium sibi inesse beatorum Apostolorum limina visitandi: quae delectata bono adolescentis proposito, misit eum in Cantiam ad Regem Erconbertum, qui erat filius avunculi sui, postulans ut eum honorifice Romam transmitteret. Quo tempore ibi gradum Archiepiscopatus Honorius * unus ex discipulis beati Papae Gregorii, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter institutus, servabat. Ubi cum aliquamdiu demoratus adolescens animi vivacis, diligenter his quae inspiciebat, discendis operam daret, supervenit illo alius adolescens, nomine Biscop, cognomento Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiens et ipse Romam venire. Hujus ergo comitatui Rex sociavit Wilfridum, atque illum secum Romam perducere jussit. Qui cum Lugdunum pervenissent, Wilfridus a Dalfino civitatis Episcopo ibi retentus est; Benedictus coeptum iter gnaviter Romam usque complevit. Delectabatur enim Antistes prudentiâ verborum juvenis, gratiâ venusti vultus, alacritate actionis, et constantiâ ac maturitate cogitationis. Unde et omnia quae necesse habebat, abundanter et ipse cum Sociis suis (quamdiu secum erant) donabat: et insuper offerebat ut, si vellet, partem Galliarum non minimam illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem illi conjugem daret, eumque ipse loco adoptivi haberet. At ille gratias agens pietati, quam erga eum (cum esset peregrinus) habere dignaretur, respondit se magis alterius conversationis habere, et ideo, patriâ relictâ, Romam iter agere coepisse. Quibus auditis, Antistes misit eum Romam, dato duce itineris, et cunctis simul, quae necessitas poscebat itineris largiter subministratis, obsecrans sedulo, ut cum in patriam reverteretur, per se iter facere meminisset. Veniens ergo Wilfridus Romam, et orationibus ac meditationi rerum ecclesiasticarum (ut animo proposuerat) quotidianâ mancipatus instantiâ, pervenit ad a-

* Qui die 30 Septembris ab Ecclesia colitur.

micitiam viri sanctissimi ac doctissimi, Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam consiliarius erat Apostolici Papae: cujus magisterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschae rationabilem, et alia multa, quod in patria nequiverat, ecclesiasticis disciplinis accomoda, eodem magistro tradente, percepit. Et cum menses aliquot ibi studiis occupatus felicibus exegisset, rediit ad Dalfinum in Galliam, et tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, et in tanto habitus amore, ut haeredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, Antistes crudeli morte praereptus est, et Wilfridus ad suae potius, hoc est Anglorum gentis Episcopatum reservatus... In Britanniam veniens, conjunctus est amicitiis Aldfridi Regis, qui Catholicas Ecclesiae regulas sequi semper et amare didicerat... Quo in tempore ad jussionem praefati Regis presbyter ordinatus est ab Agilberto Episcopo Gevislorum *, desiderante Rege, ut vir tantae eruditionis ac religionis sibi specialiter individuo comitatu sacerdos esset ac doctor. Quem non multo post, detectâ et eliminatâ Scotorum sectâ, in Galliam mittens cum consilio atque consensu patris sui Oswii, Episcopum sibi rogavit ordinari, cum esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiacae civitatis, cum quo et alii undecim Episcopi ad dedicationem Antistitis convenientes, multum honorifice ministerium impleverunt. Quo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in Episcopatum Eboràci, jubente Rege Oswio, Ceadda, vir sanctus; et tribus annis Ecclesiam sublimiter regens, debinc ad monasterii sui curam secessit, accipiente Wilfrido Episcopatum totius Nordan-Humbrorum provinciae: qui deinde, regnante Elfrido, pulsus est Episcopatu, et alii pro illo consecrati Antistes, Romamque iturus, et coram Apostolico Papa causam dicturus, ubi navem ascendit, flante Favonio, pulsus est in Fresiam, et honorifice susceptus a barbaris, ac Rege illorum Aldgislo, praedicabat eis Christum** Defunctus est autem quarto Idus Octobris, in monasterio suo, quod habebat in provincia Undalum, sub regimine Cudbaldi Abbatis, et ministerio fratrum perlatus in primum suum monasterium, quod dicitur Inrhypum ***, positusque est in ecclesia beati Apostoli Petri juxta altare ad Austrum.»

* Vulgo *Wessex*.

** S. Wilfridus multa perpessus est antequam sedem suam recuperare potuisset. — Inter Australes Saxones degens, ipsos, ut Beda refert, docuit piscando victum quaerere.

*** Vulgo *Rippon*.

*Ad pag. 1011* post S. Didaci vitam (Die 13 Novembris).*

## SS. VALENTINUS, SOLUTOR ET VICTOR MM.

*Passi sunt saeculo III.*

Martyrol. — Ravennae natalis sanctorum Martyrum Valentini, Solutoris et Victoris, qui sub Diocletiano Imperatore passi sunt.

« De his Beda, Usuardus, Ado, et alii, tabulaeque Ecclesiae Ravenn., Rubeus *Hist. Ravenn.*, Lib. II. » — Haec tantum in Baronio.

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Pag. 1012*, secundâ columnâ: PHILEMONUS . . . . | PHILOMENUS |

Habita facultate Auct. Eccl.

SVRIVS

—

# HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

## AD BENEVOLUM LECTOREM

---

Quum P. Camillus Bracco, Clericus Regularis S. Paulli, Surianae hujusce Editionis curator, gravissimo ac diuturno morbo confectus, die 23 Julii anni 1879, Astae Pompejae, post nonum Volumen editum, morti occubuisset, Opus prosecutus est absolvitque P. Josephus Colombo, ejusdem sodalis civilis Historiae professor in Regio Collegio Caroli Alberto, Montiscalerii, prope Augustam Taurinorum.

# SVRIVS

# HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM

VOL. XIII.

INDICES GENERALES

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXX

# LAURENTIUS GASTALDI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

## ARCHIEPISCOPUS TAURINENSIS

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

DOCTOR ET MAGNUS CANCELLARIUS

COLLEGII THEOLOGORUM

**Dilect.mo viro D. PETRO MARIETTI**
**Equiti et Typographo Pontificio et Archiepiscopali**

**Salutem plurimam in Domino nostro Jesu Christo.**

Opus, quod septem ab hinc annis, Deo O. M. favente, non sine singulari quodam christiani animi conatu et ausu, aggressus es, iterum typis evulgandi *Historias Sanctorum* a doctissimo Laurentio Surio monacho carthusiano editas, felicissime ad exitum perduxisti, tibi opem ferentibus viris eruditione, sollertia et pietate claris: et exitus hujus præstantissimi Operis ejusmodi est, ut præconceptæ spei undequaque respondeat, et omnibus filiis Ecclesiæ Catholicæ qui intelligunt quantæ excellentiæ sit hoc Opus Surianum, et quantum utilitatis historia ecclesiastica et civilis, theologia, pietas et virtutum omnium cultura inde percipiant, non levis causa accedat gratulationis quod illud typis tuis, et quidem adeo sapienter concinnatum, monumentis et illustrationibus auctum, iterum in lucem venerit.

Nos certe vehementissime gaudemus quod ex hac Nostra civitate archiepiscopali et ex typographia Curiæ Nostræ tam eximium opus tamque utile toti Christianæ Reipublicæ pro-

diverit dum Nos in hac S. Maximi cathedra, etsi indignissimi, sedemus; et tuam hanc Surii editionem consideramus uti unum de monumentis Archiepiscopatus Nostri.

Nos propterea omnes clericos et Christifideles exhortamur, ut has Vitas Sanctorum sibi comparent, easque perlegant, et in iis ediscant quæ sit via quæ ducit ad æternam beatitudinem, et quanta sit vis fidei catholicæ in evehendis hominibus a rebus terrestribus ad quarumcumque perfectissimarum virtutum amorem, atque ad ipsum culmen sanctitatis. Deum etiam Optimum Maximum toto corde exoramus ut justissimo tuo voto obsecundare dignetur, et quamprimum Opus hoc tuum per totum orbem diffundatur.

Ex ædibus Archiepiscopalibus, die festo Corporis Christi seu 27 maji anno 1880, Archiepiscopatus Nostri nono.

✠ **LAURENTIUS Archiepiscopus.**

# INDEX NOMINUM SANCTORUM

# INDEX NOMINUM

# OMNIUM SANCTORUM

## DE QUIBUS IN XII HISCE VOLUMINIBUS AGITUR

### ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS

*Paginae quae asterisco notantur, ad* MARTYROLOGIUM ROMANUM ILLUSTRATUM *pertinent.*
Numerus romanus *denotat tomum,* arabicus *denotat numerum marginalem.*

## A

## B

## C

# D

# E

## F

## G

# H

# I

## J

# L

## M

# N

## O

## P

R

—

# S

## T

## U



—

# V

W



X

# Z



# INDEX RERUM NOTABILIUM

# INDEX RERUM NOTABILIUM

## [Q]AE IN XII HISCE VOLUMINIBUS CONTINENTUR

### ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS

*Numerus romanus volumen indicat; arabicus, paginam; asteriscus vero* Martyrologii Romani Illustrati *paginas denotat.*

## A

## B

## D

# E

# F

## G

## H

# I

## K



## L

# M

## N

O

## P

## Q



## R

## S

# T

—

# U

## V

# W

## X



## Z





Habita facultate Auct. Eccl.

# SVRIVS

## HISTORIÆ SEU VITÆ SANCTORUM

### JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS NUMERO AUCTÆ, MENDIS EXPURGATÆ ET NOTIS EXORNATÆ

QUIBUS ACCEDIT

### ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO
E CONGR. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

**13 vol. in-8 max. — L. 140**

Egregium et non exiguum LAURENTII SURII Opus, cui titulus *De probatis Sanctorum Historiis, etc.*, quodque summis laudibus conspicui doctrina, pietate ac dignitate viri, in quibus S. Pius Pp. V, efferre non dubitarunt ; ea qua Catholicum decet typographum bona spe edidi. Cui enim tam salutiferos uberesque hujuscemodi lectionis fructus perpendenti, ex adeo copiosa nec non jucunda illustrium factorum exemplorumque christianæ prudentiæ ac fortitudinis enarratione, hos libros acceptissimos fore non existimem? Quod me tanto certius in hac nova laudatissimi Operis editione assecuturum confido, quanto diligentior in eo exornando opera impensa fuit; de qua, ut paucis me expediam, hæc per summa capita sunt exponenda:

Ac primo, de illustri Agiographorum familia, *Surium* reimprimendum duxi, tum utpote permultis, atque gravioribus refertum Sanctorum *Actibus* ex Ecclesiæ Patribus et optimis piisque scriptoribus; tum quia latino usus est idiomate, eoque mysticum saporem et biblicam phrasim redolente, atque nobilem elocutionis simplicitatem, unde non parum utilitatis et piæ delectationis nemo est qui nesciat legentibus, et maxime verbi Dei præconibus, provenire.

Optimam præterea rem arbitratus sum, *Surium* seligere, quia ejus idiomatis gratia non intra unius gentis fines contineri cogitur, sed ad quascumque et quantumvis dissitas regiones potest non inutiliter pervenire, et apud eos omnes comiter excipi qui ritualem et sacrum callent Romanæ et universæ Ecclesiæ sermonem.

Præter *Vitas* Sanctorum, nonnullæ Surium conciones décorant, ex celeberrimis Patribus depromptæ, pro Festis Domini et Virginis Deiparæ.

Complures ex authenticis documentis adduntur *Historiæ* Sanctorum qui post Surii ævum solemnes cultus honores sunt adepti, ast eorum præcipue in quibus Sacerdotalia et Apostolica munia præfulgent.

Multo laudabilior quam in vetustis impressionibus est partium dispositio, qua et perspicuitati consultum fuit et commodiori legentium usui; virtutum exempla, graviores sententiæ, majoris momenti facta signis textui interjectis generali Indici respondentibus, inquirenti patent; sacræ Scripturæ et Patrum loca apte notantur; aliæ insuper et aliæ adnotatiunculæ opportune occurrunt de rebus historicis, geographicis et similibus, quadam explicatione indigentibus: latina quæque et antiqua nomina Gentium, Regnorum et Urbium vocabulum vulgare et hodiernum comitatur.

Quædam in historica et chronologica re, ad sanioris critices regulas castigatæ fuere; quædam item, alioquin inaniter prolixa, quæque in Metaphraste præsertim occurrunt omnino refellenda, expunctæ sunt.

In hoc tandem reor mea volumina magnam omnium gratiam inire, quod iis, novo plane studio et labore, annexuit operis curator **MARTYROLOGIUM ILLUSTRATUM**; scilicet elogia liturgica Sanctorum per menses, adjectis brevissime quæ ad ætatem pertinent qua floruerunt vel passi sunt; quo orti sint genere, qua patria; quæ in ipsis memoratu digniora extiterint, et quæ scitu 'minus sint communia.

Opus constat XII voluminibus quæ singulos anni menses singula complectuntur, quorum indices nominum Sanctorum et notabilium rerum unum conflati tomum XIII constituunt.

---



